BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
3/D
25

K. 6

4-1.c.9.

Digitized by Google



POLITICARVM DISSERTATIONVM
De Statu Imperiorum, Regnorum, Principatuum, & Rerumpublicarum,

TOMI IV.

Et primus quidem Tomus continet fundamenta dominationis, ac ſimul Relationes, Diſcurſus & Inſtructiones de Summi Pontificis, Imperatoris Romanorum & Regis Hiſpaniarum. & Sereniſſimæ Domus Auſtriacæ *potentia, monarchia, dignitate & auctoritate. Alter Diſcurſus & Relationes ſuper Ducatibus & Principatibus vniverſi Orbis Terrarum. Tertius vero ſuper Rebuſpublicis & Ciuitatibus Liberis. Quartus Tomus eſt Miſcellaneus, de publicis & aliis Regnorum ac Rerumpublicarum negotiis.*

Nunc opera & ſtudio Nicol Belli *editi.*

Proſtant Francofurti apud
Schönvvetter. 1615.

BIBL. DOM. PROF. ROM.
IHS
BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS AC CONSVLTISSIMIS D. D. NICOLAO GREIFFIO, D. IOANNI MARTINO BAVHERO, pro tempore Conſulibus, ac cæteris totius Senatus Francofurdianæ Scabinis ac Senatoribus digniſſimis, Dominis ſuis humiliter colendis.

TRes potiſsimum nationes ſunt, Ampliſsimi Viri, quarum ingenium, doctrinam & iudicium nos Germani hodie ſuſpicimus & admiramur; Italorum, Gallorum & Hiſpanorum. Quarum vtra alteri præſtet præferendaque ſit, in controuerſia eſſe video, aliis hos, aliis illos pro animorũ captu & affectu commẽdantibus. Ego quidem, qui neque magnam mihi literarum cognitionem tribuo, nec in Re-

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

bus publicis gerendis, vtpote priuatus, vllam experiẽtiam præcipuam acquiſiui, hoc tamen ab iis, qui vtraque facultate inſigniter præditi ſunt, & non tantum Academicas quæſtiones, ſed publica Principumq; varia cum togata, tũ armata negotia multis experimentis tractare didicerũt, habeo compertum, Italos vt ſitu & temperatura cœli, ita animi pariter corporisq; bonis antecellere. Et quod Ariſtoteles in 7. Politic. de Græcis ſuis affirmauit, eos & feroces atq; animoſos, & ſolertes atque ingenioſos, id eſt, animo præditos eſſe, & ingenio valere, bello pacique promptos, id cum Cicerone homine πολιτικωτάτῳ, *multo magis iuſtius de Italis ſiue Romanis dicemus. Quos profecto videmus & ſemper in libertate viuere, & perpetuo Rempublicam ſuam optime adminiſtrare, atq; adeo factos ad imperium adipiſcẽdum & retinen-*

dum

dum cunctarum orbis gentium. Id autem vt fortitudine paratur & acquiritur, ita iudicio conſeruatur: quorum alterum corporis conſtat viribus, alterum animi. Et hic quantum corpore potior eſt, tantum facultates eius in Jtalis magis elucent atque eminent. Vbi enim Philoſophia purius docetur? vbi Medicina caſtius præcipitur? vbi Juriſprudentia ſanctius docetur? vbi omnes ingenuæ atque liberales artes honeſtius traduntur? vbi Politica peritius tractantur, quam in Italia ab ipſis Italis? qui & ingenij acumine valent, & iudicio ſingulari atque vnico ſimul præditi ſunt, vt & ad inueniendum ſapientes exiſtant, & ad diſponendum prudentes. Itaque non difficulter perſuaderi mihi paſſus ſum, vt eorum libros præ cæterarum nationum ſcriptis ad publicandum & ex eorũ lingua in Latinam nobis Ger-

manis magis aſſuetam, quo magis reipub. noſtræ commodo & ſtudioſorum hominum vtilitati inſeruirem, maximis ſumptibus & expenſis ad interpretandum & traducendum locarem, ex quibus autem diſſertationum politicarum hoc opus præcipuè mihi occurrit, tanquam omnis prudentiæ politicæ vnicus fõs & ſcaturigo. Quod quamuis principibus tantũ viris & iis qui à principum conſiliis & arcanis ſunt, præſcriptus ſit, bonum tamen factum fore exiſtimaui, ſi illud ita conformarem, & adornarem, vt eorum & ſtudiis, qui aliquando vel in viros etiam euaſerunt, vel euadere, nec non quæque onera gubernandi in ſe recipere cupiunt, vſui eſſe poſſet.

Quoniam ergo quatuor hiſce tomis præcipua iacta ſunt fundamenta, quibus non tantum priuatæ reſpublicæ, ſed etiam principatus & regna ni-

tun-

tuntur; & vero Ampliſſimæ Dominat. Veſtræ, ſingulari Dei beneuolentia, ad Reipublicæ Francofurtenſis gubernacula capeſſenda & dirigenda ſelectæ ſunt; tum gratioſiſſimo Cæſareæ Maieſtatis calculo, in eiuſdem reipublicæ adminiſtratione, non recens, ſed multo ante fauorabiliter confirmatæ: ideo conſultum duxi, hoc munus librarium, Ampliſſ. Dominationibus Veſtris, ad conteſtandum, alioquin mille nominibus debitum humilis & ſinceræ obſeruantiæ affectum, velut gratulantis more, inſcribere ac dicare; ante omnia conceptis votis orans humiliter, quatenus hanc meam intentionem, ex candido & ſincero corde profectam, in optimam partem acceptare dignentur, meque pro ſuo clientulo, vti hactenus difficillimis reipublicæ temporibus benigne fecerunt, ita & in poſterum agnoſcere.

Quod reliquum eſt, precor Deum optimum maximum, vti nobiliſsimas & ampliſsimas Dominationes Veſtras, ad annos Neſtoreos incolumes, & ſaluos nobis & Reipublicæ conſtanter ac ſtabiliter conſeruare, omnique cœleſti fœlicitatis rore perfundere velit. Actum Francofurti Calendis Septembris Anno 1615.

Amplitud. VV. Subiectiſſimus,

Iohannes Theobaldus Schönvvetterus.

ELENCHVS SINGVLORVM DISCVRSVVM IN HISCE TOMIS COMPREHENſORUM.

TOMVS I.

I. De Pontificis Romani auctoritate. fol.22

II. Imperium quomodo à ſummo Pontifice dependeat. 25

III. Quo pacto Pontifex ſe gerere debeat, in totius Imperii Eccleſiaſtici negotiis curandis. 28

IV. Ad Cardinalem Montaltum, Sixti Quinti Pontificis Maximi Nepotem, Monita. 52

V. De ſacris Cardinalium Comitiis, ſiue de conclaui. 70

VI. Ad Prælatum in Hiſpaniam miſſum, vt cum Rege concluſionem fœderis tractaret inter Pium Quintum, Regem & Venetos. 85

VII. De fœdere concluſo inter Pium Quintum Pontificem Maximum, & Sereniſſimum Regem Catholicum, & Illuſtriſſimam Remp. Venetam ſeria & grauiſſima tractatio Clariſſimi cuiuſdam viri. 88

*5 VIII.

VIII. M. Antonii Mureti ad Illuſtriſſimos & Reuerendiſſimos Sacræ Romani Epiſc. Cardinales, ipſo die Paſchæ, cum ſubrogandi Pontificis cauſa conclaui ingreſſuri erant, &c.

IX. Monita ad N. Nuncium ſummi Pontificis cum ad ſereniſſimam Rempublicam miſſus eſſet. 125

X. Romæ Vrbis eiuſq; Imperii & de ritu creandi Pontificis. 133

XI. De aula & Regno Imperatoris Romanorum, Oratoris N. Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ. 153

XII. Hiſpaniæ totius hiſtoriarum primarum atque præſentis Imperii eius breuiarium, &c. 165

XIII. De Regno Luſitaniæ. 184

XIV. De Regno Neapolitano. 192

XV. De Regno Gallico ſiue Franciſco ſapientiſſimo. 210

XVI. De diuiſione Franciæ. 238

XVII. De Imperio & ditionibus Hiſpaniarum Regis. 263

XVIII. De Regno Gallico alius & diuerſus à priori. 285

XIX. De Inſula & Regno Angliæ. 292

XX. De Regnis Scandiæ. 298

XXI. De Regno Sueciæ. 301

XXII. De Regno Poloniæ. 305

XXIII. De Regno Britannico. 314

XXIV. De Interregno Poloniæ. 328

XXV. De nouo in Polonia Rege eligendo. 352

XXVI. Monita, cum ad aulam Cæſaream miſſus eſſet nuncius. 358

XXVII. De vrbe Conſtantinopoli & imperio Turcico. 362

XXVIII.

XXVIII. Turcicum imperium an inſuperabile. 377
XXIX. De bello Turcis inferendo. 381
XXX. N. N. Legati, de imperio Romano relatio. 387
XXXI. De ditionibus imperii Romani. 391
XXXII. De familia Auſtriaca, eius Imperii & ditionibus. 401
XXXIII. De imperio & potentia, tum Turcici imperii, tum Catholiciſſimi Regis Hiſpaniarum, eorumque virium comparatione. 404
XXXIV. De ſtatu Regni Sueciæ. 417
XXXV. De publicis & priuatis conſiliis, quæ Rex Catholiciſſimus Hiſpaniarum in vniuerſis ſuis regnis habet. 438
XXXVI. De expeditione in Africam ſiue Barbariam ad Catholiciſſimum Regem Hiſpaniarum adhortatio. 445
XXXVII. De Regno Cherſoneſi, quod Malaccæ dicitur. 457
XXXVIII. De sereniſſimi Archiducis Matthiæ ad Belgium profectione. 460
XXXIX. Clariſſimi viri N. Oratoris Veneti, cum Nicæa reuerſus eſſet, Relatio: vbi inter Paulum Tertium Pontificem Maximum, inter Carolum Quintum Imperatorem, & inter Franciſcum Regem Galliæ habito colloquio de grauiſſimis Reipublicæ Chriſtianæ rebus conſultatum eſt, & inter vtramque Maieſtatem decennales induciæ concluſæ. 465
XL. De ſtatu politico in Daniæ Regno. 485

TOMVS II.

I. De inferiori Germania, eiuſque Belgicis Prouinciis & Rebuſpubl. 491

II. De Ducatu Ferrarienſi. 500

III. De magno Ducatu Hetruriæ Relatio. 510

IV. De Inſubriæ, ſiue Mediolanenſi Ducatu ad Legatum, quomodo ea regenda, monita. 525

V. De Sabaudiæ Ducatu. 538

VI. Alius de Ducatu Ferrarienſi. 540

VII. De Ducatu Vrbinati. 549

VIII. Laurentii Mocenici de ſua ad Vrbini Ducem legatione. 553

IX. De magno Ducatu Moſcouiæ. 560

X. De rebus Perſicis, vbi principia & momenta omnia illius belli, vſque ad annum milleſimum quingenteſimum octogeſimum octauum aliaque multa deſcribuntur. 570

TOMVS III.

I. De Sereniſſima Republica Venetorum, deque eius imperio, & populorum moribus. 595

II. De ſtatu Heluetiorum. 604

III. Monita ad Legatum cum ad Heluetios miſſus eſſet, ſiue de variis Heluetiorum rebus. 607

Deque eorundem Republica, eiuſque forma & fœderibus. 609

IV. Inſtructio N.N. Legati ad Heluetios miſſi, & de publicis rebus gerendis. 818
V. De variis Rebuſpublicis & Prouinciis in Belgio. 620
VI. An bellum vel pax aut potius induciæ regi Hiſpaniarum expediant cum Gallo, Angla, Batauo. 631
VII. & VIII. Petri Caietani ad Prouincias Belgicas ad artem militarem ſub Alexandro Farneſio exercendam, & Regi Catholico inſeruiendum miſſi inſtructio. 634
IX. De Republica Tigurina, Bernenſi & aliis præcipuis ciuitatibus & pagis liberis. 645
X. De Republica Veneta, rebuſq; Venetis. 653
XI. De ſtatu politico apud Lucenſes. 670
XII. & XIII. De Statu politico apud Genuates. 673
XIV. De Heluetiorum confœderationibus, earumque cauſis, & prima origine. 681
XV. De Vriorum, Suitiorum & Vnderualdiorum pagis. 683
XVI. De imperio Turcico, ſiue de rebus variis Turcicis. 690
XVII. De ampliſſimo Sinarum Regno, eiuſq; regni Rebuſpublicis. 697
XVIII. De Statu Politico in regno Galliæ. 731
XIX. De Statu politico in Belgio ſub Burgundica ſiue Auſtriaca familia. 742

TOMVS IV.

I. De religione, quod in ea præcipuum fundamentum conſeruandi quamcunque Rempublicam. 750
II. Vtrum melius ſit & commodius in bello vltro

ad

ad hoſtem oppugnandum exire; an domi impetum eius excipere & vim propulſare. 753

III. De occaſione, & quantum illa in rebus humanis, maxime vero in bello poſſit; quamque impigre celeriterque arripienda ſit. 757

IV. Illuſtris D. Horati Malaguci, patricii Regienſis, diſcurſus, in quo Status & magnitudo quinq; totius Orbis potentiſſimorum regnorum; Regis ſcilicet Hiſpaniarum Catholici, Regis Abyſſinorum, ſiue Presbyteri Ioannis (vt vulgo vocant) magni Tartariæ Chami: Regis Perſarum & denique Imperatoris Turcici, rationibus è Geographia & Arithmetica petitis, inter ſe comparantur. 770

V. In quo primum demonſtratur vanam eſſe illam diffidentiam, quæ nonnullorum animos occupauit, Turcas à Chriſtianis apertis viribus debellari aut vinci non poſſe Deinde cauſę explicantur, ob quas pleraq; Chriſtianorum Principum contra Turcas Federa parum hactenus fructuoſa & efficacia fuerint, ſpeciatim vero quid in illis, quæ an. 1527. & 1571. inita ſunt, peccatum fuerit. Modus deniq; indicatur, quo perfectum & ad Turcici Imperii expugnationem ſufficiens Fedus inter Chriſtianos Principes confieri poſſit.

VI. In quo modi quidã oſtenduntur, quibus Turcico imperio ſubditi facile ad ſeditionem concitari atq; inflammari poſſint. 719

VII. In quo pernitioſa Macchiauelli confutatur opinio, qui affirmauit, Principi vtilitatis ſuæ cauſa, licere promiſſa vel fidem datam fal-

lere &

lere & reuocare : ſimulq; demonſtratur eos Principes, qui conſiliis eiuſmodi ſeduci ſe patiuntur, æternam ſibi inurere ignominiam ac dedecus ac tandem in extremum præcipitare exitium. 796

VIII. Vtrum princeps magiſtratus à ſe conſtitutos, qui vel per errorem vel nequitiam officio ſuo abutuntur, publice punire debeat nec ne. 799

IX. De auctoritate & officio Iudicum.&c. 806

X. De re Militari Lucæ Antonii Thomaſoni. 812

XI. In quo præcepta quædam,& exempla ad rem militarem & imperatoriam artem pertinentia continentur. 818

XII. An literarum ſtudia militiam eneruent. 831

XIII. De diſtinctis nobilitatis gradibus & dignitatum differentiis. 835

XVI. De inuadendo & ſubiugando Angliæ Regno, N. Spannochii equitis ad Regem Hiſpaniarum Catholicum. 839

XV. Eſt diſſertatio anno 1588.habita, quando ſtupenda illa claſſis Regis Catholici in procinctu erat:in qua diſputatur, quonam eius conuertendus ſit impetus; ſpeciatim vero, vtrum ea Belgium vel Angliam oppugnare magis expediat. 847

XVI. Portuum & arcium tam Angliæ quam Scotiæ accurata deſcriptio : Itemque de apparatibus terra marique ab Angliæ regina contra Hiſpanicam claſſem factis. 862

XVII. De ſucceſſu, quem famoſa illa Catholici Regis claſſis in Anglia oppugnanda habuit. 869.

XVIII. De morte Guiſii ducis. 878

XIX. De

XIX. De Henrico III. Francorum rege anno 1589. à monacho interfecto. 881

XX. Epiſtola, qua Magnus Hetruriæ dux Cardinalatu ſe abdicauit. 882

XXI. De expeditione in Belgium ducis Alenzonii. 885.

XXII. De imperii Romani Statu perturbato. 889

RERVM POLITICARVM, SIVE DE STATV OMNIVM IMPERIORVM, REGNORVM ET RERVMpublicarum, eorumq; perfecta cognitione & adminiſtratione

TOMVS PRIMVS.

De fundamentis dominationis, deque inſtrumentis regnandi,

CAPVT I.

TRIA præcipua ſunt fundamenta, quibus tota imperandi machina innititur:

CONSILIVM,
VIRES,
EXISTIMATIO.

Hæc veluti partes quædam ſunt, quibus vniuerſa Principis natura, dignitasque conſtituitur. Conſilium interim voco lumen illud rationis, quo cuncta recte gubernandi inſtrumēta diſpiciuntur: Qualia ſunt, Subditorum mores introſpiciendi perſpicacitas: Legum congruenter ferēdarum prudentia: Inſtituta diſciplinæ militaris: Adminiſtrandi belli peritia: Stabiliendæ pacis induſtria: Euentuum proſpiciendorum diligentia: Amplificandi imperii forma: Cæteros dominatus pōderandi ſapientia: Temporibus inſeruiendi dexteritas: In deliberando cunctatio: In exequendo celeritas: In decretis conſtantia: In aduerſis fortitudo: In proſperis moderatio: Rerum diuinarum cognitio explorata, certaque adeo, vt neque ſuperſtitio pauorem, neque licentia temeritatem incutiat. VIRES autem appello, ſex illarum conditionum aggregationem, quæ potentem

Conſilij definitio.

Potēs Princeps vnde dicatur.

Principem efficiunt: euiuſmodi ſunt, Imperii poſſeſſio, fida, lata, antiqua, vniformis, armata, opulenta. EXISTIMATIONEM intelligo, illuſtrem Principis famam, quæ ditiones alienas peruagatur, nec non efficacem illam opinionem, quam eiuſdem conſilium, viresque in animis cæterorum Principum inſerere. Quoniam vero accidit, vt hæc tria vocabula diuerſas in ipſorum ſignificationis latitudine materias complectantur, idcirco de ſingulis ſeorſim acturi, tripartitam diſſertationem aggredimur: Prima de conſilio: Altera de viribus: Poſtrema de Exiſtimatione tractabit.

Exiſtimatio vnde colligatur.

Perneceſſarium eſſe, vt Princeps conſilio polleat ſuo.

CAPVT II.

Conſilium duplex.

CONSILIVM Principis dupliciter conſideratur: eſt enim aut internum, aut externum. Internum illud eſt, quod in pectore ſuo ab ipſius intelligentiæ ſolertiæque acumine exoritur. Externum illud, quod ab iis, qui propter prudentiæ opinionem ad conſilia Principi ſuggerenda deſtinantur, proficiſcitur. Equidem vir politicus, qui ſapienti cõſiliario obtemperat, egregiam laudem promeretur: at Princeps eiuſmodi mediocritatis expers, & incapax, niſi per ſe ipſe ſapuerit, nullo citius, ac vehementius, quam circumſtantium conſiliatorum inſtrumento, in præceps ruet. Propterea quod aut Conſiliarii, perinde vt Princeps, imprudentes erunt (quæ res facillime contingere poteſt, maxime ſi ab ipſo Principe electi fuerint, quia vnumquodque ad ſui ſimile ducitur) tuncque Reipub. ſtatus eo celerius peſſum labetur, quo maior illorum erit numerus, qui ruinæ huic motum dederint. Quod ſi forte iidem conſiliarii nomine, munereque ſuo non indigni, & ad onera imperii ſuſtentanda idonei extiterint; nihilominus imprudens Princeps nunquam tanti erit, vt eorum virtute atque integritate bene vtatur, quia neque in melioribus eligendis deliberationibus aptus, neque in iiſdem explicandis, atque conficiendis ſatis efficax eſſe poteſt. Præterea ſummorum Principum conſiliarii ſæpenumero inter ſe æmulatione digladiantur, animiſque in diuerſa tendentibus diſtrahuntur, & propter finium, quos ſibi proponunt, diuerſitatem haud raro ad priuata commoda publicas conſultationes dirigunt, & per diuerſas artes, fraudeſque curant, vt omne exiſtimationis incrementum ſuaque vota ſibi inuicem præpediant. Proinde quoniam ineptus Princeps ob virtutis defectum eam inter ſuos non obtinet authoritatem, quæ ad compeſcendas ipſorum diſcor-

Internum conſilium primo quærendum.

Conſiliarii ſpernũt ineptum Principem.

Google

dias neceſſaria foret, neque eo iudicio pollet, vt reconditos intimosque eorum ſenſus, & cogitata, quibus mouentur, rimari, & perſcrutari valeat; conſequitur, vt ab illis confundatur magis, atque præcipitetur, quam conſilio fulciatur. Accedit huc, quod inter hos eximiæ virtutis atque ſapientiæ conſiliarios, qui fatuo Principi operam præſtant, nunquam tantus erga ipſum reperitur amor, quantus huiuſmodi miniſtros deceret. Nam cum iidem vitia ſocordiamq; Principis quotidie obſeruent, comminusque tractent, ipſius ordo naturæ poſcere videtur, vt ſenſim illum ac pedetentim deſpiciant. Contemptus hoc caſu nunquam nõ cum odio coniungitur: quandoquidem nihil ęque virtutibus inſignem miniſtrum angit & affligit, quam cogi magnitudinis ſuæ incapacem hominem fortunæque faſtigio indignum colere. Odium atque contemptum facile comitatur lubrica & fluxa fides eorum conſiliariorum, qui his animum affectibus exulceratum gerunt: quamobrem Princeps neceſſario aut vendetur, aut ſaltem, prout ſeſe obtulerit occaſio, circunducetur. Itaque in eam Princeps curam animum intendat, neceſſe eſt; vt in ditione ſua ſolus ipſe ſapientia excellat, ſi ſolus illius dominus eſſe, ſi fucinam inſtrumentaque regnandi gubernare arbitratu ſuo voluerit: Quanquam autem ego ſapientem ex ſe ipſo Principem eſſe cupio, non idcirco ab eius latere Conſiliarios amoueo: imo aſſero, nullum regiæ exiſtimationis fundamentum ſolidius eſſe, quam ſi fama increbreſcat, ad conſuetam Principis intelligentiam grauitate, fideque conſpicuam Conſiliariorum manum adiunctam eſſe, vtque tales eos nanciſcatur, omnem operam nauare debet. Veruntamen conſilium iſtud, quantumuis doctum, & ſagax, ab ipſius Principis ſagacitate, atque ſapientia adeo ſuperetur, vt dominatui adminiſtrando acceſſorium eſſe, non principale dignoſcatur, cunctorumque oculis appareat, ſubdi illud Principi, non exæquari, & in conſultationibus magni momenti magis docendi, quam decernendi facultatem habere. Demum in Principe tanta animi vis, & celſitudo requiritur, vt omnes credant, conſilium haberi, quo in reipub. gubernaculo Principem adiuuet, non quo eundem doceat. Concludo, quemadmodum Princeps ad vitam & ſpiritum ducendum animæ ſuæ ipſius indiget, ſic ad dominatum retinendum aliquo conſilio opus eiſdem eſſe, vtque ſine illa nunquam inter homines, ita abſque hoc nunquam inter Principes numerandum videri.

Sapiens Princeps Conſiliariis cur vti debeat.

Conſilium anima imperii.

Digitized by Google

Vnde proprium Principis conſilium naſcatur.

CAPVT III.

Conſilij fontes.

CONSILIVM Principis internum tribus ex fontibus emanat: A natura: Ab educatione: Ab experientia. Natura in homine primas quaſi feneſtras intelligentiæ aperire videtur, luminoſas plus minusve, prout corporis temperamentum permittit, vtpote quo primæ formæ, primaque moribus, animique actionibus lineamenta imprimuntur. Qui animus cum in functionibus ſuis peragendis organo corporis egeat, dubitandum non eſt, quin iuxta variam huius temperationem ſimiliter affectus ſit, atque propenſiones illius varientur. Hoc autem naturæ donum adeo inſigne eſt, vt, hoc denegato, quilibet incaſſum laboret. Nam ſi Princeps aliquis in lucem editus eſſet, humorum altero ſic dominante, vt rationis freno reprimi ac domari non poſſet, neceſſario is aut regnandi incapax, aut maximarum author eſſet calamitatum. Ex moderatis humorum temperamentis optabilius in Principe erit ſanguineum, melancholico mediocriter mixtum, quo nimia ſanguinis motio temperetur: Nam huiuſmodi temperamentum ex eo, quod plurimum accidit, venerandam, imperioque dignam ſpeciem gignit, ſanum hominem, ac longæuum efficit, ad moderationem, ad iuſtitiam, ad magnanimitatem, ad clementiam animos informat, quibus doctrinæ regulæ, virtutis habitus, prudentiæ monita nullo labore imprimuntur. Iſtudque vnicum eſt temperamentum, quod ab incunabilis occulta quadam vi, ac ſuauitate omnium animos ad amorem allectat, attrahitque: Hæc autem plane ſingularis dos, quoties in Principe refulget, vel ſola interdum humanæ vitæ curſum exornare, atque illuſtrare conſueuit. Temperamentum phlegmaticum in Principe minus expetendum eſt, quoniam hoc temperamento coagmentatus homo ad ſeruiendum magis, quam ad imperandum videtur idoneus: vtpote qui naturæ capacitatem diſciplinis imprimendis contrariam ſortitur, ſtupiditatem quandam ingratam prudentibus, prudentiæque aduerſam fouet, cunctationem momentis occaſionum periculoſam retinet, mentisq; oculum, & viſionem quãdam hebetem, atque obtuſam, proinde ſuſpicacem, rebusq; gerendis ineptam, publicæque potiſſimum gubernationi peſtiferam præ ſe fert: Huic quoque temperamento deſunt, animi ſublimitas, cogitationum generoſitas, iniuriarum vindicatio, deliberationis lumen, executionis ſpiritus; vnde in perpaucis iis rebus, quas deliberat, exequiturve, potior eſſe caſus, quam electio conſueuit, neq; vnquam ad annos illos peruenire poteſt, quibus

Temperamenta diuerſa animũ diuerſe aſſiciunt.

Principis temperamentum quale præſtantius.

Phlegmaticum imperfectum.

ab ex-

ab externi conſilii iugo, atque tutela eximatur. In temperamento flauæ bilis moderato, quædam bonorum, malorumque commixtio ineſt: nam ipſum quoque gratam quidem, comemq; indolem parit, cæterum ob raritatem texturæ hominem in conſiliis capiundis inertem, humorum conuerſionibus ſubiectum, proinde vitæ breuitati obnoxium, neque ad perferendos cum animi, tum corporis labores accommodatum præbet: quin etiam exhibet eundem moroſum, iracundum, laſciuum, iniucundum, nimis apertum, inſtabilem, neque grauem, quantum fortunæ gradus poſtulat: attamen in eo, cæterarum animi propenſionum maior pars virtuti magis quam vitio adhærere ſolent; Nam in aggrediendis rebus expeditus, in perficiendis alacer, in conſiliis promptus, in conatibus audax, in finibus generoſus eſſe, comperitur. Temperamentum melancholicum tametſi Principem vultu, facieque, non quomodo opus eſſe videtur, venuſtum & colendum, neque motum benignum, animo excelſum, clementiæ deditum; imo ad vitia caſtiganda, quam ad virtutem remunerandam propenſiorem præſtat: nihilominus corpus ei ſanum, forte, laborum tolerans largitur; iubet illum eſſe ingenioſum, parcum, tacitum, grauem, ſecretum, induſtrium, a voluptatibus abhorrentem, animo etſi timidiore, tamen aſſidue gubernandi curis idoneo præditum. Quoniam vero Principes animi propenſionibus illis, quas a natura inſitas & cognatas habent, non ſæpe, aut fere nunquam reſiſtunt, eo magis neceſſe erit, quiſquis ipſorum actiones eminus proſpicere, atque interpretari deſiderat, vt eiuſmodi temperamenta accuratiſſime inueſtiget.

Flaua bilis commoda & incommoda.

Melancholici temperamenti dotes.

Principes temperamento animi nus reſiſtunt.

De educatione.

CAPVT IV.

EDVCATIO, veluti bonorum, malorumve habituum omnium fons, & origo, totius humanæ felicitatis præcipuum fundamentum eſt. Hinc dominatuum ſtabilitas, hinc ruina dependet, hinc nationum & populorum ſeruitus, & eorundem libertas, hinc imperiorum ortus, & occaſus proficiſcuntur. Hæc, ſi modo recte ordinetur, bonorum morum mater eſt. Boni mores bonarum legum radices ſunt: in iiſdem moribus omnis armorum gloria, atque poteſtas fundatur. Vbicunque mores, leges, arma gradum alicuius excellentiæ obtinuerint, ibidem imperii auctoritatem, ſubditorum felicitatem, Principis maieſtatem florere, neceſſe eſt. Recta educatio nihil eſt aliud, quam diligens animi cultura, qua intelligentiæ lux, rationi imperium, volun-

Educationis vires.

Definitio educationis.

voluntati modus, affectibus frenum, actionibus regula, corpori robur affertur; fructus, quales nunquam niſi in iis animis, in quibus tempeſtiue inſeruntur, matureſcere conſpicimus. Hæc liberalis educatio, quæ non minus cunctis hominibus ad bene viuendum, quam ad viuendum anima, requiritur, dominanti adeo neceſſaria eſt, vt abſque illius ope in quolibet dominatu vice patris, ac paſtoris calamitas vniuerſalis & publica peſtis exſurgat.

De experientia.

Capvt V.

Experientia vtilitates.

EXPERIENTIA dux eſt intelligentiæ, norma voluntatis, anima prudentiæ. Sine hac in pace gubernatio nulla eſt, rei bellicæ difficultates multiplicantur; dominationum arcana non intelliguntur; morbi, quibus afficiuntur imperia, latent; medicinæ, quibus ad ſanitatem reſtitui queunt, itidem tempora, quibus eæ adhibendæ ſunt, non videntur, earum certa menſura ignoratur. Hæc experientia conſideratur multipliciter. Alteram mundi ipſius ætas produxit, & ex præteritis rerum euentis deprompta exempla conſtituunt: alteram homo ipſe peculiari vitæ ſuæ curriculo ſibi parat. Hæc prioris auxilio deſtituta adeo breuis eſt, & impedita, vt perraro cuiquam contigerit, ſolo illius ductu in actionibus ciuilibus ad præſtantiam vllam perueniſſe, quia mortalium vita breuis & anguſta eſt, & ſeris venit vſus ab annis. Præterea minuta hæc, nudaque experientia ideo pernicioſa rei priuatæ, publicæ anceps eſſe, dignoſcitur, quia conſtruere quidquam, nunquam edidicit, niſi deſtruat prius; neque ſolet vllum ordinem, niſi ex rerum confuſione, pcipere. Igitur experientia, quæ prudentem facit principem, ex ambabus componetur. Illa, quam ab ætate mũdi oriri diximus, in tres partes diuiditur. Prima ſui ipſius gubernationem docet: altera ciuilia negotia dirigit: tertia, dum ſub hiſtoriæ nomine memoratu digniſſima quæque colligit, vtramque perficit. Exemplorum & hiſtoricorum euentuum cognitio ad præſentia ordinanda, ad futura præuidenda permultum confert, quod primarium prudentiæ munus eſt: quæ cum ex particularium rerum obſeruatione educatur, firmioribus in eo viro radicibus extolletur, qui ipſarum diuturniorem, atque vberiorem experientiam hiſtoriæ adiumento conſecutus fuerit. Hinc vſu compertum eſt, vt plerique Reipublicæ gubernacula nunquam experti per ſolam vniuerſalem experientiam ciuitatibus leges dederint, & legitima viuendi præcepta populis, nationibuſque præſcripſerint, vt Ca-

Experientia duplex. *Vtraque componenda.* *Vniuerſalis prudentia præſtantior.*

rondas

rondas Zaleucis ſuis, plurimiſque Siciliæ, & Italiæ ciuitatibus, vt Draco Theſſalis, Hippomanes Mileſiis, Philolaus Thebanis, Iabeas Carthaginenſibus, Androduma Chalcidenſibus, Leneleus Locrenſibus, Pyttacus Lesbiis, Plato Magneſiis, & Siculis. Illud tamen non inficiamur, vere ſapientem vtriuſque experientiæ honore cohoneſtatum eſſe, debere: quales illi Græciæ totius oculi, perpetua ciuilis ſapientiæ lumina, Lycurgus & Solon extiterunt; Vnde non modo ab iis celeberrimas illas duas reſp. quæ ſpatio octingentorum, & amplius annorum ampliſſimis gloriæ, imperiique limitibus peruiguerunt, ſapientiſſimis legibus inſtitutas, atque efformatas fuiſſe, miramur; Sed etiam ipſas leges illuſtri adeo, & prorſus diuino iudicio temperauerunt, vt maxima mundi pars adhuc iiſdem gubernetur.

Solon & Lycurg. vtramque prudentiā egregie iūxerunt.

De primis noui Principis actionibus.

CAPVT VI.

CONSIDERATIS in Principe partibus iis, quas ei naturæ benignitas, educationis induſtria, experientiæ lumen impertire poſſunt, tandem ipſum in ſuo regno hæredem collocabimus, eaſque actiones, quæ ab initio ipſum decent, perpendemus, vtpote quæ ob illarum nouitatem magis populari trutina examinantur, & futuræ ſigna dominationis prænunciant. Naturale enim eſt, cum quis Principatum init, nouaſque imperii, & gubernationis curas ſuſcipit, vt omnium quidem oculi, animique eorum, à quibus cognoſcitur, in ipſum conuertantur, ſed magis magiſque eorum, quorum maxime intereſt, quales eius mores & actiones exiſtant. Inter quos ſubditis præſertim, bonus, an malus ſit Princeps, plurimum refert, item iis, qui noui principis patrocinio nituntur, vel eandem fortunam, vt amici, ſubituri ſunt, vel qui æmuli, & inimici inuicem habentur; maximi enim iis momenti eſt, an princeps in imperio nouus eam regendi viam ingrediatur, quæ virtutis & prudentiæ, an iuſtitiæ & puſilli animi ſpecimen præbeat. Hæc autem principia primo dominatus ingreſſu adeo magnifacienda ſunt, vt merito tanquā res grauiſſimę, ſigillatim reſpicienda eſſe videantur. Princeps igitur primo occurſu enitatur, vt in mentibus hominum, quoad fieri poteſt, efficacem imprimat opinionem, ſe non modo præſentis fortunæ capacem, ſed etiam quamuis maiorem amplitudinem, quam tempora, & occaſiones afferre queant, exæquaturum eſſe. Habeat autem pro re explorata, ſi cunctis in rebus principium rei faciendæ dimidium facti habetur, id in arte regnandi multo verius eſſe.

Primæ actiones magis obſeruantur.

In quib. primo diligenter verſandum.

Religionis vis.

Actiones Principis, quæ prædictam opinionem parere ſolēt, illæ ſunt, quæ valent ipſum coram populis probare in rebus diuinis religioſum, in humanis prudentem. Religionis opinio tātum poteſt, vt quoties illa firmata ſit, omnes virtutes neceſſario, & optimo iure ad illam accedere videantur. Hæc in populis honorem, ac reuerentiam erga principem imprimit, ipſos ab omni violentia ſecuros facit, eamque quaſi ianuam cuſtodit, per quā diſcrimina imperiis, ac principibus pernitioſiora ingredi ſolent: haud longe enim abeſſe videntur principes à calamitatibus, quoties in ipſis religio vacillat. Cum tamen ſuperſtitio, & diſſimulatio, tanquam ſcopuli, vitandæ ſint; in alterum impingere ſolet nimia aſtutia, in alterum diminuta prudentia: nam ſuperſtitio principem ineptum, vilem, contemnendum, & deceptoribus quibuſlibet prædam efficiet: ſimulata vero religio tandem ipſum confundet, quia, quantum veritas principem veneratione dignum in animis cæterorum præſtat; tantum religio, ſi fuerit conſiliis eius quaſi perſona impoſita, eum inuiſum, & ſuſpectum cunctis reddet, ſuarum tractationum conditiones deteriores efficiet, eritque in cauſa, vt cæteris opus viri prudentis eſſe videatur, dignumque laude, ſi quibus artibus princeps aliis placere curat, per eaſdem decipiatur: cum omnium hominum conſenſu nihil æque deteſtandum ſit, atque homo ad diſſimulādum procliuis. Artes quidem, excepto religionis ſtatu, præcipuum ſunt regnandi inſtrumentum; ſed eæ quantum, ſi prudentiæ coniungantur, proſunt, tanto magis, ſi aſtutiæ adhæreant, nocent. Igitur quia religionis exiſtimatio eſt principis gloria, imperiorum confirmatio, populorum ſecuritas, baſis tranquillitatis publicæ, vitæ incrementum, mortis certiſſima ſpes; noſtri Principis fundamenta à religione exordium ſument: nimirum iacta ſuper veritatis ſoliditatem, non ſuper veriſimilitudinis arenam.

Simulatæ religionis damna.

Primum fundamentum regnādi.

Oeconomicus ſtatus quomodo regendus.

Primæ actiones, quæ in rebus ciuilibus principi famam prudentiæ pariunt, duæ ſunt. Oeconomica, quam domi ſuæ inſtituit, gubernatio, cum primum imperium adeptus eſt: & Iudicium in eligendis miniſtris adhibitum. Domeſtica eius inſtituta ſubditis erunt veluti exemplaria quædam, vnde viuendi normam deſumpturi ſunt, vt nihil ſit, quod citius & efficacius in exemplum tranſeat, quam principalis aulæ mores, à quibus magna ex parte originem trahunt, corrupta, vel ſecundum virtutem viuendi forma publica, quies, turbæ populorum, fama, vel infamia principis: Qui Princeps nunquam adeo opibus affluit, quin perpetuo ingenti hominum numero indigeat: hos autem ad nutum habere, & colligere profecto non poterit, ſi primus ipſe domeſticis exemplis eos corruperit.

Quoniam vero Principem non dedecet rerum humanarum conditionem, eaſque imperfectiones, quæ in iis inſunt examinare, identidem neceſſaria res erit, vt rectus viuendi modus etiam illius Gynæceo præſcribatur cum propter vniuerſale mulierum exemplum, tum propter principis exiſtimationem, & peculiarem voluptatem. Cæſar Auguſtus quo tempore cum Ioue mundi imperium diuiſiſſe videbatur, inter eos, quos maxima illa potentia omnibus incutere debebat, terrores, fortunæ ludibrium ob flagitioſam mulierum ſuarum vitam, euitare non potuit. Sane conſuetudo officioſe inſeruiendi palam mulieribus aulicis, quemadmodum aulam ipſam exhilarat, & iucundiorem præſtat; ita negari non poteſt, quin ea res iuxta ſit periculoſa, ac ſi vitium manibus tractetur; quin etiam haud raro inde tragœdiarum occaſiones extitere.

Mulieres cuſtodiendæ.

Igitur oportet œconomica inſtituta principis in eum modum temperata eſſe, vt decorum, & ipſius proportio diligenter obſeruetur, ſitque veluti fons optimæ omnium educationis.

De electione miniſtrorum.

CAP. VII.

PRIMA miniſtrorum, eorumque, qui ad intimam principis amicitiam admittendi ſunt, electio eius indolem & capacitatem patefacit, eius que magis reconditas propenſiones recludit. In huiuſmodi electione multipliciter erratur, vel ob imperii imperfectionem, vel aliquando ob peculiarem climatis illius influxum, vel ob prauam totius regionis educationem, vbi graues & idonei ad imperia tractanda viri deſunt, quemadmodum vt plurimum in maiore parte Aſiæ contingit. Ob culpam Principis mala fit electio, quoties, vel quia natura ſuſpicax eſt, miniſtros maximæ virtutis abominatur, vel ob prudentiæ defectum neſcit iuxta virium proportionem onera diſtribuere: vel propter nimiam facilitatem permittit, vt virtus fauoribus corrumpatur. Error in huiuſmodi electione nunquam non ſummæ imperandi pernicioſa extitit: verum principio regni vel maximum detrimentum affert, quia ſemper illud rebus nouis inducendis longe aptius eſt, præſertim quoties imperii conditiones, qualitates vel actiones principis opportunam aliquam commoditatem ſubminiſtrat. Nam imperium ex ſeipſo nouas res affert, cum haud pridem incepit dominatio, item cum aſperioribus modis gubernatur populus, aut principem niſi nomine tenus non cognoſcit, cum ab ipſo penitus diuerſus eſt cœlo, lingua, moribus, cum quaſi membrũ longe abeſt à cætero imperii corpore; cum in viſceribus ſuis potentes & idoneos ad aliquem dominationis æmulum accerſendum ciues alit: cum populi natura leues, inſtabiles, incertę fidei ſunt; cum longo

Miniſtri vnde male eligantur.

Quibus de cauſis imperia turbentur ex ſe ipſis.

terrarum tractu cum potentioribus fines communes habet; cum alius princeps legitime ſibi eundem ſtatum vindicat, cum alienæ prærogatiuæ ſubiacet, & nouis aliunde auſpiciis ad iuriſdictionem, & ſpem ſucceſſionis fundandam indiget; cum ab anteceſſore Principe mutilatus eſt, & inualidatus vel diſciplina militari, vel neruis vectigalium, vel in æqua adminiſtratione iuſtitiæ; denique cum deſiderium vel motus aliquis nouæ religionis irrepit. Qualitates & actiones principis ad mouenda in regno nouiſſime adepto diſſidia inde potiſſimum ſuborientur, quia ſuæ magnitudinis incapax, & fortunæ ſuæ munere indignus iudicatur, quia ſe miniſtris ſuam vtilitatem reſpicientibus, imprudentibusve ſubiicit, quia fidos amicos à ſe abalienat, cum dubiis conſentit, à ſe læſis, & iniuria affectis confidit; quia penitiora ſua turbarum vota, & conſilia, cęteris periculoſa communicat; quia pacem vel inducias, manifeſte imparitatem virium profitens, ab hoſte redimit; quia imprudenter aliquod ex ſuis oppidis hoſtilibus armis obiicit; quia ob inanes ſuſpiciones ſuis armis ſe ſpoliat, totuſque ab auxiliaribus ac mercenariis militibus dependet, demum quia proniorem ſe natura ad ſequenda aſtutiæ, quam prudentiæ conuenientiora conſilia demonſtrat.

Quibus de cauſis mutentur culpa principis.

Prudentia & aſtutia diſcrepantia.

Ea vero prudentiæ congrua dicuntur conſilia, quæ verum, quo actiones dirigendæ ſunt, finem oſtendunt, neque ad eum attingendum aliis mediis opus eſt vti, quam quæ cum honeſtate conſentiunt. Aſtuta conſilia ipſa quoque ſibi eundem ſcopum proponunt, ſed in mediis eligendis honeſtatem minime faciunt, res quidem humano generi inuiſa, Deoque adeo diſplicens, vt iis conſiliis ſemper ſe te infeliciſſimos exitus immittat. Nam tametſi in actionibus Principis, qui probus & ſapiens eſt, aliquando honeſtum vtili concedere videtur; hoc tamen nunquam ex eius conſenſu & electione, ſed potius, ex eo fine, & reſpectu proficiſcitur, qui propter ſummam rerum & propter totius imperii conſeruationem neceſſario attendendus eſt: imperium ſiquidem perinde atque corpus aliquando ita infirmatur, vt illi aſtutia quaſi quædam ſit medicina. Verum quoties Principis aſtuta eſſe conſilia, neque propter opportuni alicuius remedii neceſſitatem inducta deprehenduntur, ſed vt illis tanquam cibo quotidiano vtatur, dubio procul credendum eſt, ipſummet ſuarum ſibi calamitatum temporis progreſſu architectum fore: idque duplici de cauſa: Primum quia ſicuti aſtutiæ fama ſemper odium, & inimicitias auget & multiplicat, ita præcipuum eius malum eſt, vt oculos aſtuti intellectus ita obtenebret, vt in animum indueat ſuum, ſe poſſe artibus fraudibuſque totum orbem terrarum arbitratu ſuo inuoluere ac regere. Secundo loco, quia dum princeps horum morum retinens conſpicitur, ſuos pariter miniſtros omni iudicio exſpoliat, quippe qui etſi futuri eſſent alterius animorum propenſionis tamen vt iubenti obſequantur, & apud eum ſapientiæ nanciſcan-

Neceſſario aſtu vtendum aliquã do in imperiis.

Aſtutiæ detrimenta.

tur

tut opinionem (ii enim ſapientiores habentur apud Principes, qui ad eorum mores ſeſe facilius conformant) certatim ad eaſdem artes imitandas ſe conuertunt: adeo vt propediem non conſiliariis, ſed totidem vulpibus vndequaque circumdatum ſe, agnituтus ſit. Et quoniam neceſſe eſt, vt ſemper vas odorem liquoris, quod continet, redoleat, cum tempus aduenerit, quo huiuſmodi miniſtrorum fidei ac virtutis experientia exigenda ſit, dubitandum non eſt, quin tales erga ſe ipſum Princeps eos reperturus ſit, quales illos inſtituerit, atque aſſueuerit, hoc eſt, callidos, & ſuæ tantum vtilitatis cupidos. Miniſtri omnium maximi tres eſſe videntur Ille, qui in conſilio ſtatus ſedem habiturus: Qui rei bellicæ præficiendus: Qui negotiis tractandis præponendus eſt. Hi omnes oportet, vt ab ipſa natura eum in modum effecti, atque informati ſint, vt quanquam priuati perſonam Principis appoſite gerant, certum ſiquidem eſt, cum eiuſmodi miniſtri ab excellentia, quam diximus exciderint, fore, vt eo magis ſtatus fundamenta debilitentur.

Præcipui miniſtri tres.

De inſtrumentis regnandi.

CAP. VIII.

PRINCIPE in ſolium principatus recepto & primis ſuis actionibus inſita in animis hominum vehementi opinione eum ſummæ pietatis eſſe, atque prudentiæ, ne hæc exiſtimatio ocyus euaneſcat, ſed potius, quouſque neceſſarium eſt, ad ſtabilia & firma regni fundamenta iacienda adaugeatur; adhibito maximo iudicio, illa regnandi inſtrumenta, quæ ab initio dicta ſunt, tractare exordietur. Quorum primum eſt: Subditorum mores introſpiciendi perſpicacitas: nam etſi omnes homines eiuſdem generis eſſe videntur, & omnes ad hanc vitæ lucem accedunt iiſdem affectibus aſſociati: nihilominus quædam cœlo occulta vis obſeruanda eſt, quæ diuerſis climatibus, & diuerſis terrarum ſpatiis varias influit proprietates, & in animantibus per orbem terrarum vſquequaque degentibus, proprias adeo & peculiares appetitiones imprimit, vt non ſolum diſcrepantes, ſed etiam perſæpe contrarias inter ſe hominum conſtituat nationes. Cernimus præterea, propriam regionis alicuius educationem vtplurimum eiuſmodi eſſe efficaciæ, vt fere omni ex parte vniuerſalis naturæ conſuetudinem immutet: adeo vt ſapiens Princeps non ſolum teneatur non ignorare virtutes, ac vitia, quibus in vniuerſum hominum natura conſtruitur; verum etiam apprime callere debet, quæ ſint eæ animorum, atque affectuum procliuitates, quibus ſubditi ſui peculiariter ac ſigillatim tanguntur: ad quam rem neque labor, neq; ſtudium valde magnum adhibendũ videtur, ſed ſatis eſt, vt animum ſuum ad hanc rem intendat, facile cuncta intellecturus, vtpote in

Numerus imperij adminiculorum.

Subditorum ingenia veſtiganda.

Regio ſuos indit mores incolis.

propatulo

Legum ferendarum prudentia.

propatulo poſita. Ex hac intelligentia alterum caput ſuboritur, quod eſt legum congruenter ferendarum prudentia: nam quemadmodum fieri non poteſt, vt equorum domitor, etſi peritiſſimus, determinare queat, quæ freni ſpecies alicui æquo apta ſit, niſi prius eiuſdem animalis naturam ac dotes peculiares explorauerit: ita nunquam Princeps regno leges dare poterit, niſi prius naturam, & affectus, qui in populis præualent, ſigillatim norit. Quandoquidem tametſi propoſitio iuſtitiæ diſtributiuæ non minus, quam correctiuæ ſuam theoricam, modumque conſiderandi ex vniuerſali hominum natura deſumpta eſt; tamen particularium conditionum praxim ab his, vel ab illis hominibus efformat. Qui Aſiaticos diuerſis legibus, quam quibus Turca vtitur, regere vellet, in lubrica res eſt, imperium admodum incertæ vitæ ab eo fundatum iri; quoniam in iis terrarum ſpatiis cœlum, aut educatio, ſiue mauis vtrumque hominum ſeruilis naturæ populum producit, cui regimen, illud non modo accommodatum, ſed ſummopere neceſſarium eſt: ex contrario ſi quis in aliquibus partibus Europæ eaſdem leges vſurpare vellet, dubium non eſt, quin cito Princeps ille cum ſuo principatu ruiturus eſſet.

Aſiatici Aſiatico more regendi.

Rei militaris conſtituendæ monita.

De diſciplina militari in principio diximus, eam alteram eſſe ex tribus præcipuis ſtatus ſui tamentis. Reliquæ ſunt vires opeſque Principis, quæ præſertim in animorum virtute conſiſtunt. Arma legibus rectæ diſciplinæ perficiuntur: bonæ vero leges militares quadruplicis generis inueniuntur. Primæ reſpiciunt, ſtabiliuntque formam illam vniuerſalis educationis, propter quam homines legi obtemperant, & ad incommoda quæque, & labores perferendos fiunt idonei, vtpote bellorum ſocii perpetui, & quædam quaſi radices fortitudinis. Hoc autem maximum omnium eſt, quod Princeps ſuo regno firmando curare poteſt, beneficium.

Varij ſitus mundi varias corporibus habitudines ingenerant.

Secundæ leges eo pertinent, vt militum delectus accurate conficiatur: cum climatum diuerſitas miram in qualitatibus nationum diuerſitatem efficiat; adeo vt nuſquam educatio, quantumuis diligens & efficax, id obtentura ſit, vt miles, qui feruidioribus locis natus eſt, & viuit, æque intrepidus ſit, mortiſque contemptor, atque is, qui in frigidioribus regionibus ortum & vitam duxit: neque hic tantæ vnquam fuerit, quantæ ille, ſagacitatis, & aſtutiæ: In mediis vero ac temperatis locis non minus prudentiæ, quam ad fortitudinis opera aptus eſt. Quapropter non omni ex parte verum illud eſt, quod communiter dicitur; Qui homines poſſidet, eum ſibi poſſe, modo velit, militiam ſtruere: naturaliter enim formæ non imprimuntur, niſi quatenus congruit materiæ diſpoſitio.

Stataria militia inepti plerique.

Poſſeſſio terrarum, campique ipſius nunquam retinebitur, niſi ope ſtatariæ militiæ; ad quam rem nunquam apti fuere Arabes, neque Æthiopes, neque Parthi, imo neque Aſiaticorum vlla gens, non

equi-

equidem ob diſciplinæ inſcitiam, ſed quia natura ipſis negauit tantum audaciæ, quanta opus eſt ad impetum ſtatarii militis ſubſtinendum. Igitur Princeps, qui multas & variorum ingeniorum poſſidet nationes, eos populos, quibus cogitat, & ſperat cum fructu vſum armorum committere, ſummo attentoque iudicio eligere debet.

Tertiæ leges eæ ſunt, quæ docent, imperia & milites armandos eſſe proportione & armis congruentibus: quandoquidem aliud imperium magis equitatus, quam peditatus indigebit: aliud magis claſſium, quam exercituum: hoc maiorem numerum haſtarum & ſclopetorum requiret, aliud contra. Et in qualitate armorum ſimiliter maxime proſunt bonæ leges: quas Romani variis temporibus adeo varias habuerunt, vt ex bellicoſis nationibus, quidcunque apud ipſas bonæ inſtitutionis reperiſſent imitantes, tandem diſciplinam hanc militarem ad ſummam perfectionem reduxerint.

Armorum genera diuerſa diuerſis congrua.

Quarta ſpecies legum quinque præcipua belli munera docet, hoc eſt, caſtra mouere, iter agere, in campo manum conſerere, propugnare & arces fortiſſimas oppugnare. Hæ leges tantum momenti ſummo imperio afferre ſolent, vt etiamſi in cæteris ſui partibus male ordinatum ſit, ſola diſciplina militaris ad vitam illius propagandam ſatis eſſe videatur. Hoc in omni imperio, ſed potiſſimum in rep. Romana perſpectum eſt: propterea quod ex omnibus, quæcunque extiterunt, rebuſpub. nulla vnquam fuit, quæ ad extremum ſui excidium plures & paratiores habuerit cauſas: verum feliciſſima illa armorum diſciplina, inſtar calidiſſimi cuiuſdam ſtomachi, quamcunque intemperiem, & morbum reip. concoctum corrigebat.

Belli munera.

Diſciplina militaris morbos reip. concoquit.

Ars belli adminiſtrandi propria eſt ſummi & generalis Ducis: Quoniam vero omnium rerum hæc difficillima eſt, & magis ardua: neceſſe puto, vt in eum virum, cuius humeris tantum pondus incumbit plerǽque dotes & ornamenta concurrant: Sed quatuor ea præcipua ſunt. Longa bellicæ rei experientia: Egregia virtutis fama: Non inter ſuos tantum, ſed etiam inter hoſtes exiſtimatio & authoritas: Poſtremo vt in iis rebus, quas aggreditur, & tentat, aliquem fortunæ fauentis afflatum obtineat. Longa, inquam, experientia, quia bellica ars ex prætetitarum rerum lectione parum opis elicit, cum verum belli gymnaſium non cubiculum ſit, ſed ipſe campus: Eiuſdemque magiſter ſit tempus, vſuſque, & deliberandis rebus intereſſe; item res exequendas obſeruare, & attendere, euentaque conſiderare. Hæ notiones deinde illam prudentiam pariunt, quæ non ignorat meliora eligere, certam virium & ſuarum, & hoſtilium menſuram noſcere, remedia caſibus omnibus conſiliiſque adaptare: deliberationes ipſas iuxtà rerum varietatem diſtinguere: hoſtium conſilia proſpicere, & quæ ab hoſtium incuria offeruntur occaſiones, celeritate arripere: intelligere, vbi ſit locus accelerandi, vbi diuertendi: quando à ferro, quando à tempore victoria ſperanda: quando interſit, immaturis

Ducis egregij virtutes quatuor.

occaſio-

occaſionibus obuiam ire, vel ſinere, vt ad perfectam maturitatem deueniant: denique eam morum mixturam ſcite repræſentare, quæ inter iucunditatem imperandi, & inter velocitatem rerum exequendarum viget: quæ res pernecеſſaria eſt ad continendum in officio exercituum ex diuerſitate nationum, varietate morum, inæqualitate animorum neceſſario compoſitum: quæ quidem conditio, & virtus, in ſummo duce vel maxime expetenda, adeo in Annibale Pœno admirationi habita eſt, vt nullum iſto ſolidius magnitudinis ſuæ fundamentum habuerit. Virtus Ducis exercitui ſuo eſt veluti ſpiritus, & potiſſima omnis proſperitatis cauſa: etenim quamuis Ducis partes non ſunt, decertare ſed ita agere, vt arte & experientia decertetur: tamen abſque proprio virtutis ſtimulo, neque ſciet quiſquam neque poterit huiuſmodi arduo regimini vnquam reſpondere: præterquam quod fama, & conſtans opinio, ipſum ad illam dignitatem virtutum meritis perueniſſe, incitamentum eſt viuum, & efficax, quod ſingulos ad imitationem, & ad fiduciam attrahit. Et quoniam fortunæ illius, quæ in omnibus rebus dominatur, potentia in bellicis rebus plurimum valet, præſertim in conflictibus, in quibus ſummum eſt diſcrimen: ideo aſſero, maximi faciendam eſſe felicitatem, vel infelicitatem illam, quæ miſerum quempiam hominem nonnunquam adeo comitatur, vt cum mala fortuna matrimonium iniuiſſe videatur: cuiuſmodi Ducibus nullum conſilium ac deliberatio ex animi ſententia, me quidem iudice, ſuccedit; quales in Italia duos habuimus propter ipſorum infortunia præclaros, Bartholomæum ſcilicet Aluianum patrum noſtrorum temporibus, & Petrum Strotium noſtris, vir quidem inſignis ob pleraſq; animi ſui dotes, verum ſecreto quodam cœli influxu (hæc erant verba, quæ in Gallia ab ipſomet audiui) perpetuo perculſus, vnde nunquam ipſi datum eſt, maximarum rerum, quas aggreſſus eſſet, cum tamen pleraſque tentandi occaſionem habuerit, felicem aliquem exitum videre. Contra, plurimi reperiuntur, qui vel cœleſtium luminum benigno & fortunato aſpectu aliquo nati, vel diuinæ gratiæ, quod magis credendum eſt, participes fortunæ fauore fruuntur perpetuo: proinde res, quæ ab ipſis tractantur, ad feliciſſimum portum peruehuntur. Idcirco curet Princeps, quoad fieri poteſt, vt illos quam maxime fugiat, his vero libentius vtatur, niſi tamē ob virorum penuriam eligendi facultate penitus priuetur. Quod ſi euenerit, nemini id, niſi ſibimetipſi imputet, quippe qui imperii machinam, & quaſi opificium regens, & adminiſtrans, neglexerit ea inſtrumenta ſibi parere, quæ pacis ornamenta ſunt, belli ſubſidia.

Morum mixtura duci neceſſaria.

Virtus Ducis quantū valeat.

Fortunæ vis.

Miſeros Duces fuge, cole felices.

***

De induſtria pacis retinendæ.

CAP. IX.

TRIA genera bellorum poſſunt vnicuique ingruere imperio. Nam vel ipſe ſtatus reip. diſſidet, & hoc ciuile bellum nuncupatur. Vel Status cum Principe; hoc autem vel iuſta erit vindicta, vel iniuſta ſubditorum defectio; Vel tertio Princeps, & Status contra externas vires arma capient, & bellum externum appellabitur. Ne vero hæc bella oriantur potiſſimum remedium in artibus pacis excolendis conſiſtit. Ciuile bellum in Statu iam antiquo Monarchiæ nunquam non ex Principis ineptia originem ducit, ſiue quod is minor exiſtat ſeu quia intelligentiæ parum capax. Ergo quicunque in imperio eſt, ſemper eum cogitare oportet, fieri poſſe, vt ſibi huiuſmodi ſucceſſor aliquando obtingat, ideo per bonas leges præſentes futuris malis occurrendum eſt. Quod aſſequetur, duo præſertim vigilanter proſpiciendo: Statum religionis, & ſubditorum mores præcipuos: nam ſi Religio res nouas alicuius momenti admiſerit, extemplo regnum quaſi ſeminarium fit bellorum ciuilium, eorumq; conſiliis, qui præſentia mutare conſtituunt, colores & prætextus ſpecioſiſſimos ſuppeditat. Si quiſquis regnat, errorem in diſtributione munerum commiſerit, alicui viro, aut familiæ nimiam autoritatē, ac potentiam impertiendo, explorata res eſt, fore, vt vel id ab aliis non perferatur, vel, vt potentior ille ad maiora adſpiret, & vtrouis modo bellis ciuilibus anſa præſtatur. Populus cum Principe vno tantum caſu iuſtis armis contendit: hic autem eſt, quoties veræ religionis lumine deſerto, falſas ſectas inuehere Princeps conatur: propterea quod vinculo, quod cum Diuina Maieſtate contraximus, multo arctius obligamur, quæ cæteris quibuſcunq; vel naturalibus, vel legalibus, vel voluntariis. Hoc excepto, qui Principi cuilibet ſubiiciuntur, bonum Principem exoptare, qualemcunq; tolerare debent: alioquin ſingulis horis mundi ſtatus confunderetur. Neq; tamen debet Princeps ſuorum obligationi innixus, ea, quæ partium eius ſunt, obliuioni mandare: pauci enim inter ſubditos ad perfectum obedientiæ gradum pertingunt, & ſingulis hominibus ea inſita eſt opinio, ſolum ferrum, neq; aliam rem mali Principis veram eſſe medicinam. Defectio emanare ſolet, vel à ſubditorum natura, vel ab Imperii qualitate, vel à Principis moribus. Subditi, qui natura leues ſunt, & inconſtantes, facile ad fortunę mutationem cupiendā inclinant, neq; minimam quamq; eius mutandæ occaſionē prætermittunt, vt ſępe in regnō Neapolitano obſeruatē eſt. Quoties regnū eiuſmodi eſt, vt illud plures Principes ad ius ſuum ſpectare putent, & vnuſquiſq; eorum quondam poſſeſſionem eius habuerint, nonnunquā neceſſe eſt, vt dum partium cōtentiones

Bellum triplex.

Ciuilis belli origo.

Status cum Principe quibus ex cauſis diſſideat.

Vnde ſubditi deficiant ex ſeipſis.

nondum

nondum antiquatæ ſunt, Status ille diuiſus ſit, & procerum factionibus infeſtetur: quarum altera neceſſario regnanti aut palam aduerſatur, aut ſecreto contumaciæ proxima eſt. Mores Principis ad rebellionem concitandam idonei duplicis ſunt generis: Vel quia iniuſtus eſt, vel quia ſuæ fortunæ incapax. Hæc incapacitas ad ipſum deturbandum animos addit, & occaſionem ſuggerit ſubditis potentioribus: quos iniuſtitia valde ſpecioſo, iuſtoque colore etiam aduerſus mentem Status vniuerſalis commouet, armatque. Etenim in ipſo mundi exordio nullam aliam ob cauſam homines inducti ſunt, vt ceruicibus his alterum imponerent hominem, niſi quia caput quoddam ad ſemetipſos iuſte regendos, & fortiter defendendos idoneum cupiuerunt. Idcirco explorata res eſt cum hi fines à Principe iniquo, & inepto minime obtineantur, neutrum imperio dignum habendum eſſe.

Vnde fiat defectio culpa principis.

Iuſtitiæ adminiſtratio munus Principis.

Capacitas, & aptitudo à natura prouenit, ab educatione adiuuatur, ab experientia perficitur, vnde ex iuſtum in modum recta cum diſtributiuæ, tum correctiuæ iuſtitiæ adminiſtratio deriuatur. De qua adminiſtratione nobis agendum eſt; vt pote ad quam ſubditi magis reſpiciunt, eſtque in tota regnatrice arte præcipuum inſtituendi regni, atque gubernandi inſtrumentum: nam abſque diſtributiuo hoc munere (quod vtilitates, honoreſque diſtribuit, & onera ad proportionem redigit) in tranquillo Reipublicæ ſtatu tyrannus habebitur, turbulentis vero temporibus excidium ſibi accelerabit. Emolumentorum paucitate vt plurimum populares læduntur: verum inconſiderata honorum diſtributio animorum potentiorum animos adeo periculoſe exulcerat, vt innumeris exemplis compertum fuerit, dignitatem fauore potius, quam virtutis reſpectu in aliquem collatam, aliorum animos æque meritorum ita abalienauiſſet, vt calamitates ſubire neglexerint, modo Principi ſtruerent periculum, tantum vt prudentiam electionis, & diſtributiuæ iuſtitiæ abuſum ipſi exprobrarent. Quæ res etſi quolibet tempore peſſimos effectus parit, peſſimos tamen belli tempore producit, quo miniſtrorum fides, & beneuolentia magis neceſſario requiritur. Præcipua cauſa, vnde Ludouicus Sfortia repente corruit, & viginti dierum ſpatio ex imperio ſuo, quod omni ex parte munitum non ſolum bellum differre, ſed etiam ſuſtentare poterat, eiectus eſt, ea ſola fuit, quod in Ducem ſui exercitus elegiſſet Galeacium Sanſeuerinum, optimum quidem in vmbra palæſtritam, at ſummi Ducis oneri valde imparem, quem nihilominus illius imperii defenſioni præfecit, fratrique eius Comiti Palatino maiori natu, & rei militaris peritiori antepoſuit. Qui vir adeo ſe ob eam electionem iniuria affectum à Ludouico exiſtimauit, vt dolore itaque implacabili agitatus, omni acceptorum ab illo Principe beneficiorum recordatione deleta, maximo ardore ad Ludouici miſeriam, fratriſque infamiam curandam

Honorum diſtributio ſi præpoſtere fiat, turbantur imperia.

animum

animum adiecerit: adeo pectora virtute præſtantium virorum iuſta ira ob iniquam honorum diſtributionem concepta concitat, exagitatque. Honor identidem male diſtributus iis, qui prouinciis præficiuntur, non modo poteſt iuſtam, ac periculoſam iram in animis eorum, qui magis meriti ſibi videntur, cōmouere, ſed etiam ipſas prouincias ſolet perturbare, & ad rebellandum impellere. Quandoquidem miniſter iis dotibus præditus, quæ ipſum muneri ſuo male reſpondentem efficiunt, breui temporis interuallo prouinciam ad miſerabilē conditionem deducit: Quę res aliquando ſubditorum patientiam excedit; neq; ob aliud quā propter iniuſtam dignitatum diſtributionem Sicilia ingenti cū ſtrage Gallis erepta fuit anno Chriſtiano 1282. cum ſcilicet ſpatio duodeuiginti annorum regni illius adminiſtratio in miniſtrum violentum, ac libidinoſum collocata fuiſſet. Neq; minus periculoſa eſt diſtributio illa, quam princeps proſequitur, cum vnum præ cæteris fouet, honorat, ſuorum conſiliorum gratiæque ſuæ participem facit. Nam ſtatim atque vnum ex iſtis anteponit, & palam ſibi chariorem profitetur, compaginem, & vim principatus diſſoluit, conſiliarios quibus circumdatur, diſgregat, armorum ſuorum potentiam debilitat, iuſtitiæ æqualitatem immutat, & ſeſe incautum in quædam artificiorum, & aſtuum retia coniicit, plus minus ve periculoſa, prout, qui principis fauore potitur, plus minus ve ingentes ſpiritus gerit. Principatus compages, & vnio pluribus modis diſſoluitur: ſed omnium periculoſiſſimus eſt, quoties princeps ſummæ rerum deliberandarum aliquem totius beneuolentiæ, & inſoliti fauoris ergo præficit: Nam tunc in eo Principatu porta quædam aperitur, per quam externus quilibet princeps, modo conſuetis artibus vti voluerit, ingredi poterit. Verum abſque dubio per eandem portam ſpes ſubditorum omnium intrabunt, recipientque per manus miniſtri ea beneficia, quæ nullo interiecto medio ab ipſius Principis bonitate atque electione recognoſcenda fuerant.

Miniſtrorū iniuria cogit prouincias ad deficiendum.

Vnius præ cæteris autoritas perniciosa.

Diſgregat conſiliarios, quibus vtitur, quia inter ipſos nunquam deerunt, qui cernentes, omnem principis beneuolentiam atque auctoritatem ad vnum referri, non modo eius amicitiam per malam ambitionem exoptabunt, ſed etiam omnem curam adhibebunt, vt cum ipſo artum fœdus iciant; adeo vt ſuffragii, libertatis, & conſilii ſynceritatem penitus amiſſuri ſint, iique euaſuri, vt magis illius, quem princeps præ omnibus diligit, ſatellitum nomen, quam principis conſiliariorum titulum mereantur. Quæ conſilii diuiſio tanto maior erit, & periculoſior, quanto aulici illius potentioris auctoritas æmulatione procerum non caritura eſt. Debilitat huiuſmodi princeps armorum

Damna reipub ex vno potentiore cæteris apud Principem.

ſuorum vires, quia potentior aulicus, qui conſiliis reconditis, & ſuis vtilitatibus inſeruit, ſemper poterit aut conſilium belli decernendi impedire, vel decretum bellum differre, & arma commota ſuo arbitratu tractare, nempe commendans illa homini, qui, etſi parum capax, à ſuo nutu dependeat; vel poterit eorundem armorum progreſſum, ac felicitatem remorari, vt ducis amplitudinem & dignitatem, quoties aut eſt, aut fieri poteſt eius æmulator, imminuat. Neque vero ideo, quia præpotens aulicus ab his omnibus rebus forte abſtinet, remedium prauæ adminiſtrationi adhibitum erit: propterea quod ſatis eſt ad malam regiminis formam oſtendendam, vt appareat, omnem auctoritatem ipſius corrumpendi penes vnum eſſe, quotieſcunque ille aut ex ſe voluerit, aut ſuaſorem & emptorem inuenerit. Æqualitatem autem iuſtitiæ princeps confundit propter timorem, quem liberti potentia incutit magiſtratibus: nam etiamſi lex (quod ad ipſam attinet) eundem ſemper vultum gerit, eademque ſemper lingua vtitur; nihilominus illius interpretes, & exſecutores vtplurimum paupertate preſſi, aliiſque de cauſis infimi homines, ſolum nutum potentioris reſpicientes, legibus nouas formas imprimunt, earumque idioma commutabunt adeo, vt cupiditati potentioris, quem diximus, deſeruiant. Hic autem cum ob negotia ſua, tum propter aliena ſemper magiſtratus verſabit, & vrgebit, & quoquo libet diriget maximo cum totius Reipubl. detrimento, neque minori principis ignominia, à cuius manu recognoſcuntur grauamina, quæcunque potentioris liberti culpa irrogantur. Permittit autem incaute, ſe reti quodam calliditatis perpetuo capi, quoniam omnes quicunque diuturno tempore principum beneuolentiam ſibi in eodem ſtatu conſeruare non ignorant, eos maximæ calliditatis homines eſſe, oportet. Neque enim ſine aſtu fieri poſſet, vt principum voluntates, natura volubiles, cupiditatibus abundantes, quas facillime ſatietas capit, retineantur. Quo eodem aſtu præpotens aulicus ſex præcipuas res operatur, quæ ipſius ſtatus veluti fundamentum exiſtunt. Prima eſt, in animo principis eam opinionem inſerere, vt pro certo habeat, ipſum cæteris omnibus conſiliis vacuum, nihil aliud præ oculis habere, præterquam ſolam eiuſdem principis magnitudinem, atque vtilitatem: Altera eſt, Principis oculis tenebras offundere, adeo vt in aulico nequeat, niſi eas cernere animi propenſiones, quæ vel maxime reſpondent, & ſimillimæ ſunt ſecretioribus principis inclinationibus, in harum formam adeo ſe tranſmutando, vt naturales, & ſuæ videantur. Tertia ipſum adulari, adeoque quodammodo paſcere, vt præcipui aulici perſuaſionibus adductus, opi-

Qui vnus occupat animũ principis eum aſtutiſſimũ eſſe oportet, &c.

Artes præpotentis aulici.

neтur

netur mores ſuos, quamuis effrenatos, & enormes, eſſe aut virtutes, aut ſaltem minimas imperfectiones; quæ quidem res pergrata accidit principis ignorantiæ. Quarta, omni diligentia, ſtudioq; inuigilare, ne quiſquam eandem principis gratiam occupet, præſertim homines virtute præditos procul arcendo. Quinta, occaſiones quærere, temporiſque opportunitatem capere ad æmulos ſuos ope aliena amoliendos. Sexta, magnitudinem ſuam humillimis modis palam obtegere, ſuamque potentiam ſimulatæ humanitatis velamine abſcondere. Quibus artibus vinctus, & catenatus princeps in quamcunque formam Circes ſua nouarum ſemper rerum appetens iuſſerit, conuertetur.

Periculum principis ab aulico potentiore.

Magnitudo periculi, quod ſubiturus eſt huiuſmodi princeps metienda eſt ex animi magnitudine, quæ eſt in præpotente ſuo aulico: quod etſi minimæ virtutis, ſemper putaturus eſt, (vt ſimilium hominum ſolet eſſe opinio) tantum retroceſſurum eum in amore principis, quantum in illo progredi ceſſabit: fierique poſſet, vt ad hanc potentiæ cupiditatem accederet occaſio, temporumque commoditas, quibus in animum induceret ſimulationis artes iam omittere. Verum quando etiam aliud incommodum non ſequeretur, dubium non eſt, quin immenſus hic vni tantum communicatus fauor principem negotiis imparem, minimæque prudentiæ declaret; præterea animos procerum, & benemeritorum alienat, denique totius regiminis origanum adeo perturbat, vt vnuſquiſque principatum illum conſilio iudicet nudum, & æquitate ſpoliatum. Verum quia princeps ipſe homo eſt, hoc autem animal ſuapte natura (cuiuſcunque naturæ ſit) ſociabile eſt; omnino non poterit læto animo vitam ducere abſque intimo amico, quocum animi paſſiones communicet: hic vero eſt præpotens, & faſcinator principis aulicus de quo agimus, cui tantam ineſſe prudentiam oportet, vt amicitiæ affectus temperet, adeo vt Principatus prærogatiuam minime corrumpat.

Iuſtitia diſtributiua proportio ſeruanda.

Superius diximus, diſtributiuam iuſtitiam grauaminib' proportionem imponere: quia niſi eorum proportio in ſubditis adæquetur, ſemper erit iniuſtitia, præſentemque Reipub. ſtatũ permiſcere poterit: quorum ſubditorum partes eæ ſunt, vt ſuo principi tot vires ſuppetant, quot ad ipſos iuſte ſuſtentandos, & ab externa violentia defendendos ſufficiunt. Grauamina, quæ populis imperantur, ſunt. Pecuniariæ contributiones, Perſonale ſeruitium, ſiue opera: Regalium reſeruationes: item vectigalia tabernaria, ſiue onera hoſpitii præſtandi. Pecuniaria contributio duplex eſt, ordinaria & extraordinaria. Illa conſiſtit in antiquo iure vectigalium, portoriorum, decimarum: hæc in augu-

Onera æqualiter partienda.

mento vectigalium ordinariorum, in tributorum impoſitione, prout neceſſitas principis requirit. Perſonalis opera, ſiue ſeruitus ſimiliter duplex erit: vel enim præſtanda eſt iubente Principe, quales ſunt pedites, & equites, qui in quolibet imperio deligunrur, vel propter feudi obligationem, cuiuſmodi in quibuſdam prouinciis plurimi ſunt, qui tempore belli, aliquo præſcripro equorum numero principi militare tenentur. Reſeruatio regalium dicitur, cum princeps ſibi ſoli reſeruat, veluti theſauros inueniendos, ſyluas, iura venandi, ſalis, & metallorum fodinas, & cætera id genus. Ius hoſpitii præſtandi notum nimis eſt. Iniuſtitia, quæ in tributis ordinariis exigendis committitur tum maxime, cum populi calamitoſis temporibus coguntur ſoluere, vel repræſentare: vel cum nulla compenſatio dati & accepti admittitur, vel cum exactiones demandantur miniſtris violentis & auaris, qui acerbe & rapaciter exigentes, quod per ſe iuſtum eſt, & debitum, perinde efficiunt, ac ſi iniquum eſſet, & intolerandum. In extraordinariis multipliciter peccatur, cum ſcilicet nimia exiguntur tributa, donatiua frequentia, ſolitorum vectigalium augumentum ſuperfluum, inſolitorum inuentiones violentæ, vel artificioſæ, & monopoliorum ſpecies innumeræ. Iniuſtitia circa perſonales ſeruitutes eſt, cum numerus militum maior deligitur, quam ſtatus ille tolerare queat, vel cum ad maiora ſubditi obligantur, quam eorum fortunæ patiuntur, vel cum in prædam rapacium miniſtrorum cedentes intempeſtiuis luſtrationibus vexantur, vel cum ad munia minime neceſſaria coguntur, quo paciſcantur daturos ſe aliquid, ſi immunitatem cupiant, vel ipſos ſtipendio diu fraudare. Neque ab hoc genere iniuſtitiæ eximi ſolet pars illa nobilium virorum, qui propter feudum operam debent, cum vel diutius, quam tenentur, militiæ inſeruiunt, vel cum fictitie conuocantur in eum finem ſolummodo, vt ſeſe redimant; quemadmodum in regno Siciliæ vſuuenit. In reſeruatione regalium, aut honorarii ſoliti minimum iniuſtitiæ admittitur, niſi modis inſolentioribus, ac tyrannicis exigatur. Iniuſtitia tunc fit, cum noua regalia imperantur, quemadmodum in Delfinatu Henricus Galliæ Rex ipſa impoſuerat non ſine periculoſo illius prouinciæ tumultu, & paucis abhinc annis Rex Hiſpaniæ idem effecit, cum in ius regalium redegit Salinas Dominorum. Commodum, quod principi præſtatur in vectigali tabernario, ſiue hoſpitiorum, in vniuerſum populis valde ſolet eſſe incommodum: verum ſpeciatim impatienter toleratur ab iis populis, quorum mores frugales ſunt, & parci, natura ſuſpicaces, quibus regio anguſta eſt: præſertim cum hoc ius hoſpitii etiam militaribus hominibus debetur. Paupertas Regis Catholici hu-

Quomodo in diſtributiua peccetur.

ius tituli primi in Italia initium dedit huic, populis quidem in commodiſſimo & valde calamitoſo hoſpitio, quo nihil ad defectiones periculoſius, diciturque hoſpitium ad libitum hoſpitantis: quod idem eſt, ac libidini, & inſolentię militari vnum, pluresúe populos, prout occaſio poſtulat, in prædam concedere. Hoc grauamen hoſpitandi, quod populorum fortunis, viribuſque grauiſſimum accidit, ſemper efficax adeo fuit ad nouas res ſuſcitandas, vt inter primores cauſas numeretur, quæ in regno Neapolis, & Mediolanenſi Ducatu Gallorum imperium inuiſum fecerit, neque minimum attulit auxilium iis, qui ipſos ex illis imperiis eiicere cogitauerant.

Militum licentia exitioſa imperiis.

In adminiſtratione iuſtitiæ diſtributiuæ comprehenditur ſimiliter immunitas priuilegiorum, quæ ad perpetuum meritorum teſtimonium à Principibus conceſſa fuere ſubditis, & paſſim conceduntur populis, prout occaſio requirit: propterea quod niſi in diſtributione grauaminum illis integre obſeruentur gratiæ olim per priuilegia conceſſa, dubitandum non eſt, quin meritis eorum, à quibus illæ obtentæ fuerunt, maxima iniuria fiat; item læditur eorum, qui conceſſerunt, iudicium, necnon religio iuriſiurandi à principe præſtiti: & iuſtitia eius, qui poſſidet: populis etiam pulcherrimæ, ac ſpecioſiſſimæ occaſiones præbentur, vt ad præcipitia refugiant, præſertim in illis prouinciis, in quibus ſubditi bonum publicum diligenter curant. Igitur inſtitia diſtributiua, ſi recto vſu in diuidendis honoribus, & in grauaminibus æque imponendis habeatur, efficaciſſimum erit inſtrumentum, quo princeps ſibi erga ſubditos ſuos pacem comparare poterit.

Priuilegia non violanda.

Iuſtum correctiuum illud eſt, quod omnes errores & peccata, quæ in mercatura, & commercio humano contingunt, adæquat & emendat. Quæ peccata ſi conſenſu mutuo interueniente naſcuntur, vt eſt emptio & venditio, & cætera, ciuiles differentias producunt: quod ſi procedant ab occulta fraude, aut ab apta violentia, vt eſt furtum, homicidium, & ſimilia, tunc materiæ criminales formantur. Vt horum errorum adæquatio iuſta fiat, quatuor requiruntur. Qualitas legum: partes iudicis: Temperamentum æquitatis: natura principis.

Qualitates legi neceſſariæ tres ſunt. Vt ſubditorum naturæ reſpondeat, perinde vt medicina morbo, & ægrotantis corporis conſtitutioni: ſitque temporum conditionibus conformis: item æqua portione diſtribuat, vtaturque arithmetica proportione: Inſuper vt arbitrium executoris, quanto magis fieri poteſt, compeſcat.

Partes Iudicis ſunt tres: Iuſtitiam intelligere, Velle, & Exequi, &c.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DE PONTIFICIS ROMANI AVCTORITATE.

DISCVRSVS PRIMVS.

Papa dignitates diſtribuit, inconſultis quibuslibet Principibus in quoslibet.

PAPA ſupremus Chriſtianorum Pontifex omnes Eccleſiaſticas & ſeculares dignitates indifferenter diſtribuere poteſt, neque minus in liberos homines, quam in quoſcunque cæteris Principibus ſubiectos. Quod attinet ad Eccleſiaſticas dignitates explorati iuris eſt, Papam creauiſſe, & creare ſolere Cardinales & Epiſcopos diuerſarum nationum, ſub diuerſorum Principum imperio conſtitutos, inconſultis ipſiſmet Principibus. Quod ad ſeculares ſpectat: aſſero, Reges Poloniæ atque Luſitaniæ electos fuiſſe a Romanis Pontificibus, eorumque populorum Principes, olim titulo Duces, creatos ab ipſis fuiſſe Reges, atque coronatos. Innocentius Tertius Romæ Petrum Regem Aragonum, vxoremque Reginã in æde Sancti Pancratii creauit: Coronauit quoque Ioannem Regem Angliæ & Hiberniæ, qui ea regna Sedi Apoſtolicæ tributaria eſſe voluit; item Rex Daciæ, Bulgarorum, innumerique alii a Pontificibus creati, atque diademate inſigniti fuere, quemadmodum in regiſtris Innocentii III. Honorii III. & Gregorii IX. quæ in bibliotheca Vaticana aſſeruantur, videre eſt. Vtque Pontificiam auctoritatem magis aſſeram, aio, non modo ab iiſdem reges inſtitui, ſed etiam regno, ac dignitate ſpoliari, vt regẽ Angliæ Innocentius Tertius. Ex hac aſſertione auctoritatis Põtificiæ ſuper Reges, ſequitur illud, vt Pontifex in rebus Imperii multo magis ſeſe immiſcere queat, vtpote quæ iuris Pontificii ſunt, Sedique Apoſtolicæ immediate ſubiectæ. Id autem probatur, quia Gregorius V. numerum Electorum inſtituit, quibus eligendorum Cæſarum facultatem conceſſit: Et quanquam authentica exempla Bullæ aureæ, quam hac de cauſa edidit, proferri nequeunt, nihilominus, cum magnum ſuſceperim laborẽ, vt huiuſce rei dilucidam veritatem comperirem, pleræque patẽtes literæ cum earum exemplarib. ad manus meas deuenere, quibus antiqui multi Doctores expreſſe fatebantur, ſuam ſe autoritatem ſummis Pontiff. acceptam referre, quemadmodum in Arce Sancti Angeli in Theſauro, & in tribus libris, quibus titulus, Priuilegia Imperatorum, videre eſt, nec non in Bibliotheca Va-

Reges creat.

Et deponit.

Imperii moderatorem ſegerit.

ticana, vbi exempla ſunt deſumpta ex iis, quæ in Arce S. Angeli cuſtodiuntur. Ex quibus clare patet, Electorum auctoritatem, eorumque inſtitutionem à S. Romana Eccleſia dependere. Quæ vt magis comprobentur in medium affero, pro diuerſis temporum occaſionibus Electores à diuerſis Pontificib. eligendi priuilegio ſpoliatos eſſe, quemadmodum olim Ioannes XXII. id effecit. Sed & Leo X. Ducem Saxoniæ priuauit: Clemẽs autem VII. electionẽ Caroli V. validã fuiſſe etiã abſq; eiuſdem Ducis ſuffragio, ſuſtentauit, atq; aſſeruit, quẽadmodum in libro quodã, qui corio rubeo integitur, cernere eſt, cui libro titulus. Capitulationes Principum, & conſeruatur in Pontificio prõptuario. In Regiſtris autem Leonis X. & Clementis VII. in Archiuio Cameræ Apoſtolicæ hæc authoritas lucidius apparet: nã ſtatim atq; Rex Romanorum, vel Imperator electus eſt, Electores à Pontifice confirmationem petunt, ſæpiuſque, cum Papa conſenſum non præſtitiſſet, ad nouam electionem deuentum eſt: quemadmodũ in dictis libris, ſi diligenter attendantur, obſeruare eſt. Præterea apparet, Regem Romanorum, vel Imperatorem electum ſtatim ſolere in manum Pontificis iuramentum fidelitatis, obedientiæ, & reuerentiæ tranſmittere. Cernitur quoque, Pontificis auctoritatem ſupremam eſſe in imperio, & occaſione iuramenti vltimi Imperatoris magnæ fuerunt obortæ contentiones, dum ipſe reuerentiam polliceri, & iurare tantummodo volebat: & neceſſe eſſet, multas perlegere ſcripturas, quæ tunc temporis à viris peritiſſimis conſcriptæ fuere. Ad hæc dicimus, Pontificẽ priuare poſſe, ac deponere Imperatorem electũ, & confirmatum, quemadmodum hac vſus eſt autoritate aduerſus Federicum, vt legitur in regiſtris Innoc. III. Honorii III. & Greg. IX. & aduerſus Bauarum in regiſtris Ioan. XXII. in bibliotheca Vaticana: de quo argumento plurimæ allatæ ſunt ſcripturæ Auenione, quæ in ſacco quodam cæruleo aſſeruantur, cui titulus de Schiſmatibus. Allati etiam ſunt Auenione quadraginta circiter libri ſuper ſchiſmate Vrbani VII, vſque ad tempora Martini V, quod Conſtantiæ terminatum eſt, vbi multa leguntur ſcripta à Baldo Oldredo, aliiſque de Pontificis autoritate, dum Imperatori, aliiſq; Principib. illorum temporum reſponderent. Neque minus ad hæc cognoſcenda conduceret, ſi quis inſpiceret acta renuntiationis Imperii, quam Carolus V. in manus Electorum emiſit in fauorem fratris ſui Ferdinandi. Quæ res tempore Pauli IV. à doctiſſimis viris multum agitata, atque diſputata fuit, dicẽte Pontifice, Imperatorem non poſſe renuntiare Imperium in manum Electorũ tanquam ſibi inferiorum, ſed in manum Pontificis reſignandum eſſe, atque ita in Conſiſtorio decretum fuit, nẽpe Imperium tũc vacare, & Põtificiæ diſpoſitioni reſeruari. Hæc omnia in Promptuario

Electores ab Eccleſia Roma. dependent.

Electio indiget Pontificis confirmatione.

Iuramentũ Imperatoris limitatum poſtremis temporibus.

Papa Imperatorem deponit.

Renuntiationem Imperii in

manu Pontificis faciēdam eſſe putant.

ptuatio Pontificio exſtabunt, ac fortaſſis inter ſcripturas Pauli Reſtauri Peruſini, vel ſaltem in Additionib. ad eius tractatum de Imperatorum, &c. Tempore Pauli III. cum Carolus V. & Franciſc. I. Gallorum Rex ad ſingulare certamen deſcenſuri eſſent, inter cætera, quæ Carolus allegabat, illud erat, ſe filium eſſe ac defenſorem S. Sedis Apoſtolicæ, cui iureiurando obſtrictus erat, ſe de ſe ipſo quidquam decernere non poſſe, cum aliis rebus ſpecioſiſſimis. Præterea compertum eſt, donec electus, & à Pontifice confirmatus Rex Romanorum Coronam Imperialem manu Pontificis, vel eius Legati non recipit, nunquam Imperatorē abſolute vocari, ſed electum ſicque poſſumus aſſerere adhuc nomen illius ab auctoritate pontificis dependere quemadmodū & S. Maieſtatis titulus qui ei conceditur à S. Sedæ vēpote res Sacra dimanat, ex quibus omnibus, firmum deriuatur axioma. Si papa creat & priuat electores imperii, confirmatq; probat reprobat, electos ab ipſis, imperarores, eo magis poſſe cuicunq; principi ab imperio deſcendenti quamlibet dignitatē concedere, & ab eodem quomodolibet auferre. Igitur neceſſe eſt dictos 3. lib. inſpicere, itidemq; regiſtra Innocentii III. vſq; ad Gregoriū IX. in bibliotheca Vaticana, vbi ſimiliter ſeruantur regiſtra, alterū Gregorii VII. alterum Tiberii, & Felicis; quæ proderunt ad iudicandā Pontificis, qui eo tēpore cum Imperatore ſup ſchiſmate contendebat, auctoritatē; reperietur quoq; alterū Ormiſdæ, nec nō Epiſcopale Clementis IV. ſeparatum ab eius regiſtris. Adeſt præterea liber quidam Nicolai Aragonii, & alter Celſi Camerarii, in quibus ad hanc rē Bullæ innumeræ colliguntur. Allata etiā ſunt Auenione omnia regiſtra Clementis V. vſq; ad Gregorium XI. Verum adhæc libet annectere creationem Celſitudinis Etruriæ: Papa enim huic Principi titulum magni Ducis Etruriæ, nō Florentiæ, aut Senarum, conceſſit: id autē effecit, tanquam rei ſuæ arbiter & moderator: quandoquidē in donationibus Imperatorum, aliorumq; Romanæ Eccleſiæ factis tota etiam continetur Etruria, quam pro parte ſolummodo poſſidet: Quod ſi quis diceret, Pontifici earum rerum, quæ non poſſidet, nihil ſupereſſe, niſi titulum; pariter reſpondetur, Papam huius Principis Celſitudini ſolum titulum conceſſiſſe. Poſtremo, vt efficaciſſimam Pontificiæ auctoritatis exemplum ſuggeram, dico, Guiſcardos, antequam Neapolitanum regnum Eccleſiæ feudatarium eſſet, creatos fuiſſe, & coronatos Reges ab Anacleto, vel Innocentio II. niſi fallar: totum enim ferme regnum illud tunc Conſtantinopolitani Imperatoris erat, aliorumque, ſicuti videre eſt in quodam libro, qui corio rubro tectus eſt, & ſeruatur in bibliotheca Vaticana, cui titulus, de Regno Siciliæ. Quod pertinet ad rem Ducis Florentiæ, neceſſe eſt, diuerſorum Conci-

Titulus ſacer à ſacrorum Antiſtite manat.

Magnus Dux Etruriæ iure Pōtificio creatus.

liorum

liorum acta inſpicere, quæ nunquam impreſſa fuerunt: vbi clate videtur, Regem Galliæ ſemper anteceſſiſſe Regem Hiſpaniæ, & pleraque alia inter Regnum Poloniæ & Portugalliæ. In his libris qui in Bibliotheca Vaticana cuſtodiuntur, Oratoris Florentini locus reperitur, itemque Ducis Ferrariæ. Dux Ferrariæ prætendit, aſſeritque ſibi titulum Magni Ducis ab Alexandro VI. fuiſſe delatum, & neceſſe eſt legere Cerimoniale Iulii II. qui immediate ſucceſſit Alexandro VI. Tunc enim in Concilio Lateranenſi edixit decretum de ſucceſſionibus omnium Principum Chriſtianorum, eorumque Oratorum: ibidemque vtriuſque oratoris locus, qualis fuerit, obſeruatur: quæ res cum prætenſionem Ducis illius conſecuta fuerit, minimo negotio diiudicari poteſt, Florentiam Ferrariæ antepoſitam fuiſſe.

Prærogatiua principis comitiis diiudicata.

QVOMODO IMPERIVM A SVMMO PONTIFICE dependeat,

DISCVRSVS SECVNDVS.

QVIA cuncta, quæ poſſidentur ab hominibus, præter illa, quæ natura contingunt, aut tanquam ab ipſis quæſita, aut hæreditate, aut conceſſione, vel contractu aliquo poſſidentur: primo modo, explorata res eſt, Imperium ab Alemanis nequaquam poſſideri. Etenim neque illud vnquam acquiſiuerunt, neque totum poſſident Romanum Imperium, imo neque præcipuas Imperii ſedes, ſed ipſius portionem tantummodo: quam portionem ipſi maiori non retinent iure, quam tot aliæ nationes vindicare poſſent, præſertim Turcæ, quorum ratio potior fortaſſe cenſenda eſt, cum latius regnent, nouamque Romam obtineant; vel iuſtius in Pontifice reſidet Imperium, cum vrbi Romæ dominetur. Altero modo Imperium nunquam apud ipſorum maiores conſtitit, niſi forte ſe Gallorum ſtatuant ſucceſſores eſſe; & nihilominus in eodem Imperio validiora iura, quam ipſi Galli habeant, adſtruere ſibi nequeunt, imo multo inualidiora, quia Gallia, & Germania olim Franchorum fuit, & altera dicta eſt orientalis Francia, altera occidentalis, & hæc nomen ſeruauit, hæc vero in totum non retinet. Quod ſi præter Francos, Gothos in medium adduxerint, aliaſque gentes, quæ Italiam, multaſque prouincias inundauerunt;

Quotuplex dominium: & nullo dominij iure Germanos poſſidere imperium.

Imperium enim à pleriſque gentibus poſſeſſum fuit.

primo reſpondetur, hos populos à Germanis longe alios fuiſſe, deinde ipſis nunquam titulum Imperii attributum, denique omnia, quæcunque armis ſibi ſubiugauerunt, ab iis amiſſa fuiſſe, vel cum populis prouinciarum eoſdem factos, & in vnum corpus redactos fuiſſe: quod ſi ii ius aliquod ſibi arrogauerint, id certe poſterorum potius eſſe cenſendum eſt, quam maiorum ſuorum, qui in Gotthia remanſerunt. Tertio modo nullum ius, aut originem oſtendere queunt, præter ius & originem, quæ à Pontificibus deriuatur, ſicque recentium Imperatorum confirmatio ad Papam ſpectabit: & antequam ipſe Imperatores confirmet, atque coronet; profecto nequeunt decentius Imperatores nuncupari, quam electus à Capitulo alicuius Eccleſiæ reuera Paſtor illius ſit, antequam à Pontifice confirmetur; hac tamen diſtinctione, quod Papa ex ſe ipſo confirmat, per alios eligit. Ideo errant grauiſſime ii, qui præſens Imperium ab antiquo Romano minime diſcriminant. Hoc enim à Romanis Pontificibus nullum ſumpſit initium ſed tantum ab illo Pontifex, velut caput Eccleſiæ, & Chriſti Vicarius in veneratione habebatur. Similiter in errore verſantur, qui hoc Imperium ab eo, quod habuerunt Caroli Magni ſucceſſores, non diſtinguunt: Etenim hoc in Othone Primo auſpiciis Ioannis XII. vel XIII. incepit, poſtquam per multos annos occidentale Imperium ceſſauiſſet. Neque ſatis eſt illud afferre, ante Othonem electionis ius in Germania fuiſſe: nam electio illa Regum Germaniæ erat, nullo adiuncto titulo ſiue prætextu Imperii, qualis modo habetur in regno Poloniæ, & ad noſtra vſque tempora in regno Bocmiæ, & ad patrum noſtrorum ætatem in regno Hungariæ perdurauit: imo toto eo tempore, quo ritus eligendi in Germania obſeruabatur in regno Galliæ, in quo poſteri Caroli Magni continuo regnauere, titulus Imperii nunquam vſurpatus eſt, ceſſauitque penitus hæc dignitas in toto Occidente vſque ad Othonem; qui à Pontifice Imperator creatus fuit, eique ſucceſſor deſignatus Otho Secundus ipſius filius: poſt cuius mortem cum Germani Germanum Imperatorem exoptarent, Itali vero Italum, Papa illorum temporum, qui fuit Benedictus VII. Tertium Othonem approbauit: cuius quanquam tumultuaria fuiſſet electio, tamen à voluntate Pontificis vires, atque vigorem ſuſcepit: hic vero fuit Otho ille, qui Gregorii V. Saxonis intuitu, Germanis primum eligendi Imperatoris authoritatem impertitus eſt. Quamobrem niſi Pontificis hæc donatio atque conceſſio allegetur, non video, cur electus à Germanis Imperator ſit magis Imperator, quam quilibet alius Chriſtianus Princeps. Et nihilominus eo vſque prouehitur odium, atque malignitas nonnullorum recentium Theologorum Germaniæ, vt, quo Sedis Apoſt. authoritatem euellant, conentur illius Prouinciæ iura funditus deſtruere; primo aſſerentes, rerum temporalium curam ad Papam non pertinere: deinde, ad ipſum non pertinuiſſe, transferre imperium: de-

Electus Imperator non dum eſt Imperator.

Diſtinguendi principia Imperiorū.

1 Imperium antiquum. 2. Imperium Caroli Magni & ſucceſſorum. 3. Imperium Othonis I. differunt inter ſe.

Othones tres à Pontifice electi, quanquam tertij turbida fuit electio.

Electorum ius à Pontifice.

Falſa Theologorum aſſertiones.

mum,

mum, Imperium potius Pontificatui præeſſe debere. Quibus rebus reſponderi poteſt; primum, à Deo ſacerdotibus populi ſui gubernationem ac dominatum delegatum fuiſſe, cumque multis poſt annis Regem petiiſſet, ore Samuelis iuſſit illum præmoneri de omnibus incommodis, quæ paſſurus eſſet. Quo ad alteram exceptionem, reſpondetur, Authoritatem Imperatorum olim fuiſſe tributam ipſis à populo, pariterque iuſtis de cauſis populo ereptam. A quo cum tempore Leonis Iconomachi Occidens conceſſus fuiſſet, Gregorius III. tanquam pater, & protector Chriſtianorum, rogatus obſtitit: ſed tunc dilata re. Adrianus Primus, & Leo Tertius neceſſitate adducti Carolum Magnum ad hoc Imperium euexere. Verum quo ad tertiam aſſertionem, Imperium habere ius in Papatum, vt cæteras rationes omittam, quicunque hoc aſſerit, negat factum ipſum, moremque, quo hodie Chriſtiana Reſpubl. gubernatur. Quod ſi quis Pontifices confirmatos ad Imperatoribus legens, aliter iudicat, longe fallitur, quia Imperiorum diuerſitatem non diſtinguit, cui authoritati confirmandi Pontifices Ludouicus etiam renuntiauit, cognoſcens, id muneris ad laicos non pertinere, qua de re decretum habemus Adriani Tertii, quod deinde à Leone VIII. reuocatum fuit ob inſolentiam populi; ac proinde breui quodam tempore Imperatores eandem confirmationis authoritatem obtinuere, nam prętermiſſo quod ſub Leone IX obſeruata non fuerit, huius rei memoria nulla amplius poſt Gregorium VII. ad hæc vſque tempora viguit: quandoquidem ceſſauerat cauſa & neceſſitas, propter quam ipſa Eccleſia ſponte ad hoc remedium confugiebat, poſtquam populo erepta fuerat Pontificem eligendi facultas ſub Innocentio Secundo. Quod multo magis effectum eſt ſub Alexandro Tertio, donec ad Cardinales opera Innocentii Tertii integra eligendi facultas redacta eſt: ſub quo in Concilio Lateranenſi determinatum fuit à ſeptuaginta Archiepiſcopis, & quadringentis Epiſcopis coram Legatis omnium Principum Chriſtianorum, Sanctam hanc Sedem iuriſdictionem obtinere in omni loco, & ſuper omnes authoritatem habere, ac poteſtatem cognoſcendi cauſas Principum, eoſque regnis ſuis ex cauſa priuandi, atque in ea inducendi.

Modus eligendi diuerſus ita Imperatoris, vt Pontificis.

Confirmationi renuntiauerunt Imperatores.

Cardinales vltimi tempore inter electores Pontificis.

IVLII ALBERCATI,

QVO PACTO PONTIFEX SE gerere debeat, in totius Imperii Eccleſiaſtici negotiis curandis,

DISCVRSVS TERTIVS.

CVM videam, Illuſtriſſime Princeps, permultos huic tuæ fortunæ blandientes, quo tuam ſibi beneuolentiam parent, ſumma ope niti, vt ea tibi ſuppeditent, quę tuis neceſſitatibus opportuna fore, putant; cumque ego nihil minus, quam cæteri quicunque, gratiam tuam exoptem, quam eo pluris facio, quo maiora ſunt voluntatis meæ ſtudia, maioraque tua in me merita: mecum ipſe cogitaui, num forte valeam tibi nonnihil offerre, quod inter illa, quæ tibi offerri quotidie cerno non ingratum accidat. Quapropter ignarus, propter mearum virium imbecillitatem me non poſſe aliis æquiparari, tibi gemmas, aurum, reſue delicioſas largiendo: & mecum volutans, huiuſmodi res non ſemper inter bona connumeranda eſſe quia ſæpe honores, diuitias, & inæſtimandos theſauros poſſidere poſſumus, neque tamen beati & contenti eſſe: exiſtimaui, præ cæteris gratum munus tibi futurum, ſi de via ac ratione, qua præſentem amplitudinem tuam integram perpetuo honore & gloria conſeruare queas, coram te diſſertauero. Itaque hac de cauſa quædam collegi argumenta, quæ tibi ſcitu digna ſunt, ex obſeruationibus deſumpta, illorum, qui in eo gradu, quo tu modo inſignitus es, olim extiterunt; qui quidem recte ſe gerentes ita famam, quemadmodum, poſthabitis rerum documentis, infamiam dedecuſque conſecuti ſunt: Et quanquam hæc monita ſuperuacanea videntur prudentiæ tuæ, vtpote quæ dextram à ſiniſtra via ex ſeipſa diſcernit: nihilominus hęc voluptati ac delectationi tibi futura, ſpero, quia voluntatem tuam cum omni honeſtate coniunctam confirmabunt, eruntque animi tui velut imago quædam, ſimulque meæ erga te obſeruantiæ non mediocre argumentum.

Proœm. vrbanitatis ac prudentia plenum.

Igitur inſtituens ſermonem, quo pacto cum laude & honore in hac fortunæ tuæ proſperitate temetipſum regere debeas, primo neceſſarium eſſe, propono, vt etiam atque etiam diſpicias. Quiſnam ſis. Hinc enim ſequetur, vt pariter finē cognoſcas, ad quem tuas dirigere

Noſce te ipſum ex alios facilius noues.

actiones

actiones, te deceat: item qui nam ſint ii, quibuſcum negotia tractanda: quis denique modus cum iis retinendus ſit. Idcirco tres inſunt conditiones, totidemque quaſi partes tibi agitandæ videntur, treſque perſonæ referendæ. Nam Cardinalis es, Pontificis nepos, ideoque Princeps, cui pleraque Nobilitas obſequitur, ac famulatur. Proinde videndum eſt, quid vnicuique harum partium conueniat, eæque ita ad conſonantiam reuocandæ ſunt, vt ſuauis ac perfecta reſultet ex iis harmonia.

Igitur Cardinalem eſſe, nihil ſignificat, niſi ex præcipuis Eccleſiæ membris alterum ſe creatum eſſe, cuius ope regendum ſit Eccleſiaſticum corpus: factus eſt lumen gentibus, vt vitæ ſuæ ſplendore inter tot huius mundi tenebras viam cæteris præmonſtret, qua ſecundum virtutem, atque Chriſtianam perfectionem opetentur.

Dignitati virtus non diſiungēda.

Quamobrem ſicuti in Pharo collocatum lumen ad nauigantium ſalutem maris vias non docet, neq; ducit ad portum ex ſe ipſo, quotieſcunque caligine, nubibuſque circum quaque offunditur: pari ratione Cardinalis, qui tanquam Dux, & exemplar cæteris hominibus præpoſitus eſt, nequit bonos fructus in Eccleſiæ beneficium, aut gentium documentum producere, quoties purum illum bonitatis & virtutis candorem non retinet, qui in animis hominum abſque vllo impedimento admirationem, & imitationis cupidinem excitet: quocirca cum in vita priuata nunquam te illa virtus, quæ honeſtum, nobilemque virum apprime decet, defecerit: modo, cum non amplius pedis, ſed oculi vicem obtines in hoc pulcherrimo corpore Eccleſiaſtico, debebis tanto maiore atque excellentiore te virtute regere, quanto nobilior eſt oculi, quam pedis operatio. Qua de re eniti debes, quod laudabiliter efficis, vt animum tuum bonitate, honeſtate, religione eminentem in modum exornes, omnemque ſcandali, ſiue offendiculi occaſionem remoueas, eamque inſtituas vitam, quæ optimum Prælatum decet, cuius partes ſunt Dei cultum, atque gloriam quærere non tantum ex ſeipſo, nimirum impollute viuendo, ſed etiam elaborando verbo & exemplo, vt cæteri identidem viuant. Verum quia de officio Prælatorum plurimi ſunt libri ſanctiſſimis referti documentis, hoc argumentum prætermittam: concludo tamen, baſim, in qua Cardinalitia dignitas firmatur, eſſe Chriſtianam vitam heroice, hoc eſt, non tantum propter priuatum beneficium, ſed multo magis propter publicum bonum, traductam.

Heros Eccleſiaſticus.

Igitur ad alteram argumentum deueniam, Te Pontificis Nepotem eſſe, & quæ in huiuſmodi viris dotes requirantur, perpendam. Certum enim atque compertum eſt, cum vt plurimum nepotes ex charioribus ſint, ac dilectioribus conſanguineis, quos Pontifices habeant; eos ab omnibus eligi tanquam Protectores ac Defenſores totius Chriſtiani generis, ac præſertim Aulæ Romanæ, vt ab illis fauores ac beneficia conſequantur: qua de re cum rationi conſentiat,

Nepotes Papa protectores Chriſtianorum.

vt no-

vt nobilem hanc protectionem ſuſcipias, cumque Protector eos, quos protegit, diligere debeat, ſimulque eius gratiam quærere, apud quem intercedendum atque orandum eſt (nam ſine hoc omne officium eſſet inane) oportebit & aulæ vniuerſalis bonum procures, tibique beneuolam animi Pontificii propenſionem conſerues: quod quidem ob eius egregiam in te voluntatem non erit difficile: hoc autem minori negotio obtinueris, ſi nunquam obliuioni tradideris, à bonis, ſanctiſque viris nullos diligi magis, quam qui boni ſunt; ipſorum enim amor in virtutis & honeſtatis merito fundatur; itemque ſi reſpexeris, amorem ex quadam conformitate & ſimilitudine morum exoriri. Ideo hæc conſiderans, officioſe tuas partes implebis, gratum animum præferes ob ingentes honores, quos in te contulit, omnique ſtudio, atque induſtria ipſi inſeruies, atque obtemperabis: curabis, vt ipſius quaſi imago quæ iam ſis, omnium te amicum eſſe, profitebere, neminem ex affectu fouebis: ibis quotidie ad eius ſanctitatem, potiuſque bis, quam ſemel, præſertim obſeruans momenta horarum, quibus ab extraneis non occupabitur, idque non tantum propter negotia, ſed etiam, vt cum illo conuerſeris: nam ab eius ſapientia plurima poteris addiſcere, quæ hoc tempore, totaque tua vita, omnique fortuna erunt tibi ad recte viuendum præcepta certiſſima. Verum quomodo aulicorum beneficium quærere, & cum iis agere debeas, clarius deprehendemus, in vniuerſum quid aula, ſit primo diſpicientes.

Similitudo mater amoris.

Captanda beneuolentiæ methodus.

Aula quid.

Aula Romana eſt eiuſmodi hominum multitudo, quæ vel ob vinculum dignitatis, & officii, vel ob electionem cum ſpe honoris & vtilitatis conſequendæ, ſequitur, atque colit Pontificem, vel quicunque ab ipſo pendet: vnde cum ipſe ſit Eccleſiæ Dei, ideoque Chriſtianorum caput, quos regit atque gubernat, ſumma ratione eius aula Chriſtianorum reſpublica appellari poteſt: Quandoquidem vt quis honoribus ac dignitatibus ipſius perfruatur, ſuperflua eſt illuſtris patriæ prærogatiua, nobilitas rara, generoſi conſanguinei, diuitiarum amplitudo, aliaue fortunæ bona; cum hoc loco cuilibet Chriſtiano homini, qui ſecundum bonos mores viuat, ſiue ſit ille minimæ, ſiue amplæ conditionis, ſiue Italus, ſiue cuiuſcunque nationis, aperta atque explanata via ſit ad præcipuos in ipſa gradus obtinendos, neque tantum ad ambiendum vnius ciuitatis, aut regni dominatum, ſed ad ampliſſimum omnium, quo nullum imperium inter Chriſtianos maius eſt imperium conſequendum. Quapropter, quia magna præmia in cauſa ſunt ſtudiorum atque induſtriæ hominum, hinc fit, vt in hac aula, cum fere certæ ſint honorum, vtilitatum, ac ſupremarum dignitatum ſpes, conueniant vndequaque, & reperiantur ad ea bona ſibi curanda homines ſublimis ingenii, quibus excellentiores ac rariores nuſquam reperire eſt. Quam rem clariſſime oſtendunt frequentia experimenta, quia quicunque Romæ

Roma amplitudo, & communicatio.

Aula Roman. excellentia.

virtute præditi cenſentur, quocunque locorum migrent, admirationem hominum, oculoſque in ſe trahunt: cum alibi raro, aut nunquam accidat, vt qui in alia aula excellunt, in hac multum exiſtimationis acquirant, niſi tam ex longo temporis tractu nouum habitum, nouamque diſciplinam adipiſcantur.

Hic demum propria eſt bonitatis, prudentiæ, litterarum culturæ ſedes, omneſque virtutes tutum, & ſtabile habent perfugium, cum Roma vtplurimum ſanctorum, ac virtutibus illuſtrium hominum genetrix exiſtat: illud nihilominus verum eſt, in tam pulchro commercio fieri non poſſe, quin (vt ſeſe res humanæ habere ſolent) aliqua terræ pars auro puriſſimo immiſceatur, interque optimum eius triticum peſtiferi lolii, quantitas nonnulla inueniatur: nam improbi, putantes, eaſdem res, quæ virtutibus mediis obtinentur, poſſe ſimiliter obtineri ope vitiorum, conantur ſæpe ſimulata virtute atque artibus, & deceptionibus inſolitis ſeſe inſinuare inter virtutum ſtudioſos, huiuſque ſocietatis candorem ac probitatem corrumpere.

Vbiq; ſunt mala mixta bonis.

Igitur aulæ natura, & fine examinato, obſeruanda nobis ſuperſunt ea, quæ in vniuerſum, & particulatim neceſſaria ſunt ad procurandum ipſius aulæ bonum, & ad verſandum laudabiliter in ipſa, quemadmodum propoſuimus.

Vitium ſpeciem virtutis aſſumit, & præmia vſurpat.

Igitur Protector aulæ totius cum perpetuo in audiendis hominum alloquiis: vt eorum neceſſitatibus ſubueniat, intentus eſſe debeat, affabilis ac blandus ſit, neceſſe eſt: ideoque ſignis exteriori bus, quaſi nuntiis quibuſdam, cunctis gratum animum exhibere debebit, eoſque geſtibus atque actionibus quadam ſuauitate illicere ad ſenſa mentis ſuæ fidenter explicanda. Neque enim, vt animos hominum integre confirmes, adeo vt ſe amari credant, libereque poſſint ad opem tuam confugere, ſufficit, quandam bonæ voluntatis ſoliditatem in ſe habere, & deſiderio omnibus ſatisfaciendi incenſum eſſe, cum huiuſmodi voluntas ſine affabilitate haud diſſimilis ſit illius figuræ, muſculoſæ quidem omnique proportione perfectæ, ſed quia coloribus caret, nullam habet venuſtatem, quæ oculos cuiuſquam in ſe conuertat. Igitur affabilis Princeps grado inprimis aſpectu, & læto, ac benigno vultu homines excitare, & inuitare ad loquendum, perque ſuos oculos & frontis ſerenitatem beneuoli affectus argumenta patefacere debet, adeo vt ipſo etiam ſilentio humaniſſima verba proferre videatur: Poſtquam ad colloquium admiſſi fuere, patienter atque officioſe audiendi ſunt; nam qui inuitus audit, affabilis nomen non meretur, neque protectoris munus exercere, & neceſſitates alienas intelligere poteſt, neque ſimiliter affabilis eſt, qui ſermones alienos interrumpit vel contradicendo, vel anteuertendo loquentem, ac mentem ipſius diuinando; quia ſæpe quam longiſſime à conſilio tractantis aberrat, vnde habetur con-

Affabilitas præcipua dominantis virtus.

In alloquiis quæ vitanda.

contemptui, & in ſermone, præter iacturam temporis, confuſionem gignit: præterea ſententiam alloquentis interturbare, vel non attendere tanto maior iniuria habetur, quanto moleſtius eſt animi noſtri nobiliſſimum, ac maximi faciendum fœtum impedire, atque aſpernari. Ergo ad affabilitatem pertinet, attentione & patientia vti, eiuſque ſpecimen præbendum eſt, reſpondendo ea, quæ ad rem faciunt, adhibito iudicio, accommodatis oculis, corporiſque facie tota; adeo vt in audiendo, & rem, qua de agitur, conſiderando, totus ccupatus videatur: Neque tantum patientia, & in audiendo attentio enda eſt, ſed etiam in reſpondendo manſuetudo, cum ſeueræ atibæ reſponſiones iis factæ, qui nobiſcum agunt, animum, ij um abalienent, noſque nimium duros, atque difficiles manifeſten. Ille vero Princeps, quiſquis blando vultu dicentes audit, ñſque reſpondet, ſeſe inferioribus videtur æquiparare, hominemque alloquentem allicit, vt ſibi, tanquam amico & ſocio omnem animi cogitationem aperiat, & perinde agit, ac ſi humana corda claue quadam reſeraret: Et reuera hæc virtus tanti momenti eſt, vt per ipſam plerique hominum priuatorum beneuolentiam populorum atque prouinciarum ſibi quæſiuerint, & minor Cyrus à Xenophonte immortalem gloriam reportauerit, & per eandem Pyrrhus Rex & Dux maximus Cyneam laudauerit, quod eius eloquentia atque affabilitas plures viciſſet ciuitates, quam ipſe potentiſſimis ſuis armis debellare potuiſſet. Hi vero, in quibus hæc virtus deſiderata eſt, etſi maximi viri, tamen in odium publicum inciderunt, adeo vt plerique putent, inter præcipuas cauſas, cur Cæſar inuiſus fuerit, etſi propter clementiam, liberalitatem, fortitudinem valde amabilis eſſet, eam fuiſſe, quod Senatoribus, dum in Senatum ingrederentur, aſſurgere grauaretur, vnde coniuratio inita fuit, & mors ipſius conſecuta eſt. Quanquam autem vbique neceſſe eſt affabilitatem ſeruare, tamen multo magis neceſſaria eſt in rebuſpublicis, quemadmodum Romani oſtenderunt, qui, ne quenquam debitis officiis defraudarent, nomenclatoribus vtebantur, à quibus edocerentur nomina, & conditiones eorum, quos obuios habebant, vt eos iuſtis & honeſtis ſalutationibus interpellarent. Verum inter omnes reſpublicas magis in illis affabilitas videtur neceſſaria, quæ hanc formam, quam diximus, retinent, cum hic vnuſquiſque etiam ſortis infimæ, modo honeſte viuat, poſſit optimam fortunam ſperare, & ad ſummos honores contendere: ideo huiuſmodi vir à nobiliſſimis æquo iure tractari meretur, in eum modum, quem in exercentibus inter milites obſeruari cernimus: qui etiamſi, quoad reliqua, vilis exiſtant conditionis, tamen omni humanitate ab eorum Ducibus ſuſcipiuntur, nempe non ignaris, illos ſua virtute poſſe ſibi ad primos militiæ gradus viam aperire. Enimuero obliquis oculis, ac ſuperbe aliquem aſpicere, honorem delatum contemnere, neque libenter ſalutare, quaſi

Manſuetudo & clementia publica beneuolentia cuſtos.

Affabiles idonei imperio.

Cæſar minime affabilis.

Nomenclatores Romanorum.

Superbia indigna Principe.

adoratio expectetur; & reputans, ſibi quaſi debitum illud, quod cæteri ex officio & humanitate largiri ſe, putant, audire & reſpōdere modis affabilitati contrariis, hæc omnia contemptus ſigna ſunt; hoc autem longe maiores fiunt iniuriæ, quam ſi quem percutias, vel quocunque modo lædas: propterea quod etſi quis à nobis percutitur, vel quomodolibet damno afficitur; nihilominus in eo ipſo oſtendimus, nos illius aliquam rationem habere, neque illum penitus nihili facere: at quoties contemnitur, iam perſpectum eſt, ſignificari, ipſum floccifieri. Proinde cum Pontificis Nepos hunc in Aula ſtylum ſeruat, videtur aditum ad Rempub. Chriſtianorum toti mundo præcludere & impedire: neque mirandum eſt, ſi Prælati, qui ad te ſalutandum conueniunt, quos perhumaniter exceperis, & verbis, ac re ipſa, atque inuitationibus honeſtaueris, hilares, atque contenti abs te diſcedunt: nam cum Nepos Pontificis ſit ipſius oculus, facile inducuntur, vt credant, eundem honorem, idemque iudicium, quod à te reportant, ſimiliter à Pontifice ſeſe reportare, & quantum à te honorantur, atque diliguntur, tantundem ſe in theatro mundi exiſtimationis conſecuturos: Homines ſiquidem non minus attente iudicia tua de ſingulis expendunt, quam decretum maximi alicuius momenti ab æquiſſimo iudice prolatum attendi ſoleat. Verum etſi libens præcipio, affabilitatem hanc maxima ſuauitate miſcendam eſſe, non tamen cenſuerim à debita grauitate, & congruo decoro diſſociandam eſſe: quinimo ſicuti muſica ex ſuaui & apta acuti, & grauis conſonantia reſultat: ita affabilitas facilitate & grauitate componenda, ac temperanda, ſiue (vt melius dicam) collocanda eſt, tanquam laudabile medium, inter hæc duo extrema; quorum alterum non perterreat accedentem, alterum non dehoneſtet Principem, ſed dignitate atque amabilitate cumuletur; adeo vt vnuſquiſque gaudio & admiratione repleatur. Quoniam vero ſcommata ac ioci ad animos hominum deuinciendos, & affabilitatis laudem parandam mirum in modum proſunt, quemadmodum veteres oſtenderunt, Mercurium in medio Gratiarum collocantes, quaſi ſermonem noſtrum omni genere humanitatis condiri oporteat; interdum facetiis vti expediet: propterea quod qui ſalebroſos atque aſperos negotiorum nodos ſine intermiſſione ſeuere exercent, neque vllum ei, quocum tractatur, campum, vbi paululum aliqua iucunditate reſpiret, concedunt, ii nimium duri, atque difficiles eſſe videntur. Nam dum os in aliquem honeſtum riſum nunquam explicant, iure quaſi naturæ inimici abhorrentur, cum ſumma ratione credendum ſit, naturam homines riſibiles non effecturam fuiſſe, niſi cum laude hanc facultatem exercere licuiſſet. Ve-

Cōtemptus moleſtior damno.

Oculus Principis populum exhilarare poteſt.

Temperanda affabilitas grauitate.

Mercurius inter Gratias cur.

Riſus quatenus temperandum.

rum alii homines, qui rigidis ac ſeueris ingeniis opponuntur, nimiumque largis, ac licentioſis dicteriis, & argutiis viam aperiunt, vice facetorum, ac iucundorum hominum, nomen ſcurrarum, & ridiculorum acquirunt, vt Ciceroni accidit, qui, dum acutis, ac nimium frequentibus cauillis inſequeretur Stoicos, vt eos contemnendos oſtenderet, ridiculus Conſul à Catone appellatus eſt. Quamobrem in ſermone perpetua & nimium intenſa ſeueritas fugienda eſt, licetque interdum in quadam obſcuritate grauium negotiorum alicuius feſtiuitatis, congruæque argutiæ lumen interponere: neque tamen ita vſurpandi ſunt ioci, vt dignitatem perſonæ, aut negotiorum diminuant; nam quemadmodum parum aquæ in multum ignem proiectæ ipſum adauget, multa vero, & copioſa eundem extinguit, conſumitque: ita nimis continuatæ argutiæ omne decorum tollunt, ſed in ſermonibus, & cum iudicio ſparſæ, atque interpoſitæ eos viuaciores, ac vehementiores efficiunt: proinde ſales & lepores tanquam condimenta ſermonibus, non tanquam cibus, adhibenda ſunt, ne in negotiis, vice ſolatii excitandi, faſtidium, ac ſatietatem pariant: iique ioci deligendi ſunt, qui adeo delectent, vt in ipſis nulla pars odio digna reperiatur, nullius vitia, quocum tractamus, quoquo modo vnquam notando. Huiuſmodi enim homines non modo ſibi cæterorum animos minime conciliant, ſed potius eos ad indignationem prouocant. Et quanquam videtur, quo nos, noſtraque tueamur, licere, quoties cauillo impetimur, viciſſim cauillari; tamen cum prudentia, atque modeſtia longe melius conſentit, vt graui ſilentio, aut iucundo riſu alienorum ſcommatum aculeum retundamus potius, quam mordaci dicacitate amicum abalienemus; ideoque eæ facetiæ ac lepores eligi queunt, in quibus neque venenum, neque læſio vlla deprehendatur, ſed qui ſuauibus modis audientium auribus blandientes ad gratiam, ac beneuolentiam eorum conciliandam accommodantur, ſimulque ea fugientes, quæ in ſe plebeiam, ac ſeruilem humilitatem retinent, & quam longiſſime ſe conſtituentes ab ea turpitudine, quæ ex deformi oritur inhoneſtate; item illud cauillandi genus deuitantes, quod in alluſione, & in æquiuocis conſiſtit, vtpote quod liberali homine indignum eſt, ac penitus triuiale: propterea quod ſi ex nobiſmet ipſis petatur, poſſunt quidem iucundæ interſeri argutiæ, & nonnunquam riſus, verum non vndequaque, neque ab omni deformitate delectatio quærenda eſt, ac ex illis tantummodo rebus, quas honeſte effari, & audire licet, neque autoritatem, ac reuerentiam diminuant; quia etiam in iocoſis, atque in ludis decorum nunquam obliuioni tradendum eſt, imitandique videntur optimi pictores, qui etiamſi figuras ipſas intento ani-

Argutia ſermonis condimentum.

Sine aculeo ſint.

Delectus iocorũ qualis habendus.

mo, prout decet, penicillo exprimunt, tamen non patiuntur, vt extrinſeca etiam picturæ, quibus illas circumueſtiunt, ornamenta quidquam contra artis præcepta, vnde minus docte elaborata eſſe videantur, contineant. Quamobrem ioci, ac ſales in colloquiis parce delectuque habito diſpertiendi ſunt, detracto iis omni aculeo, neque ipſos ex locis abiectis, & indignis eliciendo; verum perinde efficiendo, atque periti architecti ſolent, qui in ædificiis affabre exſtructis ita feneſtras diſponunt, vt illarum frequentia nihil domus firmitati, neque earundem raritas perſpicuitati noceat, lumen, non qua ordinariæ, ac fœtentes viæ ſunt, ſed ex odoriferis, iucundiſſimisque hortis, & ab aëre claro, atque purgato deſumentes.

Igitur cum hactenus diſſeruerim de iis dotibus, quæ in vniuerſum Pontificium nepotem affabilem erga aulicos efficiunt, non erit ab re, vt ſimiliter diſpiciamus, quo pacto huiuſmodi affabilitas applicanda ſit. Etenim aula ex quatuor præcipuis hominum generibus conſtat, Cardinalibus, Oratoribus, Prælatis, Aulicis: vnde neceſſarium eſt, cum alter ab altero differant, vt etiam virtutes, de quibus verba fecimus, diuerſimode applicentur, prout illorum conditionibus, ac fortunis conuenit. Cum primis ita verſandum eſt, vt ſibi ipſis videatur, ſe tanquam ſuperiores coli: iiſdemque cedendum eſt, neque in vlla quaque re oſtendendum, quod velis tanquam Pontificis nepos vti aduerſus illos autoritate: quandoquidem omnis elatio in Rebuſpubl. præſertim inter æquales inuiſa eſt. Proinde Pontificis nepotes etiam atque etiam curent, vel deſiderium atque voluntatem Cardinalibus inſeruiendi præ ſe ferant, non minus in rebus, quæ quodammodo apparent, ſed etiam in illis, quæ reuera exiſtunt, nihilque eorum officiorum prætermittant, quibus aut obuiam procedendum alicui, aut idem comitandus, aut ſalutandus eſt, quibusve ſalutationes anteuertendæ: nam cum ſine ſumma ratione huiuſmodi cærimoniæ atque obſequia in aula ideo reſpiciantur, quia exteriores hæ ſignificationes animum erga ſingulos noſtrum indicant; ſequitur inde, vt ii, quibus exteriores honores denegantur, aut diminuuntur, animum inducant, vt ſe à nobis contemni, ſibique & honori ſuo in conſpectu gentium non minimum derogari, credant. Quamobrem haud raro ob minimas cauſas, vel quia honoris ergo caput parum inflectitur, vel quia locus honeſtior occupatur, vel aliquis anteuertitur, acerbiſſimæ ſimultates & inimicitiarum grauiſſimæ enaſcantur occaſiones. Quocirca etſi huiuſmodi vel omiſſa, vel diminuta officia in malam partem haud interpretaremur, nihilominus effugere nemo poſſet, quin ſaltem negligentiæ, inſuetæque, ac vituperandæ ineptiæ nomen ſubiret. Ex

Quotuplex hominum genus in aula Rom.

In officiis abundandum.

Cũ Cardd. quo pacto agendum.

quibus, hæc obſequentiſſima officiorum, neque cum Cardinalibus vnquam prætermittenda, obſeruatio in quocunque colloquio retinenda eſt; curandumque vt faciliorem te ad addiſcendum, moremque gerendum prębeas, quam ſagacem nimis, & ad contentiones pronum: eademque de cauſa clientium & aulicorum ſumma ratio habenda eſt, ad ſermones libenter, & ſeorſim eos admittendo, iiſdemque, quoad fieri decet, blandiendo, atq; fauendo. Quam rem minimo negotio efficiet ille Pontificis nepos, qui in animum ac memoriam reuocet, cum illis ſibi ſemper viuendum, &, mutatis temporum vicibus, eorundem, qui modo ad ipſum confugere coguntur, opem atque fauorem implorandum eſſe: proinde adagium illud memorandum eſt, fore aliquando, vt qua menſura alios metitur, per eandem ipſe æſtimetur. At vero quemadmodum cum Cardinalibus talem ſe gerere debet, ac ſi potiores ſint; ita cum Prælatis, qui in inferiori conſtituti ſunt dignitate, ſic agendum eſt, vt eos ſibi exæquari cupere, vtque ipſos ad maiorem dignitatem promouendos eſſe, exiſtimare videatur: neque vero quam ſummam reuerentiam exhibere parati ſunt, ea tota acceptanda, ſibique iure ſuo vindicanda eſt, neque perferendum, vt intecto capite alloquantur; neque item permittendum, vt accedant, aut abſcedant, quin hilari ſalutatione ſuſcipiantur, ac dimittantur, dumque vacat, modo vnum, modo alterum ad ſe compellet, adeo vt ſinguli benignitatis tuæ participes gaudio perfruantur. Quibus modis item aulici tractandi ſunt, neque enim permittendum eſt, vt caput intecti perpetuo aſſiſtant, præſertim cum ſermonem abſoluerunt, virique ſunt alicuius exiſtimationis: quippe fugienda eſt occaſio, vnde ſuſpicentur, ſe contemptui haberi, aut ab illis deificationem quandam potius quam honorem exigi: quin etiam egregie atque prudenter feceris, ſi aliquem ex aulicis frequenter tuo fauore cohoneſtaueris, videlicet, illum è multitudine aliquando benigne ad te vocando: illa ſiquidem humanitas non eum tantum deuinciet, quem allexeris, ſed cæteri eius exemplo eadem officiorum genera ſperantes, lætabuntur, & ſe perinde atq; eiuſdem humanitatis conſortes exiſtimabunt. Ita in ſermonibus atque congreſſibus priuatis memor Africani minoris, qui ex foro, quin ſibi amicum quempiam prius conciliaſſet, nunquam deſcendere ſolebat, poteris amicorum, ac beneuolorum theſaurum ſemper adaugere, gratis modis generoſum aliquem nobilemq; virum tibi obſtringendo, ex quo communis aulicorum tibi ſequetur applauſus, qui prudentiam admirabuntur, qua benemeritos atque inſignes viros exceperis, atque tractaueris.

Cum Prælatis quomodo.

Similiter, neque minori cura cum Oratoribus agendum eſt,

quo

quo tuæ affabilitatis, & humanitatis argumentis contenti, ea concelebrent; ſunt enim oculorum, & aurium inſtar Regum atque Principum, iiſque authoribus bona aut mala fama apud integra regna & prouincias colligitur. Quoniam vero Pontificis nepotes cum illis colloquendi, & res Principum eorum tractandi occaſionem habent, neceſſe erit curare, vt de cuiuſque Reipublicæ ac Principis natura, moribuſque diligenter edoceantur; inueſtigantes, quæ ipſorum ſint conſilia; quæ animorum propẽſiones; quo pacto aulæ eorundem regantur, an diſcordes, quæ partium ſtudia, odia, ſimultates, vel amicitiæ inter Principes, & miniſtros, omniumque cauſas; præterea inquirentes, quę vniuſcuiuſque imperii magnitudo, mutua propinquitas, & longinquitas, totiuſque mundi facies exiſtat; vt ſiue fœderibus ineundis, de pace, induciis, bello inferendo, ſuppetiis mittendis, tentandis grauiſſimis conſiliis agatur, non ignores, vbi, quomodo, quibus cum, qua de cauſa, & quãdo opportunius id effici queat. Quod ſtudium tam facile perficietur, vt paucis horis, ne dum diebus, ſi viros ad id expertos, & doctos adhibueris, luculenter quæcunque ad hanc rem percepturus ſis, tantumque delectationis inde hauſturus, quantum inter politiores literas hiſtoriæ, ac geographia cæteris amœniores quodammodo, animique recreatio quædam, ac ſtudiorum, & ſeuerarum occupationum digreſſio nuncupari poſſe videntur; Qua methodo, non vt Vlyſſes, errando, mores, legeſque populorum, ac prouinciarum cognoſces, vnde non minimum honorem, atque vtilitatem colliges. Cum his autem Principum miniſtris eiuſmodi æqualitas ſeruanda eſt, ne inter illos cooriatur ſuſpicio, magis te in vnum, quam in alterum propenſo eſſe animo: nam hoc pacto iacturam faceres eius exiſtimationis, quam facile paraueris, quoties neutri parti addictum te profitebere, ad quem tuto omnes confugere queant; idque adiungeretur, vt dum vni te fauentem præberes, alterius voluntatem ſtudiumque amitteres; imo ille ipſe, cui faueres, te pro arbitratu ſuo tractandi animum ſumeret; nempe gnarus, quia cæteros abalienauiſti, neceſſe eſſe, vt quocunque modo ſibi te aggreges: proinde ſi in laudabili æqualitate permanſeris, cuncti tuam dignitatem æque verebuntur, neque mediocre omnium obſequium aucupaberis. Veruntamen quia negotia per vnicam affabilitatis virtutem ad exitum deduci nequeunt, ſed etiam ſagacitas requiritur, vt ne ignores, quando generoſo ac ſincero animo aliquid ſit diſſimulandum, quando liberius agendum, quando ſilendum, quando loquendum, quãdo poſtulatis aſſentiendum, quando non; ideo prudentia adhibenda eſt vel maxima. Neque enim omni occaſione, omni tempore, aut cum omnibus eodem modo procedendum eſt.

Regnorum mundique ſitus addiſcendus.

Æqualitas ſeruetur, ne ſuſpicio principum oriatur.

Affabilitas cum diſſimulatione ſæpe coniungenda.

Sagacitas quid.

Perſpicacitas igitur, ſiue ſagacitas, qua de agimus, in quadam animi vigilantia collocatur, qui perpetuo in diſpiciendis rerum circumſtantiis, rectumque à prauo diſcernens intendatur. Quã-obrem præcipue illius quo cum agitur, conditio animi aduertenda eſt, & conſiderandum, familiaris, an aduena, intimus, an animo alienus, æqualis, an inæqualis, bonæ malæve naturæ, veridicæ an mendacis ſit, an mores gerat ſeueros, an hilares, an mala ambitione laboret, an modeſtia præditus, benignus an malignus, officioſus an inofficioſus, vtilitatis ſuæ an honeſti ſtudioſior: nam ſinguli motes diuerſam poſtulant tractationem: quia cum familiaribus, & intimis libere, cum aduenis, & ſimultatem exercentibus cautius, cum ſuperioribus reuerenter, cum æqualibus circumſpecte, cum inferioribus humaniter, & benigne, cum bonis, & veritatis amantibus viris tuto, ac fidenter agere nos decet: Mendacibus vero deneganda fides, neque credendum, etſi (vt dicitur) pignus afferant: hilares, iocundique viri ſuauiter, ſeueri contractius, ac breuibus tractandi: ambitioſis honor deferendus, perinde ac ſi eos multifacias: cum modeſtis autem quemadmodum ſimplicitas quærenda, ita malignis aures penitus obſerandæ: in beneuolos, & ſocietatis humanæ amicos omnis liberalitas collocanda, ad officioſos prompte refugiendum, inofficioſi, & ſibi ſolum commodi fugiendi: ab iis, qui vtile tantum venantur, ſubtrahenda fides, ne cuncta iis credantur, ſed illis, qui honeſtum appetunt, ſecurius auſcultandum.

Diuerſi hominum mores quomodo tractandi.

Negotia quomodo iudicanda.

Pari quoque ratione examinandum eſt, an negotium, quo de agitur, fieri poſſit, nec ne, an ſit honeſtum, an media licita, vel illicita; quoniam quæ facilia ſunt, & honeſta amplectenda, contraria fugienda ſunt: itidemque habenda ratio, num locus publicus ſit, an priuatus, cum alter alteri præſtet, & reſpectu maiore attendatur; tempus quoque ſpectandum, an luctus, an lætitiæ; an rei tractandæ opportunum. Quoniam vero locutum eſſe aliquando, nunquam nocuit tacuiſſe, perſpicacis, & ſagacis viri fuerit in negotiis parce loqui, & ab aliis obſeruari, potius tanquam alienorum ſermonum diligens auditor, quam ſuarum ſententiarum eloquens recitator: quod Pontificio nepoti apprime conuenit, quia ex paruis coniecturis, & indiciis ex ipſius ſermone collectis ſolent rerum intelligentes aulici magna rerum momenta deducere, rerumque grauiſſimarum lumen accipere.

Parcitas ſermonis tutior.

Verum erit nonnunquam ſagacitas, Nobilem retinendo diſſimulationem, minus ſagacem ſe oſtentare, cum iis ſcilicet, quibus amot, ac nonnullus reſpectus debetur, neque non cum iis, qui propter fortunæ abiectionem inter multitudinem referendi ſunt. Neque abſimile eſt ſagacis hominis munus, ſua, &

aliena arcana celare. Etenim in negotiis pertractandis ii, qui ſua conſilia retegunt, perinde agunt atque luſores, qui ob incuriam aleas ſuas patefaciendo, ſua ſibi conſilia interuertunt, ſuoque damno ſociis detrimentum afferunt: præterquam quod ſi tacere neſcias, omnem inter amicos fiduciam tollis, vnde quoties vrget neceſſitas, eorum carere conſiliis tibi neceſſe eſt. Et profecto hac in re vehementer attendendum eſt: plerique enim, vt aliena arcana rimentur, ſubtiliſſimas artes, & ſtratagemata, quibus inſidientur, inueniunt, ſimulantes aliquod negotium, quod arduum videatur, quod nullius denique momenti comperitur, communicare, vt ab amico maiora expiſcentur, & modo fingentes quempiam ſibi inuiſum, modo alterum chariſſimum eſſe, animo ad contraria diſpoſito, ſicnem ſibi præſtruunt, quo noſtri cordis recondita magis penetralia perſcrutentur. Hoc in negotiis perneceſſarium monitum comitem ſibi adſciſcit in agendo Dexteritatem; non ſolum enim pericula, inſidiæque noſcendæ, ſed ſcite deuitandæ ſunt. Sic venator cane non admodum contentus eſt, etſi feram venatur, niſi tuto, debitiſque modis doctus ſit eam interimere. Quomodo autem definiatur iſta Dexteritas, liquebit, conſiderantibus, eos proprie dexteros appellari, qui membra enodata, ac facilia habentes ad omnes motus idonei exiſtunt, & agiles; adeo vt ſi neceſſitas cogat eos difficilem locum tranſilire, vel nociturum aliquid declinare, accommodato ſaltu, vel facili inflexu abſque læſione vlla euadant. Ad hanc itaque ſimilitudinem, in rebus agendis dexteritas vocatur facultas, & virtus illa, qua feliciter negotia peraguntur, difficilia ſuauibus adeo modis proponendo, vt facilia, & fere pro ſolatiis accipienda videantur; aut audiuntur, & oblata excipiuntur tanta comitate, vt iis omnis amaritudo, ac propemodum fel detrahatur: Nam aliquando tam inepti inſanique homines inueniuntur, vt iis, quæ parua ſunt, & facilia, magna, & ardua videantur, acerbaſque res ſæuis modis exaſperent; neque negotium vllum proponere callent, quin ſiniſtro, & inepto more illud corrumpant, & infauſtum reddant. Quorum omnium ineptiam æquare poſſumus quorundam ignorantiæ chirurgorum, qui, vice ſanandi, plagas immedicabiles faciunt, vel eas dum conſuere conantur, ingenti ægrotantis dolore magis lacerant. Contra, viri prudentes, rerumque experientes agunt: ſuauibus enim lenimentis morbũ mitigare, vel mirabili peritia ſecando, antequam æger dolorem ſenſerit, ſanare conſueuerunt: ad quorum imaginem homines dexteritate pollentes, moleſtas, atque faſtidiendas res occulto quodam, & delicato inſinuationis genere offerunt, adeo vt ſine tædio audientis, ac ſine vlla

Arcanorũ ſcrutatores quibus artibus vtantur.

Dexteritas quid.

Qui ſint minus dexteri in rebus agendis.

violentia paullatim introducantur, eiuſque animum ad ſuas petitiones, ac deſideria diſponant. Neque abſimili arte vtuntur, qui vel propter aſperam, & difficilem naturam, vel propter affectum, aut commodum aliquod, eum ad rem agendam deuenerint, amarulentiam præ ſe ferunt, verbaque effutiunt ſuperbiæ plena, vt nos magis ad ſingulare certamen prouocare, quam nobiſcum amice tractare videantur: etenim ab impetu huiuſmodi hominum, quaſi taurorum, qui nos exenteraturi ferociant, dexteri viri ſalutem quærunt, peritiſſimos gladiatorum imitantes, alio ſermonem inflectendo, vel leui quodam ſaltu ad mitiorem tranſeundo materiam, neque ob inſolita verba, quoties ea ſiue ira, ſiue aliena incogitantia protulit, excandeſcendo; imo iratos animos mitigando ipſorum intellectum in errore aliquo verſantem modeſte corrigendo: non enim, vt plerique putant, ſeruilis, ac parum cordati hominis eſt, mitem in modum reſpondere, neque iraſci iis, qui aduerſus nos accenſis animis furiant; imo temperantis, prudentiſque viri eſt, ideoque Principe dignum; quippe qui non minorem operam dare debet, vt propter ſuum in affectus imperium, quam ob numeroſam famulorum cateruam admirationi habeatur, & inſignis appareat: quandoquidem ſuis cupiditatibus habenas laxare, iiſque ſeſe ſubiicere, alienos errores male ferendo, veræ non eſt magnitudinis argumentum, quia magnates iram, & effrenem quamlibet libidinem non modo cum plebe, vilibuſq; hominibus, ſed etiam cum feris & brutis animantibus communem gerunt; ac proinde quoties perturbationibus ſuccumbũt, neq; animi motionibus reſiſtunt, humanæ dignitatis ſtatu deturbantur, neque benemeriti Principes cuiquam videri poſſunt, niſi ad heroicam, ac prope diuinam virtutem aſpirent. In huiuſmodi ergo dexteritate eum reſpectum habere debet, quem periti pilæ luſores habent; qui, ne in ludo errent, non ſolum cauent, vt ad ſocium eam callide dirigant, ſed pari aptitudine ipſam capere nituntur, corpus concinne adaptando, & illuc vnde vtilius pilam proiicere cogitant, transferendo: eodem modo in dexteritate rerum agẽdarum animum aduertere debemus, ne error in negotio committatur, noſtraque verba rebus accommodemus, & amicorum orationem iuxta materiam in meliorem partem interpretemur: hac enim arte modo poſſumus ſimulare, aliquid nos non intelligere aut neſcire, modo dilationem petere poſſumus ad reſponſa danda, ne ex tempore dicere cogamur, interdum cedemus, etſi poſſe nos vincere certo ſcimus; interdum aliorum verba, ſi dubia fuerint, in benigniorem ſenſum trahemus; interdum noſtra, quo libuerit modo, interpretabimur: quemadmodum ille fecit, qui cauſam ſuam coram Philippo Alexandri patre agens,

Dexteritatis exempla imitanda.

Cupiditatum imperium præferendum cæteris.

dum contra ſe decretum, eiuſque iura à Philippo ſomnum ſimulante minus attente audiri cognoſceret, à ſententia prouocauit alta voce, qua excitatus Rex, Ergo, ad quem, inquit, prouocas? Ad te, reſpondit, ô Rex, cum experrectus fueris: Quo ſagaci reſponſo poſtulata impetrauit Ita nos omnem fugiemus alios diſturbandi occaſionem: Cum vero accidet, importunum aliquem hominem totam concionem permiſcere, adeo vt Principem nunquam velit deſerere, ſed eum quaſi obſidione cingat & angat, ſimili dexteritate repelli, & error ipſius ſine vlla exprobratione aperiri poterit: adeo vt ignominia omnique dedecore careat, hoc pacto eum commonefaciendo, libenter ſcilicet eum diutius à nobis audiendum fore, verum cum noſtri partem cæteris quoque debeamus, ideo ſatius putandum eſſe, vt alio tempore & commoditate tota cauſa iterum intelligatur. Similiter ſi quis inextricabile aliquod, & exoſum agat negotium, modeſta eidem repulſa dari poterit, oſtendendo, materiam illam difficillimam arduæque tractationis eſſe, ſimulque commodiore tempore opem ferendi eximiũ profitendo deſiderium ac voluntatem In ſumma, apud illos, qui negotia tecum communicant relinquenda eſt quædam continentiæ tuæ opinio; vnde etiam repulſas & repudia ob ſuauem dexterrimumque modum tanquam beneficia interpretentur, repulſiſque hominibus animus, viuaque ſpes adiungatur, vnde facile credant, viam, qua vota expleant ſua, ſibi obſtructam non eſſe. Sic Epaminandas, cum ab eo Pelopidas vilem hominem, qui carcere detinebatur, petiiſſet, ſuauiter denegauit, inquiens, huiuſmodi petitiones ab aulicis denegandas eſſe, non à generoſis, honeſtiſſimiſque viris, qualis erat Pelopidas.

Importuni quomodo tractandi.

Repulſa quo modo mitiganda.

Verum enimuero mitibus verbis non eo procedendum eſt, dum repulſas, aliudve negotium purgamus, vt remedii afferendi gratia res minime veras, vel quas concedere, in noſtra non eſt manu, in medium afferamus: ſincerę enim agendum eſt, & abſque mixtione vllius mendacii, vtpote quod ab omni virtute abhorret, omnique hominum conuerſationi, & ciuili commercio refragatur: ſed eiuſmodi temperamentum retinendum eſt, vt quæ coacte negauerimus, homines pacato animo recipiant; neque tamen pollicitatio aliqua interponenda, qua nouo aliquo vinculo iis deuincti eſſe putemur: ne poſtmodum euentu aliquo fruſtrato, indoleant, & ſe fictis verbis deluſos à nobis eſſe exiſtiment. Neque vt cuiquam ſatisfaciamus, in res improbandas noſmet præcipites agere debemus; proinde curandum eſt, vt ſententiæ noſtræ veritatis plenæ, neque ab honeſto diſiunctæ ſint, neque facta verbis præpediantur, ſed illa his præponderent, & exitu maiora deprehendantur.

Veracitas nunquam deſerenda.

Pollicitationes vitanda.

Quoniam vero iam profeſſi ſumus, Aulæ Protectorem debere ipſius bonum curare, ideoque debere eum affabilem eſſe, ſagacem, dexterum, & de affabilitate, ſagacitate, dexteritate ſatis diximus;

adprime conuenit, vt de hoc aulæ bono ſermonem inſtituamus: Neque enim ſatis eſt, vt nominatus Protector blanditiis, geſtibus, verbis humaniſſimis ac ſuauiſſimis primum ſui aſpectum iucundum præbeat, ſed officiis, reque ipſa perfecte miſcere vtile dulci, aulæque in omnibus prodeſſe debet. Porro cuiuſnam æſtimationis eſſet ille fructus, qui odore atque colore guſtum alliceret, ſi deinde malus & iuſipidus reperiatur? Cum igitur aulæ Protector ipſius bonum quærere teneatur, in quo illa conſiſtat, conſiderare debet, quia omnia bonum, finemque ſuum in tantum aſſequuntur, quatenus in naturali ſtatu, ad quem diriguntur, conſeruantur. Quapropter cum in aula Romana, vt initio memorauimus, illa ſit multitudo, quæ Pontificem, de illo benemerendi cauſa, ſequitur, neceſſe erit, vt Protector viros integritate, prudentia, atque eruditione adiuuet, foueatque, qui Pontificem dignis modis venerari, eique inſeruire valeant, vtque totam aulam in ſtatu perfecto cum dignitate atque ſplendore conſeruet: quamobrē nepotes Pontificis viros virtute claros noſcere, allicere, inuitare debent, & dulci quadam vi ad ſui familiaritatem cogere: vt Pontifex quaſi primus motor oculos ad eos conuertens, poſſit apud nepotes, quaſi ſecundas cauſas, huiuſmodi viros inuenire, tanquam materia quaſdam bene diſpoſitas ad ſuſcipiendam quamlibet excellentem formam, quæ honorem & commodum ſecum ferat. Ideo oportebit, vt Protector accuratè hominum merita inueſtiget, &, diſcreto in ſua mente lolio, atque tritico, erga digniores officioſus exiſtat, obnixe laborans vt in eos & honores, & beneficia, quoad poterit, conferantur, neque tantum eorum merita inquirat, qui Romæ degunt, ſed vbicunque viuant; vt vnuſquiſque rara probitate & virtute ſingulari ornatus patefactum habeat aditum ad pulcherrimam hanc, nobilemque Rempublicam.

Aulæ bonum quærendum.

In quibus conſiſtat.

Qua de re diligentem atque laborioſum eſſe oportet, ne benefaciendi alicui occaſiones, quas temporis velocitas tardis, ac pigritantibus eripere ſolet, elabantur: ideoque ſicut generoſus equus, cui hippodromi tantum meta indicata fuerit, neque vocis, neque calcarium auxilio ſollicitatus, vltro currit; & anhelat, ne quis eum ad propoſitum præmium conſequendum anteuertat; eodem pacto in hominibus iuuandis velocem atque impigrum eſſe oportet, & nunquam non vereri, vt alius nobis honoratum gloriæ locum, quem cæterorum hominum benefactoribus immortalis fama largitur, præripiat. Neque profecto Protectoribus, ac patronis, qui à Deo electi ſunt, tanquam gentium, ac bonorum diſpenſatores, quidquam dignius eſt, quam in viros probos propenſo eſſe animo. Etenim ſæua nimis eſt eorum impietas & inhumanitas, qui cum in manu habeant, quo populos ſubleuent, malunt ob ſupinam ignorantiam, ac malignitatem deſidere, hominumque merita vel remunerare negligunt, vel oppreſſos, atque in ſumma rerum egeſtate ſepultos derelinquunt.

In iuuandis hominibus anxium, & anhelantem eſſe oportet.

relinquunt. Qua de re Titus optimus Imperator, quoties diem niſi egiſſet, quo nemini prodeſſet, nunquam non ægre ferebat, diemque illum omnino deperditum fuiſſe, dolenter prædicabat; equidem imperatoriæ menti conueniens cogitatio, quia nulla in re magis, quam hac magnanimæ beneficentiæ virtute ad Deum accedimus. Verum etſi officioſum, ac beneficum ſe præſtare, opus eſt bono protectore, generoſiſque Principibus digniſſimum: tamen Pontificis nepotibus id vel maxime cordi eſſe debet, eoque ſtudioſius curandum, quia ipſorum auctoritas propediem expiratura eſt; quæ res cæteris principibus minime contingit: eamque ob cauſam in hominibus benemeritis fouendis, etſi procul abſunt, nihilque petunt, nulli parcant labori, nunquam immemores, ſe in huiuſmodi conſtitutos prærogatiua, tanquam aduenas, neque ſemper in eodem ſtatu permanſuros: ideo quemadmodum viatores in ſuis peregrinationibus deceat hoſpitibus ſuis bonam humanitatis ſuæ, liberalitatis, magnificentiæ famam relinquere; ſic in ipſorum mente fixum, atque locatum ſit, dum fortuna ſinit, vt ad ſempiternam ſuæ hoſpitalitatis memoriam in animis aulicorum ſolidum ædificent perpetuæ beneuolentiæ ædificium, cuius fundamenta ſint fauores, gratiæ, & in optime meritos, atque honeſtiſſimos viros collata beneficia. Et profecto, Illuſtriſſime Princeps, cum ad hoc ædificium oculos tuæ mentis, quod facis, conuerteris, comperies, illud nobilius eſſe quibuſcunque Romanis operibus, etſi ruinæ ſtupore nos, atque admiratione afficiant: neque vero vllum incommodum in hoc ſtruendo opere moleſtum eſſe tibi debebit, gaudium ſiquidem, quod inde exhauries, eiuſmodi erit, vt quiuis labor leuis, ac iucundus tibi futurus ſit, cum nihil in rerum natura ſuauius reperiatur, quam ſecundum virtutem agere, eaque præſertim efficere, quæ homines vinculo alligant immortalium beneficiorum, quibus præmonſtramus exemplum cæteris, noſtramque gloriam nouo ſplendore adaugemus. Erit etiam optimi Protectoris munus, eniti, vt in aula pacifice, animiſque concordibus vbique viuatur cum ex minimis diſcordiis magna ſæpe incendia ſuſcitentur. Quare omnes occaſiones ac fomenta rixarum ſemouenda ſunt: neque auidis auribus audiendæ maledicorum detractiones, ſed abſentis partes modeſte ſumendæ ſunt, adeo vt ex nobilibus animis omne diſcordiarum ſemen euellatur, & pax & concordia ad totius aulæ decus, atque commodum inſeratur.

Titus Princeps noſtris nunquam obliuiſcendus.

Ædificium in animis hominum præclarum.

Pax colenda, delatores exterminandi.

Poſteaquam de tuo munere, quatenus perſonam geris Cardinalis, & Pontificii nepotis, deque eorum dotibus, quibuſcum tibi verſandum eſt, denique de moribus, quos in rebus tractandis retinere debes, abunde egimus; reliquum eſt, vt quo pacto cum famulis atque clientibus ſit agendum, tradamus. Quæ res etſi coram te prætermitti poteſt, vtpote qui tua humanitate nullum tuæ gratiæ locum deſi-

derari

derari à quoquam pateris; tamen quia ſermonis huius tenor hanc quoque tractationem requirit, breuiter de tota re diſſertabo, & architriclinum imitabor, qui, ne vllam rem ad ſuum munus pertinentem omittat, domino ſuo cupedias quaſdam offert, potius, ne artis præcepta poſthabere videatur, quam quod eas neceſſarias putet. Igitur exploratiſſimum eſt, præcipuam domini virtutem in eo conſiſtere, vt recte famulis, qui eius ſunt animata inſtrumenta, vtatur, proinde neceſſe eſt ante omnia eos recte eligere, & conceſſo, eos in vniuerſum omnes bonos eſſe, diſtinguendæ ſunt eorum naturæ dotes, atque animi virtutes, ideoque munera demandanda, ad quæ apti ſint, quæque eos deceant; vtque vtilius inſeruiant, vnicuique ſuæ partes delegandæ, & fines aſſignandi, quo pes ad ambulandum, oculus ad videndum, auris ad audiendum miniſterium præbeat ſuum, neque ſe inuicem præpediant: quemadmodum enim ex huiuſmodi confuſione totius animantis corruptio ſequeretur, ſic in aula, ſiue domo qualibet ſine hoc ordine diſſonantia quædam, ac tumultus orietur cum domini detrimento: quocirca is caueat, ne inter famulos, ſiue clientes ſuos malignitas atque ſimultas vlla inualeſcat, ſed vnanimes mandata eius excipiant & exequantur, adeo vt deficiente oculo, manus oculi vicem ſuppleat, & pes manum adiuuet; pariterque omnis via præcidenda eſt malignis, & fraudulentis hominibus, eorumque falſis ſententiis, quibus, tanquam venenatis iaculis, innocentium famulorum corda perſæpe feriunt, aures occludendæ. Vt vero officiorum malignitas deprehendatur, ad eam ſagacitatis virtutem, quam diximus, confugiendum eſt & conſiderandum, an accuſator ſinceri animi habeatur, nec ne, an aduerſus eum, quem accuſat, æmulatione, an inuidia, alioue affectu, cuius cauſa homines aduerſus alios permoueri ſolent, ducatur: item an reus antehac prauos mores habuerit, an veriſimile ſit, eum poſſe illud vel feciſſe, vel dixiſſe: quod ſi idem dixerit, aut fecerit, quo animi ſenſu atque intentione, an forte incogitanter exciderit, vel ex ignorantia, vel propter aliquam ſpeciem violentiæ: Hoc enim pacto inſtar æqui iudicis aſſenſu cohibito, iudicioque ſuſpenſo, reſeruabit reo defenſionis locum, ſua gratia neminem extorrem faciendo, antequam imperturbato animo eius rationes intelligat, & reum ore ſuo conuictum damnet.

Famulitiū quomodo regendum.

Munerum diſtributio facienda.

Verum ad munera diſtribuenda atque ordinanda, prouidentia requiritur, per quam tempus vtendi miniſtris cognoſcitur: nam quemadmodum ex vna parte eum, qui operari tenetur, dedecet otiari, ſic ex altera æquitati non congruit, vt defatigati paulumper quieſcere, & horam aliquam ad reſpirandum habere non poſſint: proinde, quotieſcunque tempus & occaſio poſtulat, in officio continendi ſunt, & alterne iis nonnulla quies & tranquillitas permittenda eſt. Verum quia nemo poteſt obſequia recte præſtare, niſi qui patroni mandata

Quies alternatim concedenda.

plane

plane intelligit, ideo in iubendo perſpicuitas requiritur, ne famulantis animus incertus titubet, & propter ignorationem rem diuerſam à mente imperantis exſequatur, eademque benignitas ſimiliter in imperando adhibenda eſt: propterea quod ſi tyrannice ac ſuperbe imperauerit, cum labor quilibet ſui natura inuiſus exiſtat, clientium animi offendentur, neque perinde attente ſeſe negotio conficiendo ingerent: at, ſi benigno atque manſueto more aliquid iis, etſi arduum, imperatum fuerit, vehementi cordis impetu libenter agendæ rei incumbent, neque vllum laborem atque anguſtiam ſentient, donec ad optatum exitum rem deducant, imo imperia iam dextero modo impoſita quaſi præmia ſuſcipiuntur. *Imperia perſpicua & apta ſint.*

Verum quia clientes & aulici patronis ſuis nunquam non adeſſe debent, & continua iſta familiaritas & conuerſatio faſtidium parit, prudentes domini nullam nauſeam ac ſatietatem ob eam rem concipere debent: nam ſicuti nullus, etſi rarus ac delicatus cibus, ſine pane concoqui poteſt; ita quodcunque arduum negotium, ſine optimorum adiutorum auxilio, diminutum atque imperfectum remaneret. Quoniam vero peccare humanum eſt, ideoque famuli, etſi periti, rerumque experientiſſimi, errorem aliquem interdum committere poſſunt, in iis emendandis debent domini non aſperis, ſed manſuetis modis vti, neque obliuiſci, ſolere domitores equorum generoſos equos nutibus, & ſola virgæ vmbra regere, non ignati, arctum nimis frænum eos ad furorem atque valorem deducere. Ante omnia ſi contigerit errorem publice fieri, dominus eo loci attendere ipſum non debet & palam corrigere; quia tunc illius diminutio fieret dignitatis, vtpote qui perturbationibus vacuus apparere, neque publicis in locis iram ſimilemue affectum indicare teneatur: præterquam quod qui hoc modo redarguitur, læſionem animo concipit, voluitque animo, dedecus illud nunquam poſſe quouis accepto fauore atque beneficio deleri; ideoque à Socrate Plato iure reprehenſus eſt, quia, cum in conuiuio quodam Socrates ſeruum increpuiſſet, eodem tempore Plato eum commonefecit, ſeorſim illud, non publice monendum fuiſſe: Socrates vero eadem ratione ad illum conuerſus, reprehendit Platonem, quod ipſum itidem priuatim non correxiſſet. Quamobrem admonitiones clam, & amore paterno faciendæ ſunt; vehementius enim, quam qualibet aſpera reprehenſio, animos commouent, coguntque: & profecto collaudandum, & prorſus regium, atque heroicum corrigendi nobiles homines genus illud eſt, quod ſimul cum reprehenſione partem aliquam laudis continet quemadmodum prudentes Duces conſueuerunt, qui milites ſuos in acie langueſcere cernentes, non acerbis atque aſperis verbis, ſed memoria rerum egregie geſtarum eos reſtituunt, & ad ſeipſos imitandos & ſuperandos accendunt; tunc enim reprehenſio obtegitur inexpectata illa laude, & rerum laudandarum recordatio generoſo pudore conſcientiam præ- *Reprehenſio qui facienda.* *Seorſim facta admonitio & cũ laude vtilior.*

ſentis

ſenſus erroris extimulat, & ad renouanda egregiæ virtutis argumenta inflammat. Longe vero falluntur nonnulli principum, exiſtimantes, ſi clientes ſuos rigide habent, & ipſorum contemptum præſeferant, fore, vt inſeruiant melius, quam ſi ea mediocritas retineatur, propter quam decorum, atque modeſtia clientum herili imperio reſpondet.

Nobiles Famuli honorandi.

Quandoquidem nulla maior dignitas & amplitudo principibus viris obtingere poteſt, quam ſi honeſtos & virtutibus conſpicuos viros apud ſe detineant ideo quia plerique omnes ex meritis, & virtute famulantium virtutes, ac merita principum libenter arguunt: quamquam enim nonnulli putant, magnatibus nunquam famulos honeſtæ conditionis deeſſe poſſe, & facile iiſdem eſſe hos conquirere, ac proinde contemni poſſe; nihilominus ſi aliquando difficultet, & grauatim equum mutamus, quoties præcipuis partibus valet, multaque eius vitia toleramus; profecto multo cautius & conſideratius agendum nobis erit, dum agetur de permutandis & amittendis hominibus, hoc eſt, nobiliſſimis animantibus & diuinis creaturis, quoties ipſis ſuppetit erga nos beneuolentia, fidelitas, reuerentia, inque rebus noſtris diligentia, optimorum aulicorum dotes præcipuæ, quæ vitium quodlibet, nihil domini maieſtatem minuens, compenſare valent. Quamobrem par eſt, vt in minimis clientum defectibus oculi, aureſque occludantur, inque ipſorum actiones exacte nimis non inquiratur: cum potiſſimum videamus, naturam, artemque, omnis perfectionis amantiſſimas, neutram in ſuis operibus niſi raro, aut difficulter ipſum perfectum aſſequi poſſe.

Indulgenter tractandi.

Verum ſicuti homines ad peccatum procliues, ita ad pœnitendum, & ad bene agendum egregie diſpoſiti ſunt: ideo nihil erit difficultatis, vt tui clientes, vtpote honeſto, nobilique loco nati, honeſtique amantes, eo ſtudio, fideque tibi obſequia ſua præſtent, qua ipſos decet, multamque à te gratiam promereatur. Quamobrem cum patroni ſoleant aliquando plus minuſve ad deſperationem beneuolentię herilis obtinendæ clientes ſuos compellere, æquitati conſentiet vt in hoc ea mediocritas, quã honeſtas expoſcit, eligatur: accidit enim, vt plerique Principum ob nimiam amoris erga vnum indulgentiam, illum ſibi tanquam idolum conſtituant, eidem maiorem impertiendo, quam pro ſe retineant, authoritatem, ſeque ipſos nutu illorum gubernando, neminem alloquio dignantes, nemini ſua beneficia annuentes, niſi ex vnius, quem omnibus præferunt, ſententia; cui quicquid placuit, & domino collibitum eſt: Proinde benignitate domini tandem abutens, cum ipſius indignitate, omniumque nauſea, & indignatione vt plurimum intumeſcit, inſoleſcit, & grauiſſimus cunctis euadit.

Vnus cæteris non imponendus.

Alii Principes nonnulli in contraria currentes ſuis aulicis, etſi viris natiuæ bonitatis, nunquam fauorem, aut beneuoli animi ſignifica-

tionem

tionem vllam tribuunt: nam ſibi perſuadentes, omne genus dominationis, & imperii ſignificare virtutis præſtantiam, atque excellentiam, modis improuidis, parumque prudentibus vice meritorum reponendorum ipſis inſultant, & truci, ac fulminante aſpectu pene transfigunt, modo aſperrimis & infamiſſimis contumeliis impetunt, credentes, quanto terribiliora, & perturbatiora ſunt ſua mandata, moreſque imperuoſiores, eo maius gloriæ, ac diuinitatis nomen quæſituros, vnde miſeros clientes, tanquam infelicia mancipia, deprimunt atque conculcant. Quocirca cum nimiæ gratiæ, & indulgentiæ extremitas tranſeat in domini indignationem, atque vilipendium, altera vero aſperitatis extremitas in tyrannicam feritatem conuertatur, cumque vtrunmque extremorum vituperatione dignum habeatur, ſapientis Principis erit in mediocritate ſe continere, vt diximus, dignitatemque ſuam; atque alteram decori partem ſeruare, in famulorum prædam nunquam concedendo, alteram vero, magnanimam quandam retinendo comitatem, propter quam Aulici præſentia Domini fruantur, tanquam familiæ parentis communis, ad quem ſinguli ſuis in neceſſitatibus perfugium habeant. Hanc vero mediocritatem facilius aſſequetur, ſi gratiam ſuam vnicuique proportione Geometrica diſtribuerit, iuſtamque æqualitatem ſeruauerit; vt ſi Sutor quatuor mereatur, non dentur ei octo, ſi vero Sartor octo mereatur, non habeat ſolum octo, ſed vnuſquiſque ſecundum ſuam dignitatem, ac meritum. In diſtribuendis vero huiuſmodi fauoribus, & gratiis ſummis laudibus extollenda eſt conſtantia, & ſtabilitas, cauendo, ne in errorem plurimis conſuetum incidas, qui pœnitudine ducti, quod in aliquem beneficium nonnullum contulerint, multiplicatis iniuriis omnem gratam memoriam, cuius præclara ſigna antea receperant, delent, atque corrumpunt, appetitionem ſuam, inſtar prægnantium mulierum temporis momento in alios conuertendo, eoſque faſtidiendo, quos antea in pretio, & in oculis habebant, indicium certe, atque argumentum male compoſiti animi: ſcimus enim, in rebus, quas fecimus, conſtantiam, & ſolidiatem oſtendere, neque pœnitentiæ ſignum dare, verum animi virtute munitiſſimi affectum eſſe; qui non peccat vnquam ob malam electionem, & delectatur mirabili gaudio in continuandis omni animi promptitudine iis operibus, quæ laude, atque honore digna cenſentur. Neque ſolum iuſtitia poſtulabit, vt clientibus, auliciſque tui nominis ſtudioſioribus, quæcunque vtilia ſint, & honeſta, præſtes, verum vt iiſdem occaſionem ſuppetas, vnde honeſtos fauores aliquos, & beneficia poſſint à re pro aliis etiam impetrare, quo ſcilicet beneuolentiam hominum, bonamque nominis exiſtimationem ſibi concilient: quæ res maximis emolumentis, atque honoribus æquiparanda eſt.

Domini indigni dominatu ſuo.

Protheiplerique ſunt domini.

Gratioſos oportet eſſe aulicos.

Neque

Famulorũ honor dominos honorat.

Neque profecto parum lucrifacies, ſi tuos famulos extollere malueris, & quaſi Angelus Domini eos, ſi digni fuerint, Piſcinam conduxeris: nam quemadmodum veſtes, etſi frigidæ, à nobis calorem accipientes, corpus noſtrum eo calore, quem dedimus, conſeruant: ita egregii famuli, etſi per ſe ipſos dominis ſuis vtilitatem afferre nequeunt, ad dignitatem nihilominus euecti, & peculiari patrocinio protecti, inſtrumenta ſunt, & columnæ ad magnitudinem eorum ſuſtentandam, ſtabiliendam, amplificandam. Qua de re exempla in medium afferrem, niſi præteritorum temporum actionibus edoceremur, Nepotes Pontificis, quicunq; multos famulos exaltauerunt, honorem ex ea re, commodumque maximum reportauiſſe, etiam poſtquam auctoritas eorum defloruit: qui vero id neglexerunt, eorum Pontificatus decora perinde ac lumina, in tenebris obliuionis extincta deſierunt. Hæ ſunt viæ, per quas ad finem honeſtum, quem tibi propoſuiſti, tendere poteris, efficietque, vt quam reuerentiam, & honorem tota tibi aula in præſens exhibet, quia tui patrocinii indiget, eandem progreſſu temporis tibi confirmatiua ſit ex libera animi ſententia; putabuntque homines, virtutem tuam omni fortuna ſuperiorem eſſe, ſi modo in hac proſperitate operam dederis, vt eum euites morbum, cui magnates ſolent eſſe obnoxii, & quo ſenſibus priuantur, & ineluctabili fato præcipites aguntur. Qui morbus reuera alius non eſt, quam adulatio, quæ fictæ amicitiæ faciem gerens, callidis blanditiis intellectum hominum corrumpit, anſam noſtræ offenſionis arripiens ab amoris aditu, quo vnuſquiſque ſe ipſum diligit: etenim per hunc aditum verba adulantium admittere conſueuimus, vtpote qui gloriæ, & perfectionis cupidi Syrenarum cantu, quo laudes noſtræ celebrantur, facile capiamur: iſtæ autem plerunq, ea, quæ vituperari merentur, imitantes, iiſdemque applaudentes, ſubtiliſſimis fallaciis perſuadere nobis conantur, nos in omni actione perfectos & clara virtutis exempla eſſe: equidem peſtis exitioſa, & venenum Principum, à quo maiori ſtudio, & anxietate cauere deberent, quã ab eo caueant, quod in cupediis vt ponatur, extimeſcunt: hoc enim corpori tantum affert exitium, illud animo; quo infecto, totius vitæ, & honeſtatis ruina conſequitur. Ab hac igitur periculoſa, atque peſtifera infirmitate toto animo te ſubtrahas, oportet, & pro re certa habeas, non defore adulatores multos, qui miris artibus inficere te conabuntur, vt animum tuum quocunq; libet pertrahant. Itaque multi vtilitates, alii honores proponent, ſed neque deerunt, qui, vt ſe tui ſtudioſos oſtentent, facile argumenta comminiſcentur, vnde aliquem etiam ex tuis erga te male affectum eſſe, deferant, & affirment: ad quas peſſimas ac ſceleratas delationes aures occludere debebis, adeo vt nullum ex iis verbis ad cor, animumque tuum penetrare queat, tibique perſuadebis, quemadmodum tu erga alios ſinceritatem, animique candorem profiteberis, ita fore, vt vnuſquiſque

Adulatio præcipuum venenum regnantium.

Damna adulationis.

Ars adulantium.

te in amore fidaq; voluntate compenſet. Quo caſu dignum imitatione erit exemplum illud Platonis, cui, cum affirmaretur à quopiam, Xenocratem ei maledixiſſe, poſt multas repulſas, quas delatori dederat, negans,id à ſe credi,tandem dixit,Xenocratem ſibi notum eſſe tantæ bonitatis virum, vt ſi modo maledixiſſet, id oportuerit fieri, neque facturum, niſi honeſtum foret.

Verum quoniam non deeſt author, qui pereleganter de differentiis adulatoris & amici, & quibus rebus alter ab altero internoſcatur,tractauit,omittam cætera, ſi prius addidero, vnicum eſſe adulationis remedium & antidotum, vt quiſque nunquam obliuiſcatur,hominem ſe, ideoque imperfectum eſſe, omnique ſua actione errare poſſe: quare ſuperfluus amor ſui deponendus eſt, bonorumque ac fidelium amicorum ſuppellex conquirenda,qui cuncta poſſint libere ad noſtram vtilitatem proferre, vt ex iis ſaltem,quid fugiendum,quid ſequendum ſit,intelligamus. Quæ res cum vtiliſſima comperta fuiſſet à quodam Perſarum Rege prudentiſſimo, alterum ex ſuis cubiculariis huic muneri deſtinauit, vt ſingulis diebus mane regium cubiculum ingrediens,diceret: Surge, Rex,iiſque negotiis incumbito, quæ tibi Miſciones præſcripſit: hic autem Regis erat Conſiliarius,vt credere par eſt,raræ vir prudentię atque virtutis;magis enim in proſpera,quam in aduerſa fortuna Principes amicis indigent, ideo quia rebus anguſtis homo ſe ipſum colligit, totamque rationis vim adhibet, ne peſſum eat; at rebus proſperis ſuperflua honorum,opumque felicitas in varias partes diſtrahit animum,æque ſingulis frui cupidum: adeo vt inebrietur, faſtuque impetuoſo inſletur, & in præruptos ſcopulos inhoneſte naufragetur: proinde conſilio opus eſt, quod inanibus moderetur appetitionibus, vt ratio vigilet, & prudenter vitam regat atque gubernet. Quantum vero interſit magnatibus, vt bonis ac fide conſpicuis amicis vtantur, qui liberis vocibus res conſideratione dignas commonefaciant, & quantum iidem magnates miſerandi ſint, quoties bonos amicos ſeponunt, abiiciuntque, vel ob malam fortunam iis priuantur, præclare id Auguſtus commonſtrauit, qui extrema ſenecta interiore parte domus aliquando ſuſpirans, & lachrymans Mœcenatem & Agrippam iam vita functos inuocare non ceſſabat, & interrogatus à domeſticis, quidnam cauſæ haberet, dolenter reſpondit, Cogi ſe percharum amicorum par deſiderare, quia, dum vixerunt, ob eorum prudentia, ac fida monita res ſuæ feliciter geſtæ fuerant, at mortuis illis, vndique ſe adulatoribus circumdari, qui veritatem abſcondentes in cauſa fuerant, vt ipſe dedecori domus ſuæ in tempore obuiam ire nequiuerit. Verum quia prudentiæ alienæ mo-

Amor ſui ianuam aperit adulationi.

Amicis proſpera fortuna magis indiget.

Conſilium alienum res neceſſaria dominanti.

nita & conſilia imperfectionem arguere videtur, vt medicina infirmitatem in eo, qui ipſius indiget, cernimusque, eadem conſilia minus libenter accipi ab omnibus hominibus, præſertim à magnatibus, & ab iis, qui ſublimiori ſtatu collocati, putant, decere ipſos cunctis in rebus ſe ſuperiores cæteris oſtendere; vnde Conſiliarios, vt hoſtes oderunt, quaſi leges iis imponere, & libertatem auferre, aut ipſos de imperio ac dominatu deiicere velint. Idcirco alto atque magnanimo generoſi Principis corde, omni perſuaſione ſapientiæ poſthabita, debebis hilari fronte quodcunque beneuolum & prudens conſilium accipere, perinde vt inſtrumentum tuæ magnitudini perficiendæ, tuique intellectus libertati conſeruandæ idoneum; quem intellectum ab occultis blandæ fortunæ faſcinationibus ſolutum eſſe, curabis, nunquam immemor ſententiæ Theopompi, qui aiebat, Regna & honores tutius retineri, ſi amicis iuſta ac debita libertas ſententiæ proferendæ relinquatur.

Fortuna blanda faſcinationes remouenda.

Quamobrem ſumma ratione, Illuſtriſſime Princeps, optimos amicos eligere debebis: quod quidem tibi factu arduum non erit, ſi circumſpexeris, qui ſint ii, qui omnium conſenſu bonorum, tanquam egregiæ virtutis ac ſinceritatis homines approbantur; cum aulæ perpetua conuerſatio nequeat diu bonas malaſve cuiuſquam dotes, ac facultates occulere.

Hoc pacto frequentiam amicorum detinebis, qui tibi ornamento ac voluptati erunt, viroſque tibi adſciſces ſpectatæ integritatis atque prudentiæ, qui non ſolum in rebus maioris momenti operam tibi ſuam præſtent, ea, quæ ad tuum honorem pertinent, ſuggerendo, ſed qui etiam tuis honeſtis ſolatiis intereſſe, & inter ioca res tibi adprime profuturas poſſint patefacere.

Multa contra dominantes lux eſt.

Ex quibus (conſuetudines tamen minus honeſtas fugiendo) aulicis cenſoribus eripietur anſa alicuius actionis tuæ vituperandæ, honorique tuo atque exiſtimationi detrahendo. Etenim perſpectum, cognitumque eſt, non tantum Pontificiorum nepotum verba, & quæcunque palam agunt, notari, ſed etiam vitæ ipſorum minuta quæque attentis animis obſeruari, neque minus res iocoſas, quam ſerias, & graues, item familiam totam, & vſque in cubiculum, vbi dormiunt, inquiri. Quandoquidem ſplendor, quo refulgent, is eſt, vt minimam quamque ipſorum actionem illuſtret, & mundi, qui ſecundum merita earum actionum non iudicat, ſpectaculo exponat.

Verum quæ hucuſque diſſertata ſunt, repetentes, manifeſtum eſt, quod hactenus tuam perſonam conſiderantes, poſuimus ob

oculos:

oculos: te ſcilicet Cardinalem, te Pontificis nepotem eſſe, te denique dominum, cui plurimi famulantur: Ex quibus finem vniuſcuiuſque tui ſtatus inueſtigandus: nam vt Cardinalis, Dei honorem atque gloriam ante oculos habere, vt Pontificis nepos, aulæ totius bonum curare: vt dominus, tuam familiam prudenter regere debes: hincque apparet, fore, vt ex tribus his muneribus recte ſuſtentaris eius reſultet harmoniæ perfectio, quam ab initio diximus; nunquam enim bonum bono refragatur, & virtus virtuti nunquam aduerſatur.

Epilogus colloquii.

Vtque huic argumento finem imponam, quod forte volumen iuſtum poſcebat, aio, Princeps Illuſtriſſime, atque profiteor, munera trium perſonarum, quas diximus, te præclare, ſummoque totius aulæ theatri gaudio expleturum eſſe, & laudabilia cuncta ad vnguem te conſecuturum, ſi vitam & mores S.D.N. imitandos tibi propoſueris. Nam ſi in præteritas eius actiones reſpexeris, tanquam in vero atque expreſſo exemplari, viam & rationem intelliges, quam in vnoquoque ſtatu, de quo dictum eſt, tenere decet: ab illo ſiquidem honeſtæ vitæ, quæ optimum Prælatum exornat, exemplum deſumere licebit, quo pacto affabilem eſſe oporteat, ſagacem, dexterum, erga aulicos officioſum, quomodo erga familiam gratum, prudentem, & prouidum. Quibus virtutibus cum eius Beatitudo iam pridem Reipublicæ Chriſtianæ animos ſibi deuinxerit, celeritate mirabili, & applauſu, atque concurſu vniuerſali, & inſueto in ſummum Pontificem cooptatus eſt. Ad quam ſupremam felicitatem tibi quoq; peruenire dabitur, ſi eandem virtutem, quæ Pontificem hunc euexit, ducem habueris: vnde amplitudo tua perpetua erit, fortunamque ad tua ſequenda, & excolenda merita vel inuitam coge; adeo vt in præſens, & in poſterum nominis tui gloria mirificum ſui ſplendorem emiſſura ſit. Quod quidem ex animo voueo, meque in tui fidem, & clientelam trado, atq; commendo.

Cum laude Greg. XIII.

AD CARDINALEM MONTALTVM SIXTI QVINTI PONTIficis Maximi Nepotem, Monita, ſiue

DISCVRSVS QVARTVS.

CARDINALITIA dignitas in quàmcunque digne collocata eſt, per ſe ampliſſima & eminentiſſima eſt, quam ſummum illud collegium vniuerſalis Eccleſiæ Senatus eſt, & conſilium Summi Pontificis, quod ipſe per ſe, & ex ſe ipſo eligit: ſed longe amplior, & eminentior in iis apparet, qui Pontificis conſanguinei ſunt. Etenim propter eorum magnitudinis cupiditatem, & propter intimum affectum, quo illos magis, quam cæteros Pontifex proſequitur, cum ipſis communicātur maiora negotia, quæ ad Sedem Apoſtolicam referuntur: cum ipſis Oratores Principum, qui vel in aula permanent, vel ad eam mittuntur, pertractant: per ipſos audit Pontifex vota, atque neceſſitates omnium Chriſtianorum, ad ipſos ſcribunt Nuntii, aliique miniſtri dictæ Sanctæ Sedis: eorum opera Eccleſiaſticum gubernatur Imperium: ipſis interuenientibus, ac deprecantibus multæ Eccleſiæ, ſacerdotia & officia diſtribuuntur, quodque magis refert, etiam promouentur plurimi ad Cardinalatum. Per ipſos Pontifex mentem ſuam explicat, gratias diuidit, & præcipuum ſunt grauiſſimo Pontificatus oneri ferendo auxilium & fulcimentum. Quæ forma gubernationis hiſce turbulentis ac difficillimis temporibus vtilior videtur eſſe, quam præteritis fuerit vnquam temporibus, ac ferme neceſſaria; Quandoquidem, quia Chriſtianorum genus mutuis modo ſuſpicionibus, aduerſiſque conſiliis refertum eſt, in tutum videtur multos ad res adminiſtrandas accerſere: neque deliberari perfecte quidquam poteſt, niſi ab eo, qui omnium rerum exempla ob oculos habeat, &, quid in cæteris faciendum ſit, calleat; vnde cuncta ad vnum referri, neceſſe eſt. Ita pariter Reſpublicæ in grauiſſimis periculis integram vni poteſtatem demandauerunt. Harum rerum magnitudo & numerus abſque alia declaratione oſtendit, qualis ad eas ſuſtentandas in eo, quem dixi, miniſtro requirantur, prudentia, induſtria, vigilantia. Verum, vt ab vniuerſali, quod obſcurum eſt, atque

Amplitudo dignitatis Cardinalitiæ, præſertim nepotis Pontificis.

Ad vnum gubernatio refertur commodius.

confuſum

confuſum, ad particulare deueniamus, quod clarum eſt, atq; diſtinctum, primum de fine, quem ſibi in ſuis actionibus proponere debet, diſſeremus: ſecundo loco de quibuſdam adiumētis, quæ conquirenda ſunt: deinde negotiorum diuiſio fiet per capita præcipua, non ſine monitis quibuſdam in iis tractandis, vel cum S. D. N. vel cum Cardd. Oratoribus, Prælatis, & reliquis. Poſtremo quædam breues conſiderationes afferentur de modo loquendi atque ſcribendi. *Diuiſio colloqui.*

Finis cuiuſlibet miniſtri cum fine ſui Principis idem eſſe, nullaq; in re diſcrepare debet. Quoniam vero Pōtificis finis eſſe debet gloria Dei, ſalus animarum, fidei propagatio, Eccleſiæ ſanctæ exaltatio, pax & tranquillitas vniuerſalis, virtutis eminentia, vitiorum diſperſio; hic idem erit finis Cardinalis nepotis, huc omnes ingenii ſui neruos, huc omnem induſtriam atque laborem dirigere debebit. *Finis Principis Eccl.*

Ad res naturales procreandas ſimul cum principali cauſa multæ cauſæ adminiſtræ, & adiutrices concurrunt, quæ ſi debita proportione atque menſura cooperentur, res perfectæ, atq; pulchræ generantur: ſin minus, figuræ turpis atque horribilis monſtra pariunt. An vero aliquando monſtroſi fuerint, & horribiles illorum fines, qui a ſui Principis rectitudine deuiauerunt, id magis per exempla innoteſcit, quam poſſit verbis plurimis declarari. *Fines miniſtrorum.* Præter finem Principis poteſt eius nepos aliquem ſui ipſius reſpectum habere, non tanquam ab illo diuerſum, ſed tanquam cohærentem, neque diſſentientem: id autem erit bonam ſui nominis exiſtimationem apud Principes; & apud Cardinales eorumque beneuolentiam quærere: huiuſmodi ſiquidem exiſtimatione ac voluntate nihil ſpecioſius, nihilque vtilius conſecuturus eſt, præter numerum aliquem amicorum aut clientum, quos ad Cardinalatum promouerit, vel legationibus honeſtauerit, vel ad Principes miſerit, vel iis præfecturas, & munera aulæ præcipua delegauerit, vel in alienas aulas diſperſerit: item diuitiæ adiuuabunt, reditus, opes copioſæ, tanquam res ad ſplendorem ac dignitatem retinendam, ad beneficentiam exercendam, ad pleraſque actiones exſequendas neceſſariæ.

Ad finem huiuſmodi prouehendum, auxiliarium miniſtrorum, quibus ſe permunire debet, numerus neceſſarius eſt: præſertim amicorum, familiarium, clientum, & opum, de quibus mentionem fecimus. In bello fundamentum victoriæ conſiſtit in delectu militum; dignitatis vero ſuſtinendæ, & gubernandi oneris fundamentum eſt recta miniſtrorum electio: in quibus eligendis ſumma prudentia, neque minus proſpera fortuna opus eſt. Verum vbi plurimi confluunt (vt ad nepotem Pontificis) facilior eſt electio, quia ex magno numero parui ſeliguntur, & *Del fiue virorum habenuus à regnan'e qualis.*

ex ſelectis ii, qui magis idonei euaſere, ad miniſteria deligantur. In primis delectum virorum habens, attendat, à quibus proponantur, dein patriam, amicitias, ipſorumque conuerſationem, anteactam vitam, ſtudia, res geſtas, corporis ſpeciem, & conſtitutionem, naturalem morum originem.

A bonis boni naſcuntur, & quidam mores alicuius familiæ, patriæ, nationis proprii ſunt, & immutabiles. Firmius diligunt conciues, & qui olim ſocii, aut contubernales fuerant. Credibile quoque eſt, vt poſthac idem futurus ſit nobiſcum, qui cum aliis honeſtiſſimus habitus eſt. Clientes igitur ſuſcipiendi, qui à ſuſpectis non commendentur, ſinceri, bene affecti, vigilantes, laborioſi, indefatigabiles, parci, in dicendo cauti, expediti, & in exſequendo ſagaces, domini beneuolentiæ ambitioſi, eius magnitudinis & honoris ſui cupidi: litteris, rerumque cognitione exornati, & in ſuo munere exquiſitæ experientiæ, incommodorum tolerantes, monitionum patientes: denique in omnibus ad perfectionem, & ad ſuperandam alienam virtutem aſpirent; ſint fortunæ, graduſque mediocris; quia nimis pauperes oneroſi ſunt propter ſubſidia, quæ petunt; diuites vero, & magnates, quia plura exoptant, moroſi euadunt. Decet nihilominus Prælatum, ad pauperiores ſubleuandos inclinare; cum quia benignus eſſe debet in ſubueniendo, tum quia ingenium, induſtria, fides, noduſque indiſſolubilis clientelæ, atque grati animi in pauperibus abunde magis reperiri ſolet. Vitentur mores contrarii, iique præſertim, qui arcana retegunt: quod perſæpe efficiunt etiam ſine fraude leuitas, iactantia, loquacitas, amorum vanitas, vel odii peruicacia; multoque magis deuitentur ii mores, qui ad perfidiam inducunt; peſtem ac venenum ſocietatis humanæ; quæ oritur facile, quoties ſuæ vtilitates & deſideria propria honeſto anteponuntur: Priores produnt ſeipſos, & quiſquis eos alit, veniam meretur: ſed alterius ordinis cauernoſas voluntates, & conſcientias rimari, non æque facile eſt; quorum elementares radices ſunt auaritia, ambitio, alta ſui menſura, aliorum contemptio & inuidia. Altam atque profundam fouent ſimulationem, vnde tamen extrahuntur, dum vident dignitates & opes, quaſi ipſi concupiuerant, aliis diſtribui. Hoc tantum illos angit, ideoque coguntur cum aliis ſenſa animi ſui communicare: cognoſcuntur etiam, quia ſecum ipſi diffident, alibi rem quampiam laudantes, alibi eandem inſectantes: hic defendunt, illic impugnant: quæ nuper ad aurem dixere, diuerſa ſunt ab iis, quæ palam profitentur: quod ſi Dominus rem diſcutiat, atque examinet, dictum non ſuſtinent; proinde ſerpunt & explorant ſemper, motuque libero carent: neque eos inſidioſa adulatio, qua ſe in ſecretiora domini conſilia in-

Mores aulicorum, aulas dehoneſtantium.

lia in-

lia inſinuant, aut ſubtilis quædam detractio, & ſuſpicionum introductio vnquam deficit.

Equidem quæuis diſſertatio, quæ doceat, hoc peſtiferum genus familiarium cognoſcere & euitare, minime ſuperuacanea eſt. Quoniam vero accidere poteſt, vt hæc Zizania, niſi cum creuerit, non diſcernatur, opportune ad maturitatem deducenda, mox ſegreganda, demque ſegregata exterminanda eſt, ne triticum infeſtet amplius, neque patrifamilias detrimentum vlterius pariat. Poſtquam Dominus familiam elegerit copioſam, totam in actione occupatam eſſe velit, & familiaribus ſingulis ea negotia, ad quæ reſpondent, committere. Non erit difficile, plurimos exercere in architriclini, in pocillatoris munere, item in ſcribendo, ſed ſub vno præcipuo capite, & in diuerſis domus functionibus: cubiculi herilis cuſtodia & mandata ad exteros ferendi munus, plurimos occupabit. Ex hoc inſtituto permultæ conſequuntur vtilitates, otium, vitiorum alimentum, depellitur, domus pacatior conſeruatur, quia nemo negligitur, vnuſquiſque habet, in quo ſe exerceat, & æmulatio diligentiam auget, virtutem perficit, dum ſimul in rerum actione verſantur, & quia ſeſe inuicem obſeruant, non adeo facile malignitas occultitur; & quia actio aditum præſtat ad cæteras aulas, Dominus per ipſos cuncta explorabit; nemo poterit ſe ſupra alios nimium extollere, & auctoritatem vſurpare, nemo, licet inſignis & præſtans, ſuperbiet: nam quia alii exercentur, cernit, poſſe Dominum alios ſubrogando, illo carere.

Zizania euellenda.

Quomodo aulicorum numero vtendum.

Ex recto vſu quot bona.

Mores Domini erga familiares graues eſſe debent, non ſine tamen ſuauitatis condimento, plus minuſue, prout fortuna & conditio illorum poſtulat: contemptus, & aſperitas odioſa eſt: nullum melius ſeruitutis condimentum, quam ſuos, tanquam ſui ipſius partes & inſtrumenta diligere. Neque viciſſim certior vlla regula eſt ad bene viuendum in aula, quam ſuum dominum amare, & perinde ac ſuum caput cuſtodire: neceſſariam quoque eſt in vita humana quædam vitia tolerare, & quibuſdam erroribus ob ſtoliditatem commiſſis facilem veniam dare; Contra mendacium ſolummodo, & aduerſum dolos deſæuire, & implacabiles eſſe oportet.

Mendaciũ implacabiliter caſtigandum.

Veritas & ſinceritas ſubſtantia eſt humani commercii & gubernationis ciuilis: nihil principibus magis eſt neceſſarium, nihilque magis deeſt. Eas virtutes adulatio & ambitio occultant, adumbrant, obſcurant, merita fingunt, abſcondunt male facta, doloſque ſtruunt inextricabiles.

Nullum obſequiũ decentius præſtat Pontifici eius Nepos, neque aliud debet magis, quam ad ipſum cuncta, prout geruntur, dicuntur, deferre, eundemque ab impoſturis defendere. Verum

Ab impoſturis Princeps defendendus.

quo pacto illos deferet, niſi ipſe primum eas calleat? aut quomodo ab aliis eum defendat, niſi ſe ipſum defendere valuerit? Veritas aliquando aſpera eſt, & contraria conſiliis noſtrorum domeſticorum, qui adulando palpant, & in re aliqua impetfecta licentioſam ſæpe fundant auctoritatem: Cautiſſime cauendum eſt ab iis dolis; Quæ cautio difficilis non inuenietur, præſertim ſi boni familiares & veraces alantur: tandem enim ſimulatio deregitur, & ſimile apparet non idem; & imitatio ſimilitudinem rei quidem gignit, ſed non identitatem.

Chriſti actio noſtra inſtructio.

Quod ad negotia communicanda ſpectat, & quot, & quibus communicanda ſint; à Chriſto D.N. dum inter homines verſabatur, exemplum deſumendum eſt; qui in quibuſdam colloquiis, & mirandis actionibus communicabat ſe ipſum toti populo; in aliis numero vniuerſali diſcipulorum, in quibuſdam vero ſolis Apoſtolis; & in aliquibus altioribus, in quibus myſteria continebantur tribus, & aliquando vni tantum: nam Petro ſoli ouilis ſui curam ac diſciplinam delegauit, Iohanni diuinæ geneſis myſteria inſpirauit.

Quæ communicanda, quæue reticenda.

Præcipere, quæ ſint ea, quæ Princeps aut Cardinalis plurimis, vel paucis, vel pauciſſimis, vel vni tantum iuxta exemplum Redemptoris noſtri communicare debet, neque in promptu eſt, neque neceſſarium: nam res ipſæ id edocebunt: nihilominus, præſertim iuuenili ætate, & in principio adminiſtrationis, tutius putandum eſt ea etiam quæ dici poſſent impune, reticere; quam ob pruritum loquendi ea proſtituere, quæ ſilentio inuoluere præſtaret. Rerum remotarum nuntii, item quæ publice in conſiſtoriis decernuntur, necnon res quotidianæ, ad vim imperii nihil attinentes, & ea magis, quæ ad laudem aliorum, quam quæ ad vituperationem faciunt, cum omnibus tractari queunt.

Ad regimen ſpectantia cum nonnullis recte cõmunicantur, præſertim quoties conducit, nonnihil aut excuſare, aut laudare: ſui conſpectus concedendus, comitatus humaniter tractandus, quoties itur ad Conſiſtoria, ad Sacra, ad Principem.

Res, quæ adhuc in deliberatione ſunt, iis ſolis manifeſtantur, qui ad illas deputati ſunt, & ad conſilium ſiue ipſarum executionem electi.

Chriſtus Dominus noſter gregis vniuerſalis curam non Iohanni, etſi inter Apoſtolos omnium chariſſimo, ſed Petro delegauit, à quo conſtanter amabatur. Ita Princeps in ſuum ſecretũ conſilium non eos admittere debet, quos magis diligit, neque iis præfecturas & officia demandare, ſed eos, qui ad ea ſuſtentanda apti ſunt, & quibus eius gloria & gratia cordi eſt.

Quibus mandanda præfectura.

Si auctoritatẽ dederimus in negotiis ei, quẽ vnice diligimus,

nos

nos in ipſo diiudicando facile decipiemur: ipſe vero ſpiritus altos & elatos,minimamque audaciam, & immoderatam fiduciam induet: demum cæteri male ſentient, minimeque ſatisfacti erunt, & rebus noſtris noxium timorem & reſpectum præſeferent. Diuerſis adiutoribus diuerſa negotia conficiuntur; per quoſdam priuata, per alios publica: ex priuatis, redituum quibuſdam, & œconomiæ officiorum, quæ plurima ſunt, cura traditur: aliis ea, quæ ad iuriſdictionem, vel ſtatus protectionem pertinent.

Duo præcipua Imperiorum munera.

Publica ad duo reducuntur, hoc eſt, ad Conſultationem, vbi de iuſtitia, deque Status Eccleſiaſtici gubernatione agitur: & ad Scribarum Collegium, per quos omnia omnium Chriſtianorum negotia tractantur, & ad quos haud raro cõſultanda negotia deferuntur, quoties Principis arbitrium, aut extraordinarium remedium depoſcunt. Quod quidem fit longe commodius, cum idem Cardinalis vtrique præfectus eſt. In miniſtris hiſce, vltimo loco dictis, neceſſaria eſt legum peritia, ſed multo magis prudentia, vt vtile & honeſtum recte diſcernant.

Vena aurea quid.

Hæc prudentia in multis non reperitur, imo, tanquam vena aurea, iuxta Platonem in paucis reperitur: munus ipſi peculiare eſt, in rebus agendis conſilia diuerſa, eorumque comparationem non ignorare, & recti iudicii trutina, eorum exequendorum ponderare vtilitatem, dignitatem, facilitatem, vel difficultates, media, & curſum à principio ad finem.

Prudentiæ opera, & neruus.

Prudentia citra ambitionem eſt, non rixatur, bonum priuatum non multifacit, ſed publicum reſpicit bonum, magnanima eſt, generoſa, & ſemper ad exceſſum exiſtimationis contendit, in rebus arduis exſurgit, minimis ac vulgaribus non mouetur, ſed eas quaſi contemnit, ſiue (vt melius dicam) eas tractat, prout merentur, denique beneficium cœleſte, donum Dei eſt; à quo deſcendit ad cor, mentemque humanam occultum, & inuiſibile lumen, quod altam quamliber notitiam, & generoſam cupiditatem producit: illud tamen non ſtudio, non induſtria acquirimus, etſi iis adiuuatur; quemadmodum etiam oculi, etſi aperti, & intenti, videre nequeunt, niſi aer, & obiecta illuſtrentur Sole, & niſi ipſe Sol interiores eorum ſpiritus refocillet.

Neruus prudentiæ eſt coniectura, quæ futurum, quod obſcurum eſt, proſpiciens, aſſimilatur itineri, quod noctu aggredimur: quiſquis enim in tenebris per incognitas vias ambulat, & neſcit, quo greſſus dirigat, vel illac tendit, vbi viæ inuiæ, nulliſque antea preſſæ veſtigiis, vel foſſis, luminibuſve interruptæ ſunt, vel ad omnem ſtrepitum, vt timidus, pallet, & vagatur, ſiue, vt debilis fatigatur, & vacillat, hic profecto errabit, impinget, cadet, præcipitabitur, neque vnquam ad finem itineris peruenit: verum qui non ignorat, quo tendit, & alias idem fecit iter, ſuiſque veſtigiis ſignauit, &c,

cum opus eſt, enatat, & pontem reperit, & labori inſiſtit, ac reſiſtit conſtanter, & qui nullo ſtellarum lumine ad ſuos greſſus in tenebris dirigendos indiget, hic demum omni errore liber, ad deſtinatum locum ſuperatis difficultatibus, quæ ipſum remorabantur, & impediebant, portum atque tranquillitatem nanciſcitur.

Tria hominum genera.

Intellectus prudentis noctuæ ſimilatur.

Optima quidem res eſt, talem eſſe; huic proxima eſt, aliquem huiuſmodi virum ſequi: ſed qui per ſe talis non eſt, neque alium ſequitur, is profecto inſanus, & inutilis. Si quædam difficilia & ardua ſuperentur & obtineantur, cætera cuncta explanatoria fient. Prudentis viri intellectus quorundam generoſorum animalium aſſimilatur, qui die tanquam caliginoſi, ac ſomnolenti dormitant, ſed noctu acutiſſime vident, hoſti aggrediendo, prædæque intenti.

Duo canes à Rege Albanorum Alexandro Magno munere miſſi, neglectis minoribus feris, aduerſus Leonem tantummodo, atque Elephantum impetum fecerunt. Natura animorum, actionumque architectata eſt diuerſitatem, vt vnuſquiſque ſibi negotium compar aſſumat, & in eo occupetur.

Arduæ quidem ſunt res, quæ ad Rempublicam gubernandam pertinent: verum Comitibus, & adminiſtris viris præclaris, Nepos Pontificis eas res minori negotio ſuſtentabit, ſi, iiſdem viris in conſortium admiſſis, animum ſuum moribus, opinionibus, ſententiis ipſorum inſtruxerit, atque informauerit, inque ſe lumen ipſorum transfuderit: nam quemadmodum contactu, cæteris propriæ qualitates, magiſque malæ, quam bonæ communicantur, proinde leproſi, & phthiſici, & ophthalmici alios efficiunt leproſos, phthiſicos, & ophthalmicos; haud ſecus familiaritas eandem in animis communicationem, idemque contagium inducit.

Familiaritas prudentum prudentes facit.

Ad ſuos miniſtros iuuandos duo debet adiungere, rerum notitiam, ſiue ſcientiam, & temporis diſtributionem. Notitia erit rerum politicarum, ad munus ſuum pertinentium: hanc exhauriet facile, quamquam non perlectis operibus Ariſtotelis, Xenophontis, & Platonis, ex rerum obſeruatione, aulæque Romanæ conſideratione: Quæ non modo caput eſt Chriſtianorum, cumque ipſa cætera regna & Imperia connexionem, ac relationem habent, ſed etiam Reſpublicis, omniumque gubernandi formam generibus grauida eſt: quod quiſquis illibenter credit, is ad multitudinem, ac varietatem Ordinum Regularium, aliarumque Congregationum, vel Collegiorum oculos conuertat, & obſeruet, an in iis non tantum formas à dictis authoribus adnotatas, ſed alias etiam ab ipſorum acutis ingeniis nunquam excogitatas reperiat. Cognoſcat igitur, neque ignoret omnes huius aulæ magiſtratus, munus, curam ipſorum, quomodo ordinentur, omneſque, quo pacto ad Pontificem referantur, quomodo per ipſos, quaſi neruos, & venas, Pontifex cor-

Roma rebuſpub. grauida quomodo.

pus

pus Chriſtianorum,ſtatum imperii ſui,ipſam vrbem Romam regat moueatque.

Sciat,huius vrbis victus, reſque vitæ hominum neceſſariæ vnde, quo modo,quibus viis habeantur: eius opes conſideret, populi numerum,artes,arma,patrimoniorum opes, quæ vtplurimum à nobilitate dependent;hæc autem Romæ incolarum & aduenarum numeroſiſſima eſt.

Noſcendi ſubditi.

Addat hæc familiarum nobilium peculiarem notitiam, affinitatum præſentium, & quæ contrahi poſſunt, illarumque præcipue, quæ dotes,& hæreditates opulentas in alienas familias tranſportare queunt:item diſſenſionum atque controuerſiarum, quas curet componere.

Quam diligentiam in Prælatis, cæteriſque huius aulæ, vbi propter frequentes viciſſitudines,& ignotorum hominum amplificationes,axioma receptum eſt; Omnes magnifaciendos eſſe, maiorem adhibeat,vt meliores ſibi deuinciat,& ad ungere, eoſque promouere,deque eorum meritis res dicendas referre poſſit coram Pontifice, dum beneficia diſtribuuntur.

Superuacaneum eſt monere, vt res œconomica attente adminiſtretur, neque ignorentur, quæ in Palatio grata & accepta, vel non, habeatur:hæc enim pars nihil quidquam negligitur,deque ea ſermo frequens habetur.

Rebus Romanis cognitis, vt externas percipiat, nonnullas Relationes ab Oratoribus, vel ab aliis conſcriptas de Principatibus, & Imperiis Chriſtianorum perlegat; deinde augeat Reipublicæ intelligentiam, frequenter interrogando eos, qui priuatæ aut publicæ conditionis viuunt in aula, vbi huiuſmodi virorum numerus abundat: demum ſtudium hoc perficiat, theatrum orbis, & picturas animaduertendo, rem quidem perutilem atque iucundam. Omnis hiſtoria vtiliſſima eſt, ſed Eccleſiaſtica Cardinali neceſſaria: oportet quoque eum iura fiſci,item ſupremam Sedis Apoſtolicæ authoritatem non ignorare; cui nempe incuruantur, atque inclinant ſeſe deuoto obedientiæ affectu Imperatores, Reges, & Chriſtianorum Dominia.

Orbis terrarum ſitus ne ignoretur.

Harum rerum notitiæ ſatis edocent Cardinalem, quomodo Pontificia negotia pertractare poſſit,& huic Sanctæ Sedi grauiſſima quæque commendare. Quandoquidem illa,quæ ad iuſtitiam commutatiuam,& contentioſam pertinent,quæque à gubernatione ſtatus Eccleſiaſtici procedunt, expedienda ſunt ex voto, & authoritate Conſultorum Iuriſtarum; neque enim maioribus negotiis hæc, ſi reſpicias grauitatem, & dignitatem, exequenda ſunt: imo cum materiæ ſint litigioſæ, & ſæpius criminales, in quibus de tormentis atque ſuppliciis irrogandis agitur, non bene conueniunt cum ſtatu clericali, qui ſegregatus eſt ab impuritate ſimilium curarum,

Minora negotia minoribus.

quæ

quæ ex ſui natura moleſtæ ſunt, & cum læſione hominum terminantur. Eſt etiam periculi plena res, vt adoleſcens in iis occupetur: nam quia imperium nulla re magis, quam arbitrio vitæ, necisque hominum, demonſtratur, pleriſque conſueti imperii cupidiores, vel ſanguinis ſitibundi, vel minus manſueti, & humani euadunt, quam Eccleſiaſticæ perſonæ conueniat. Status Cardinalis bonum reſpiciat vniuerſale Eccleſiæ, cuius præcipua pars ſunt Principes, regnaque, & dominia ipſorum. Ad hos reſpicere proprium eſt curæ paſtoralis Pontificum, eorumque Senatus. In hoc ſe Cardinalis exerceat, futurus Principibus notior, apud quos exiſtimationem & gratiam hoc modo facile acquiret, authoritatem, & beneuolentiam augebit, in rebus magnis communicationem ſimul cum cæteris Cardinalibus inſtituet, augetque facilius res memorandas, & gloria dignas, communi vtilitati conſulet, multiſque priuatis beneficia magni momenti procurabit: quibus ex rebus magna commoda oriuntur, & optatiſſima quæque obtinentur. Paulus Apoſtolus ad Corinthios, etſi ironice, inquit, ad lites audiendas deputandos eſſe homines inter ſe contentioſos: & quidem niſi tales ſiunt, ſaltem certum eſt, difficile euitari poſſe multorum odium, & offenſionem. Verum ſi è re Principis eſt, vt ſe minime implicet in huiuſmodi parte regiminis, permittat, vt Conſultores controuerſias definiant, & ſupplicia pœnaſque indicant; ipſe vero ſuam interponat authoritatem ibi tantum, vbi circumſtantiæ rigorem legum inflectunt, & æquitas ad clementiam, vel pœnæ diminutionem inuitat, vtatur que hac clementia, & circumſpectione, accurato rerum delectu; quia intempeſtiua clementia licentiam parit, & in impietatem tranſit. Prouideat, vt gubernationibus, & præfecturis imponat viros integritate, & doctrina conſpicuos, litibus breuitatem largiatur, controuerſias in ſua compendia redigat, calumnias & perſecutiones vehementer reprimat, potentioribus obſiſtat, ne ab iis pauperiores deprimantur, ſuccurrat viduis, pupillis, imperitiæ, atque imbecillitati multitudinis, impotentium iura ſuſtineat, foueatque, extinguat ſuæ prudentiæ, atque ſagacitatis ope contentiones, & odia, remoueat authoritate ſua ſordes, & auaritiam, omnemque contaminationem & infamiam à iudiciis, & tribunalibus, iudiceſque debitam puritatem edoceat. Publice audiat quoſcunque, ſaltem diebus, qui Conſultationem, & Iudicia præcedunt, idque ob vtilitatem publicam non ambitionis cauſa peragat; quæ turbare atque occupare ſolet, ea temporum momenta non minus, quam alia: præ omnibus pauperes, mulieres, religioſos, alioſque miſerabiles expediat: patienter audiat, ne ſit credulus, & aſſenſum, factis probationibus, reſeruet; neque conſueſcat ſtatim res decernere, ac definire, res quidem iis etiam, qui in legibus, & in iudiciis conſummatiſſimi ſunt, periculoſa: magiſtratuum

Ardua, & Principum negotia ſibi reſeruanda.

Methodus exercendæ iuſtitiæ.

autho

authoritatem conſeruet, neque facile iis fidem adhibeat, qui illos accuſant. Verum ſi forte alterum venalem, atque corruptum inuenerit, vnius ſeueriſſimo ſupplicio, cæteros in officio contineat; cauſarum curſum ne interrumpat, neue abſque vrgente neceſſitate remoretur: quæ res litigantes ſumptibus nimis onerat, lites efficit immortales, vim magiſtratuum eneruat, autoritatem, ac terrorem iuſtitiæ debilitat.

In accipiendis ſupplicibus codicillis breuiter reſpondeat, ſe proviſurum, vt iuſtitiam conſequantur: Poſtulata ſe effecturum, ne polliceatur, aut, iura ſibi probari, ne ſtatim declaret; quia ſæpe ſpei conceptæ non reſpondetur, idque nocet exiſtimationi. Oſtendat placere ſibi documenta, & probationes in arctum collectas, item facti narrationes ſuccinctè veras, omneſque eodem modo exhibebuntur. Iubeat Ariopagi morem ſeruari, vbi extra cauſam quidquam dicere vetitum erat. Reſiſtat, ne potentiorum commendationes, ac preces interpoſitæ poſſint vel minimum violare iuſtitiam, aut immutare: eas intelligat, audiatque, ſed iis minime ducatur. Videtur quidem potentioribus pium officium cauſas commendare, at vero ſi hæc pietas iuſtitiam inflexerit, impia potius iniquitas exiſtimanda eſt. Maximus error eſt, pu are, ſi conceſſiones impertauerint, quibus vehementius iuſtitia violetur, eas maioris momenti eſſe: nam ſi iuſtitia res eſt ſacroſancta, & optima, ipſius quidem violatio execranda erit, & peſſima, iudicemque, item partem potiorem, & deprecatorem iniquos conſtituet. Enitere, vt omnes, ad vnum, audias etſi enim otioſa hæc iudicaria militia, bellis, & veris armis remotis, plurimum exercuit, nihilominus verum documentum, ne multitudine rerum obruamur, eſt, vt, quemadmodum ſeſe dant, ita expediantur.

Ad hanc rem perneceſſaria eſt diligens temporis diſtributio, quam tanquam tertium adiumentum propoſueramus, à natura etiam ſeruatum in huius mundi adminiſtratione, & ſine quo operationes noſtræ nequeunt expediri. Deputet igitur ſtatas horas, & certas ſuis actionibus, meliores maioribus, primas Deo, recitandis ſacris precibus, ſacrificio peragendo, cum ſuis præcipuis adminiſtris tractationi, deinde publicis & priuatis auditionibus, & reliquis negotiis, quæ ſeſe offerunt: quod ſi hæc horarum aſſignatio nonnunquam impedita fuerit vel interrupta, vel ab inuiſentibus amicis, vel alia quapiam occaſione, ſuppleat pro viribus non ſine ſuo incommodo rebus agendis, & ad eundem tenorem reuertatur.

Negotia diſcriminare, & ad ſtatutum tempus reducere, non adeo facile eſt: etenim Pontificalis authoritas, quæ omnia poteſt, & ſuper omnes extenditur, incircumſcripta eſt, & per conſequens actiones eius, qui tantum rerum molem adminiſtrat, indefinitas eſſe oportet.

Breuitatem amet.

Commendationes conſideret.

Tempus apte diſtribuat.

Quaſdam

Actiones Pontificum præcipua.

Quaſdam præcipuas actiones recitabo ex viris ſummorum Pontificum excerptas, quæ rerum futurarum tanquam ſpeculum exhibebunt: hæ autem ſunt: Annuntiare verbum Dei, inter gentiles nationes fidem propagare, hæreſes expugnare, abuſus remouere, decreta, legeſque, & conſtitutiones ſancire, ſuper ipſis diſpenſare, celebrare, & confirmare concilia generalia, & particularia, ſtabilire doctrinam, & diſciplinam Chriſtianam, ſacras ordinationes habere, ordinare, & inſtituere Prælatos, & Paſtores, & Rectores Eccleſiarum particulares, & ordines regulares, totumque miniſterium Eccleſiaſticum, item eos deponere, ſi mereantur, & priuare; & ſupprimere, ædificare, erigere, & dotare Eccleſias, monaſteria, cœmiteria, & hoſpitalia; ſupellectile, picturis, marmoribus loca ſacra exornare, antiqua inſtaurare, decimas imponere, ſoluere, & ligare, ac Eccleſiæ theſauros diſpenſare, Chriſtianum populum ab armis infidelium defendere, oppreſſos liberare, amiſſas prouincias recuperare, ante omnia Chriſti D N ſepulchrum, & Terram ſanctam redimere, titulos Imperatoribus, & Regibus, cæteriſque minoribus donare, ab altera in alteram nationem imperia transferre, Imperatorum electionem confirmare, ipſos, & controuerſias inter Chriſtianos, qui alios ſuperiores non recognoſcunt, Principes iudicare, diſcordias componere, arma, vt deponant, iubere, gubernationis formam impertire, vniuerſitates erigere, ſtudia ſacra, bonaſque artes fouere, pauperes ſuſtentare, ſtatum temporalem gubernare, arces & præſidia diſponendo, occupata, aliena, deuoluta bona vindicare; iuſtitiam ſceleſtoſtorum & facinoroſorum hominum depreſſioni, & proborum ſecuritati conſeruare. Non deeſt Pontificibus noſtrorum temporum, eorumque adminiſtris in omnibus ferè iis rebus, quas diximus, inuigilandi, & de Republica Chriſtiana benemerendi, gloriamque ſui nominis propagandi commoditas, & occaſio; dum Turca, receus Rhodi, Hungariæ, Cypri occupator, qui reliquis prouinciis minatur, noſtraque littora infeſtiſſime deprædatur eos ad ſua defendenda, recuperanda, hoſtique reſiſtendum excitare debet: hæreſes vero inter nationes, & regna Chriſtiana diſſeminatæ expugnationem poſcunt, atque deſtructionem: frequens autem Principum diſcordiæ, & controuerſię conciliationem, iuſtumque arbitrium efflagitant; & Oriens, & Occidens nuper noſtro commercio, & Crucis trophæo apertus Columbi nauigatione, inuocat vterq; cœleſtem Columbam, ipſamque inuitant ad Fidei propagationem. Et quanquam hæc medicamenta ardua ſunt, nihilominus quiſquis ad ſimilia, quæ iam hucuſq; perfecta ſunt, animum aduerterit, ſi modo excelſo, & inuicto animo prædius, & oportune, ac prudenter authoritate, & diuinitus ſibi tradita poteſtate vſus fuerit, in eam ſpem deueniet, vt eadem geſta, niſi facilia factu, ſaltem non impoſſibilia competturus ſit: conſideret, malum à bono vinci, & veram poteſtatem contumaciæ terrorem incutere:

Quibus iis incumbendum eſt.

cutere; fidem audentem, fortemque & victricem eſſe timidæ perfidiæ: ita aeris ſalubritas tandem corruptionem ſolet extinguere: humana voluntas in vniuerſum bonum appetit; & in iis animis, qui alieniores putantur, ſæpe melior deprehenditur diſpoſitio. Neque raro prima ſalutis ſpes (mirum dictu) ab inimicis recepta eſt. Præcipua Chriſtiani generis membra à capite ſuo deriuantur, quod eſt Sedes Apoſtolica. Ipſa illis vigorem motumque ſuppeditat, ob authoritatem, quam à Deo obtinet, qui ſpeciali aura, atq; fauore ipſam regit, atque conſeruat.

Hæc alta mens, quæ ſtatum totius cotporis Chriſtianæ Reip. comprehendit, prout præſentium temporum neceſſitudo, & opportunitas, quæ offertur, exigit, adprime digna eſt iis, qui Pontifici Romano miniſteria, & obſequia ſua præſtant, præſertim in vrbis, eiuſque temporalis dominii gubernatione, quærendo ſibi famam, & æſtimationem apud Chriſtianos Principes; quod fundamentum iam feliciſſime à S.D.N. iactum eſt.

Duplex iuſtitia, ad quam cuncta negotia referuntur.

Vniuerſim cuncta negotia vel concernunt iuſtitiam commutatiuam, & contentioſam, quæ in tribunali reſidendo inter duos, ſecundum leges ius dicit; vel diſtributiuam, quæ principatu, vel prælatura fungens, diſpenſat & impartit magiſtratus, dignitates, officia, & beneficia: prima legibus ſcriptis ordinatur; altera prudentia, & arbitrio; & quanquam voluntaria iuriſdictio videtut, diciturque, tamen vice legis rationem habet, & honeſtatem, bonumque publicum. Grauiſſimus enim, & pernicioſiſſimus etrot, ſiquis credat, Principem arbitratu ſuo diſtribuere poſſe gradus, dignitates, & publicas adminiſtrationes. Haber quoque voluntas eius ſuas leges, habetque valde tutiores, quam prima iuſtitiæ pars: etenim cum dotes eorum, qui ad honores extolli debent, deſcriptæ ſint, non poteſt iuſte eos, qui huiuſmodi dotibus carent, præferre. Proponuntur ab arte medica bonorum medicaminum ſigna, notæque, & quemadmodum qui medicorum præceptis neglectis, diuerſa pharmaca ægrotis præcipit, non ſanat eos, ſed occidit, ita Princeps, qui munia ac beneficia indignis diſtribuit, non regit, ſed deſtruit populum ſuum. Princeps, qui ſolutus eſt legibus, & viua iuſtitia ipſe eſt, interdum legem ſcriptam benignius interpretando modificatur, vel priuilegium concedit: lex violanda non eſt, niſi ſumma æquitate ſuadente, & niſi propter delicti circumſtantias, vel perſonæ qualitatem ſit potius moderatio, quam violatio, appareatque bono publico longe vtilior gratia & priuilegium, quam pœnæ executio; & iuris relaxatio, quam obſeruantia. Priuilegium eſt largiri alicui, vt poſſit ea facere, & obtinere, quæ prius ſuæ perſonæ, atque fortunæ non conueniebat, vel cum eo communicando iuriſdictionem, vel ipſum ab iuriſdictione ſubtrahendo.

Vtraq; ſuis legibus continetur quo modo.

Priuilegia

Priuilegia vtplurimum legum authoritatem extenuant, & fere

con-

cur nō multiplicanda.

confundunt licitum cum illicito: videturque probari per eorum frequentiam, res non eſſe ex ſui natura, ſed alieno arbitrio iuſtas, vel iniuſtas. Sunt igitur parce concedenda, & propter cauſas tantum grauiſſimas euidentiſſimaſque Conſiderat quoque Princeps vtilitatem, & bonum publicum, quod magiſtratus afferunt; & proinde ſuperfluos remouet, auget authoritatem, vel minuit, antiquorum numerum moderatur, nouos creat, leges promulgat nouas, prout neceſſitudo, & publicum bonum flagitat: verum in omni re mutatio, & innouatio periculoſa eſt, neque ſine ſumma ratione inuehi debet, ne amittatur authoritas, & maieſtas illa, quam antiquitas patit. In concedendis diſpenſationibus præſertim matrimonialibus, quæ Principibus propter frequentes ipſorum affinitates, & propter pacem firmandam, & ſtatuum ſucceſſionem neceſſariæ ſunt, item pertinentibus ad erectionem nouarum Eccleſiarum, & vniuerſitatum, & in conferendis ſacerdotiis, & gradibus in eos, quos ipſæ Eccleſiæ nominauerint, liberalitas exerceri poteſt: verum in conceſſione decimatum, ſimiliumve contributionum, item in alienatione bonorum, & temporalis iuriſdictionis Eccleſiarum, nec non in vnione monaſteriorum ad ordines militares, iam neceſſe eſt, parciorem, ac rigidiorem eſſe: neque inutile foret, poſtulata Principum ad hanc materiam ſpectantia per duos nuper tranſactos Pontificatus examinate, & conceſſiones permiſſas, atque vtilitatem inde ſecutam conſiderate; quę fortaſſe ea non inuenietur, cuiuſmodi propoſita fuit quia bona hæc forte non bene applicantur iis armis, vſuque quo conceſſa fuere: quod quidem multo Eccleſiarum, & cleri grauamine committitur, multaque authoritatis, & immunitatis ſuæ diminutione, dum laici nimis aſperis modis exigunt, atque dilapidant.

Mutatio periculoſa qualibet.

Gratia plurima extorquentur.

Magnæ quidem hactenus fuerunt factæ conceſſiones, Principeſque, ineunte Pontificatu, facilem inueniunt aditum ad obtinendas gratias: & bonorum fama diminutio quaſi poſtulat, vt minus poſthac profundantur: quæ res Eccleſias, & authoritatem, atque exiſtimationem huius ſanctæ Sedis conſeruabit.

Aula Ro fa cies & colores.

Expedit, vt propter negotiorum opportunitates, huius aulæ naturam, item Principum, eorumque Oratorum mores in vniuerſum conſideremus. Aula Romana eſt omnium nationum Chriſtianarum patria communis, in qua vnuſquiſque partem, & aditum habet, vnuſquiſque ſperare omnes dignitates, & ad ipſas aſpirare poteſt, ad Pontificatum vſque. Hic Principum authoritas non mediocris eſt momenti, ideoque voluntatum, affectuum, propenſionum mira eſt diuerſitas, & ob hanc communem participationem, quandam Reip. formam, regiam tamen poteſtatem magis præ ſe fert propter ſupremam, & abſolutam Pontificis authoritatem. Hic virtus, nobilitas, pecunia, principes, alia media plurimum valent: patientia inprimis ſpe ſuſtentatur, quo vinculo aula conſtat, & conſeruatur: ſpes enim

tenaces

tenaces ſunt, & ſemel deluſæ iterum atque iterum renouantur, crebris rerum mutationibus, & varia præpotentium procliuitate. Ipſa aula fortunam aliquatenus ſequitur, neque in alio more conſtans eſſe videtur; plena eſt iudicio & ſapientia; ſapientia autem opes exſuperat; diues eſt officiis, beneficiis, cenſibus, negotiarionibus, & magno ſplendore refulget: ipſius conſeruatio omnibus chara eſt, etiam externis, qui hæreſi non contaminantur: abominat bellum ſiue patiendum, ſiue inferendum: alibi ſi geratur, non adeo moleſtum eſt: mutationes diligit, quibus potentia ſubigitur, & auctoritas in omnibus variatur, neque ſtabilis permanet: factiones nutant, cito diſſoluuntur, & tanquam in mari, in quo diuerſi venti deprælientur, nauigationis curſus mutatur: pauci ibi veri amici: officioſa eſt, in promittendo larga, ad opem ferendam prompta quidem, ſed etiam ad repugnandum, & ad deſtruendum prudens, ad ſe inſinuandum prouida: Nemo illic, propter dictas mutationes, & quia plerique aulicorum à dominis ſuis diliguntur, & in auctoritate habentur, ſpernendus: Mutat aula aliqua ex parte mores modosque tractandi, prout Princeps mutatur, ſed maiori parte eadem ſemper eſt: denique ſtudioſa eſt, & curioſa rerum nouarum toto orbe contingentium, ſagax in proſpiciendis futuris, in quibus cogitandis & conſiderandis ſuo ſemper iudicio ſuſpenſa eſt.

Principum ingenia, qualia ſoleant eſſe.

Principes, quia excelſo loco ſiti ſunt, animos gerunt elatos, cupiunt imperii fines prolatare, auidi ſunt gloriæ famæque, impatientes, vt alii ſe ipſis æquiparent, vel ſuperare contendant: amant timeri, & in honore haberi: admonitiones, querelas, & loquendi libertatem ægre ferunt: omnem à ſe culpam reiiciunt, quamuis eam committant: ad multa adſpirant, ſæpe fruſtra, & ſine fundamento: inſidias expaueſcunt, & ſuæ magnitudinis potentiæque declinationem aut diminutionem verentur; ſuſpicaces ſunt: obſeruant virium & honorum qualecunque incrementum in aliis, præſertim vicinis: alienæ gloriæ inuident: ex qualibet conceſſione ſiue priuilegii, ſiue honeſtioris tituli, ſiue auxilii & fauoris præſtiti offenduntur: amor & confidentia rara eſt, & pauci ſunt ii, qui apud ipſos auctoritate pollent: in conſiliis vtiliora præferunt: in pleriſque rebus ſimulare ac diſſimulare coguntur: obnixe, atque copioſe profitentur ſe obedientes huic ſanctæ Sedi: facile ſui boni cauſa fœdus ineunt, quo ceſſante in diuerſum abeunt. Alienæ aduerſitates non ſemper iis moleſtæ accidunt, ſæpe occaſionem inde capiunt ſui amplificandi, & alienis ruinis creſcendi: ſpes remotas, aut dubias, aut diſpendioſas, & difficiles non ſequuntur: haud libenter ſua, aut ſe alieno committunt arbitrio: mutuæ viſitationes, atque alloquia nul-

lum amorem inter eos,ſed aliquando zizaniam & contemptum pariunt:in omnibus exceſſum diligunt, illoſque, qui eorum res amplificant,multifaciunt:ambiunt, vt ſe deprecantibus, Cardinales creentur, ſibique adhærentes magni æſtimentur, amantque ingentia conferre beneficia: amant dona, præſertim rerum ſingularis excellentiæ & raritatis,& ad vitam conſeruandam vtilium: quodcunque dominationis ſecuritati confert, pro licito habent.

Oratorum qualia ingenia, & mores.

Oratores vtplurimum viri mittuntur prouidi, ſagaces, curioſi,in ſe inſinuandis callidi, in dicendo blandi, in conuerſando iucundi,ad conſilia ex tempore capienda prudentes: vbi replicandum & reſpondendum eſt, intrepidi: in ſcribendo indefeſſi: rimantur & inueſtigant amores,odia,gratiam,vires,fauores,maleuolentias, amicitias, ſectas contrarias, principis aulæ totius conſilia:ex minimis verborum aut factorum anſis omnia indagant: & coniecturis res multi momenti odorantur, & examinant:multifaciunt eos, qui res nouas deferunt, vel earum notitiam aliunde conquirunt: ſtudent, vt Principem ſuum gratum, & verendum vbique efficiant: ſolam eius vtilitatem ſpectant: In hac aula familiarius, quam in cæteris conuerſantur, & in ea perſæpe, tanquam in communi Republica nonnihil ſperant: amant viros prudentes,dominiſque ſuis fideles, & principi, apud quem reſident, grati exiſtimari. Plures ſunt in vna aula oratores,& eaſdem inuicem gerunt æmulationes, & obſeruationes, quas ſui Principes: in hac autem aula futura magis prouident,omneſque ingenii ſui vires illuc conferunt.

Peculiares moris quomodo noſcendi.

Igitur in tractandis rebus aut cum iis,aut eorum gratia,nunquam non animaduertantur huiuſmodi proprietates, eæque præterea, quas quiſque habet priuatim, vel ab origine patriæ, gentiſque, vel à corporis temperamento, & primæuo morum inſtinctu; propter quos alii graues ſunt, & circumſpecti,alii leues,& impetuoſi, alii ſimplices & liberi: alii vero cauti & inſidioſi: aliqui conſtantes,ſtabileſque,alii mobiles & varii: alii fidentes,& ſecuri, alii ſuſpicioſi, & vmbroſi: quæ proprietates indicantur geſtibus, motu & aſpectu,magnique momenti habendæ ſunt. Hiſce obſeruationibus in alienos animos facilius penetratur.

Et quoniam vtiliſſima res eſt, antequam alloquium incipiatur,illa,quæ in medium afferenda ſunt, & quibus modis, & qua prece,præmeditari,ideo expediet omni ſagacitate ante congreſſum, quid reſpondendum ſit, & quomodo agendum, deliberare: quæ obſeruatio magno ſtudio inſtituenda eſſe videtur.

Inpri-

Inprimis curandum eſt, vt ſui bona habeatur exiſtimatio, & ſpargatur odor, bonam ſibi ineſſe mentem boni publici cupidam, erga bonos bene affectam, ad gratificandum procliuem: ſe conſtantem eſſe in rebus, quas memorauimus, fidei obſeruantiſſimum, arcani commiſſi tenacem, acuratum, memorem, virtute inſignium virorum amicum, diligentem, indefeſſum: in rebus veris & honeſtis facilem eſſe, & exorabilem, ab innouationibus abhorrentem; propenſum eſſe ad vniuſcuiuſque gradus & ſtatus conſeruandos: vtilium minime ſequacem, omnibus affectibus, & priuatæ rei cogitationibus immunem, independentem, æqualem: in concludendo, oſtendere rei conceſſæ momentum ſibi perſpectum, cognitumque eſſe: & facilitatem, vel grauitatem in iis rebus elargiendis, prout opus eſſe videtur, adhibere: negare, cauſam negationis afferendo, vel quia res iniqua eſt, vel quia incommodorum plena, vel quia petenti inutilis, vel quia potioribus aut æqualibus olim denegata: iniuſtas petitiones omnino præcidere, & anſam earum tollere: parcum eſſe decet in addenda rerum ſpe, parciſſimum in pollicitando; fugienda eſt obligatio; cum res coarctatur, breue ſit tempus, ac determinatum, idque in rebus tantum arduis ac difficillimis, quia ſi idem ſtylus in cæteris obſeruetur, duri hominis aut conſilij inopis natura præſefert. Diuerſæ importunitates tolerandæ ſunt; cum diuerſis ſiquidem naturis impune verſari, non minima laus eſt: quicunque publicam gerit perſonam, vni addictus eſſe nequit: minima querimonia, & vel leuiſſima imputatio non mediocrem ſæpe animorum ſciſſuram parit: expedit eas fugere, aut cum neceſſariæ videntur, eodem tempore proponendæ, mitigandæ, condonandæ, & ſilentio inuoluendæ ſunt. In extremis & inſanabilibus morbis ad præcidenda putrida membra deuenitur: ſi ſancta hæc Sedes frequentes habet cauſas, vnde perturbetur, faciles etiam & honeſtæ viæ non deſunt eidem manſuetudinis exercendæ. Quiſquis ab initio ad ſuperbos & contumaces confundendos ſeuerum ſe atque auſterum demonſtrauerit, faciliorem in poſterum imperii ſui efficiet tractationem: mox inducto metu, clementiæ locus eſſe poteſt. Grauitatem & dignitatem, præſertim cum ſubditis, detinere vtilius eſt, quam opinionẽ affabilitatis & facilitatis affectare.

Orator qualem ſe profiteri debet.

Princeps initio principatus ſeuerus eſto.

Frequens, & quaſi domeſtica conuerſatio cum plurimis, præſertim cum hominibus ſtudioſis, & publicæ perſonæ, periculoſa eſt; præſtat enim aditum ipſis arcana, quę ſatius eſt tegere, inquirendi: & nimia familiaritas cum maieſtate, quæ ſibi debetur, retinenda, minime concordat. Cum iiſdem nimia conſuetudo familiarium noſtrorum non ſemper è re noſtra eſt, niſi aliquod negotium vrgeat, ſed maius inſtat periculum.

Quæ cũ Cardinalibus & Proceribus agenda ſunt, per ſeipſum dicat,tractetve,cum poteſt:quod ſi non vacat,ſuis tutæ fidei hominibus vtatur:reſponſa pura & ſimplicia referenda ſunt abſque additamento,& iiſdem, vel parum diuerſis verbis, quibus cauſæ & negotiorum momenta demandata fuerunt: cæteris ſummatim referenda, quanquam breuibus exceptionibus aduerſæ rationes refutandæ ſunt. Si cæteros diu ac patienter audiuerimus, ad reſponſum excogitandum mora illa commoditatem ſuppetit eoque pacto dicentibus ſatisfit, cum vnuſquiſque bene intelligi gaudeat. Poſt colloquium capita ſermonis habiti adnotare vtiliſſima res eſt: Id conſueuiſſe Catharinam Poloniæ reginam intellexi.

Audiendũ attente.

In iis actibus, & cum à Principe reuertitur,non obſtantibus altercationibus, vultus mutationem effugiat, ſolitumque aſpectum retineat: quo more iis, qui conſilia perſcrutantur, noſque exeuntes curioſe obſeruant,ſeſe recte oppoſuerit. Quiſquis meditationi finem non imponit, is nunquam actionis principium aggreditur.

Vultus cõponendus.

Negotia longa,& quæ ſucceſſiuum tractum habent,memoriæ defigenda ſunt,& ad ipſa,tanquam ad diuerſas telas, quæ texantur,mens reflectenda.

* Negotiorum progreſſus & abſolutio à Pontifice exoranda eſt, precibusque addenda vis efficacibus argumentis: præſertim pro Cardinalibus intercedendum eſt, & pro eorum familiaribus, quos idoneos putat,& dignos,qui promoueantur. Eos aulicos, qui Principi intimi gratique ſunt, multi faciat, & obſeruet ad ſui principisque tutelam, eorumque animos, ac ſtudia ſibi pro viribus conciliet. Commodiores horas, quibus cum Pontifice tractet,eligat:ne ſit ei faſtidio, à rebus facilibus, neq; ingratis exordiatur:poſt quas grauiora, & quæ ſubitam reſponſionem ac definitionem expoſcunt,exponat.Hęc breuiter,& diſtincte enarret, non omiſſis grauioribus rationibus,ſuper quibus fundantur.

Inſinuet conſilium capiendum, vel conſilia diuerſa proponat, vt proferenda ſententia principis explanetur: conſiderationes vero,quæ rem committantur, expendat, ſi forte princeps (vt humana fert imbecillitas) aut quia male perſuaſus, vel alia de cauſa, ad iniquum ſiue pernicioſum aliquod decretum inclinauerit. In iis,quæ ad iuſtitiam pertinent,audacter replicet:in cæteris tempori ſeruiat, decreti incommoda innuat, vel, ſi materia patitur, alterius auctoritate pollentis viri perſuaſionem adiungat,qui exemplis, & documentis eum à priſtino conſilio reuocet, vel executionem differat ad trigeſimum diem, qualis eſt lex Imperatoris Theodoſii monitu Sancti Ambroſii promulgata.

Suggerenda iuſtitia.

In

In exemplis vis ineſt maxima, ſuauiterque deliberantem morantur: verùm ſi in decretis permanſerit, exequenda ea ſunt: credendumque, cor principis eſſe in manu Dei, qui ex cauſis incognitis, nobiſque abſconditis iudiciis ita determinat. Propter iracundiam Pontificis, eiuſque redargutiones, etſi acerrimas, neq; perturbetur, neque immutetur: quippe neceſſariæ ſunt, neq; aliter euitantur, quam patienter ferendo. Ad iram proniores, liberæque naturæ plenæ ſunt amoris, & beneficentię. Nunciatas res, conſulta, opiniones alienas, vndecunque veniant, minimè negligat: iudicium ſuum exerceat in rebus futuris ex notione præteritarum coniectandis. Fugiat ſe obligare: neque ſcriptis agat, ſed contra, enitatur, vt quæ per alios, & cum aliis tractat, ſcriptis conſignentur: verba quidem volant, ſed ſcriptura remanet, & ſæpius cogitatione ruminatur: ſæpe dicitur, Ego hoc modo non dixi: at ſi ſcriptum habeatur, non dicitur, Ego ita non ſcripſi, neque lubricum calami ita, vt linguæ lubricitas, excuſatur: in dicendo & ſcribendo ſuo, vel latino idiomate vtatur: externas linguas intelligere bene eſt, eas vero loqui ineptum, & ſeruile: breuitas neceſſaria eſt ob occupationum multitudinem. Ex epiſtolis proemia ſæpius ſuperflua & moleſta recidat, reique ſimplicem narrationem cõtineant: fundatur enim in breuibus quibuſdam, ſed grauibus rationibus omnis petitio & reſponſio. In ſuis litteris imitetur ſummaria, quæ ex aliorum litteris componuntur. Vnicuique iubeat ea ſcribi, quorum ſciens & expertus eſt. Res ad iuſtitiam pertinentes incommode ſcribuntur ab iis, qui legum peritia carent. Vbi mandandi facultas adeſt, non cõmendet. Subditis modeſtiſſime ſcribantur commendationes eæque nonniſi miſerabilium perſonarum, vel propter pias cauſas, vel propter excellentis virtutis homines, vel propter Eccleſiæ defenſionem, propter iuſtitiam, vbi languet, exercendam; vel vt facilius eligant & deliberent, vel propter bonum publicũ, pacemque ac tranquillitatem. Stylus quotidiano ſermoni conformetur, purus, & procul ab omni affectatione.

Iracundi benefica ſunt natura.

Scribendũ cautius quam loquendum.

Laconiſmus litterarum ſeruandus.

Stylus qualis.

Qui locutiones latinas, aut vulgares quorundam antiquorum ſcriptorum imitantur, hi noſtræ linguæ venuſtatem non cognoſcunt, neque vera callent orationis ornamenta. Si de pluribus vna epiſtola ſcribenda ſit, ordinentur argumenta, & per capita diſtinguantur: in titulis tribuendis præſens vſus attendatur, tametſi horum abuſus ad nauſeam vſque excreuerit, & correctionem expoſcat.

Non minus in ſcribendo, quam in tractandis rebus, ſiue cum Pontifice, ſiue cum aliis, & in Conſiſtorio, etſi fidam atque exercitatam habet memoriam, expediet, ſcripſiſſe ea, quæ ſcribenda agendaue ſunt.

Memoria minime fidendum.

Eius,qui à ſecretis eſt, diligentia apparebit in litteris & ſcripturis alicuius momenti tranſcribendis, diſtinguendo eas per tempora,loca,nationes: eas quæ ad vnum aliquod graue negotium pertinent,ſimul collocando:ſegregando, quæ iura imperii & iuriſdictiones attingunt,ligando ipſas, cuſtodiendo,conſeruando. Poterit nonnunquam Cardinalis hoc ſuum quaſi archiuium inuiſere, vt ſuorum induſtriam excitet, & ex ſeipſo aliquã inueniat ſcripturam, quam recognoſcere oporteat. Quaſdam maioris momenti in ſuo peculiari ſcrinio reconditas, & nemini patentes incluſas habeat, ſed nuſquam ſcripturæ conſeruari debent, quæ aliquando quietem conſeruantis turbare valeant. Nullum maius auxilium monitumue ſalubrius addi poteſt, quã vt quoties ad tribunalia & ad quemlibet congreſſum pergendum eſt ad Deum animus extollatur, ad ſpiritum ſanctum preces effundantur & cunctis in rebus Dei timor præferatur: quam rem omnes facere decet,ſed potiſſimum principes, propter gradus in quo locuti ſunt, celſitudinem propter bona malaque plurima quæ ex recto prauoque vſu eorum poteſtatis emanant vtque beneficiorum a Deo acceptorum,ſeſe gratos exhibeant hominibuſque diuinæ benignitatis & clementiæ exemplum ſe præbeant.

Scriptura ordinatim ſeruanda.

DE SACRIS CARDINALIVM COMITIIS, SIVE de Conclaui,

DISCVRSVS QVINTVS

IOANNIS FRANCISCI LOTTINI.

SVMMVM Pontificem ſolo diuino nutu creari,eligiq;,tanquam oculatus teſtis profiteri & atteſtari queo. Licuit enim mihi haud ſemel ſacris Cardinalium Comitiis intereſſe, & magnę illius tractationis aliqua pars fui,intimoſque Cardinalium ſenſus introſpexi:ęos tamen plerumque contra ſuam ipſorum voluntatẽ eum, quem minime inſtituerant,Pontificem elegiſſe,animaduerti,ſine vlla vi aut ratione;niſi quod tum Cardinales velut extra ſe poſiti videntur, &

dum alter alterum veretur, omnes, quo minime volunt, abeunt, neq; tamen ſciunt, à quo trahantur vel ducantur. Memini quidem aliquem, quē reliqui capitali odio perſequebantur, Pontificem ab illis ipſis, qui eum oderant, factū eſſe; alium vero omnibus gratum & charum, cuius electio quaſi pro certa habebatur, relictum ac ſpretum: adeo vt Pontificiæ huius electionis ſolus Deus ſit arbiter, qui vel ad punienda noſtra peccata, malum & imprudentem; vel ad declarandam ſuam bonitatem, bonum ac ſapientem Pontificem Chriſtianorum rebus largitur.

Pontificis electio opus diuinum.

Quum vero communis ſit opinio, ciuilem induſtriam, & prudentiam ſuas hic quoque habere partes: quædam huc ſpectantia ex propriis obſeruationibus in hunc veluti faſciculum congeſſi, ſine certo tamen ordine.

Prudentia in rebus humanis ſuum habet locum.

Vt igitur hinc exordium faciam: Conclaue nihil aliud eſt, quam Cardinalium eorumque ſequacium cœtus, qui omnes vt natione diuerſi ſunt, ita moribus quoque & ingeniis diſcrepant. In hoc collegio vt inſignes virtutes, ita quoque magna vitia reperiuntur. Sed illud longe maximum ac peſſimum eſt, quod Virtus, quos promouere ad Pontificatum debebat, iis ſæpe obſtare deprehendatur; ſiue aliorum inuidia, aut conſpiratione, vel priuato quodam affectu, nulla habita publicæ vtilitatis ratione. Quin etiam ſæpe fit, vt qui arctiſſima antea amicitia erant coniuncti, capitalibus fere odiis ſeſe mutuo perſequantur. Quare neceſſe eſt, vt qui Pontificatum expetit, pectus bene aduerſus omnes odii ac maleuolentiæ aſſultus muniat, neque cum quoquam ob quamcunque iniuriam etiam ab amiciſſimis in ſe profectam, ſimultatem ſuſcipiendam ſibi putet. Neque vero animus propterea abiiciendus eſt, ſi res ab initio parum ſuccedere videatur. Eſt enim primus in conclaui impetus, ſiue congreſſus Cardinalium acerrimus: quem qui ſuſtinuerit, neque vel indignatione, vel nimia feſtinatione ſpes ſuas corruperit, quamplurimos modos promouendi ſui deſiderii poterit comminiſci ac repente.

Apathia induenda candidatis.

Quanti vero interſit ex communi Cardinalium numero eum eligi Pontificem, qui ſupremo hoc faſtigio maxime dignus ſit, quiuis facile intelligit. Quum enim præter ſupremum in rebus ſpiritualib. gradum, etiam temporalis partem dominii non exiguam Papa poſſideat, eiuſque arbitrio & authoritate Chriſtiani Principes in pace, & Apoſtolicæ Sedis obedientia contineri debeant: hodie vero tantus ſit hæreticorum numerus, vt maximas ac florentiſſimas orbis Chriſtiani prouincias inundarint, præter eos, qui Catholicam quidem profitentur religionem; nihilominus tamen Eccleſiaſticam iuriſdictionem in præiudicium Sedis Apoſtolicæ vſurpant; ſed inprimis quum hæ-

Neceſſitas optimorum Pontiff.

reditarius Chriſtiani nominis hoſtis Turca cum tantis copiis, claſſibus & apparatu militari Italiæ immineat: quis non videt tali Pontifice opus eſſe, qui morum ſanctitate, animi magnitudine, prudentia & dexteritate tot tantiſque incommodis tempeſtiuum remedium afferre poſſit? Cum vero talem aliquem reperire difficile ſit, & quamuis repertum, eundem ad Pontificatum euehere longe ſit difficilius: breuiter explicabo, qui & quibus modis, quantum ad humana media, creari Pontifices ſoleant.

Quales vt plurimum eligi ſoleãt.

Qua in re quum priuatæ hominum paſſiones & affectus magnam vim habeant; eæ vero variæ admodum ſint & cœcæ, tanto magis veniam merebor, ſi in his nulla certa ac firma conſtituam fundamenta aut regulas, ex quibus tota res infallibiliter cognoſci queat. Senectus ei, qui ad Pontificatum adſpirat, ſine dubio magnum adfert adiumentum.

Senectus prodeſt ad conſequendum Pontificatum.

Per naturam enim ſenes diu viuere non poſſunt: quod non ii tantum, qui & ipſi honorem hunc ambiunt, ſed omnes etiam fere Cardinales in eligendo Pontifice ſpectare ſolent; ſiquidem noui Pontificis creatio ſemper eis aliquid adfert emolumenti. Nec vero ſenem eſſe ſatis eſt, ſed multæ aliæ virtutes requiruntur. Ac primo probitas; cuius amor nec naturæ prauitate, nec educationis vitio in hominum animis ita obliterari atque extingui poteſt, quin aliquod eius ſtudium ac deſiderium remaneat: vnde fit, vt boni ab improbis etiam honorentur ac magnifiant.

Amor virtuti debitus.

Cum vero plures ſint Probitatis ſiue Virtutis partes; eæ Pontifici futuro magis neceſſariæ exiſtimantur, quæ aliorum ſeruiunt vtilitatibus & commodis: vt ſunt Beneficentia, Comitas ſiue Affabilitas, Iuſtitia, & ſimiles: Parcimonia enim, Temperantia, Continentia, & aliæ, quibus homo ſe ipſum regit, laude quidem digniſſimæ ſunt virtutes; at multo magis eæ in Principe deſiderantur, quibus magnitudo eius aliis quaſi communicatur.

Beneficentia & comitas magis neceſſaria.

Quoniam autem iam dictæ virtutes homini vel à natura inſitæ ſunt, vt altiſſimas in animo radices egiſſe, & in alteram naturam quaſi tranſiiſſe videantur; vel ab ipſis hominibus ad tempus modo ſimulentur, quo id, quod volunt, facilius conſequantur: optandum equidem fuerit, vt ſi non omnes illæ virtutes; Beneficentia ſaltem, & Comitas Pontifici naturales ſint, non fictæ, aut aſſumptæ. Quum enim intimi hominum ſenſus difficillime cognoſci poſſint; fucus ſæpe tanto artificio eſt obtectus, vt vera etiam ſagacibus alioqui virtus videatur. Et ſimulatum quidem nihil eſt diuturnum: at Naturam expellas furca, tamen vſque recurret.

Vt vero naturam hominis atq; ingenium gnoſcamus, actiones eius obſeruare neceſſe eſt. Exempli gratia: Si ſcire velimus, an liberalis quis ſit, obſeruabimus, an, & quibus donauerit,

vtrum

vtrum iis, à quibus rurſus beneficium expectarit: quod ſi hoc, fœneratio illa magis, quam liberalitas cenſenda eſt.

Cognatorum quoque & amicorum futuri Pontificis habenda eſt ratio, qui plerumque liberalitatis Pontificiæ curſum vel ſiſtunt, vel ad ſe deriuant. Equidem noui, qui hanc vnam ob cauſam eum, cui cæteroqui optime fauebant, ſuffragiis ſuis deſtituerint.

Sed non ſolum, qualis is iam ſit, qui in Pontificem eligendus eſt, ſed etiam qualis poſt futurus ſit, conſiderandum eſt. Quamprimum enim quis Pontificatum adipiſcitur, ſtatim ad aliorum Principum mores accommodare ſe, ſuaque ſtudia & actiones vnice ad Reip. vtilitatem dirigere oportet. Verum quidem eſt, vnumquemque hic diuerſam ingredi viam, pro ſuo quemque ingenio & natura: ad retinendum tamen Pontificis fauorem nullum eſt vinculum efficacius, quã ſua ipſorum cognatio: nec vlla offenſa tanta, quam non imperii ac Reip. obliteret reſpectus. Inde ſpe ſua plerique omnes fruſtrantur Cardinales, qui exiſtimant, amorem, quo is, qui Pontifex factus eſt, antea ipſos complexus fuerat, plus apud ipſum valiturum, quam propriæ aut ſuorum vtilitatis reſpectum. Quocirca iidem eo elaborant, vt eum faciant Pontificem, in quo duo hæc, Vtilitas & Amor concurrant. At ſi alterutrum omittendum ſit, præcipua vtilitatis ratio habenda eſt, quæ ipſa amorem facile conciliat.

Conſanguinei reſpiciendi.

Vtilitas & amor iungendus.

Huc illud quoque pertinet, vt eos, qui ingenio & moribus nobis ſimiles ſunt, ſuffragiis noſtris iuuemus. Vix enim quidquam ad beneuolentiam conciliandam aptius eſt, quam ſtudiorum & morum ſimilitudo. Quod ſi Cardinalis quiſpiam longe alia ſtudia ſectetur, quam Pontifex, vix eſt, vt conſuetudine eius & amicitia diu vti poſſit, niſi naturam ac vitæ inſtituta iam inueterata mutare velit: quod dutiſſimnm eſt, & quaſi impoſſibile. Sed hanc morum ac vitæ diſſimilitudinem perſpicere non minus difficile, quam raræ prudentiæ eſt opus.

Vitæ ſimilitudo attendenda in candidato.

Quamuis autem eorum, quos ad Pontificatum euectum iri, opinio eſt, inclinationes, ſtudia & affectus conſiderandi ſint, non à Cardinalibus tantum, ſed à Regibus etiam & Principibus, qui omnes vni magis fauent, quam alteri, non tamen Amori tantum tribuendum eſt, vt publica vtilitas ſeponatur, ſed opera danda, vt Amor vtilitatem ſequatur, non vero vtilitas (publica inprimis) amoris cauſa negligatur.

Et hanc quidem diligentiam ipſi Cardinales, qui Principum alicui vel obligati ſunt, vel propinquitate coniuncti, adhibere debent, vt ſi rebus ipſorum conducat, Pontificem habere mitem & humilis proſapiæ, talem cuiuſcunque ſit factionis, vel à quocunque is propoſitus ſit & commendatus, accepteut. Idem faciant, ſi magnanimum aliquem, & nouandis rebus opportunum Pontificem res ipſorum deſiderent: neque dubitent, quin quocunque cum alio Principe

Natura hominum ad vtilitatem adaptatur.

diuerſæ factionis ſe coniunxerint, poſtquam quis factus ſit Papa, is ſtatim ad eum, quem rebus ſuis maxime arbitratur opportunum, ſeſe ſit applicaturus. Ac propterea fuerunt nonnulli, qui aliquibus ſuffragari noluerunt, eo tantum, quod ab aduerſariis fuiſſent propoſiti: atque ita paſſionibus ſuis indulgere, quam commodi alicuius, quod ipſi conſequi non poterant, cauſa æmulis gratificari maluerunt.

Tam certum, quam verum eſt, recens factorum Pontificum amicitias inprimis eſſe vtiles. Tunc enim maxime liberalitatis fontes ii recludunt. At illud quoque perpendendum eſt, eis, quæ initio quis acceperit, beneficiis, damna quoque & incommoda ſæpe annexa eſſe. Qui vero aliquid in ſeipſis deprehendunt, quod ad Pontificatum conſequendum adiumento ipſis eſſe poſſit, operam dare debent, vt id augeatur potius, quam minuatur: itaque ſemper vitam, omneſque ſuas actiones inſtituant, ac ſi omnium oculi in ipſos ſint defixi; & ex quouis vel minimo facto de voluntate ipſorum homines facturi ſint iudicium. Solent enim, qui opinione ſunt fruſtratos ſe vident, amorem in odium erga eos, à quibus decepti ſunt, mutare.

Amor in odium ſæpe vertitur.

Nouitii Cardinales, vt primo ſtatim conclaui in Pontifices eligantur ſingularis virtutis excellentia, aut inſigni amicorum Cardinalium numero muniti atque inſtructi ſint neceſſe eſt. Eſt enim nouitas illa tam odioſa, vt non tantum veteres, ſed etiam è nouis multos aduerſarios habeat, & iniquos. In Pontifice quidem eligendo aliis ſtudiis Principes & Prælati Eccleſiaſtici, aliis ſeculares ducuntur. Hi quidem quantumuis Catholicæ Religionis ſint ſtudioſiſſimi, magis tamen propriæ vtilitatis reſpectu mouentur. Ideirco Pontificem plerique malunt, qui animo timido ſit, & ſollicito, quam prompto, ac vehementi; vt bonis Eccleſiaſticis, quæ in ipſorum ſunt ditionibus, tanto liberius vtifrui poſſint.

Quod ſi vel Rex Franciæ vel alius quis Princeps Pontificem deſideret, qui animo magno ſit, & elato, non equidem id eo faciunt, quod Sedis Apoſtolicæ dignitatem, atque amplitudinem auctam cupiant, ſed vt eorum conſiliis ad res in Italia nouandas vtantur. Hiſpaniarum quidem Rex aliique Principes, qui ditiones ſuas pacifice poſſident, Italię quieti vnice ſtudent; ac propterea iis, qui illuſtri proſapia magniſque opibus ſubnixi, inquieto ſunt animo, minus fauent: quod idem ſine dubio Rex Franciæ, ſi tantum terrarum in Italia poſſideret, facturus eſſet.

Principes Pontificem cupiunt quiſque ſuis rebus vtilem.

Quoniam vero quietis in Italia conſeruandæ præcipuum momentum in tali Papa eſt poſitum, qui humilis ſit conditionis, ac nullis factionibus addictus: ſolent iidem omnium huius farinæ Cardinalium fauorem, quibus poſſunt officiis ſibi conciliare, eoſque obnoxios ſibi facere. Et quamuis plerique omnes honeſtis ſint orti natalibus; minor tamen eſt numerus eorum, qui è potentibus ac illuſtriſſimis familiis genus ducunt.

Illuſtres deterioris ſunt conditionis.

Tametſi

Tametſi autem hi præ cæteris multa Pontificatus conſequendi habeant adiumenta; ſæpe tamen ſpe ſua, & votis excidere eos videmus. Id inde fit, quod quum variis officiis, quorum ob diuitias & authoritatem ampliſſima ipſis ſuppetit materia, reliquorum ſtudia adiungere ſibi facile poſſent, exiſtimant tamen, quemadmodum in via communi propter generis ſplendorem omnes illis libenter cedunt, ita hoc quoque licet maximum in terris munus, ſuæ authoritati & præeminentiæ deberi. Interim vero ipſi quoque in varias ſcinduntur factiones, neque illud cogitant, id maxime tempus à Cardinalibus humilioris conditionis expectari, ac captari, ad vlciſcendas potentiorum iniurias, & inexcludendis illis initio quodammodo ſatagere. Sic enim exiſtimant, quum antea tam inſolentes eos, ac parum gratos, & beneficos experti ſint, multo eoſdem ad ſummum faſtigium euectos, inſolentiores ac iniquiores futuros, & facultates ad quemuis alium potius vſum, quam ad tenuiorum Cardinalium, quorum opera iam non amplius egent, neceſſitates ſubleuandas collaturos. Sed & hoc idem tanto minus facturos eos credibile eſt, quod Apoſtolicæ Sedis opes non adeo magnæ ſunt, vt ſumptibus in Rempublicam faciendis multum ſuperſit. Quocirca erga Cardinales eiuſmodi merito illud vſurpari poteſt, quod Maherbal ad Annibalem dixiſſe fertur, Non omnia vni à Deo data eſſe: ſiquidem quum his fauoris & opum abunde ſit, iis tamen vti neſciunt. Idque tanto minus in ipſis ferendum eſt, quod ſi recte iis vterentur non ſolum bonam Chriſtianæ Reipubl. operam nauare, verum etiam reliquorum Regum ac Principum ſtudia & conatus in eligendo Pontifice facile eludere ac impedire poſſent: reliquorum Cardinalium animis ex collatis prius in ſe beneficiis, in maioris liberalitatis ſpem erectis. *Humiliorũ Cardd. mos.*

Qui non ante viam ſibi ad Pontificatum ſternunt, ſed vſque dum Sedes vacat, expectandum ſibi putant, vehementer errant, ac ſpe ſua vt plurimum fruſtrantur. Tum enim amicos haberi, non iam demum facere oportet: omneſque magis grati pro acceptis beneficiis animi declarandi deſiderio, quam incerta ſpe remunerationis ducuntur. Quid, quod illa ipſa officia, quæ tum conferuntur, quum eorum remunerandorum tempus tam propinquum ſit, & parum grata ſunt, & vix bona conſcientia acceptari poſſunt? Neceſſe ergo eſt, vt eorum maxime, qui præ cæteris magno ſunt animo, & quorum magna apud reliquos Cardinales eſt authoritas animi prius diſponantur, & beneuolentia & fauore nobis deuinciantur. Cuius quidem rei conſequendæ nunquam deeſt occaſio, modo quis ea vti velit. Et hic quidem ſæpe ſola gratificandi voluntas, quam ipſum beneficium, gratior eſt & acceptior, & beneuolentiam interdum maiorem acceptum conciliat beneficium, quam præſtitum, apud potentiores præſertim; quibus illud ſatis eſt, ſi ſentiant ſe amari, & magni fieri; & futuri officii ſpe beneficium à ſe requiri gaudent. *Præparanda ſibi via ad Pontif.* *Magnatum mores.*

Ratione

Ratione vero caret illorum excuſatio,qui dicunt, à tali ambitione ſe abſtinere, ne viuentem offendant Pontificem: neque enim illud poteſt diſplicere Pontifici, vt de amicis quis bene mereri ſtudeat. Imo vero id vnumquemque decet, & amici hiſce modis quæſiti ii ſunt, qui in Conclaui procurant pro candidatis, cum præſertim minime conueniat, eum, qui ambit Papatum, de ſe ipſo ea prædicare, quæ cæteros ad illum eligendum mouere queunt. Idem faciendum eſt cunctis Principibus, qui amicos in Conclaui habere volunt: qui immerito alioqui conquerentur, dolebuntque eam ſui rationem habitam non fuiſſe, quam magnitudo ſua poſtulare videbatur. Quod tanto magis ipſorum auget culpam, quia præcipua Eccleſiæ membra, quæ ſunt Cardinales, beneficiis ſuis non cohoneſtántes, merito ingrati animi arguuntur, cum ab eadem Eccleſia facultatem redituum Eccleſiaſticorum diſpenſandorum impetrauerint. Neque vero aduerſatur, quod nonnulli aſſerunt, prouincialia beneficia & ſacerdotia in eos conferenda, qui ſunt eiuſdem prouinciæ: nam hæc lex potius ob vtilitatem prouincialium, principumque ſancita eſt, quam propter zelum religionis: nam æquum eſt, vt qui ipſis prouinciis præſunt, quales ſunt Cardd. ſaltem per modum penſionis iiſdem commodis perfruantur. Adeo vt ſi Principes aliquando videntur amicis carere, id ipſis imputandum: An vero amicis indigeant, ipſi bene norunt, cum experimentis plurimis non ignorent, quantum beneficio, aut detrimento eorum Pontifex male vel bene erga eoſdem animatus efficere poſſit. Si vero dicant, Pontificem nobis conciliabimus poſt ipſius creationem, fallitur ſæpe hoc axioma, præterquam quod longe vtilius eſt prouidiſſe, & huiuſmodi incommodo occurriſſe.

Cardd. beneficiis afficiendi.

Vias diuerſas ad Papatum habent candidati: alii enim horum propius, alii longius à Pontificia dignitate abſunt. Hos illis, præſertim factionum Principibus, ſeruitium & operam ſaltem oſtentare oportet: nam hoc caſu non modo ipſorum gratiam lucrabuntur, ſed eorum etiam, qui propoſiti fuerunt: qui profecto, vbi ſe à Papatu excluſos viderint, libentius illis fauebunt, quos ſibi fautores experti fuerint. Verum illi, qui magnum alunt ſpem, ii non facile adduci debere videntur, vt prompte adiuuent alios ad Pontificatum, ideoque amicis ſuis inſeruire difficilius queunt. Sed ex alia parte inofficioſi eſſe non debent, nam vno eodemque tempore & eos, qui propoſiti ſunt, & eos, qui proponunt, à ſe abalienarent.

Claſſes Cardd. diuiſa.

Ad hanc difficultatem aduertitur alia, quod cum in principio conclauis pleræque fiant excluſiones, rogabuntur forte, vt iiſdem oppugnationibus, ſiue excluſionibus aggregent ſeſe: quam rem ſi effecerint, certi ſunt, eum, quem excluſerint (ſi modo humani ſenſus aliquid habuerit) nunquam erga eos bene affectum eſſe poſſe: ſi vero non effecerint, capita, principeſque excluſionum abalienant. Et hæ

In pleriſque caſibus prudentia curta eſt.

difficul-

difficultates adeo difficulter explicari poſſunt, vt non modo bonum in iis iudicium, ſed bona etiam fortuna requiratur.

Iudicium illud adhibendum eſt, quod ſi tamen cogitur ſua ſtudia declarare, ad fauorem principum in conclaui potentiorum inclinet. Verum profectò ii candidati, qui ob egregias dotes Papatum merentur à principibus factionum tali circumſpectione, atque iudicio tractandi eſſent, vt ne indifficultates inciderent. Deberentque iidem principes omnem maleuolentiæ cauſam ab iis amouere, ſibique potius eam attribuere, & ambitum eo pacto inſtituere, vt candidati poſſent ſua ſuffragia cæteris Papatu dignis concedere abſque læſione principum; niſi tamen obſtaret iuſta aliqua ratio vel ob gradificandum principibus, quibus manifeſte deuincirentur, vel propter priuatas alias cauſas, quibus legitime ſe excuſare poſſent; & perſuadere, cum negant, non ex ipſis repulſam prouenire, ſed ex neceſſitate, quæ illos cogat inuitos. Etſi autem eligi cupiunt, non ideo per ſe ambire eos oportet: debent nihilominus gratis modis eos ſuſcipere, qui colloquii cauſa ad ipſos accedunt, & quandam modeſtiam præſeferentes, quæcunque de Pontificatu euenient, alienæ humanitati, non ſuis meritis attributuros ſe profiteri.

Capita factionū qualia eſſe deberent.

Oſtendant præterea, quodcunque auxilium oblatum non modo ſibi pergratum accidere, ſed profiteantur illud auxilium maximi fore momenti, ſibique chariſſimum: etenim omnis homo natura hominem iuuare deſiderat, illudque adiumentum, quod præſtiterit, ſibi cupit, aliquam parere grati animi ſignificationem ab eo, in cuius vtilitatem procuratum eſt.

Officioſos in gratiis habentis eſſe oportet, &c.

Idcirco dies atque noctes ad alloquia promptiſſimos ſemperque ianuis apertis eſſe oportet, imo aperto etiam vultu, ac fronte præbendaque benignitatis, & officii eximia expectatio.

Eius vero, quo cum ſermo habetur, natura ac vota exploranda ſunt, eidemque magnæ inſinuandæ ſpes ad eius deſideria promouenda: nam qui ſpe lactantur, multo officioſiores eſſe ſolent cęteris, multoque diligentiores.

Hæc verborum humanitas, incredibile eſt, quantum prodeſſe ſoleat, neque defuerunt plerique eorum, qui eam aut negligentes, aut neſcientes, occaſiones non amplius redituras amiſerunt.

Qui ambitum dirigere debent, eos oportet præteritorum Conclauium exactam habere notitiam, & re ipſa perſpexiſſe præcipuas cauſas, vnde quis repulſus fuerit à Papatu, aut ad eum ſublatus. Proinde non ignorent, tempora diſtinguere, ac diiudicare, in quo ſtatu olim, & in quo præſenti tempore ſeſe res habeant: noſcant mores, ac præcipua non modo Cardinalium omnium, ſed etiam eorum, qui ipſis famulantur, ſtudia ac deſideria: ſcrutentur amicitias, quas viciſſim habent, & qua de cauſa: & quouſque fauor exterorum Princi-

Præterita comitiorū actiones noſcenda, & cum præſentibus comparanda, &c.

pum, co-

pum, eorumque, qui Principes in Conclaui referunt, iis profuturus, aut præſto futurus ſit.

Eloquentia & audacia iuncta auctoritati proſunt.

Præter hanc notitiam oportet eos ad negotium aptos, & ad explicanda animi ſenſa efficaces eſſe, vt ea perſuadere queant: ſæpe enim accidit, aliquem perſpicacem in rebus intelligendis, at in iis eloquendis rudem eſſe: quod perinde eſt, ac ſi non intelligerent: ſed & neceſſe eſt eos audaces eſſe: nam quędam nonnunquam contingunt, in quibus ille ſuperior euadit, qui contra audentior iuerit: Et quamuis huiuſmodi audacia naturæ debeatur, tamen oportet eam ab egregio aliquo ſtemmate destitutam non eſſe, vel à factione aſſeclarum numeroſa, vel ab excellente virtute: nam quicunque abſque aliquo harum rerum ſubſidio audentior eſſe vellet, is profectò deluderetur potius, & rem turbaret, quam audiretur, remue emendaret. Sed ante omnia conuenit, vt temporum momenta cognoſcant, & opportune capere non ignorent.

Denique nullum fere vtilius documentum in conclaue afferri poteſt, quam vt capita, principeſque factionum nunquam non attendant, & negotio inuigilent: nam ſi diu duraturum eſt, varias induit formas, eorumque ſagacitas, atque induſtria multas inde vtilitates colligere poteſt.

Pares cum paribus aggregantur.

Neque vero admirentur, quod fere ſemper principum & capitum mentio interferatur, neque peculiares cuilibet Cardinali regulæ adſcribantur, cum præſertim dici ſoleat, quemlibet Cardinalem in Conclaui tantundem poſſe: nam eo tempore cum vnuſquiſque cognoſcat, ſe vnum parum proficere poſſe, neceſſario adhæret alteri, ſicque diuerſis de cauſis & reſpectibus diuerſas ineunt amicitias: quod ſi, verbi gratia, boni ſunt, & Reipublicæ ſtudioſi cum ſimilibus coniunguntur: ſi alicuius vtilitatis gratia ducuntur, cum iis, qui eodem reſpiciunt, congregantur, & conſpirant. Ideoque cum dicitur, cum tot capitibus & ſententiis agendum eſſe, non eſt verum: nam ſtatim atque aliquis ambit, ſemper ab eo regitur, qui illius ambitus promotor eſſe poteſt, cum inter multos oporteat, aliquem aut auctoritate aut prudentia cæteris præcellere: quibus rationibus caput & princeps ille fere ſemper ſuas ipſius vtilitates reſpicit, promouetque.

Omnium habenda ratio.

Nunquam ſatis monetur, quod nunquam non animaduertendum eſt, & raro animaduertitur: hoc autem eſt. In Conclaui omnium habendam rationem, & quemlibet timendum eſſe, & efficiendum, vt ambitus ita à principio ad finem ordinentur, ne inuitis principibus factionum Pontifex creari poſſit: hinc ſiquidem dignoſcitur, quantum iſta præmeditatio atq; ordo proſit, quia in principio capita cum ſequacibus ſuis coniuncta poſſunt celebriores ac meliores candidatos excludere, quales ſunt, qui futuri Pontifices populari voce acclamantur. Quod cum ita ſe habeat, tanto credibilius eſt eodem ordine

accon-

ac conſpiratione minores candidatos excludi poſſe, & à Pontificatu, quem plerunque aſſequuntur, arceri: Et nihilominus, vel quia vnde non valde timetur, ibi minor cura collocatur, vel quia homines perpetuo vigilare, & omnibus horis bene proſpicere nequeunt, ſemper imparati vel coguntur candidatum propoſitum quem nollent, minoris dedecoris ergo, approbare, vel cum periculo ſubitam excluſionem machinantur.

Errores præcauendi. Vt in bello, ita hic quoque peccare bis, vix licet: cumque aduerſarius præparatus, & vrgens, atque inſtans habeatur, & qui errores alienos in victoriam ſui conuertere feſtinat, hinc fit, vt parui errores in Conclaui commiſſi grauiſſimi euadant, minimęque voluntatum, ſiue propriæ ſint, ſiue aduerſæ. mutationes maximos pariant effectus: quippe valent Papatum donare, aut auferre: & ratio eſt, quia amici ſtatim iuuari, inimici vero ſtatim offendi poſſunt; & animorũ propenſiones incitantur à pleriſq; adeo, vt partim ex effectu ſuo, partim ex aliorum perſuaſione eo temporis momento nihil aliud perſpiciant, niſi quod ſibi ſuggerit ur à timore, vel obſtinatione, ſeu ambitione, aut deſiderio vindictæ, ſiue quocunque illorum affectuum, qui omnes hominum cogitationes breuis horæ ſpatio inuertunt. Dumque affectus ille viget, adeſtque, etſi rerum futurarum ſtatus ob oculos verſatur, ſtatim cogitant, quod communiter ſimilibus in rebus cogitatur, hoc eſt, magnitudinem beneficii, quo electus in Pontificem afficitur, poſſe damnis quibuſcunque occurrere, quæ ratio in contrarium adduxerit. *Conſilia imperfecta vnde.* Idcirco aperte cernimus, quotieſcunque conſilium capitur, vel nimium feſtinando, vel nimio affectu, ſemper in errorem incidi: nam feſtinatio tempus eripit ea conquirendi, quæ ante concluſionem regi conſideranda fuerant; affectus autem adeo impedit, occupatque animum, vt nihil ſinat cognoſcere, niſi quod eo momento angit & vrget.

Verum ad hæc duo duæ aliæ res non minoris momenti accedunt: etenim inueniuntur nonnulli, qui etiamſi ab affectibus immunes exiſtunt, ſatiſque temporis habent ad res examinandas: nihilominus propter quandam animi inconſtantiam atque torpedinem, vel propter continuam negligentiam, quam in rebus ſuis adhibere conſueuerunt, nihil vnquam boni efficere poſſe videntur.

Quatuor hominum genera male cõſulunt: feſtinantes: cupidi: inconſtantes: negligentes. Atque equidem hæc quatuor hominum genera, ſi conquerantur, quod negotia votis ſuis minime reſpondeant, ſumma iniuria conqueruntur: oportebat enim, ab ſe nihil eorum, quæ facienda erant, prætermitti; deinde ſi ex animi ſententia res non ſucceſſit, tum iuſtius conquererentur.

Verum nunquam admiratione dignum eſt, ſi quis vel incogitanter, vel ſtolido quodammodo, vel affectu aliquo obcæcatus, vel nimia feſtinatione aliquid aggreſſus fuerit, quod negotium illud exitũ minus proſperum ſortiatur: imo inter miracula collocandum erit,

ſi bene ſucceſſerit,& ſucceſſus ille ex miſeratione diuina magis quam humanis meritis emanauiſſe putandus eſt.

Inter capita Principeſque Conclauis quidam aliquando ſunt, qui etſi virtute, quæ ipſos deceret, deſtituuntur, tamen aliorum Duces exſiſtunt propter auctoritatem: quod ideo fit vel quia nepotes ſunt præteriti Pontificis, atque ideo multos habet addictos ſibi Cardinales, vel quia Italorum Principum, quorum plerique ſummam rationem habent, miniſtri exiſtunt. Huiuſmodi homines ſi virtute deſtituti ſint & ſe deſtitutos eſſe animaduertant, ab iis, quos inter ſuos ſapientiores cognoſcunt, conſilium mutuo accipient: at ſi ſufficientes ſeſe putauerint, neque tamen fuerint, vt plurimum errare conſpiciuntur, neque eos quidquam iuuat moneri à quopiam, ſiue doceri.

Errorum cauſa frequens vnde.

Quotieſcunque ſimiliter dicta Capita auctoritate pollerent, ſed nihilominus vellent Pontificatum ſibi vendicare, in magnas ſeſe implicant difficultates: nam tantæ magnitudinis cupiditas omnem ſuperat cupiditatem: proinde nunquam videntur eos libenter audire, qui diuerſas à conſiliis ſuis conditiones proponunt, exceptis iis, à quibus opem aliquam ſperant. In quo deſiderio magis ac magis immorantur, quia cæteri ad Pontificatum adſpirantes, qui diuerſæ ſunt factionis, vt eorum ſtudia lucrifaciant, ſua ipſis offerunt ſuffragia: quæ nihilominus plerique actu ipſo denegarent, ſi ea ambienti profutura ſuſpicarentur. Verum tamen interim eius ſpem lactant, neque ſinunt alio mentem conuertere.

Pertinacia deponenda, occaſiones noſcenda.

Pontificatum cupere & ambire bonum eſt; ſimiliterque dare operam, vt conclaue parumper differatur, vſque quo res ſuę componantur, bene eſt: ſed exploratis voluntatibus eorum, qui fautores ſeſe profitebantur, non debet Princeps pertinaciter ſuam opinionem defendere, eoſque audire, qui propter eandem ambitionem Conclauis diuturnitatem deſiderant: nam propter huiuſmodi pertinaciam illuc deuenit, vt Pontifex abſq; eorum conſenſu declaretur, vel, vt impetu multorum oppreſſus ſubitæ conſentiat, atque inconſideratæ Pontificis electioni; qui quidem Pontifex putaturus ſit, ſe electum fuiſſe non ob probitatis opinionem, ſed ex opportunitate quadam, ac neceſſitate eligentibus non euitabili. Profitebuntur quidem omnes eiuſdem bonitatis gratia ad eum eligendum conſenſiſſe, eoque prætextu timorem honeſtabunt itidemque aduerſarii eodem prætextu intimam animi moleſtiam obtegent, & vtraque pars conſcientiæ ſuæ ſatisfeciſſe prædicabit: ſed Cardinalis ille, qui ex his controuerſiis emerſit Pontifex, rem totam optime percipiet, & pro tanto beneficio ciuilem ſolummodo obligationem quandam debebit: neque ideo illos tanquam bonos & Reipub. amantes exiſtimabit, ſed pro re comperta habebit, ſi malitia conatus eorum adiuuare potuiſſet, ipſius etiam, nedum ſolius virtutis ope vſuros fuiſſe.

Beneficia ex animo dantis metiuntur.

Digitized by Google

In ambitu agendo duabus oportet inſignitos eſſe conditionibus; altera in ſuffragiis diſponendis, altera poſtquam diſpoſita ſunt, in iis ordinandis ad peragendam electionem.

Partienda munera.

Pleriquе in prima conditione præpolluerunt, in altera nihil efficientes. Oportet, principes & capita partium pluribus adminiſtris vti, ſciantque, ſi onera & officia diſtincta habuerint, id totius negotii ſalutem fore, & Caput ſiue principem illum, qui vel ob ambitionem, vel propter paruam intelligentiam ex ſe ipſo omnia facere, vel ſuis aſſeclis artificioſe vti vult, ſemper futurum cauſam confuſionis: ſimiliterque in Conclaui omnes vereri debet: neque minor cura collocanda eſt in minoribus hominibus ordinandis, quam quæ in maioribus adhibenda ſit: quinimmo caput factionis adeo præparare ſe debet, vt cum aduerſarii Papam aliquem creare voluerint ex illis, quos probat, eum creare nequeant, niſi ipſe creationem fouerit, ne deriſui habeatur, eique neceſſe ſit cum multitudine accurrere omnium rerum ignaro: etenim exploratum eſt, quoties Card. incogitato coguntur alicuius electioni conſentire, electum, etſi olim amiciſſimum, nihil ei debere.

In arena capiendum conſilium.

In Conclaui non poſſunt ea conſilia, quæ extra conclaue cepta ſunt, conſtanter retineri: nam res nouæ cogunt hominem eo pacto ſe defendere, quo laceſſitur, & aduerſarium ab ea parte ferire, qua intectum atque inermem ſe oſtendit: idcirco illic plura conſilia, modoſque plures agendi habere oportet, & ante omnia perpendendum eſt, an difficultas exequendi ſua optata, naſcatur ex ſuo errore, an ex aduerſariorum potentia.

Si ex errore & inexperientia ſua proficiſcitur, & corrigi poteſt, corrigatur: verum ſi ex aduerſariorum opera manauerit, iiq; bene rem geſſerint, tunc opinio mutanda, & minus malum eligendum eſt. Quod ſemper conſequetur, ſi modo cuncta præuideantur, & rei ſtatus conſideratur, & æquitati congruæ conditiones minime refellantur: quæ conditiones ab aliis factionum principibus dubio procul ſemper accipientur, antequam certam conceperint ſpem creandi Pontificis, quem præ omnibus ipſimet exoptant, vt effugiant periculum, quod Conclauis ambiguitas ſecum affert: vbi quotieſcunque mediocre aliquid hodie obtineri poſſit, non eſt procraſtinandum, vt melioribus potiamur, quia nullus vſquam locus, atque ille, inſolitis & incogitatis rebus æque variatur.

Dimidium plus toto.

Primum, capitibus factionum curandum eſt, vt ſecuram in manibus habeant excluſionem illorum, qui extra eorum factionem Paparum ambiunt: quod ſi inter ſuos illam excluſionem non habuerint, quærenda erit inter alios: etenim multos inuenient, qui contra aliquem conſpirabunt, vel qui nolentas tam fa-

cile Pontificatus ſpem deſerere, in omni excluſione diu inſeruient:imo hoc ſtudium quærendæ excluſionis aliquando in cauſa eſt, vt qui antea aduerſabantur, ſimul verſando amici fiant, vnde exoritur Pontificis electio, adeoq; amicantur inuicem cum iis, à quibus opem acceperunt, vt ſi forte caſus ita ferat, per inconſultam beneficentiam ille fiat Papa, de quo nunquam antea cogitatum fuerat. Verum quia excluduntur aut inimici, aut amici, ne ſcilicet ob ius imperii, aut aliam ob cauſam amicitia in inimicitiam conuertatur: primæ excluſiones palam tractantur: aliæ maxime cautæ eſſe debent, ne ſua ſponte, ſed ex accidenti, aut ob difficultatem factæ eſſe videantur: cumque celari affectus non poteſt, & periculum prope adeſſe cognoſcitur, ne amici abalienentur, decet prætermittere excluſionem & electionem diuertere, eligendo aliquem factionis contrariæ, qui eodem damno te afficere nequeat, quo alter ille amicus potuiſſet.

Duplex oppugnatio amicorum, & inimicorum.

Et hæ ſunt potiſſimæ excluſiones, nam quæ fit procraſtinando & prouidendo, vt nihil incogitatum accidat, ea ſuſpenſio potius, quam excluſio dicitur; quemadmodum ea, quæ vnius cauſa fit, pertinacia eſt, quæ frequenter cum damno pertinacis infringitur. Excluſio, quæ fit propter Reipublicæ reſpectum, vel ob priuatam inimicitiam excuſatur, cum ob rei neceſſitatem, tū quia, excepto vno aut altero, non tollitur, quin Papa ſingulis momentis creari poſſit.

Quælibet factio habet ambientes Papatum: quos princeps factionum in eo affectu innutrire debet, nam ſi eos inhabiles declararet, videretur illos contemnere, & contemptus audaciam gignit, vnde res nouas, atq; periculoſas tentant: quod ſi audaciæ addatur auctoritas, vel ſingularis aliqua vtilitas maximas turbas ciet. Ideo capita faueant ſuis, & deſiderium ipſis inſeruiendi oſtentent, efficiantque, vt per alios, vel per negotium ipſum illis contradicatur: nam qui etiam iure contradicit alicui, is contradictione animum alterius nunquam non lædit.

Capita cādidatos lactent ſpe.

Per alios contradicendum.

Verum ex aduerſo, ambientes papatum, etiamſi à capitibus ſuis aperte recuſentur, non ideo debent iis iraſci, & inimicitias indicere, etſi qui ambiunt, illuſtris ſanguinis eſſent, & dubitarēt, ipſos Reges, quibus ſeſe ſubdiderunt, cauſam eſſe eorum excluſionis; imo non intelligere ſimulent, & Regis voluntatem Cardinalibus abſcondant, ne, qui Regibus addicti ſunt, difficiliores ad ipſos promouendos efficiantur. Quamobrem conſultius eſt, ſiue illuſtris ſit ſanguinis, ſiue non, vt ſimulet, ea ſe credere, quæ minus credit; nam hoc modo, qui contradicturi ſunt, lentius id agunt, & amici poterunt facilius adiuuare: adeo vt nunquam expediat, ſe abalienare ab iis, qui nobis contradixere, tametſi alium

Iniuria diſſimulanda.

elegerunt; etenim iterum fauere poterunt, præſertim quia quo ſenior quis eſt, eo Pontificatui aptior.

Quod ſi nihil aliud contingeret, id ſaltem lucrifacit, quia mitem animum, neque iniuriarum memorem præſefert. Quæ res omnes decet, qui religionem & mores bonos profitentur. Verum ſi hæc faſtidium pariunt, & ad ea, quæ in ipſo Conclaui agenda ſunt, reuertere placet, dico, Papabiles eo minus iraſci debere, quo maiores ſunt occaſiones, quibus mutantur voluntates hominũ: proinde accidit ſæpenumero, vt qui infenſo animo recuſabatur, is paulo poſt, vel deterioris formidine, vel alterius lædeudi cauſa promoueatur: & in Conclaui minima offenſio, vel gratificatio magis mouent, quam ſumma antehac beneficia, ſiue iniuriæ: adeo ducuntur homines magis ſenſu præſentium rerum, quam præteritarum memoria, ac futurarum prouidentia. Quocirca attentum ac vigilantem eſſe oportet, vt occaſiones benefaciendi capiantur: quia per modicam moram perduntur, neque vnquam reuerſuræ ſunt. *Præſens iniuria, aut beneficium potentius.*

Affectiones autem ſingulorum illic ſcire, non eſt difficile, quia vnuſquiſque libenter amicorum merita, aut defectus enarrat, & vires aduerſariorum examinat, modo adſit audiendi patientia, quæ quidem rerum agendarum fundamentum eſt: & quicunque magis diſſerere cupit, quam audire, is magis docet, quam diſcit.

Capita factionum oportet ſuffragatores multos habere, nec non miniſtros, qui eorum voluntatem exſequantur: ſingulis vero cura peculiaris demandetur, vt eos obſideant Cardd. quibus cum authoritatem habent, aut confidentiam, quoſve magis norint, vt facilius eos ad timorem, aut ad ſpem allicere, iiſque perſuadere poſſint: nam quemadmodum non omnes Cardd. cum quolibet Cardinale conueniunt, ita variandæ ſunt rationes, ideoque ſummo iudicio authoritas, & induſtria adhibenda eſt, vt contrariæ factionis conſilia explorentur, quem Cardinalem cogitet promouere, quibus ſuffragiis, quæ ſit ſuffragantium firmitudo, quæ cauſæ fauendi: inuenienturque nonnulli, qui nihil fautorum habere putabantur, & re ipſa plurimos habent, & alii plurimum authoritatis habere videntur, qui nihil poſſunt: ſunt deinde ſui diſtribuendi, vt ſinguli ſuum munus exſequi ſciant, & vbi iubeatur, conuenire poſſint: nam quotieſcunque aliquem propoſitum intelligent, quem ipſi nolint, ſtatim remedium reperietur, quo repulſam patiatur. Ad quę ſuis amicis vtendum eſt; nam fides fidem parit, & vnuſquiſque gaudet capiti ſuo vtilis eſſe, & aliquid cum honore ſuo alicubi elaboraſſe. Sed rerum ſumma iis tantum committenda eſt, qui dotibus prædictis inſigniuntur. Amici non minori diligentia detinendi ſunt, & *Miniſtrorũ vtilitas.* *Sui, & alieni quomodo habendi.*

& officioſe tractandi, quam alieni ſibi conciliandi: ideoque ſingulorum neceſſitates, atque cupiditates explorandæ, eosque ita principes illectent, vt aliunde ſpes ſuæ non dependeant, quam à capite ſuo: ſæpiusque cum iis diſſerendum, & reddenda ratio eorum, quæ ad aduerſarios pertinent: nam de intimis ſuis cogitationibus cum iis tantum communicare debent, quos magis addictos eſſe ſibi cognouerint, vel minus de ſuis vtilitatibus cogitantes. Cum ſuis amicis dexterrime agant, eque ſe illos promouere velle profiteantur, oſtendantque, ex difficultate negotii potius, quam ex defectu voluntatis eos non promoueri: alioquin animis alienabuntur, & ſe contemptos putabunt.

Solent autem Cardd. de eligendo Pontifice cogitare vel ante conclaue, vel poſtquam illud ingreſſi ſunt. Primo modo, nondum apparentibus iis impedimentis, quæ plerunque poſtea incidere ſolent, eum Papam creare cogitant, de quo maximam ſibi beneuolentiam pollicentur. Altero illo modo, ſi conſilium mutare neceſſe ſit, ei plerunque ſtudent, quem ſi non amiciſſimum ſibi, ſaltem minus iniquum fore arbitrantur. Quapropter nemo Cardinalium, etiamſi multa ſibi obſtare animaduertat, ſi quidquam habeat in ſe tali munere dignum, ſpem eius conſequendi abiicere debet. Nam quemadmodum ob ſummam in loquendo libertatem, qua omnes ſede vacante vtuntur, nullius vitia & defectus latere poſſunt: ita ſæpe res circa eligendum Pontificem eo redigitur, vt vitia, & defectus eiuſmodi non æſtimentur: ſiue quod qui ab aliis propoſiti ſunt, maioribus laborent; ſiue quod is, qui ab alio commendatur, tametſi melior, parum tamen amicus, vel rebus aliorum opportunus fore credatur. Nullum quidem tantum eſt vitium, quod non tolerabile aliquando exiſtimetur, & pro minus malo accipiatur; ita ſuadente ſcilicet rerum ſtatu, & tempore, ſiue occaſione: quæ quidem in conficiendo quolibet negotio vtramque quod dicitur, paginam implet.

Nemo ſpem ſuam abiiciat in tanta caſuum varietate.

Periculum facere, an aliquis de ſuis Cardd. euehi poſſit, etſi effectus non ſequatur, haud improbandum eſt. Et in hunc modum innumera colligi poſſent documenta, prudentibus cognitu haud difficilia.

AD

AD PRÆLATVM IN HISPANIAM MISSVM, VT CVM Rege concluſionem fœderis tractaret inter pium V. Regem & Venetos.

DISCVRSVS SEXTVS.

PONTIFICIS magis, quam cuiuſcunque alterius partes ſunt ob authoritatem, qua inſignitur horum temporum occaſione, confœderationem tractare inter Venetam Remp. Regemque Catholicum. Etenim eius Beatitudini præcipue ſpectant huiuſcemodi negotia, & ab ipſo omnia monita ſuſcipienda ſunt filiali charitate, atque obedientia: præterquam quod eius naturæ Pontifex eſt, vt nullus Principum ab eo quidquam ſiniſtri ſuſpicari queat, quaſi eius Sanctitas contra ipſum machinatura ſit. Nemo melius Pōtifice, qui arma ſpiritualia ſolus tractat, diuertere contrarias Principum cogitationes poteſt, aut impedimenta à quocunque Principe amouere.

Hiſce vero temporibus quaſi cœlitus demiſſa videtur occaſio connectendi Venetos cum Rege Catholico: cum enim illis Turca bellum indixerit, neque aliunde quam à Catholico Rege auxilium habere poſſint, neque ex ſe ipſis diuturno tempore ſua defendere valeant: neque item ſolus Catholicus claſſibus ſuis regna ſua mediterranea ſatis cuſtodire poſſit, reliquum eſt, vt hi duo Principes coniungantur, cum neutrius littora tuta ſint, propterea quod Turcica claſſis momento quælibet inuadere poteſt: at coniunctis viribus, repellendo non ſolum hoſti, ſed etiam aggrediendo ſufficient. *Neceſſitas fœderis ineundi.*

Idcirco ambigendum videtur, vtri magis hoc fœdus exoptā dum ſit, Venetis, an Catholico: verum id citra omnem dubitationem eſt, temporum conſtitutione inuitari vtrumq; imo cogi ad conſociandas vires, præſertim conditiones proponente, atq; tractante Pontifice. Hæc ſocietas vtriſq; Principibus maximæ cedet vtilitati, cū propter pericula, & ſumptus, quos pariter *Vtilitas fœderis.*

euitabunt, tum propter commodum, quod conſequentur, tum etiam propter ſpem amplificandi imperii.

Euitabunt periculum alicuius oppidi, aut vrbis amittendæ: ſumptibus parcent, quia claſſem Turcica forte potentiorem, & offenſioni idoneam ſimul facilius ſuſtentabunt, plus expenſuri, ſi defenſioni tantum inſiſtentes, diuiſim ſua cuſtodient.

Claſſes coniunctæ Turcis formidabiliores.

Magnum vterque Princeps commodum obtinebunt propter eorum in Lombardia ditiones, & propter quietem, ac ſecuritatem ſubditorum. Spem etiam fouebunt finium ampliandorum, quia eodem ſumptu, quem impendunt ſolius cuſtodiæ, ac defenſionis gratia, claſſem detinebunt egregiis patrandis facinoribus idoneam: & in eadem claſſe inſtruenda perſeuerantes, Turcarum ſubditis animos addent ad res nouas moliendas, cum in præſens minime audeant, omnis auxilii ſpe deſtituti.

Ad poſtremum, optime inſtructa claſſis ſumptus minuit, domumque Principis in tuto collocat, & ſpem alienas regiones occupandi multiplicat, remotaſque Prouincias, earumque vires connectit pontis inſtar, quemadmodum antiquæ & recentes hiſtoriæ demonſtrant.

Quod ſi hoc fœdus inibitur, tutum ac ſtabile futurum eſt: neque enim Veneti Regem, aut Rex Venetos timere debebit, cum modo præteritorum temporum ceſſauerint ſuſpiciones, cumq; vtraque pars a Turcis laceſſita ſit, & communi periculo ad amicitiam coeundam perſuadeantur.

Vtriuſque Principis natura ea eſt, vt boni vicini eſſe velint, imperiique ſui fines tueri abſque vlla Monarchiæ occupandæ cupiditate.

Facilitas ineundi fœderis.

Neuter ſolus Turcæ commode reſiſtere per ſe poteſt, & ſuæ ſalutis cauſa ſocius ſocium nunquam deſerturus eſt. Quod attinet ad contributionem expenſarum, haud magnam hæc res difficultatem ſecum afferre videtur, quoniam maritimæ neceſſitates æquales ſunt, neque præteritorum fœderum exempla deſiderantur.

Similiter prædæ diuiſio, quæ iuxta proportionem eſſe deberet, nihil afferre videtur difficultatis. Et ſanctiſſimus P.N. huius rei arbiter, ac moderator omnem ſuſpicionem difficultatis amoueret.

In idem fœdus conueniendi locus cæteris Principibus non modo reſeruandus eſt, ſed etiam inuitandi ſunt, incipiendumque à Cæſarea Maieſtate. Verum quia inſtat diſcrimen, idque celeritatis indiget, ideo in aliud tempus dictæ contributionis tractatio differenda eſt, neque item cogitandum modo de prædæ diuiſione, aut de modo cæteros Principes in eandem cōcor-

diam

diam colligandi,ſed apprime neceſſarium eſt in præſentia, cum Rege Catholico, cui claſſis non deeſt, negotium incipere,mox illius conſenſu cum aliis Principibus agere. Igitur exemplo curandum eſt, vt Rex,qui ſuorum regnorum defendendorum gratia,præſertim Golettæ,& Melitæ ergo, claſſem in Siciliam mittere tenetur;eam reuera mittat quamprimum, illudque vendat, quod cogatur donare, hoc eſt, mittat ipſam ad preces Pontificis, & in auxilium Venetorum; hoc autem principium erit, quo Veneti in perpetuum eius Maieſtati obligabuntur: mox melioribus conditionibus cætera ſtabilientur. Regem, qui ſenex licet, generoſæ tamen naturæ eſt, ratio illa vehementer commouere poterit, Turcam nulla alia de cauſa aduerſus Venetos arma mouere auſum fuiſſe, niſi quia confidit, eius Maieſtatem ipſis opem ferre minime auſuram, vtpote à Mauris rebellibus impeditam. Rex perpeti non debet, vt nouus Princeps Turca faſtu intumeſcens voti ſui compos fiat: creſcerent enim ipſi,& Turcis vires,atque audacia, & Chriſtianis diminuerentur. Poteſt etiam Regi proponi; quanta eius nomini gloria debebitur,ſi Venetis auxiliatus fuerit;qui quidem ſuis forte viribus ſe tuebuntur,at omnis honor eius Maieſtati deferet,cunctaque bona euenta viribus, quas Venetis addiderit, attribuentur.

Vendere, quod eſt neceſſe dono dare.

Argumenta ad fœdus ſuadendum.

Similiter oſtendi poteſt eius Maieſtati, debere ipſam pro dignitate ſua claſſem inſtruere,& Chriſtianos vndique defendere: ad hunc enim finem in Hiſpania fructus bonorum Eccleſiaſticorum cum hac expreſſa conditione ei conceſſos fuiſſe.

Si Veneti auxiliis deſtituti cogerentur aut ſuccumbere penitus, aut iniquis conditionibus aſſentiri, aduerſus Regna eius Maieſtatis omnia hoſtis arma mouerentur. Si etiam Deus Venetis victoriam largitus fuerit, non conducit Regi, vt ipſi abſque participatione eius Maieſtatis tot incrementa virium, & exiſtimationis acquirant. Quando etiam eius Maieſtas nullam haberet cauſam contra Turcas conſpirãdi, nihilominus ea eſt pietas, & charitas,quam in tutandis, ac protegendis Chriſtianis nunquã non exhibuit, vt cum Venetis ſe coniungere teneatur: præſertim quia coniunctis opibus claſſem ꝑpetuo inſtructam detinentes poſſunt ambo Chriſtianas regiones mari ab inuaſionibus Turcarum defendere, quod alioquin fieri non poteſt.

Cum vero Turcæ aduerſus Catholicum infeſto ſint animo, expedit Regi Venetos bello implicare, quanto fieri poteſt tempore, vt ipſis tanquam propugnaculis vtatur, & in imperio ipſorum Turcis finitimo, atque propinquiore bellũ geratur. Si Rex cum Venetis coniungetur, alienis viribus ſuas & Chriſtianorũ omnium prouincias tutabitur hoſtiſque vires infringet neque timendum eſt quin veneti leges fœderis obſeruaturi ſint, cũ

quia neceſſitate coniunguntur & gratos erga regem ſeſe oſtendere debebunt tunc etiam propter huius Turcæ infidelitatem qui pacem ſolemniter anno præterito ſtabilitam, hoc anno per ſummam iniuriam turbat irritamque facit Romæ 15. Maij 1570.

F. M. B. C. Aex.

DE FOEDERE CONCLVSO INTER PIVM V. PONTIFICEM maximum, & Sereniſſimam Regem Catholicum & Illuſtriſſimum Rempublicam Venetam ſeria & grauiſſima tractatio Clariſſimi Viri, N.N. &

DISCVRSVS SEPTIMVS.

VBI, deprecante Pontifice, Rex Catholicus mandatum ſuum Illuſtriſſimis Cardinalibus Granuelæ, & Pacecco; Oratorique ſuo Don Iohanni de Tuniga miſiſſet, Sereniſſima Venetorum Reſpublica item Oratori Suriano mandauit, vt fœdus inter Pontificem, Regem, ac Venetos tractaret atque concluderet, & mandata vtriuſque partis recognita, & approbata fuere. Pontifex Kalendis Iulii, accerſitis coram ſe Regiis Deputatis, Venetoque ſimul Oratore, longam exorſus eſt diſſertationem, verbis grauiſſimis, ſummaque prudentia exornatam, rerumque præſentium ſtatum examinauit, item difficultates, quibus miſera Chriſtianitas vexatur, nec non officia, quæ eius Beatitudo minime prætermittenda putauit, primo quidem ad opem diuinam confugiendo, vt ſcilicet iram ſuam Deus aduerſus piacula noſtra conceptam placare dignetur, deinde enitendo, vt vires Chriſtianorum Principum aduerſus communem hoſtem coniungantur, præcipueque Rex, & Reſpublica fœdere ſocientur: cuius rei cauſa cum prius Rempub. interpellaſſet, & ad vota propenſam comperiſſet, his potiſſimum temporibus, quibus perfidiæ Turcicæ clarum patitur experimentum, mox Reuerendiſſimum de Torres ad Regem miſerat, qui ſimiliter Regem optime affectum eſſe retulit, prout mandata vtriuſque partis legi-

Primo Principum mãdata exhibentur.

legitime concepta demonſtrant: Laudauit quoque Oratorum ac Procuratorum prudentiam, vt illos excitaret, etſi ei edebat, id minime neceſſarium eſſe in tam vrgente occaſione, quæ ex ſe ipſa loquitur, hortatuſque eſt, vt ſinceris animis concordiam inter ſuos Principes tractare vellent, atque concludere, ad inſolentiam atque furorem huius canis reprimendum, ne maiores vires acquirat: nam ſicuti modo aduerſus Rempublicam nullo iure bellum mouerat, ſic nihil magis in votis habet, quam vt Chriſtianum genus paulatim, & per partes opprimat, quemadmodum hactenus efficit, cum omnia, quæ imperio ſuo premit, Chriſtianis eripuerit. Poſtmodum exaggerauit, exemplum hoc apud poſteros noſtros glorioſum fore, qui quidem iuſtam habituri eſſent occaſionem nos negligentiæ accuſandi, ſi præſentem opportunitatem neglexerimus, dum manifeſtam cauſæ noſtræ iuſtitiam fouemus, etſi contra infidelem hoſtem ſemper iuſte bellum decernitur: addebat, hoſtem ignauiæ deditum eſſe, plerumque turpium affectuum, claſſem ei diſgregatam, imbecillem, noſtris viribus facili negotio opprimendam eſſe, vel ſaltem fugandam, ac dedecore afficiendam. *Pontificis exhortatio.*

Proſecutus deinde eſt orationem de regno Cypri, adhibendam eſſe omnem induſtriam ac vigilantiam, vt penes Chriſtianos retineretur, vtpote per opportunum ad regnum Hieroſolymæ & Chriſti ſepulchrum recuperandum: quandoquidem cum pridem recuperatum fuit (quod ſimplicis monachi hortatu, qui cunctos principes & populos Chriſtianos ad ſacrum bellum compulerat, effectum eſt) oportuit per Thraciam exercitus ducere, quæ res modo factu difficillima foret. Verum Deus D. N. qui Chriſtianos ſuos deſerere non ſolet, neque continet in ira ſua miſericordias ſuas, hanc occaſionem eius regni conſeruandi, & aliorum occupandorum nobis conceſſit. *Cypri opportunitas.*

Dixit quoque, concluſo hoc inter Regem & Rempublicam fœdere, fore, vt etiam Imperator inuitetur, tanquam auctoritate primus inter temporales Principes, addiditque, etſi hoc primo anno fœderis conditiones, quæ acceptabuntur vtrinque, adimpleri nequeunt, tamen bellicos apparatus adeo ingentes eſſe, vt Regia, ac Veneta claſſibus coniunctis, poſſit non tantum viribus Turcarum reſiſti, ſed etiam iidem poſſint debellari: Et ad hoc fœdus perſuadendum efficacem admodum concionem habuit, adiungens, Si cognoſceretur, præſentiam ſuam aliqua ex parte huic bello vtilem fore, libenter ſe inter primos iturum ad certam mortem pro gloria Dei, & beneficio Chriſtianæ Reip. oppetendam. Reſpondit Granuela Cardinalis pro Pacecco, mox Orator, omneſque vnanimi voce eius Sanctitatem laudibus in cœlum efferebant, Regis voluntatem & negotii totius tractationem & concluſionem ſibi commiſſam prædicantes & beneficium publicum conſiderantes. Dixitque Orator, cum Regia Maieſtas Pontificiæ Beatitudinis monita, & petitionem Reip. intellexiſſet, *Alios Principes inuitaturus eſt Pontifex.* *Ipſeq; iturus ad bellum pro Chriſto.*

volu ſſe vtrique ſatisfacere, etſi neſciret penitus, quid ſuis miniſtris ſigillatim iubendum foret. Addidit Granuela, æquitati conſentire, vt Regi conditiones proponendæ mittantur, quo certiora mandata mittere poſſit: ipſos vero audituros, quid peteretur, ſuamque opinionem non occultaturos: habere enim ſe facultatem & conſultandi, & decernendi, quidquid opus eſſet. Dixit quoque idem Cardinalis, hoc anno ſatis virium haberi pro bello ad defenſam ſuſtinendo. Tunc Venetus Orator ſuſpicatus eſt; Cardinalem innuere velle, hoc ann. in defenſione tantum permanendum eſſe: quæ res ob plurimas cauſas plurima paritura erat incommoda. Cumque idem Orator ſuo loco diceret præter illa, quæ ſimul cum cæteris generatim protulit, reſpondit, & fuſe ac prudenter conſideravit, Summum Pontificem incredibili charitate adductum fuiſſe, vt Regem & Remp. ad fœdus inuitaret, & vtrumque iuxta eius ſanctitatis votum bene diſpoſitos eſſe: Itaque cum ipſe, quid proponetur, intellexerit, ſe reſponſurum tali pacto, vt & Pontifex & cæteri Domini clare percepturi ſint, Reip. cogitationes cum bono communi adprime coniunctas eſſe.

Veneti petunt bellum offenſiuum decerni.

Addidit poſtea, ſi vnquam offendendi Turcæ commoditas affuit, hoc anno vel maximam eſſe: quoniam ſi claſſis illius diuiſa erat, quemadmodum ſuperioribus diebus allatum fuerat, & Regia ac Veneta coniungerentur, adeo futuræ ſunt potentiores, vt fœdus hilariter concludendum ſit, non ſine ſpe victoriæ, quæ mutatis temporibus non adeo facilis eſſet. Quòd ſi verum eſſet, quod nunciatum eſt, eius claſſem integram Cyprum verſus nauigaſſe, quæ opportunior occaſio ſeſe offerre poteſt, vnde omnes eius Imperii partes concutiantur? Quæ res à Pontifice inculcata fuit, quo Dominis illis animus adderetur, vt maturius decernerent, neque occaſionem pulcherrimam elabi ſinerent: monuitque in regionibus Turcarum deuaſtandis, illos etiam Turcas ſubditos, qui ad fauorem Chriſti tumultuabantur, non eſſe offendendos. Qua de re Cardinalis Granuela pariter diſſeruit, deque hoc bello tractando valde concordibus animis agitatum eſt. Cumque omnes ex cubiculo Pontificio exiſſent, Venetus Orator dixit; Quemadmodum anno 1537. in prima Congregatione fœdus, tanquam conclu'um, publicatum, & vndequaque miſſa mandata ad res neceſſarias exſequendas, mox conditiones agitatas fuiſſe: ita in hoc fieri poſſe, quia præſertim nemo, niſi honeſta, petiturus eſt, neque alicuius momenti difficultas oboriri poteſt, cum vna, eademque ſit omnium opinio Proinde expediret, hanc famam euulgare, neque permittere, vt in expectando hoc decreto ſuſpenſa ſint hominum iudicia: videbanturque Paceccus & Orator aſſenſum præbere.

Occaſio offendendi hoſtis.

Vt fœdus euulgetur, petit Venetus.

At Granuela ſubdidit, alias Oratores ſæpe conueniſſe, & ſuper huiuſmodi rebus conſultauiſſe, ac propemodum eas determinauiſſe, neque modo ignorare, in quibus conſiſtant difficultates, & quo pacto

remoueri queant: ideo, antequam hæc in vulgus emittantur, latius eſſe, audire, quid propoſitum fuerit.

Die 2. Iulii coram Pontifice vocati fuere Regii Procuratores, & Venetus Orator: quibus eius Sanctitas ſcripturam obtulit, quæ formam Capitulationum continebat: erat autem à Deputatis eius Beatitudinis excogitata: ſuper qua peritum eſt temporis ſpatium ad rem trutinandam, & in Congregatione proferendam ſingulorum ſententiam. Congregatio vero in cubiculo Cardinalis Alexandrini deſtinata erat, adiunctis eidem Cardinalibus Morone, Cæſio, Graſſo, & Aldobrandino ex parte Pontificis deputatis.

Scriptura Pontificis quaſi idea fœderis propoſita.

Die 4. cum omnes hi conueniſſent, Alexandrino, qui ægrotabat, excepto, item Oratore, hora 11. in nomine S. Spiritus negotium inceptum fuit; exordiente ſermonem Illuſtriſſimo Morone, qui verbis grauitatis, & prudentiæ plenis, præſentem Chriſtianæ Reipublicæ neceſſitatem examinauit, vnicumque remedium, quo ſuſtentanda eſt: quod procul dubio propoſitum fœdus eſt: Hoc autem quamquam cum omnibus Chriſtianis Principibus, tanquam communi periculo ſubiacentibus tractandum videtur: nihilominus in præſentia inter Pontificem, Regem Catholicum, & Rempublicam Venetam agitatur, vtpote qui Principes ſua regna, ſtatuſque hoſtilibus damnis habent magis expoſita, ac forte ſuccurrendæ neceſſitati paratiores exiſtunt, cunctoſque verbis Summi Pontificis ad gloriam Dei, & Reipublicæ bonum, atque ornamentum vehementer hortatus eſt: quæ ſententia ab omnibus approbata, & vnanimi applauſu fuit excepta. Dixit poſtmodum, eius Sanctitatem iuſſiſſe, vt Scriptura illa proponeretur, quo veluti imago quædam, & ſimulachrum eſſet earum rerum, quæ in præſenti conſideratione perpendendæ videntur: Idcirco ſinguli ſincere ac libere ſuam exererent ſententiam, vt Reipublicæ Chriſtianæ, totique mundo ea conſolatio ac lætitia concluderetur, quæ ab eximia tot Dominorum prudentia, probitate, virtute iure expectabatur. Itaque illa difficultas, quæ antea timebatur, quis prior ſententiam ſuam diceret, euanuit, & excluſa eſt, dum cauſa hæc totius Chriſtianorum Reipublicæ communis effecta & declarata eſt, non autem Venetorum peculiaris, quamuis cuncti decreuerint, in huiuſmodi conſultatione moram trahendam non eſſe, & publicæ vtilitatis gratia Venetos quam primum ſubueniendos. Poſthæc Granuela fœderis articulos examinare incepit, primum perpendit annos duodecim, qui in ſcriptura propoſita exprimebantur: & quamquam non magnam huiuſce rei difficultatem eſſe, fatebatur, ſubdens, ſe voluntati eius Beatitudinis & Reipublicæ accommodaturum: nihilominus diſſertatum fuit, temporis hanc diuturnitatem expeditioni onera multa, populis vero fœderatorum Principum diuerſa atque contraria ſtudia allaturam: Turcis etiam moram iniectum iri, ne à

Moroni hortatoria.

Prima difficultas quo pacto euanuerit.

Tempus determinatũ fœderis excluſum.

Rege

Rege ſuo deficiant, & cito hoſtem ſuis rebus conſulturum, Principeſque noſtros, qu eodem fœdere vinciendi ſunt, ab hoc incepto citius deſtitutos, aut tepidos futuros: Cumque fœderati id vnum intendere debeant, vt Turcicas vires infringant, ac, ſi fieri poteſt, extinguant, nequaquam poſſe temporis ſpatium vllum determinari in re, cuius exitus, quando futurus ignotatur: fuitque ab vniuerſis deciſum, vt fœdus iniretur, nullo tempore præfinito, iuxta capitulationes anni 1537. Quod ab Oratore Veneto approbatum fuit, ne ſuſpiciones foueret eorum, qui aiebant, Rempublicam fœderi huic conſentire, vt temporis momenta lucretur, vtque Regiæ claſſis præſentem opem obtineat.

Secuta eſt deinde ſecunda Cardinalis conſideratio, vt ſcilicet fœdus ad offenſam, & ad defenſam iniretur. Orator autem Venetus in aliud tempus tractationem de offendendo hoſte differebat, quia ſimplex defenſa diſpendioſa eſt, & parum conducibilis: & vera defenſio eſt, hoſtem offendere, & offendendi viribus cum priuare: Verum decretum fuit, vt vtrumque iuxta fœdus anni 1537. exponeretur. Tertia ſucceſſit Cardinalis conſideratio, contra quem hoſtem fœdus ineundum foret: volebat enim non aduerſus Turcam tantummodo ineundum, ſed etiam aduerſus infideles quoſcunque, quemadmodum regio mandato continebatur. Et pleriique Cardinalium à Pontifice delegatorum idem ſentiebant, ducti Religionis reſpectu, vtque Pontifici gratificarentur: inter quos Cæſius & Graſſius aiebant, vix videri, quidquam efferri poſſe in contrarium. Verum Orator Venetus dixit, eos non alia de cauſa congregatos fuiſſe, niſi vt contra Turcas conſultaretur; qua de re Principibus ſcriptum fuerat, deque eadem mandatum ipſe præciſum habebat: Quiſquis autem cæteros infideles nominabat, is nihil aliud agebat, quam præcipuum obiectum perturbare: non enim ii, à quibus auxilium forte expectari poteſt, in ſuſpicionem ſunt adducendi, at potius enitendum eſſe videbatur, vt nobis aggregarentur, & noſtris hoſtibus hoſtes efficerentur. Cardinalis Moronus idem ſentiens, dixit, etiam Soffianum Regem eſſe in numero infidelium, ſuum tamen auxilium ſperari. Granuela ſubdidit, oportere, fœdus declarare contra Turcas, eorumque fœderatos, & aſſeclas & Mauros Afros nominare, atque Sciphum, cum hi Turcarum inſtrumenta ſint ad Chriſtianos vexandos, allegabatque tumultus à Mauris in Hiſpania ſuſcitatos, & Tuneti occupationem, præter innumera damna, quæ in mari noſtro commiſſa fuere, præſertim in terris Eccleſiæ: Quocirca cogitandum non eſſe, vt bellum in Oriente pro Venetis gereretur, & ex altera parte Pontifex & Rex Hiſpaniæ derelinquerentur: addens, fœdus concludi non poſſe, ſi hi prætermitterentur: quod ſi Orator plenum mandatum non habebat, poſſe paucis diebus illud curare.

De hoſte dubitatio ſcrupuloſa.

Præcipuo obiecto inſiſtebat Venetus.

Hiſpani Africam cogitabant.

Quoniam

Quoniam vero Cardinalis Aldobrandinus, ſuum interſerens diſcurſum, dixit, cum Veneti fœdus auxilii ſui cauſa expeterent, par eſſe, vt ipſi quoque cæteris auxilium ne denegarent: reſpondit Venetus Orator Cardinalem longe falli, totamque rem minus intelligere, quia Reſpublica ſocietatem hanc minime petierat, verum Summus Pontifex ipſam propoſuerat, ſimiliterque Rex Catholicus. Quæ verba Moronus, Cæſius & Graſſus confirmauere: ſubiunxitque Orator, Reipubl eæ pergratam rem fore, ſi auxilia obtinuiſſet, & hac de re eius Sanctitati & Maieſtati plurimum debituram: at in cauſa fœderis de publico bono tractari, non de auxilio Reipublicæ tantum ferendo: proinde animaduertendum eſſe, ne in aliquam tractationem conſentiatur, quæ totum principale negotium deſtruat, optatumque fructum auferat: Reſpondit deinde Cardinali Granuelæ, qui dixerat, primum obiectum fœderis huius eſſe, vt viribus Turcarum obſiſtatur: ideoque ſi claſſis contra Seriffum expediretur, contrarium operaretur effectum, & Mauri Barbariæ nimiam ex huiuſmodi tractatu exiſtimationem conſequi viderentur, at Turcam reprimendo, hi omnes ex ſe ipſis conciderent: neque à Seripho, aut à Mauris damna timenda ſunt, cum claſſibus careant: neque regiæ dignitati conducere, vt propter Hiſpaniæ ſolitudines ab aliis auxilia petantur: concludatur modo, vt Turcica potentia contundatur, hi ſponte ſua ſeſe ſubmittent: quod ſi forte vis aliquando adhibenda foret, tunc negotium hoc tractandum eſſe, & Rempub. paratiſſimam ſemper fore omnibus viribus ſuis ad omnem opem Regiæ Maieſtati ferendam: Si diuulgaretur, in tam ampla congregatione, in qua de Turca debellando agitatur, quæ res maximi momenti eſt, concluſum fuiſſe fœdus contra Mauros Africæ, & contra Seriffum, id profecto deriſui apud omnes futurum. Reſpondit Granuela, Hiſpanos fœdus non accepturos, niſi etiam aduerſus Mauros & Seriffum, in quantum Rex intra fretum Herculeum vexari poteſt, hoc tamen pacto, vt in bello offenſiuo Reſpub non teneretur, niſi limitatas vires contribuere, neque obligata eſſet, niſi caſu, quo in Oriente bellum non gereretur: quo ſuam petitionem honeſtare viſus eſt. Nihilominus Moronus, aliique ab eius Sanctitate Deputati, dictis rationibus adducti, videbantur non aſſentire, nominandum eſſe Seriffum, & Mauros ſed tantum ea loca, quæ Turcis in Barbaria obſequuntur, quæque Turcicæ ditioni proprie ſubſunt: hæc autem ſunt Algerium, Tunetum, Tripolis; ne videretur Reſpublica ſubterfugere ab ope ferenda Pontifici, Regique in mari infero, quemadmodum eius Sanctitas, eiuſque Maieſtas ipſi in ſupero opitulatæ ſunt, ideoque abſq; alia declaratione in hoc fœdere Algerium, Tunetum, Tripolim comprehendi. Ob has difficultates atque diſputationes decretum fuit, moram ad hunc articulum explicandum interponendam eſſe; indictumque fuit ob rei Maieſtatem artiſſimũ ſilentium: & quamuis

Venetus nõ vult petiiſſe fœdus.

Venetus priuatam expeditionem Hiſpanorũ refutat.

Præſtant Hiſpani.

Silentium indictum.

iam adueſperaſceret, tamen tractatio continuata eſt, ne videretur interruptum negotium. Quando ad claſſis, viriumque declarationem ventum eſt, ab omnibus decretum fuit, vt declararetur, expeditionem faciendam eſſe numero ſaltem ducentarum triremium: quarum centum à Republica darentur, centum à Rege, ſimulque quinquaginta millia peditum, equitum vero quinque millia, vt in veteri capitulatione: apponeretur autem verbum illud, ſaltem, quia Venetus Orator maiores opes maritimas poſcebat: neque contentus, vt Reipub. triremes centum aſſignatæ eſſent propter nimiam expenſam, obtinuit declarationem, vt in ſumptuum diuiſione, ſi Reſp. in triremium numero grauata nimis eſſet, in cæteris ſumptibus reſtauraretur: atque ita Congregatio dimiſſa eſt, & Orator Venetus petiit, vt fœdus, tanquam concluſum, publicaretur, & plerique in eandem fuerant ſententiam, ſed tunc nihil decretum fuit.

Exercitus, & claſſes fœderis.

Die 4. iterum Congregatio facta eſt, fuitque prima conſideratio ſuper expenſarum proportione. Magnam Cardinalis Granuela difficultatem obiecit, quia Rex ob multa diſpendia, quæ paſſus erat in bello; & ob multas domi foriſque ſollicitudines, admodum erat exhauſtus, multaque rerum euenta nominauit, vere magna & inſueta: & nihilominus dixit, velle ſe teneri, quemadmodum olim Imperator idemque Rex eius, ad expenſarum medietatem. Orator Venetus allegauit ſimiliter graues ſumptus, quos Reſpub. hoc anno erogauit, itemque illos, quos præter portionem à fœdere iniunctam factura erat in præſidiis inſularum, dominiorumque ſuorum, quæ fere omnia Turcarum damnis expoſita ſunt, & ſingulis hiſce locis hoc modo vexatis, & in periculo conſtitutis oportere extrahere omnia auxilia ad bellum ſuſtinendum, vnde Reſp. non amplius, quam partem quartam contributura erat. Omnes illi Domini ſuſpenſo iudicio remanſerunt; dixitque Aldobrandinus, crediturum ſe fuiſſe, Rempub. tantundem contributuram, vt Rex Catholicus. Moronus dixit, nulla alia de cauſa tractationem hanc dubiam ſibi extitiſſe, niſi propter Principum paupertatem: non enim ignorabat, omnes propter ingentes ſumptus exhauſtos eſſe; attamen Rempub. melius, quam cæteros ſe habere, quia cum multis abhinc annis pace frua tur, iam æs alienum perſoluerat, potuitque nonnihil theſauri accumulare: quam rem alii efficere nequiuerunt: enixuſque eſt perſuadere Oratori Veneto, omnino oportere quamcunque difficultatem amouere, imo etiam impoſſibilia aggredi, ne publicum bonum deſeri videatur. Reſpondit Orator, etſi Reſpub. bellum non geſſerat, habuiſſe tamen plurimarum occaſionem expenſarum & præterquam quod eius reditus ſumptibus ordinariis non ſufficiunt, quolibet anno ei neceſſe eſt decimarium vectigal Venetiis imponere, & continentis vrbibus alterum ſubſidium, eidemque oportuit quotannis magnam claſſem inſtruere, vt populos ſuos tueretur, &

De modo contributionis diſſidium.

Excuſationes vtriuſque partis.

Turcas in ſuſpicione detineret: Cupere quidem Rempub. etiam pro totius ſumptibus contribuere, libenterque id effecturam, ſed non expedire ampliora polliceri, quam præſtari queant, cum bellum hoc magnum, & multis annis duraturum, neque facile deſerendum ſit. Quod ſi alias contribuerat pro tertia parte, tunc tot ſtipendia non patiebatur, & plura dominia poſſidebat, neque bello, vt in præſens, opprimebatur. Multæ vtrimque longo temporis ſpatio factæ fuerunt reſponſiones, atque replicationes, cum Regii nihil amplius, quam dimidiam partem expenſarum adiungere vellent, neq; Orator quidquam vltra quartam partem, cum omnium oculos in ſe vnum coniectos aſpiceret, & Congregationem in periculo eſſe, ne re imperfecta diſſolueretur, demum dixit, effecturum ſe ſua ipſius authoritate, vt tertia pars à Repub. contribueretur; ſi certo ſciebat, poni ab eo Remp. in ſumma difficultate ob ærarii maximam penuriam, propter ingentes ſumptus hoc anno erogatos in triremibus, nauibus, quinqueremibus, totque arcium præſidiis, quæ ad 40000. ſtipendiorum aſcendebant: itaque tertia pars ſtabilita eſt.

Tertiam partem ſumptuum conſert reſpubl.

Verum altera oborta eſt difficultas de portione Pontificis: etenim in altero fœdere pro ſexta parte contribuerat, ſed nunc ſupputando, Eccleſiæ quadringenta millia aureorum minus in reditibus annuis eſſe, quam tunc haberet, via nulla, ac ratio reperiebatur, vt pars, quæ Pontifici ſpectabat, poſſet commode exſolui. Moronus Cardinalis Regios etiam atque etiam rogabat, itemque Oratorem Venetum, quo ſuos Principes obligarent pro rata portione ad ſubleuandum onus Pontificis, præter 12. triremes, quas libenter contributurus erat: Et Cardinalis Aldobrandinus non adeo exacta ſupputatione, æſtimabat, claſſis iam decretæ opes eiuſmodi eſſe, vt ſingulis menſibus ſexcenta millia aureorum pro ſuſtentatione requirerentur, ex quibus Pontifici obtingerent circiter centum millia: ex his autem exſolui poſſent vſque ad triginta, vel triginta quinque millia: reliquum vero fœderati inter ſe partiri, & pro Pontifice in commune erogare poſſent. Verum Orator Venetus in eo pertinaciter perſtitit, Reipublicæ ſuæ deeſſe facultatem, ſeque eius mandata tranſiliiſſe, dum tertiam partem pollicitus fuerat, etſi ſecundum ſuas inſtructiones quartam non amplius exhibere poterat. Quamquam autem credebat, Rempublicam ratum habituram, quicquid promiſiſſet, tamen ſibi exploratum eſſe, eandem nihil amplius præſtare poſſe, ſed effecturum eſſe nihilominus, vt eius Sanctitas triremium corpora, quotquot opus eſſet, commodato acciperet: quod extremum erat eius, quod factura eſſet.

Rata Pontificis ſubleuanda à fœderatis.

Triremes commodato offert Venetus.

Propter has difficultates Cardinales ad Pontificem iuere, itemque regii procuratores, & ſeorſim, mox coniunctim horam fere integram inter ſe conſultauerunt: & demum in hanc ſententiam venere,

vt iuſta

vt iuſta heret omnium faciendorum ſumptuum partitio, præſertim eorum, qui ad Pontificem pertinebant: ſimulque iterum congregarentur Regii, & Orator Venetus, quemadmodum & deputati Cardinales cum eius Sanctitate conuenirent, vt omnes viam ac rationem ſimul inuenirent, qua nodus hic maximæ difficultatis explicaretur qui ſi explicari commode nequiret, dubitandum non erat, fœdus iniri non poſſe. Reſpondit Orator Venetus; Quoad partitionem ſumptuum faciendam, & ad conueniendum cum Regiis, libenter ſe mandata exſecuturum: cæterum vt more ſuo, & quemadmodum in ſimilibus tractationibus liberrime eloqueretur ſententiam ſuam, nequaquam fieri poſſe, vt aliud auxilium, quam triremium commodationem, promitteret: quod tamen nimmi faciendum non eſt, quia multo ſumptu ædificantur, & inſtrumenta conſumuntur, & Reſpub. fructu ſuo priuatur, quo portio ſibi debita exereſcebat, & in aliquo alio redintegranda erat. Addidit poſtea Cardinalis Moronns ſeorſim, quod in Congregatione proferre noluerat, ne Regios offenderet, temp. hunc ſumptum ſibi aſſumere maximo ſui incommodo, quia aliud, niſi à clero ſuo ſubſidium non habeat: at Rex totam hanc expenſam ex bonis Eccleſiaſticis, & ſubſidio Cruciatæ habiturus erat, præter militiam, quam Papa conceſſiſſet: ac proinde poſſet Rex etiam eius ſanctitatis partem ſubleuare, præſertim quia Regis conditio ideo melior erat, quam Reip. quia hoc fœdere eius Maieſtas omnia ſua regna in tuto collocabat abſque ſtipendiorum ſolitorum ſumptu, cum claſſis in Orientem mittenda ſatis ea defenſura eſſet. Verum Reſpub præter fœderis expenſas, neceſſe habebat per totum ſuum imperium præſidia diſponere. Reſpondit Moronus, omnia hæc à Pontificiis coram Regiis diſſertata, & ab iis, tanquam vera, confirmata fuiſſe, ſed Regis paupertatem excuſabant, vtpote qui regna ſua habet oppignerata, neque populis abſolute imperat, imo ob tot grauamina in aliquo verſatur periculo; quod ſi hoc Capitulum non accommodaretur, magna inde in toto negotio difficultas extimeſcenda erat.

Triremium commodatum diſpendioſum Venetis.

Hiſpanis vtilius eſſe fœdus.

Die 7. Congregatio ſine Oratore Veneto habita eſt, quia tota tractatio inter eius Sanctitatis Deputatos, & inter Regios Procuratores ob reſpectum Cruciatæ, aliaſque ipſorum petitiones agitata eſt. Et interim Orator Venetus cum Pontifice collocutus eſt, vt purgaret ſe: quippe intellexerat, ipſum male affectum eſſe, quod Orator difficultatem interpoſuiſſet fœderis contra Turcas, & quoſcunque infideles declarandi, & quia conſenſum ſuum præbere noluiſſet, vt Reſp. obligaretur aliqua ex parte ad ſubleuandam Pontificis portionem: ſed audito Oratore acquieuit animo.

Purgat ſe cũ Pontif. Venetus.

Die 8. omnes ex mandato conuenerant. Et Granuela propoſuit, vt de partitione tractaretur, quæ ad defenſam facienda eſſet. Et quoniam Venetus Orator opinabatur, nihil eſſe addendum conditionibus

fœderis

fœderis anni 1537. Cardinalis proſecutus eſt ſermonem, aſſerens, ſemper in fœdere defenſiuo ſolere declarari, quo numero, & qualitate virium alter fœderatorum alterum iuuaturus ſit, & innumeros poſſe caſus accidere, quibus bellum offenſiuum geri non poſſit, idque omnino deliberandum eſſe in præſentia, nam ſi differretur in tempus neceſſitatis, id ſine damno, & confuſione peragi non poſſet: petiitque, quemadmodum Reſpub. modo à Rege opem refert quinquaginta triremium, vt pari ratione ipſa obligaretur eius Maieſtati ad opem ferendam in eius neceſſitatibus cum totidem, aut pluribus, paucioribus ve triremibus, prout opportunius iudicaretur. Reſpondit Orator, propter defenſam ſe ſatisfacturum, quantum pro offenſione decerneretur, & eadem partitione ſingulis, prout neceſſitas poſtularet, ſubueniri poſſe. Replicauit Cardinalis, neque ex parte Regis, neque ex parte Reipub. honeſtati conuenire, vt hæc ſola partitio ad defenſam applicaretur: ſed aliam partitionem iucundam eſſe iuxta proportionem auxilii, quod Rex hoc anno Reipub. præſtat, meliore quidem Reipub. conditione, quia ad tertiam partem contribuendã in prima partitione ſe obligat, & pro alia deinde concurreret: vnde ſicuti Rex adiuuat hoc anno Rempublicam cum quinquaginta triremibus, cum ipſa 150. habeat: pari ratione ipſa Regem iuuabit, quando ipſe habebit triremes 150. cum quinquaginta aliis, & quando 120. cum quadraginta, quando ſexaginta cum viginti, & quando plures cum pluribus, quando pauciores cum paucioribus: attamen quartam partem non excederet: quod ſi alio modo partitio facienda eſſet, eius Maieſtas minus commodi ſentiret, quam ſeruatis fœderis capitulationibus habitura eſſet. Replicauit Granuela, non placere ſibi portionem illam, ſed velle, vt quo numero Rex Rempub. iuuabat, eodem Reſpub. ipſi in eius neceſſitatibus ſubueniret, ſuaque manu adnotauit capitulum, quo eadem ſententia continebatur. Reſpondit Orator, hoc honeſtum non fore, primo, quia Reipub. opes regiis opibus impares exiſtunt, deinde quia defenſiones, quas eius Maieſtas factura eſſet, tanti non eſſent momenti, quanti illæ forent, quas Reſp. effectura eſt, quoniam hæc ab omni Turcæ potentia ſe cogitur defendere, Rex vero à parte illius mediocri. Quod ſi Rex forte impeteretur ab vniuerſa claſſe Algerii, quæ ex triginta, aut paulo pluribus conſtat triremibus, ſi Reſpub. Regi cum quinquaginta triremibus opem ferre teneretur, ipſa ſola expenderet, & in Regis auxilium plures opes mitteret, quam poſtularet neceſſitas. Qua ratione motus Cardinalis, ſcripturæ ſuæ addidit, vt quicũque fœderatorum auxilium poſceret, is duplo maiores opes inſtructas haberet, quam auxilium ferendum. Ad quod multa abſurda allegata fuere, vnde Cardinalis cuncta, quę ſcripſerat, dele-

Contributio ad defenſam, & ad offenſam cõtenditur.

Hiſpanus eandem opem vult à Republ. quã præſtat reipubl.

Moderatio petitionis.

uit, ſolumque adiunxit, vt cuicunque ſubſidium ferretur, is maiores vires haberet. Orator Venetus dixit, Reuera nihil melius effici poſſe, quam veteribus capitulationibus inniti: nam quiſquis omnes caſus colligere vellet, is confuſionẽ gigneret, & multa inueheret incommoda, hæque particularium rerum conſiderationes principalis rei, propter quam fœdus tractatur, executionem impedirent: idemque cenſuit Moronus, videri ſibi, in declaranda defenſæ partitione diſcordantia ſuffragia haberi. Dixit Granuela, id ſibi in Inſtructionibus ſuis expreſſe iniunctum fuiſſe, & ſine huiuſmodi partitione fœdus ab ſe concludi non poſſe. Subiunxit Paceccus, declarandum eſſe hunc articulum, & præter hæc auxilia, quæ inuicem ſibi fœderati ſuis ſumptibus præſtare tenentur, addendam eſſe alteram particulam, quæ fœderatos obliget, vt alter alteri ſoluto pretio teneatur accommodare ea, quibus indigere eum contigerit, vt ſi forte Rex triremes vellet, vltra debitam portionem auxilii, Reſpub. teneretur illas commodare, itidemq; Reſp. ſi naues aliquid ue aliud peteret, Rex pariter ad idẽ obligetur. Monuit Orator, aduertendum eſſe, ne præcipuum conſilium, quo fœdus tractatur, interrumpatur: nam hæc petitio auxiliorum pro particularibus expeditionibus, aliiſque rebus vltra præcipuum tractationis obiectum, negotii totius ſeriem cõfundere valet: eaque de re moneri iuſſit Moronem, Cæſium, & Ruſticuccium: qui propterea, quod ipſi etiam eandem ſuſpicionem animo conceperant, cogitabant expeditionem offenſiuam contra Turcas ſtabilire, omneſq; alias intermittere: ſed res tunc indeciſa, & ſub iudice remanſit.

Præcipuum conſilium non deſerendum.

De congregatione diei 9. Orator propoſuit, vt Veneta claſſis ſimul cum Regia coniungeretur, conſiderans, claſſem à Rege ad hunc finem miſſam eſſe in has partes; quiſquis moram inieciſſet, pulcherrimam, vtiliſſimamque amiſſurum occaſionem: claſſem Venetam iam inſtructam eſſe: Turcarum claſſem in vicinis maribus deſidere, neque tantam eſſe viribus, aut numero, quin coniunctis Regiis, Venetiſque triremibus, poſſit tuto, & potioribus conditionibus expugnari. Reſpondit Granuela, claſſem opportune coniunctum iri. Replicauit Orator, hoc tempus opportunũ eſſe, & claſſem Venetam toto præterito menſe Corcyræ ſeſe detinuiſſe: & multa hinc & inde diſputata fuere, donec Cardinalis multis verbis amoris & officii plenis, Oratori Veneto, cæteriſque perſuadere conatus eſt, certo fore, vt Regia claſſis congregetur alteri claſſi, cum primum ab Hiſpania ſuppetiæ neceſſariæ afferrentur: hæ vero non tardius afferendæ erant quam ad feſtum S. Iacobi, ſeque vehementer excuſauit, aliter fieri non poſſe, quemadmodum eius Sanctitas omneſque illi Domini optime norant: Idem aſſeruit Cardinalis Paceccus, & Regius Orator.

Venetus inſtat coniunctionem claſſium.

Promittit Hiſpanus.

Deinde iterum ad fœderis tractationem deuentum eſt, vtq; ſinguli articuli examinentur, reſumptus eſt ſermo de locis Barbariç, hoc eſt, Algerio, & Guletta, & Tuneto, quæ loca Procuratores Regii vrgebant, vt in fœdere comprehenderentur: & quanquam Seriffum, & Mauros nominare intendebant, tamen ab ea ſententia diſceſſuri videbantur, quia omnes contra ipſos ſentiebant: ſed quantum ad illa tria Africæ loca pertinebat, aiebant, in fœdere comprehenſa fore. Quod ſpectat ad bellum offenſiuum, poſt lõgam diſputationem reſpondit Orator Venetus, loca hoſtilia ſpecificanda non eſſe, quia in generali fœdere contra Turcas eiuſq; imperium continebantur. Cum autem Regii pertinaciter eidem ſententiæ inhærerent, affirmantes, id ſe in mandatis expreſſum habere, Orator aſſenſit, vt verbo generali, Contra Turcas, eiuſq; imperium, adderetur, Tam in mari Mediterraneo, & Ægæo, quã in cæteris partibus Europæ, cõſiderans, ſi quis loca à Turcis poſſeſſa nominare voluerit, eum incaſſum laboraturum, vanumq;, & longum nimis cathalogum effecturũ: alioquin videretur, fœdus contra ea 3. loca tantummodo initũ fuiſſe. In his difficultatibus Granuela perſtitit, aſſerẽs omnino neceſſariũ eſſe ea loca nominare, & determinate eſſe auxilia ſpecificanda tã in offenſa, quã in defenſa, iuxta auxilium illud, quod Rex in præſentia Reipub. præſtat tam deſeruiens defenſæ, quam offenſæ. Et Capitulũ declararetur, vt Rex ſimiliter obligaretur ad iuuandam Rempub. in ſuis expeditionibus: alioquin ſibi inuicem ſingulis annis opitularentur. Et quoniam Orator Venetus perſiſtebat, negans, aliam expeditionem ab ſe nominatum iri, quam generalem, pro qua fœdus percutiebatur, cui nota ignominiæ inurebatur, ſi aliqua peculiaris expeditio ex debito apponeretur, ob multa incommoda, quæ conſequerentur in fœderis diminutionem, quod quidem amicis, & inimicis in contemptum, & deriſionem abiret. Quamobrem dixit Cardinalis, declaratum iri, vt hæc peculiaris expeditio tunc inciperetur, cum generalis minime fieret; propoſuitque, vt Capitulum illud ſeorſim ſcriberetur ad euitandum incommodum, quod Venetus Orator allegauerat. Quoniam vero vinci ſe non permittebat, ſemper nouas in contrarium adducens rationes, & argumenta, quæ nonnihil virium habere videbantur, Cardinales Granuela, & Paceccus, itemque Regius Orator in ſeparatum conclaue ſeceſſerunt, ſimulque diu conſultauerunt, donec ad congregationem redeuntes dixerunt; Quod pertinet ad ſeipſos, libenter ſeſe plurimi ſententiæ accommodaturos; cæterum habere ſe in inſtructionibus ſuis conditionem hanc expreſſe appoſitam, vt in fœdere declararent, Regem in expeditione Algerii adiuuandum eſſe: & conuerſi ad Oratorem Venetum addidere; Ipſum ob ſuam experientiam

Africæ loca nominanda eſſe, contenditur.

Venetus repugnat, & præcipuo bello inſiſtit.

rerum Hiſpanicarum optime noſſe, quo pacto ſe Rex habet cum populis illis, à quibus alia auxilia obtinere non poteſt, quam ad Africanam expeditionem. Quare niſi in hoc fœdere expreſſe Algerium cum aliis duobus locis nominatum fuerit, fieri non poſſet, vt Rex ea auxilia, quibus indigere poteſt, obtineat. Itaque ſine huiuſmodi conditione conueniri non poteſt; nominatis autem locis illis conuenietur; ipſumque vehementer orauerunt, ne in hoc negotio, alioquin deſperato, hanc difficultatem interponeret: dixeruntque, ſe aſſenſuros, vt id exprimeretur vel in Capitulatione, quæ publicanda eſſet, vel in Capitulo ſeparato ad eius arbitrium, & declararetur, ob peculiarem Africæ expeditionem nullo modo impediri debere præcipuam: ſed illa eo anno, & tempore capiatur, quo Principes cognoſcent, præcipuam expeditionem ſuſcipi non poſſe, neque conducere, vt ſuſcipiatur. Quod ſpectat ad auxilium, cupiebant, declarari, vt quinquaginta aut ſexaginta triremium eſſet, illudque amplius, quod ſine Reipublicæ incommodo concedi poſſet. Viciſſim ſe obligabant, ad iuuandam Rempublicam cum totidem triremibus, illiſque amplius, quæ neceſſariæ fuerint ad expeditionem vbiq; obeundam, excepto ſinu Adriatico vſque ad Dyrrachium excluſiue. Replicauit Orator, quæ prius dixerat, ſi de expeditiunculis peculiaribus cogitaretur, totam rem peſſum ituram, cuius fundamentum eſt Turcam debellare, vbicunque potentior eſt: has autem reculas (viribus præcipuis expugnatis) ex ſe ipſis caſuras, neque Regem fœderis indigere propter Africam, quemadmodum neque Reſpublica propter ſinum Adriaticum, at vtrumque ideo indigere, vt vincantur & impediantur, quicunque Turcis vires, opeſque ſubminiſtrant. Verum Regii clare profeſſi fuere, ſua mandata hac in parte limitata eſſe, neque ſe poſſe ad pactum aliquod deſcendere, niſi hæc expreſſe adhibeatur conditio, vt pro Africano bello auxilia determinentur, eo tamen tempore, cum opportune ſuſcipi poteſt abſque præcipui belli impedimento, vnde tota res hoc modo indeciſa remanſit.

Temperamentum Hiſpanorũ.

Terminus defenſiui belli.

Poſthæc de contributione ſumptuum, & portione Pontificis incepta eſt diſſertatio: Qui in præſens haud amplius, quam pro ſuſtentandis duodecim triremibus vires habere non videtur: cũque Regii pro rata ſua contributioni conſentirent ad ſubleuandam eius ſanctitatem, exquiſitũ fuit, an Reſpublica pro ſua parte contribuere contenta ſit: qua de re deputati Cardinales diu cum Oratore Veneto egerunt, ſubdiditque Moronus, inquiens. Si Reſpublica parata eſſet, quemadmodum regii procuratores opem ferre Pontifici, poſſe ipſam ab eius Sanctitate, quidcunque cuperet, impetrare, ipſumq; Pontificem eidem dixiſſe, vehementer ſe admirari, quod hac in re difficultas à Republica conſtitue-

Portio Pontificis ſuppletur ab Hiſpano.

Venetus ſe excuſat.

reretur, cùm tamen nunquam ingratum animum oſtendere ſoleat erga illos, qui erga Sanctam Sedem grati exiſtunt. Quoniam vero Orator dixerat, eius Sanctitati non deeſſet ſumptuum faciendorum poteſtatem, modo nonnihil de iis rebus egiſſet, quas cæteri Pontifices effecerunt, dixit Cardinalis, Pontificem eiuſmodi eſſe naturæ, vt, quoties perſpicit, ſe in aliqua actione impediri, & quo impedimentum illud amoueatur, proponi rem aliquã, quam contra conſcientiam eſſe, ipſe credat; tunc perſuaderi ſoleat, diſplicere Deo, vt illam actionem exequatur, itaque ipſam omnino derelinquit. Orator Rempublicam excuſauit, magna perpendens onera, quæ ſuſtinet, & profeſſus eſt, libenter illam Pontifici gratificaturam non modo in parte, ſed etiam in tota portione contribuenda, ſi modo vires eam non deficerent: & denuo conſiderauit, Pontifici non deeſſe facultatem ad ſuam Portionem integre ſupplendam; neque certe Pontificiæ dignitatis eſſe minoribus viribus huic fœderi ſeſe aggregare cum ob expeditionis exiſtimationem, tum ob Pauli Tertii exemplum.

Mox de contributione ad defenſam agitatum eſt, & Orator Venetus diu diſputauit, ſi offendendo hoſti, quemadmodum oportebat, incumberetur, dubitandum non eſſe, vt ille ab aliqua parte inuaderet, & quamuis pirata aliquis, ſimileſue homines damnum aliquod inferrent, id non tanti fore momenti, vt ideo fœdus ineundum ſit, & propter comparandam claſſem ad Algerium laceſſendum Regem auxiliis non indigere: quod ſi Turcarum vires illuc vergerent, tunc ex fœderis obligatione ſuccurrendum eſſet.

Poſthæc de Generali Duce tractatum eſt in congregatione diei 11. cumque Cardinalis Granuela propoſuiſſet propter honorem Regis & virium acceſſionem, quam eius Maieſtas præ cæteris adiungit, & propter duces, quos habet eximiæ virtutis, & experientiæ, & auctoritatis, itemque propter exemplum Capitulationis anni 1537. adprime decere, vt eius Maieſtati hæc prærogatiua concedatur, vt claſſis Regiæ Dux totius expeditionis intelligatur eſſe Generalis præfectus; quem tamen Rex conſenſu Pontificis & Reipublicæ deputare contentus eſt: Reſpondit Orator Venetus, rem ſibi compertam atque indubitatam eſſe, voluntatem Sereniſſimi Catholici Regis optimam eſſe, itemq; Dominorum procuratorum mentem nihil aliud attendere, quam vt beneficium publicum, non priuatam rem promoueant, idemque Reipublicæ moris & inſtituti eſſe: Quæ tamen multas allegare poſſet rationes & cauſas, ex quibus ſint læſione Pontificiæ vel Regiæ dignitatis, ipſa ſibi hanc prærogatiuam iure petere poſſet, interque cæteras illam, quod bellum contra Rem-

De Generali decernendo difficultas.

Venetus primatum ſibi debitum putat.

publicam publicatum eſt: proinde certius, quam cæteri hanc iudicare poteſt expeditionem, quæ præcipue in Orientis maribus ſuſcipienda eſt, vbi ſua obtinet regna, & vbi ſui homines cæteris omnibus nauigandi peritia excellunt; Reipublicæ triremium maiorem eſſe numerum, quam regiarum, & qui plures habent triremes, potiorem ei locum honoris attribuendum eſſe: ſubditos Turcarum, qui defecturi ſperantur, promptius commotum iri propter vexillum Reipublicæ, quam propter Pontificium aut Regium vexillum. Et quanquam hæ rationes validiſſimæ videbantur; nihilominus quia vehementer in hiſce regiis articulis inſiſtebant, dixit Orator, vt omnem difficultatem atque controuerſiam remoueret, duas ſe velle inducere conſiderationes. Alteram deliberationum, alteram executionum. Quod ad deliberationes, conuenire, vt ab omnibus tribus Generalibus fierent pro maiori parte ſuffragiorum, adeo vt ex tribus capitibus vna conficeretur voluntas ac determinatio: quod vero ad executiones, poſteaquam ſecundum trium ſuffragia efficiendæ erant, & vnuſquiſque ſuam auctoritatem obtinet, ſeſe ſubiiceret ſententiæ, quam Pontificius præfectus declaraſſet. Multa hinc, & inde allata fuere, ſed Regii modeſtius ſe gerebant, ne cum Pontifice contendere velle viderentur; à quo gratias, multoſque fauores expectabant: Neque tunc articulus hic declarari potuit, ſed illius tractatio coram Pontifice reiecta eſt. Verum Cardinalis Moronus Oratori Veneto ſeparatim dixit, Regios cupere Don Iohannem Auſtriacum Generalem ducem nominare: at quoniam non ſemper ipſe in claſſe conſiſteret, vellent, vt eius Subſtitutus & Locumtenens, qui eſſet Commendator maior Caſtiliæ Regii Oratoris frater, omnibus frueretur prærogatiuis ac priuilegiis, quæ obtineret Don Iohannes Auſtriæ, ſi coram adeſſet. Quæ res, quoniam indecens videbatur, putabat Card. vt claſſi imponeretur vnus Legatus Cardinal. vt omnes vnanimes conſeruaret ad promouendum bellum, neque minus in deliberando, quã in exſequendo. Sed Oratori id minime probabatur, quia hoc pacto Ducis Generalis auctoritas tolleretur, ſuperiorem claſſi imponendo, qui animos ad expeditionem perficiendam diminueret. Similiter in Congregatione de Capitulo pertinente ad terreſtrem militiam actitatum eſt: verum haud longa habita eſt diſſertatio, quia in aliud tempus dilata fuit.

Duæ conſiderationes Veneti oratoris prudentiſſimæ.

Legatus Cardin. in claſſe.

De ſingulis deinde articulis breuiter tractatum eſt, & vnuſquiſque conſenſit, vt quiſquis contrahentium aliquid vltra ſuam portionem contribuerit, ab aliis pro iuſta æſtimatione reſtauretur, & annonæ extractio aperta ſit ad vniuerſale commodum, & expeditionis beneficium; quod ſi terræ & dominia Eccleſia-

ſtica

ſtica offenderentur, ea defendantur à confœderatis: & reſeruetur Imperatori, Regibus, aliiſque Principibus honeſtiſſimus locus, vt inter fœderatos annumerari queant, imo Pontifex ipſos conetur allicere, illoſque potiſſimum, qui huic expeditioni momentum aliquod afferre poſſe videntur: vtque nemo contrahentium pacem, ſiue pactionem vllam cum Turcis agitare poſſit abſque conſenſu & participatione cæterorum fœderatorum; vt Pontifex arbiter ſit controuerſiarum, quæ fœderationis cauſa contingent. Totaque hæc diſſertatio abſque contentione perfecta eſt: in capitulo annonæ extrahendæ dixit tantum Orator Venetus, clarius id explicandum eſſe, quam in antiquo fœdere factum fuerat. In illo autem capitulo, ne pax ſiue pactio aliqua cum Turcis tractetur inconſultis confœderatis, dixit Cardinalis Granuela verba quædam aſſecurationis, hoc eſt, vt arces in Pontificiis manibus conſignentur: & Orator Venetus reſpondebat, non eſſe de huiuſmodi indignitate loquendum, & ſufficere Principibus fidei promiſſionem, omnemque in his tractationibus nouitatem periculoſam eſſe; fuitque à Pontificiis Deputatis diſſerrum, vt capitulum formaretur, quo ſancitum eſſet: Quiſquis fœdus deſerturus eſt, eum intelligi cenſuris Eccleſiaſticis ſubiacere, alioſq; fœderatos teneri, ſe hoſtes eius declarare: qua de re multa hinc, & inde diſputata fuere, nihilque concluſum.

Annona libera extractio difficultatem affert fœderi.

Contra fœderis deſertores.

Die 8. iterum in Congregationem rediuere, vt ſuper duobus articulis loquerentur, & ob vehementem contentionem haud mediocre periculum fuit, vt fœderis tractatio reſcinderetur. Prima difficultas fuit propter contributionem ad ſupplendam partem Pontificis, quia cum tractaretur, vt Rex ſuppleret pro ſexdecim triremibus, Reſpubl. vero pro octo, cumque Regii reſpondiſſent, ſe fore contentos, modo etiam Reſpublica aſſentiretur, & Orator Venetus adduceret expenſas, quas huius belli cauſa Reſpub. patitur, publicatorum vectigalium diminutioné, quia minus ſolito locantur, priuatorum damna ob mercaturas Orientis interruptas, vnde fieri non poterat, vt plus, quam partem tertiam, vt erat concluſum, contribueret: dixerunt Cardinales Deputati, cum Pontifex aliunde prouidere non poſſit, oportere, vt cleri Veneti decimis vteretur, quas Reipub. conceſſerat, vtque pro ſe illud acciperet, quod proprium eſt Sedis Apoſtolicæ, vt illud in beneficium publicum conuerteret. Ad hæc ſtatim reſpondit Cardinalis Granuela, vt eius ſanctitas non cogitaret accipere ſibi reditus cleri alienarum ditionũ, quia Principes id nunquam conſentirent. Quæ verba adeo DD. Cardd. illos læſerunt, vt Moronus, qui rebus agendis vigilantiſſimus ſemper fuerat, aſſeruerit, Regem etiam in ſumma egeſtate

De portione Pontificis ſupplenda difficultas.

conſtitutum omnia conceſſurum. Orator autem interrogauit, in cuius arbitrium foret, an decimæ concedi debeant, necne; & reſponſum fuit, in arbitrio Reipub. Igitur inquit Orator, ſi hæc arbitrio Reip. committuntur, fœdus amabiliter tractandum eſt, non cauillationibus, quia alter ab altero facilius omnia conſecuturus erit, ſi humanitate certaretur. Itaque hæc petitio excluſa fuit, & omnes acquieuerunt: dixitque Orator, ſe ea capitula eo pacto propoſuiſſe non ex mandato Reipubl. ſed ductus ſpe, vt aſſenſum ſuum præbitura ſit: proinde ſe non poſſe hæc ſtabilire, niſi noua accedat Reipub. commiſſio. Et poſt congregationem cum conquereretur ſeorſim cum Cardinale Morono de tot difficultatib. quæ in hoc negotio mouebantur: conſiderauit Moronus, etſi Regii vtilitatem, & potiores conditiones quærebant, tamen conducere plurimum Reip. vt Rex hoc bello implicetur, quia hoc, & futuro anno expeditio vtilitati totius Reipub. adeo cedebat, vt ſi Turca hoc aut alio anno affligeretur, dubio procul præcipua expeditio proſequenda eſſet, omiſſo Algerio & Tripoli, & cæteris minoris momenti, & Pontifex ſemper generali expeditioni faueret: proinde Reſp. obligatura ſe eſt pro eo tempore, quo primum rem ſuam agit: Verum ſi (quod Deus auertat) contingeret, vt primæ expeditiones Chriſtianis damnoſæ eſſent, adeo vt afflictæ atque debilitatæ remanerent opes noſtræ, tunc noua expeditio ſuſcipi non poſſet: quod ſi rex illam vellet ſuſcipere, Reſpub. cogi non poſſet, neque vlla obligatio, vllumue fœdus aut promiſſio valeret, quia qui non facit, quod non poteſt, nunquam non excuſatur.

Decimarũ difficultas ſopita.

Die 7. à Deputatis Pontificiis allatum fuit in Congregatione exemplum Capitulorum, traditumq; fuit cum Regiis procuratoribus, tum etiam Oratori Veneto, dictumque fuit à Morono, hanc eſſe Pontificis determinationem, à qua eius Sanctitas remouere ſe non poteſt, cum ſatis ſuperque vtriuſq; partis tractationibus prouiderit. Reſponderunt Regii, ſe conſideraturos ſcripturam, ſuaſq; opiniones dicturos, deinde illam miſſuros in Hiſpaniam, vt cuncta Regi innoteſcerent. Et Orator Venetus aiebat, non expedire, vt fœderis publicatio diutius differretur: iam maturandum eſſe: neque Turcas dormitanter ſuas res agere, totumque mundum ſuſpenſis animis expectare hanc concluſionem: tot congregationum multiplicationem præſenti negotio vilitatem inducere, & ipſos tractantes dedecorari: quod ſi fœderis concluſio procraſtinanda eſſet, ſaltem è re eſſe, vt interim claſſis Catholica quamprimum accederet, ne expeditio fiat difficilior, & Chriſtiana Reſp. detrimentum capiat.

Venetus inſtat publicari fœdus.

Reſponſum fuit à cæteris, non videri nimiam temporis intercapedinem ſpatium quatuordecim dierum in tã ardua tracta-

tione,& fœdus anni 1537. Octobri menſe ceptum,& Feb. uario conclu ſum fuiſſe. Quo ad claſſem coniungendam, Regii ſe excuſabant, vt alias, ſe non poſſe quicquam decernere, donec ex Hiſpania non afferretur reſponſio,quam proxima ſeptimana expectabant. Cumque dimiſſa fuiſſet Congregatio,Orator Venetus ad Pontificem acceſſit ex mandato Reipubl. cuius literis 13. diei eiuſdem menſis iubebatur eius Sanctitatem rogare, vt claſſe coniungerentur, & fœdus concluderetur,omnibuſque cautelis, & peculiaribus vtilitatis remotis ad principale obiectum incumberetur, vt ſcilicet hoſtis cum ſuo damno maiore offenderetur. Reſponſio Pontificis fuit, ſe pro claſſibus iungendis hactenus plurimum elaboraſſe, neque deſtitutum: & quo ad fœdus,videri ſibi, capitula adeò accommodata eſſe, vt vtraque pars iis aſſentiri queat: Et quanquam videri poteſt, Regios ob expreſſionem trium locorum Africæ vtilioribus agere conditionibus, tamen expeditiones illas non eſſe faciendas, niſi tempore, quo generalis expeditio omittatur,& Reſpubl. Turcarum inuaſionem aliqua ex parte non ſuſpicetur.

Reſp. inſtat coniungi claſſes.

In ſubſequenti Congregatione Regii quaſdam propoſuerunt conſiderationes factas ſuper propoſita ſcriptura, & Orator Venetus propoſuit alias conſiderationes non tantum ſuper ſcriptura, ſed etiam ſuper additionibus Regiorum Hoc modo: Cardinalis Granuela volebat primo, vt diſtincto capitulo, atque ab aliis ſeparato declararetur ictum fœdus offenſiuum & defenſiuum, ac perpetuum. Orator autem Venetus volebat, vt in eo capitulo, ſiue ſeparato, ſiue adiuncto cęteris, hic ſenſus exprimeretur: ad Turcarum vires deſtruendas, aut adeo frangendas, vt in poſterum Chriſtianis Principibus & populis nocere non poſſint. Id autem requirebat, vt exprimeretur, hanc eſſe præcipuam cauſam, verumque fœderis fundamentum, vtque ante omnia ſtabiliretur offenſiua pars, & in Orientem expeditio, vtque moderaretur nomen illud, perpetuum, & hac limitatione reſtringeret. Ideoque ſequitur in primo Capitulo, vbi dicitur: Fœderatorum vires paratæ ſint anno 1571. in maribus Orientis, idemque efficiatur annis ſubſequentibus, quemadmodum conſultum fuerit à Principibus,& Romæ ab eorum Oratoribus concluſum. Regii ſtrictius declarare volebant, vt Duces illis viribus vti poſſint iuxta opportunitates ad maiora damna hoſtibus inferenda, & maiora commoda fœderatis,& Chriſtianæ Reipublicæ procuranda, & Orator Venetus aſſenſit: ſed voluerunt deinde, vt ſubſequerentur ea verba, quibus dicebatur, Idem annis ſequentibus efficiendum eſſe poſt annum 1571. vt pars offenſiua & principalis ſtabiliatur. Volebant etiam Regii ad capitulum illud pro rebus gerendis anno 1571. vt hæc adderentur. Poterunt autem Principes confœderati per ſuos Oratores Romæ ſuperiis cum D.N. ſanctiſſimo in autumno conſulere de copiis, ſequenti, & omnibus deinceps annis comparandis, æqualibus

Perpetuitatem fœderis declarat Venetus.

Capitulum Hiſpanorũ reprobatum à Veneto.

vel maioribus vel minoribus, quemadmodum illis videbitur, habita ratione ſtatus rerum: Allegabantque, vt geſtis anni 1538. inſiſterent, vtque ne in abſurda & incommoda plurima inciderent, præſertim in fœdere perpetuo, hunc ordinem apponere neceſſe eſſe. Orator autem Venetus neque approbabat, quod ſcriptum erat, neque quod Regii addiderant, dicens, ea verba capitulo repugnare, & partem offenſiuam iis debilitari, atque reſtringi omnes anni 1571. apparatus. Solum replicauit Granuela, ſe non poſſe fœdus concludere omiſſis illis verbis, ne videatur in Hiſpania, nunquam aduenturum tempus, quo expeditio in Algerium, & cætera Africæ loca ſuſcipiatur. At Orator Venetus aiebat, neceſſe eſſe, partem offenſiuam firmare, quæ fœderis eſt fundamentum, non propter priuatas expeditiunculas publicam & præcipuam expeditionem interrumpere. Idem Pontificii Deputati ſentiebant, tumque nihil decretum fuit.

In capitulo portionis Pontificiæ ſubleuandæ, Regii volebant, vt pro reſiduo, præter eius Sanctitatis promiſſionem, tres partes ex ſolueret Rex, Veneta Reſpublica duas. At Orator Venetus excuſans Dominos ſuos ob grauiſſimos ſumptus, quos patiebantur, neque volens eos obligare ad id, quod præſtare non poſſent, ſolummodo obtulit, vt Pontifici triremes accommodarentur: conſiderans, id quoque multifaciendum eſſe, quia quolibet itinere ſingulæ duorum millium aureorum ad minus damnum patiebantur, cumque quotannis dandæ eſſent, maximum diſpendium foret: qua re omnes male contenti fuere Et Regii dixere, ſi Reſpublica pro ſua parte non contribuiſſet, neque ipſos Regem obligaturos ad contribuendum pro ſua. Reſpondit Orator Venetus, nouam rem videri ſibi, vt vellent illud infringere, quod iam concluſerant, & alienam impotentiam non eſſe iuſtum prætextum ad retrahendam contributionem: neque Rempublicam excuſationibus inniti. Quoniam vero dictum fuerat à Deputatis Pontificiis, poſteaquam Reſpublica non eſſet contributura, neceſſarium fore, vt Pontifex decimam cleri Veneti conceſſam ſibi acciperet; Orator Venetus noluit de hoc diſputare, an ſit faciendum, nec ne, & reuocare in memoriam, quæ diebus præteritis in contentionem adducta fuere: ſed conſiderauit, quod ſi eius Sanctitati triginta quinque triremes commodarentur, expenſa eſſet maior, quam ſeptuaginta millium aureorum: quæ ſumma fere duabus decimis æquiualet: & poſt multas reſponſiones ac replicationes, cum nihil determinari poſſet, ad commeatum tractationem deſcenſum eſt. Volebant Regii, vt iuxta conditiones vltimi fœderis exprimeretur, vt annonæ extractiones liberæ, & apertæ haberentur ad commodum fœderatorum: Et Orator Venetus aſſentiebatur, ſed cum conditione, vt liberæ eſſent, & ab omni ſumptu exemptæ: quæ res tam magno Regi non adeo grauis erat. Reſponſum fuit à Regiis, hoc eſſe Regium patrimonium, neque licere ſibi in illud manus inijcere,

Venetus offert triremium corpora nuda.

Portio Papæ indeciſa.

Extrahenda annona reditus patrimonium regium, &c.

neque

neque Regem poſſidere libero, alios reditus in regnis Neapolis, & Siciliæ, niſi has extractiones, quia cætera fere omnia obligata ſunt, & alienata: ſatiſque eſſe, ſi Capitulum ita emendaretur, vt ne immoderatæ impoſitiones adhiberentur. Dixitque Cardinalis Paceecus, non ignorare ſe, oportere, vt Reipublicæ ſubueniatur, cum aliunde annonam accipere nequeat, durante in Oriente bello: verum ſe, tanquam Procuratores, non poſſe in hoc negotio quidquam decernere. Replicauit Orator, ſe fore contentum limitato aliquo precio, quod excedi non poſſet; eatque id omnino declarandum, ne libertati miniſtrorum committeretur, & inde confuſio oriatur, vt alias iterum orta eſt, vnde fœdus non ob aliam cauſam diſſolutum fuit: hoc autem maximum omnium periculum haberi, in quo ſi difficultas ponatur, tota res corruat, neceſſe eſt. Reſponderunt Regii, ſe non audere certam vllam ſummam determinare inconſulto Rege, ad eius Maieſtatem id ſcripturi eſſent. Omneſque ſentiebant, Oratoris Veneti poſtulata iuſtiſſima eſſe, & ſine hoc fœdus non duraturum. Verum, quia tunc iſtud capitulum indeciſum remanſit, ſequebatur poſthæc capitulum defenſiuæ materiæ, illudque expeditionis in Algerium, & duo alia Africæ loca. Petebant Regii, vt capitulum rei defenſiuæ ratum haberetur, adderetur que, negari non poſſe auxilium iis, qui illud peterent; neque difficultas obiiceretur, an petentes indigeant, nec ne, ſed iis fides habeatur, hac tamen conditione, vt maiores habeat vires in ſui defenſionem, quam ſit auxilium petitum. Dicebat Orator Venetus, ſi à ſuis Dominis facultatem haberet ad hunc articulum admittendum, ſe nullam ſuper hac additione difficultatem interpoſiturum; præſertim cum capitulum reciproce cum declarandum ſit. In alio capite de auxiliis Algerii, cæterorumque locorum, Regii valde ponderauerunt exceptionem illam, Modo Turcæ claſſem in Oriente non habeant, neque Veneti Turcarum inuaſionem timeant: videbatur enim hæc additio admodum ambigua: verumtamen ex ſcriptis nihil detraxere, niſi quod, vbi habetur, Non timeant, voluerunt ſcribi, Vt veriſimile ſit, eos inuaſionem à Turca timere non debere. Et quoniam ſenſus idem eſt, ideo nullam Orator difficultatem poſuit: dixit tantummodo, ſe non poſſe capitulum approbare abſque noua commiſſione. In articulo Ducis Generalis noluerunt Regii quidquam determinare abſque Regis mandato. Replicauit Orator Venetus, quod alias perpenderat, multas eſſe cauſas & rationes, cur Reſpublica Ducis ſui prærogatiuam aſſerere potuiſſet: verum noluiſſe de hoc articulo contendere, vt oſtendat, nihil ſe aliud cogitare, quam vniuerſale Reipublicæ Chriſtianæ beneficium, non autem ſuum vllum particulare bonum: ideirco ſe aſſenſurum, vt in deliberationibus omnes tres Generales parem obtinerent authoritatem: in executionibus vero id præualeret, quod Pontifici videretur; & poſteaquam

Limitari pretium petit Venetus. Cauſa diſſoluendi olim fœderis.

De auxiliis ferendis reciproca obligatio.

Dux Generalis maritimus.

Don

Don Iohannes Auſtriacus nominatus erat, nihil obſtiturum, cum ob Regis reſpectum, tum ob viri dignitatem, petiitque, vt capitulum in ſenſum illum formaretur. Quo ad Generalem terreſtrium copiarum, dixit, ſe nihil habere in mandatis à Republica. Poſſe hanc deliberationem reiici ad Principes, nempe vt opportuniore tempore fieret, neque ideo fœderis concluſionem prætermittendam: fuitque hac de re ſummopere rogatus Pontifex, neque Regii quidquam obiecerunt, quia fortaſſe nominatus Dux, qui erat Dux Sabaudiæ, ipſis minus placebat, ſed eum recuſare non iubebantur.

Generalis terreſtris.

In nominatione Imperatoris, Regum, & Principum, Regii ſcripta approbauerunt: ſed Orator Venetus expreſſe nominari voluit Poloniæ Regem, vtpote futurum in hoc bello magni momenti, neque eius mentio ſine iniuria omitti poterat. Facta deinde eſt difficultas propter competentiam loci cum Regi Luſitano: ſed fuerunt contenti, vt nominaretur in Capitulo illorum Principum quos Papa inuitaturus eſt, vt etiam petiit Orator Venetus. Capitulum, quod cenſuris ſubdit eos, qui ſine conſenſu fœderatorum cum Turcis pacem ſiue concordiam tractauerint Regii prompte acceperunt: ſed Orator Venetus illud reiecit, inquiens, hanc obligationem ſub pœna cenſurarũ inſuetam eſſe, & indecentem; quod ſi ſeparatim poneretur, videretur poſitum, vt Reipublicæ nota aliqua imponeretur ob ea, quæ in alio fœdere geſta ſunt. Imo, reſponſum fuit, propter hanc ſolam cauſam poſitum fuiſſe: neque aliam conditionem grauiorem electam fuiſſe, ideoque iuſſum fuiſſe, vt hoc capitulum alteri ſubrogaretur. Quamobrem Venetus Orator non ſine animi perturbatione dixit, Igitur ponendam eſſe hanc obligationem capitulo extrahendæ annonæ: ſtatimque omnes intellexerunt, voluiſſe illum præteritorum incommodorum culpam in authores reiicere: ſed paulo poſt ſubdidit, cum hi magni Principes in amicitiam inſolubilem coniungendi ſint, rem totam generoſis modis diſcutiendam, & difficultates remouendas eſſe, & Rempublicam ſemper oſtendiſſe, & oſtenſuram, ſe in bono publico procurando conſtantiſſimam, & promiſſorum obſeruantiſſimam, dummodo ſibi fides non frangatur.

Rex Poloniæ & Luſitaniæ contendunt.

Cenſuras non [vult] Veneti.

Venetus retorquet cenſuras in Hiſpanos.

Ad cætera deinde capitula ventum eſt, quibus nulla difficultas obiecta eſt, & Orator monuit de capitulo prædæ diuidendæ iuxta veterem capitulationem: addens, ſi Algerium, Tunetum, & Tripolis capiantur, in Regis ditionem ceſſura, ſed fœderatos in alia parte compenſandos eſſe iuxta ſingulorum portionem. Regii ſe excuſauerunt, quod capitulationem non viderint, & in alium diem cauſa dilata eſt. Et Orator Venetus monuit eum, qui ſcripturas ordinaturus erat, vt Rempublicam cum ſuis titulis, & aliquo verborum honore nominaret, neque aliter faciendum eſſe, dixere. Præterea Cardinalis Aldobrandinus ſeparatim cum Oratore loquens dixerat, ſe maxime dubitare, Regios difficiliter aſſenſuros, vt partẽ offenſiuam ſtabiliãt adeo

Prædæ diuiſio

Titulos ſuos Venetus curat.

arctis conditionibus, vt nunquam in arbitrio Principum ſit aliquod temporis ſpatium reſpirandi, ideoque ſe iudicare, fore melius, ſi præfigeretur determinatus aliquis annorum numerus, vtputa quintus, aut ſextus, continui, pro bello offenſiuo: hoc enim facilius impetrari poſſet. Sed Orator reſpondit, videri hoc pacto ſibi, vt fœdus tantummodo defenſiuum intendatur, quo vires Chriſtianorum inutiliter contererentur.

De 26 Iulii propoſita fuit ſcriptura emendata in quibuſdam partibus cum difficultatibus, quæ reliquæ erant. Primo, in capitulo præcipuo expeditionis offenſiuæ: nam Regii in hoc perſiſtebant, vt annis ſequentibus poſt annum 1571. autumno declararentur à Principibus Romæ per ſuos Oratores vires, quæ coniungendæ ſint, vel non, pro vere futuro, & an maiores, an minores: Perpendebant enim, niſi capitulo hęc additio adnecteretur, fore, vt omnia confuſe agerentur: neque enim modo duobus, aut tribus poſt annis futurum eſt, ſciri poteſt: vna ſiquidem victoria omnia conſilia permutare poteſt, neque Principum deliberatio præiudicat bello continuando: & eodem modo factum fuit anno 1538. Tunc enim cum Imperatore tractatum fuit, quid anno futuro agendum foret: etſi hæc authoritas Principibus non reſeruaretur, tamen habent illam ex ſe ipſis, cumque fœdus perpetuum ſit, fieri non poterat, vt perpetuo claſſes in Oriente ſuſtinerentur. Contra Orator Venetus dicebat, hanc additionem parti primæ capituli repugnare: nam vbi tractatur de ineundo perpetuo fœdere, hoc pacto fieret ſolummodo pro anno 1571. cumque ſingulis annis de colligendis nouis viribus, deque nouis expeditionibus tractandum ſit, perinde eſſet, ac ſi in eaſdem difficultates rota res volutaretur: neque Imperator, neque Sarmatarum Rex contra Turcas bellum decernerent, ſcilicet dubitantes, ne fœdus vltra annum duret. Replicauerunt Regii, ſine huiuſmodi declaratione illius capituli nunquam fore, vt perſuadeatur Hiſpaniæ, ſuſcipi aliquando poſſe in Africam expeditiones; neque poſſet regnum illud facile adduci, vt Regi aliquam opem ferat. Reſpondit Orator Venetus, Turcarum vires ante omnia debilitandas eſſe: quo perfecto vnuſquiſque peculiarem ſuam ſuſcipere poterit expeditionem. Replicauerunt Regii, in primam difficultatem iterum tractationem reuolui, neque ſe poſſe fœdus concludere, niſi vna concludant, vt certis auxiliis aliquo tempore Africana expeditio efficiatur: reſpondit Orator, ſe non obſtare, quin ſuas efficiant expeditiones opportuno tempore, ſed illud, quod ipſi addere volebant, præcipuam expeditionem corrumpere, quæ fœderis eſt fundamentum; quoniam primam capituli partem in dubium reuocabat, & de viribus diminuendis agebat, deque retractandis rebus iis, quæ iam concluſæ intelligebantur: addiditque, tametſi Principes, etſi concordes, non ſolum habent authoritatem deliberandi, vt cõcluſæ vires ne congregẽtur, ſed etiam fœderis diſſoluendi,

Conſultationes de bello iterandas eſſe, negat Venetus.

Venetus ad fœderis durationem reſpicit.

omniaque retractandi; tamen id declarandum non eſſe, ne fœderis exiſtimatio debilitetur, hoſtibuſque ea ſpes addatur, aut Principibus animus diminuatur: Poſſe autem capitulum accommodari abſque illo verbo, virium diminuendarum. Verum hic non ſubſtitit oratio, fuitque à Deputatis Pontificiis dictum, poſſe hæc melius examinari, & de modo concordiæ tractari: reſumptaque eſt alia tractatio de contributione partis Pontificiæ, in qua repetita fuere ea, quæ alias dicta ſunt: & Orator Venetus duas fecit conſiderationes: altera erat, propter ſummi Pontificis dignitatem dedecere, vt in hanc tanti momenti expeditionem, cuius ipſe caput erat præcipuum, tam paruas conferret vires: quæ res apud homines plurimum authoritatis detractura foret: & quoniam dictum fuit à Cardinalibus Deputatis, Pontifici deeſſe facultatem amplius contribuendi, neque pecuniam præſentem haberi, neque Italiæ decimas eſſe maiores, quam bienni ſpatio centum quinquaginta millium aureorum. Dixit Orator, nullum in toto orbe principem reperiri, qui faciliores ac promptiores habeat modos ad pecuniam conquirendam, quam Pontifex; dixitque, quod Sixtus Papa vſurpare ſolebat, Pontifici defuturam nunquam pecuniam, niſi eum manus, & calamus deficiat. Allatus fuit reſpectus, quo eius Sanctitas vtebatur, ne ſuam grauaret conſcientiam; & reſpondit Orator, Operationes bonas, & malas eſſe iuxta earum finem, & Reipublicæ Chriſtianæ ſubueniendæ finis, & intentio conſcientiam grauare non poſſet. Quæ omnia à Regiis confirmata fuere, itemque à Cardinale Cæſio: qui mouit, vt eius Sanctitati ſuggereretur, vt admitteret renuntiationem beneficiorum cum regreſſibus: fore enim, vt paruo tempore quingenta millia aureorum corradantur. Verum Moronus, & alii dixerunt, eius Sanctitatem hac de re tentatam fuiſſe, & aſſenſum negauiſſe. Altera Oratoris conſideratio fuit, quod ſi Reſpublica pro parte Pontificis contribuere debuiſſet, non tenebatur contribuere iuxta fœderis partitionem: eſſet enim id nimium grauaminis propter onera, quæ ſuſtinet, quibus Rex non vexatur, & propter imperii potentiæque diſparitatem, ſed contribuendum eſſe iuxta proportionem gratiarum, & beneficiorum, quibus & Rex, & Reſpub. fruuntur, conceſſis ab eius Sanctitate, quoniam ſi Rex centum habere comperiretur, & Reſpub. decem, rationi diſſentaneum eſſet, vt Rex contribuat tria, Reſp. duo. Ad hæc Regii in contrarium nullam adduxerunt rationem: veruntamen noluerunt aſſentiri ad obligandum Regem vltra bis quintam partem. Itaque capitulum hoc indeciſum remanſit.

Venetus excuſationes Pontificis reprobat.

Et docet modum colligendæ pecuniæ.

Venetus cõtributionem pro Põtif. detrectat.

In Capitulo extrahendæ annonæ, vnde tertia oritur difficultas, Regii noluerunt decernere quidquam abſque licentia Regis, Capitulum partis defenſiuæ Regiis ſatisfaciebat, vt eſt ſcriptum, hoc eſt, reciprocum, & cum certo auxilio quinquaginta triremium, eumque

illis

illis reſeruationibus, quæ declaratæ ſunt. Verum Orator Venetus propoſuit, Prouiſionem, quæ facienda eſſet pro parte offenſiua, in tuto collocare etiam defenſiuam: Etenim nulla alicuius momenti offenſio extimeſcenda eſt, ſi tot vires aduerſus hoſtilem claſſem præparatæ fuerint. Verum dixerunt Regii, hoc alias diſputatum, neque acceptatum fuiſſe. Addidit Orator, poſſe declarari, cum fœderatorum vires coniunctæ fuerint, ſi contigerit aliquem offendi, poſſe eum vti ſua parte triremium, & nauium, itemque medietate aliarum, ſi modo iis ad ſuam defenſam indigeret. Verum id adhuc non minimum habere difficultatis videbatur, partim quia id confuſionē parere poterat, partim quia Regii omnino certū auxilium limitare ſtatuerant, allegantes, Regem hoc anno certum auxilium Reipublicæ præſtare.

Offenſionem hoſtis Venetus inſtat.

In alio Capitulo de Duce Generale nihil fuit concluſum, quia Regii Regis ſui voluntatem exploraturi erant. Pro terreſtri Duce Orator Venetus propoſuit Sfortiam Palauicinum, diuerſas adducens rationes ex iis, quæ belli conditio efflagitat; quod ſcilicet vir ſit prudens, atque animoſus, rei bellicæ ſcientiſſimus, celebris, Turcis in timore, Chriſtianis in exiſtimatione habitus, prætetquam quod in Capitulatione 1537. creatus fuit mari Generalis Princeps Dorius, qui Imperatori, & terra Dux Vrbini, qui Reipublicæ ſeruiebat: ſed nihil concluſum fuit, quia Regii etiam de hoc Regem conſulere cupiebant.

Terreſtrem Ducem proponit Venetus.

Ad Capitulum cenſuratum Orator Venetus dixit, nouum eſſe, & in ſolidum, & quo ad Remp. ſuperuacaneum, quia conſtans eſt in iis, quæ ſemel generoſè deliberauit, ideoque Chiauſſo intrepide reſpondit, ſcire ſe, nullam fidem habendam eſſe hoſti, qui ſine cauſa fidem fregiſſet: & Princeps fidei promiſſione magis, quam inſtar priuatorum timore pœnæ obligari: & qui ad honorem non reſpexiſſet, eum neque cenſuratum vllam habiturum eſſe rationem. Dixit Cardinalis de Graſſis, in quodam fœdere percuſſo tempore Innocentii ſimile haberi capitulum, ideoque non eſſe rem nouam. Reſpondit Orator Venetus, hunc tractatum ſibi incognitum eſſe; veruntamen ſi hoc capitulum illic eſſet, nullo fructu appoſitum fuiſſe, ſicuti ex ſucceſſu conijci poteſt; neſcitur enim per ea tempora quidquam notatu dignum geſtum fuiſſe. Replicauit Cardinalis, in omnibus inſtrumentis ſolere aliquam partibus obligationem imponi ad contractum ſtabiliendum. Reſpondit Orator. Igitur hanc obligationem omnibus addendam, non ſoli Reipub. & ponendas cenſuras ſingulis fœderis capitulis non vni tantum. Dictum fuit, Pontificem ita iuſſiſſe: & dixit Orator, velle ſe eum alloqui. Ad capitulum diuidendæ prædæ Regii dixere, adhuc ſibi ſuper eo cogitandum. Ad capitulum Raguſeorum, quos dictum fuit ſuſtentari, & iuuari à Pontifice, Regii nihil difficultatis interpoſuere: ſed Venetus Orator dixit, quo ad Rempub. nihil ipſos timere debere, quia ſi iis nocere voluiſſet, id antea effeciſſet,

Cenſuratū capitulum Venetus reijcit.

Raguſai Turcis addicti.

cæterum.

cæterum aduertendū eſſe, ne ſerpens; quod dicitur, in ſinu nutriatur, & conſid erauit, eos à Turcis blande tractari, & vna bene conuenire, ſunt enim ipſorum exploratores: nihilque cogitari, dici, aut fieri poſſe inter Chriſtianos, quin per eos Turcis innoteſcat, quibus in omnibus gratificantur: & ob hoc Capitulum, ac fideiuſſionem futuros eſſe inſolentiores: & nonnullis poſt diebus de hoc loquens cum Pontifice, dixit, expedire, vt ad expeditionem contribuerent naues, quarum numerum magnum habent, aut alias commoditates, quibus poſſunt opem ferre: velle autem eos cogere ad inimicitiam aduerſus Turcas, & ad fœdus accipiendum, id vehementer ipſis noceret, quia inde opprimi poſſent: ſufficeretque illos obligare, ne Turcis opitularentur. Dixit Papa, ſi nunc obligarentur non adiuuare Turcas, ideo poſſent aliis iiſdem cogi ad ea, quę modo non cogitant, præſertim cum in eo ſtatu maneant, quem non ignoramus: ſubdiditque, ſe polliceri, ac fideiuſſere, illos Chriſtianam rem non proditurosquod ſi id effeciſſent, eius Sanctitas prima eos puniuiſſet cumque eos in protectionem ſuſceperit, vehementer ab ſe Remp. rogari, vt iis vellet fauere. Reſpondit Orator, quod niſi ſe obligarent ad non præſtandam Turcis opem, in fœdere comprehendi ne[illegible]erant: & fore peſſimi exempli, atque inuſitatam rem, vt in fo[illegible]tis protectionem reciperentur, qui expeditionem in nulla re adiuuant. Cumque hoc etiam capitulum indeciſum in Congregatione remanſiſſet; mentio facta eſt de coniungendis claſſibus; dixeruntque Regii, haud moraturum tabellarium, quin ex Hiſpania quamprimum adueniat cum reſponſione Et querebatur Orator Venetus, quod tam pulchra occaſio oppugnationis alicuius faciendæ elabi permitteretur modo, cum Turcica claſſis inualida & timore occupata videbatur. Et Cardinalis Cæſius, credens, ſe aliquid egregii dicturum, monuit, poſſe hoc anno Tunetum expugnari, quia nullum impedimentum extimeſcendum erat, dum Turcæ in Oriente morantur, cum tempus iam tardum ſit pro claſſibus iungendis, & hanc rem hoſtium impetum in Cyprum diuerſuram. Sed Orator Venetus grauibus verbis Cardinalem repreſſit, & ſeparatim à collegis ſuis pariter admonitus eſt. At Regii dixere, claſſem indubitato congregandam, neque regis mandatum diu expectari poſſe conſultuſque fuit Orator Venetus, ne fœdus concluderet, donec claſſis aduentaret: hoc enim vnicum erat beneficium, quod hoc anno obtineri poteſt, & Regios glorię aliquo ſtimulo vrgere non inutile putabatur.

Pontifex Raguſaos tuetur.

Conſilium exploſum.

Die 27. tabellarius ex Hiſpania aduenit cum mandatis, vt Regia claſſis cum Reipub. claſſe coniungeretur ſub obedientia Generalis Pontificii: & die 28. Orator Venetus gratias egit Regiis, oſtendens, hoc decretum regis opera ipſorum emanaſſe Et Cardinalis Granuela conqueſtus eſt, quod, vt acceperat, Venetiis palam aſſereretur, fœdus ab ſe decipulis atque cautelis tractari, perinde ac ſi à Turcis ſti-

Mandat rex claſſes coniungi.

pendia

pendia exigeret, & querimoniam ſenſim augeſcebat. Omnes eius animum ſedare conati fuere; & Orator Venetus omnem operam poſuit, vt ei perſuaderet, ſe in ſuis literis ſemper honorifice de eo ſcripſiſſe, & Dominos illos, qui clauum Reipub. gubernant, egregiam de illo fouere opinionem, neq; voces platearum, quæ otioſorum, nullamque in conſiliis ac deliberationibus partem habentium hominum ſunt, magnifaciendas eſſe: & eos actiones Principum magis reprehendere, qui ipſorum arcana minus intelligunt.

Granuela conqueritur & placatur.

Poſtea deuentum eſt ad earum, quæ ſuperetant, difficultatum tractationem, deque primo Duce ſermo inſtitutus eſt: Regii cõſtanter volebant, vt ea verba adderentur, Vt Principes autumno deliberent præparare, vel non, ſuas vires, maiores vel minores. Orator vero multa ex iis, quæ iam dicta fuere, replicauit, oſtendens abſurda, quæ ex iis verbis proficiſcebantur, quæ rebus concluſis repugnant: nam vbi fœdus perpetuum declaratum eſt, reduceretur ad quandam incerti temporis incongruitatem, vnde neque Imperator neque Rex Poloniæ induci poſſent ad bellum Turcis inferendum; tractauitque hac de re ſeorſim cum Pontifice, & cum Cardinalibus deputatis, & deleta fuerunt ea verba de præparandis viribus, quæ verba manifeſte contradicebant iam concluſo capitulo. Et quamuis eius Sanctitas, cæterique omnes opinabantur, capitulum ſubſiſtere poſſe abſque illa additione: nihilominus Regiorum petitionem attendentes, non multum videbatur facienda difficultas. Dixitque Pontifex, cum principalis expeditio iam fuerit incepta (incipiendam autem eſſe hoc anno præſenti) anno ſequenti neminem adeo inhoneſtum futurum, vt cogitet peculiare bellum aggredi, donec omnium vires pro generali bello coniunctæ fuerint, ſubdiditque maxime conſiderandum eſſe, cum fœdus perpetuum ſit, non eſſe forſitan ab re, vt videatur bellum ſemper continuaturum, ne qui ad fœdus acceſſuri ſunt, perterreſiant. Verum Orator iuxta ſuorum Dominorum mandata ſemper in hoc perſtitit, non oportere in principalem expeditionem dubitationem vllam aſpergere: hæc enim fœderis fundamentum eſt, non autem peculiares expeditiones.

Venetus generalem expeditionẽ fouet.

In articulo de ſupplenda portione Pontificis in congregatiõne diu actum eſt: ſed nihil concluſum. Et Orator Venetus egit hac de re cum eius Sanctitate, cumque vidiſſet, ipſam ſuaderi nõ poſſe, vt de ſuo ſuppleret, vel totum onus Regii imponeret propter gratias, quas conſecutus erat: imo cum dubitaretur, an Regii ſuum Regem de ſua portione onerare vellent, niſi pariter Reſpublica pro ſua ſe obligaſſet, cumque tractaretur de gratiis & auxiliis concordandis vel intercedente eiuſmodi obligatione,

Oblatio Venetorum proportione Papa ſubleuanda.

vel alio pacto: ideo, ne fœderis vires minuerentur, vtque omnis difficultas tolleretur, neque eæ deliberationes impedirentur, quæ maioris adhuc difficultatis eſſe queunt in fœderis concluſione, obtulit eius Sanctitati, Rempublicam inſtructuram viginti quatuor triremes, quarum octo vel quinque ſuis ſumptibus ſuſtentaret, & ſexdecim Regiis ſumptibus, qui reſarciendi ſint in aliis bellicis apparatibus: & hoc eſſe, quod extremum Reſpublica facere poterat, imo id ſuarum virium facultatem egredi, vt eius Sanctitati ſatisfaceret. Et Pontifex gauiſus eſſe videbatur, dixitque, hac de re locuturum ſe eſſe cum Regiis. Quoniam vero quidam ab eius Sanctitate deputati Cardinales dixerunt, Regem non obligatum iri a Regiis pro maiori parte, quam pro tribus quintis omnis expenſæ, vt in contributione antiqui fœderis factum eſt; dixit Orator, hanc contributionem pro parte Pontificis non eſſe faciendam reſpectu fœderis, ſed iuxta portionem auxiliorum, quæ Rex & Reſpublica a Pontifice obtinuerat: etenim loco centum millium aureorum, quos forte Reſpublica exigit, rex vnum fortaſſe millionem aureorum obtinuit.

Portio Papa ex qualitate gratiarũ ſubleuanda.

In duobus capitulis partis defenſiuæ, & expeditionis in Algerium, inque duo alia loca Africæ, multa vtrinque dicta fuere in præſenti Congregatione, ſed nihil decretum eſt. Et Orator Venetus petiit à Pontifice, vt eadem capitula determinarentur, quemadmodum in tractatione tractatum fuerat; eiuſque Sanctitas reſpondit, ſi Regii perſiſterent, cum capitula ſint valde limitata, multiſque circumſtantiis adſtricta, dubitari non poſſe, vt principali expeditioni detrimentum aliquod fieret.

Cenſuras reiicit Venetus.

In capitulo cenſurarum Orator Regiis ſeorſim dixit, vt attente cauerent, quid efficerent: ſiquidem hæc introductio valde periculoſa erat, vt Papa ſuis cenſuris Principes obligaret, quæ res multa incommoda parere poſſet. Et loquens cum Pontifice eandem allegauit rationem, quam in congregatione dixerat, illud ſcilicet capitulum nihil boni efficere poſſe, ſed omnino renouandum eſſe, quoniam vbi inter eius Sanctitatem, interque alios Principes fœdus amicitiam atque fiduciam texere debet, ſuſpitionem gigneret inter eos atque diffidentiam. Reſpondit eius Sanctitas, capitulum nihil obſtiturum iis, qui continuare fœdus intendunt, & Rempublicam in ſuſpitione haud mediocri verſari, dum contra hæc pertinaciter adeo contenderet. Reſpondit Orator, cogi ſe contendere, quia circumferebatur ob ſolam Rempublicam poſitum eſſe illud capitulum. Dixit Papa, regios velle aliquas fœderi leges præſcribere, vt perduret, vtque cæteri Principes, qui fœderati eſſe voluerint, tuti exiſtant: quod ſi id recuſaret Reſpub. neceſſe eſſet, ad aliud remedium deuenire,

Suſpicionẽ à ſe Venetus amolitur.

uenire, quod maiorem in ſe difficultatem haberet. Replicauit Orator, Principes nullo vinculo magis, quam promiſſione fidei, & nunquam formidine pœnæ obligari; neque Rempublicam petere à rege huiuſmodi fideiuſſionem; proinde ab ipſa minus eſſe petendam.

In capitulo Raguſæorum Orator cum Pontifice diu locutus eſt, repetitis rationibus, quas in præcedente congregatione allegauerat. Poſt multas reſponſiones atque replicationes Pontifex profeſſus eſt, ſe non poſſe populum illum non valde protegere, cum adprime Catholicus ſit, & Sedis Apoſtolicæ obſequentiſſimus, præſertim in rebus S. Inquiſitionis, diuerſasq; res allegauit, quæ dum in minoribus eſſet, expertus erat.

In congregatione, quæ facta fuit die 14. Auguſti, & quæ fuit poſtrema, generatim de articulis omnibus, & de ſcriptura capitulationis reformatæ tractatum eſt: ſed tandem pleraque, vt antea, indeciſa remanſerunt: quamobrem etſi actitatum fuit, vt conuenirent, & declararent fœdus iam eſſe concluſum; tamen nihil determinatum fuit, idque fortaſſe non ſolum, quia difficultas facile accommodari non poſſet, ſed etiam quia vnuſquiſque in ſua opinione perſiſtebat, nihilque volebat alteri concedere: & regii decreuerant capitulationes in Hiſpaniam mittere, regiæque declarationi ſeſe ſubiicere in quibuſdam capitulis: & Orator Venetus itidem ad Rempublicam ſeſe reiiciebat in quibuſdam aliis. Quocirca cum res tota ſine determinatione Principum definiri non poſſet, & congregationes ſuperuacaneæ iudicarentur, decretum fuit, vt congregationes amplius ne fierent. Difficultates autem, quæ in vltimis congregationibus remanſerant, fuerunt: prima, in capitulo principali circa illam additionem, quam regii volebant, vt ſcilicet Principes per ſuos Oratores in autumno Romæ copias præparandas pro tempore verno, maiores, aut minores, & expeditionem faciẽdam deliberent: & quamuis Orator Venetus multas allegaret rationes, vt difficultas hæc conſopiretur, nihilominus ob contentionem regiorum, qui malebant ipſam ampliare, quam tollere, & quia plerique Cardinalium à Pontifice deputatorum profitebantur, hanc additionem principali expeditioni detrimenti nihil afferre, res eo modo indeciſa relicta eſt. Altera difficultas erat contributionis pro portione Pontificis, quia, non obſtante oblatione viginti quatuor triremium, quæ facta fuerat eius Sanctitati; pro quibus rex tres quintas, & Reſpublica partes duas contribueret, cumque regii aſſentiri nollent, niſi Reſpubl. in omnibus contribueret pro duobus quintis, remanſit etiam iſtud capitulum indeciſum.

Tertia difficultas fuit in capitulo extrahendæ annonæ, quia

Difficultates omnes ad Principes reiectæ.

Difficultates præcipuæ quales.

cum Orator Venetus inſtaret, vt pretium impoſitionis limitaretur, vel arbitrio Pontificis tota res committeretur; regii abſque regio nutu nihil efficere ſe poſſe, aſſeruerunt.

Quarta difficultas fuit in capitulo partis defenſiuæ, & in alio, vt concedenda ſint auxilia regi pro expeditione ſua in Algerium, inque alia duo Africæ loca: quia etſi regiis capitula, prout erant notata, probabantur; tamen Orator Venetus excuſauit, ſe non poſſe ea rata habere abſque conſenſu Reipublicæ.

Pœna cenſurarum ſublata.

Quinta difficultas fuit in capitulis Raguſæorum, & cenſurarum, quia neutrum placebat Oratori Veneto.

Miſſa fuit die 3. Auguſti ſcriptura Venetias, in Hiſpaniam vero die nona; ſimulque Pontifex Nuntio ſuo totius tractatus inſtructionem miſit; regiique particulatim ſcripſerant regi difficultates, quas Orator in capitulis propoſitis interpoſuerat: cumque Venetiis decretum Reipubl. aduenisset primum per literas die quinto Auguſti ſcriptas (ſed adeo ambiguum, vt Orator nihil proponere potuerit) deinde per literas diei 17. cum ſublata fuiſſet ambiguitas, Orator egit cum Pontifice, vt capitulum cenſurarum remoueretur & regularetur illud offenſiuæ particularis: cæteraque accommodarentur, & poſt aliquot ab eius Sanctitate, & a Cardinale Morono obiectas difficultates tandem perſuaſus fuit Pontifex, vt Reipublicæ voluntati ſatisfaceret, ſcripſitq; in Hiſpaniam & cum regiis curauit, vt cenſurarum capitulum tolleretur: Interim maximi momenti perturbatio ſucceſſit, quod, cum Reſpublica ſui Oratoris Suriani operam minime probaſſet, variis perſuaſa coniecturis, quod diuerſis articulis vltra fines mandatorum ſuum aſſenſum præbuiſſet, præſertim capitulo cenſurarum, quas nullo modo Reſpublica nominari volebat, item quia minime impediuiſſet, vt ſcriptura in Hiſpaniam mitteretur, quaſi inde argui poſſet, ex pacto illam tranſmiſſam fuiſſe, & tanquam in illam conſenſum fuiſſet: ideo antequam ipſum reuocaret, decreuit collegam ipſi adiungere Iohannem Superantium cum mandatis, vt in hoc negotio nihil diſiunctim tractarent. Quæ res Pontificis animum valde turbauit, & regios in ſuſpicionem traxit, vtpote qui optime ſciebant, quantum Orator Surianus effeciſſet, vt capitulum illud cenſurarum tolleretur: ſciebant quoque, ſcripturam in Hiſpaniam tranſmiſſam non fuiſſe tanquam concluſam, quinimo ad ipſam adiunctas fuiſſe ipſius exceptiones aduerſus omnes articulos, qui controuerſi erant, præſertim aduerſus cenſuras. Quocirca opinabantur, Reipublicæ non eſſe cordi fœderis concluſionem, ſed hoc ſibi prætexiſſe, vt tractationem interrumperet & iraſci Oratori ſuo, non quia rebus indebitis aſſenſiſſet (ſciebant enim omnes, ipſum non aſſenſiſſe (ſed quia fœderis con-

Orator Venet. à Rep. improbatus, eiq; limitata auctoritas.

Reſp. in ſuſpicione Hiſpanorum.

cluſio-

cluſionem maiori affectus ſtudioque ſolicitauiſſet, quam ſibi fuiſſet iniunctum. In quam opinionem etiam libentius iuerant propter verba Cardinalis Cornelii, qui præterquam quod ſæpe dixerat, Venetis bellum gerere, minime vtilem rem eſſe; & cum Turcis tractari ex conuentione concordiam; tunc etiam palam profitebatur Oratorem non intellexiſſe mandata Reipublicæ: quoniam animum ipſa non habebat concludendi fœderis, ſed a Rege auxilium ideo obtinere cupiebat, vt hoc nomine melioribus conditionibus, & facilius pacem impetraret. Quoniam vero Cardinalis hic Venetias ſcribebat, & inde literas accipiebat, multoſque inter præcipuos magiſtratus habebat conſanguineos, ideo eius verba ſummopere credebantur: tametſi Orator cum hoc incommodum atque turbationem perſpexiſſet, coram eodem Cardinale clariſſimis verbis profeſſus eſt, Reipublicæ fœdus cordi eſſe, ſuaſque commiſſiones & mandata perſpicua apparere: & quanquam accuſatus erat, quod articulis, quibus non debebat, aſſenſum dediſſet, hæc tamen accuſatio, licet falſa, confirmabatur à teſtibus, cæteriſque, coniecturis huiuſmodi, vt Reſpub. non potuerit non credere, & male contenta eſſe: nam publice ab Vrbe ſcribebatur, & Venetiis à Procuratore Florentiæ, & Oratore Ferrariæ aſſerebatur, fœdus concluſum eſſe ſimul cum illis capitulis; & Nuntius Papæ tot audiens rumores, putanſque Suriano prodeſſe dixit in Collegio, ſed diſſimulaturum perinde ac ſi illis articulis aſſentiretur, vt eo pacto claſſium coniunctio fieret, etſi Reſpublica de re tota nihil dubitare debebat: propterea quod fœdus affirmabatur à miniſtris præcipuis, qui etſi decipiebantur, quia tractationem, quæ ſecretiſſima erat, ignorabant: tamen Reſpub. non debebat ob vnius miniſtri & Oratoris ſui, etſi innocentis, reſpectum non præſeferre aliquam mœſtitiam & querimoniam huius rei cauſa, quæ quando vera fuiſſet, merito Rempublicam contriſtari deberet. Id Orator publice coram omnibus deprædicabat, neque adeo ſuam culpam amoliebatur, quin magis remouere conaretur ſuſpiciones, quibus Reipub. inuiſum fœdus credebatur: quoniam vero teſtimonium Cardinalis Cornelii maximi momenti habebatur, multaque incommoda inuexerat, idcirco diuerſos modos & artes adhibuerat, vt ipſum debilitaret, eidemque adimeret fidem.

Orator excuſat ſuam Remp.

Die 20. Septembris Romam venit Orator Superantius, & 21. Octob. venit ex Hiſpania tabellarius cum deliberatione Regis, quæ, vt circumferebatur, ea erat, vt capitulum cenſurarum tollere eſſet contentus, & cætera accommodare, quæ in difficultate ponebantur: Et hora 20. in loco conſueto reducta eſt congregatio, cui Orator Surianus, quia podagra laborans decum-

Alter Orator Romam venit.

bebat, non interuenit, ſed ſolus Superantius. Moronus Cardinalis primo loco diſſeruit, hortans omnes ad concludendum fœdus. Poſtea Card. Granuela, qui ſimul cum ſuis conuenerat, aſſeruit, Regem ſuum in omnibus præſto eſſe, miſiſſeque reſponſionem cum auctoritate ampliſſima fœdus concludendi, abſq; neceſſitate vlterius ſcribendi in Hiſpania. Et interrogatus Orator Superantius, qui ſolus erat decumbente collega, affirmabat, eũdem eſſe Reipublicæ animum, vt hoc ſanctum fœdus terminetur, quod ſecum fert totius Chriſtianitatis vtilitatem in honorem Dei, Fideique ſanctiſſimæ exaltationem. Subdidit Orator Venetus, poſteaquam reſponſum ex Hiſpania acceperant, dicerent, quid in eo contineretur, quia conſultaret cum collega ſuo, & referret ſententiam ſuam. Cardinalis Granuela reſpondit, hoc non decere, ſed ad ipſum pertinere, difficultates, quas in capitulis habebat, proponere, quia facile concordia aliqua tractaretur.

Contentio maxima de re leui.

Dixit Orator, id à ſe neque debere, neque poſſe fieri, ſed ad ipſos pertinere, prius proponere, cumque tres menſes habuerint ad hoc reſponſum expectandum, iam illud manifeſtandum eſſe. Hic modus loquendi, vtpote difficilis ac durus totam congregationem vehementer turbauit: Et Cardinalis Moronus ad Oratorem conuerſus dixit, ad ipſum pertinere difficultatem proponere, deinde reſponſionem expectare. Orator autem dixit, Se illuc vocatum fuiſſe, vt audiret, quæ in reſponſione continerẽtur: ſuper qua deinde ea determinaſſet, quæ congrua eſſent.

Dixit Cardinalis Granuela, Rempublicam miſiſſe in Hiſpaniam grauamina, quæ in articulis patitur. Quod affirmauit Orator: & Cardinalis ſubiunxit, Narraret igitur grauamina: ſe enim reſponſurum, cum auctoritatem habuerit ampliſſimam cuncta determinandi, ſed nolle propalare mandata regia, quoniam rex ita, vt in ſimilibus caſibus aſſolet fieri, multa eorum arbitrio commiſit.

Dixit Orator, placere ſibi, quod ſciant, quicquid Reſpublica miſerit regi ſuper grauaminibus ſuis propter capitula, quæ hic tractata ſunt: idque Rempublicam effeciſſe, vt tempora lucraretur, vtque Rex voluntatem Reipublicæ intelligens, antequam quidquam decerneret, poſſet iuberet, vt omnia in bonum terminarentur, & vniuerſis ſatisfieret. Qua de re actum eſt in Hiſpania cum Rege, qui Oratorem more ſuo benigne audiuit: dein petito codicillo, dixit, cum Conſiliariis ſe tractaturum, mox reſponſurum: vnde Reſpublica hanc deliberationem Regiæ Maieſtatis diu expectauit. Reſpondit Granuela, non eſſe Reipublicæ expectandam vllam reſponſionem à Rege, qui eam ſuis huc tranſmiſit: quod ſi aliquid peteret, cum illis loquatur, à qui-

Creſcit pertinacia, Venet, &c.

bus

bus reſponſum audiet. Omnes eodem modo dixere, addentes, ſi Orator in hoc perſiſteret, vel quia Reſpublica fœdus non curaret, vel quia mallet euentum Cypri expectare, & claſſis progreſſus explorare; id neque honeſtum eſſe, neque iuſtum. Reſpondit Orator, mores Reipublicæ ſemper ſinceros, ac fideles extitiſſe, & in hoc bello contra Turcas ſe implicauiſſe ſua ſponte, eo ſumptu, ac viribus, quæ omnibus patent: & fœdus a Pontifice propter bonum publicum, & honorem Dei propoſitum fuiſſe.

Rempublicam prompte ſeſe exhibuiſſe, & in incepto perſiſtere conſtanter, neque vnquam ad ea cogitauiſſe, quæ ſibi opponuntur, ſemperque libere promiſiſſe, neque per eam ſtetiſſe, quin fœdus quindecim diebus concluderetur, etſi multi menſes elapſi ſunt, & modo, cum reſponſio venit ex Hiſpania, debere hos enuntiare, quid ſentiant, quo res tota terminari queat. Quod ipſe efficere non poterat, quia cum egiſſet hac de re cum Rege, Rex libellum accepit, dixitque, ſe acturum cum Conſiliariis, & Reipublicæ reſponſurum: hanc autem reſponſionem diu expectatam cum nunquam acceperit, nihil ſe potuiſſe deliberare. Et conuerſus ad Gianuelam; Dicitis, inquit, Regem miſiſſe huc reſponſum, idque negatis dare Reipublicæ. Equidem neque Oratori datum fuiſſet: igitur nullum neceſſarium fuerit reſponſum. Quibus verbis Gianuela accenſo animo reſpondit, itemque Deputati Pontificis: inter quos Moronus Oratorem interrogauit, quid ergo actuſus illuc veniſſet? & pronuntiauit, Congregationem omittendam eſſe, niſi collega ſimul adeſſet: & Congregatio abſque fructu vllo ſoluta eſt.

Perturbantur vtrinque animi.

Die vigeſimatertia Octobris ſcripſit Superantius Venetias difficultates, quas repererat in ſupradicta Congregatione: In qua Regii oſtenderant Superantio memoriale, quod Orator Reipublicæ in Hiſpania Regi porrexerat, quo ſupplicabatur, vt perſuaderet Pontifici, vellet eaſdem vires contribuere, quas dedit anno prætenito milleſimo quingenteſimo trigeſimo octauo Papa Paulus Tertius. In quo memoriali continebantur difficultates primi Capituli, de tractatione facienda Romæ tempore autumni, deque minuendis ſiue augendis viribus: itemq; difficultas offenſiuæ particularis aduerſus Africam: item de contributione pro Pontifice, & de annonæ extractionibus, eiuſque pretiis, de cenſuris, & de Raguſæis. Excuſauit ſe poſtea dictus Orator Superantius, quod collega ægrotaret. Quare decreuit eius Sanctitas, vt ne fieret amplius Congregatio abſque Suriano, cum valetudinem recuperaſſet; vel fierent apud Sanctum Marcum. Interea nuntiatum fuit die ſecundo Nouembris, Nicoſſiam captam eſſe die nono Septembris, anni milleſimi quingenteſimi ſeptuageſimi, allataque fuit Venetiis reſponſio, vt

Dum Roma conſulitur, expugnatur Nicoſſia.

fœderis tractatio continuaretur, cum oborta eſſet ſuſpicio in animis Pontificis, & Hiſpanorum ob verba Superantii, quod Reſpublica fœdus negligeret: adeo vt diebus 5.6.7.& 8. diuerſæ habitæ Congregationes, & omnia Capitula diſcuſſa fuerint, donec tandem Omnipotentis Dei fauente Clementia, & Regis Catholici mandato, & Suriani prudentia ſanctiſſimum fœdus concluſum, & in ſcriptis relatum fuit, quemadmodum habetur in Capitulationibus, excepto Capitulo Ducis Generalis, qui multo poſt tempore decretus fuit, hoc eſt, Locumtenens: hacque de cauſa ad Regem à ſuis miniſtris expeditus eſt tabellarius, & ſimiliter à Pontifice: qua in re hanc artem adhibuerunt Regii, vt tabellarium aliquot poſt diebus dimiſerint, vt Veneti, & Pontifex fortaſſis ex defatigatione victi, Marcum Antonium Columnam, quem vnanimes Ducem exoptabant, poſthaberent.

Concluſio fœderis.

M. ANTONII MVRETI,

AD ILLVSTRISSIMOS ET REVERENDISSIMOS S.R.E. Cardinales, ipſo die Paſchæ, cum ſubrogandi Pontificis cauſſa Conclaue ingreſſuri erant,

DISCVRSVS OCTAVVS,

Habitus Romæ Anno M.D.XXCV.

MAGNVM vobis hoc tempore negotium impoſitum eſt, Patres Ampliſſimi, & tantopere ad ſalutem & tranquillitatem vniuerſæ Chriſtianæ Reipublicæ pertinens, & haud ſcio an vllum ſit eorum omnium, quorum pro ſumma dignitate, quam in Eccleſia obtinetis, veſtra procuratio eſt, quod ſingulari quadam & extraordinaria præpotentis Dei ope magis indigere videatur. Declarandum enim vobis ac decernendum quodammodo eſt, quis Eccleſiæ in terris ſummo

cum imperio præeſſe ac præſidere, quis in puppi ſedens, clauum tenere, & periculoſiſſimæ nauigationis curſum regere ac moderari, quis paſtores ipſos paſcere debeat: cuius, vt ſupra vulgarē hominum conditionem elati; reſponſa pro oraculis; nutus pro ratione, iuſſa pro legibus futura ſint. Quanquam igitur ea ſapientia eſtis, vix vt quicquam vobis ſubiici poſſit, quod non ipſi animo prius conceptum meditatumque teneatis: non iniquo tamen animo ferre debetis, vox, ex veteri conſuetudine, quid in eligendo Pontifice vobis ſequendum ſit, etiam ab infimis hominibus admoneri. Nam vt nemo ita ſapiens eſt, qui in audiendo ſapientior fiat: & ea eſt Dei benignitas, vt ſæpe rudibus & imperitis ea dicenda ſuggerat, quæ audita etiam ſapientibus proſint. Dicturus igitur tanta de re, obteſtor vos, per eum, in cuius nō mine huc conueniſtis, vt mihi exigui temporis attentionem ne denegetis. Atq; vt hinc potiſſimum ordiar; vt arduum ac difficile Epiſcopi munus eſt, ita ardua quædam in Epiſcopo & inuentu difficilia requiruntur. Oportet, ait S Paulus, Epiſcopum talem eſſe, vt in eo nullus pateat reprehenſioni locus. Quod ſi in aliis Epiſcopiis requiritur, quanto magis in eo, qui quanto Epiſcopi ſacerdotibus, tanto ipſe ceteris Epiſcopis antecellit? Quando autem quiſquam reperietur dignus, qui in illum honoris ac dignitatis gradum euehatur, ſi omnes, in quibus aliquid culpari poterit, repudientur? Sed hoc non ita rigide ac præfracte accipiēdum, etiam vetuſti Patres monent. Noſtra enim omnium, qui viuimus, ex bono maloque permiſta natura eſt: &, aut Angeli eſſemus ſi nulla nos improbitatis macula contaminaret, aut & Deo & hominibus intolerabiles, ſi nulla vitiorum noſtrorum ſordes admiſta bonitas temperaret. Non igitur quærendus, qui ſimpliciter omni virtutis genere excellat, nullo, ne leuiſſimo quidem, vitio aſperſus: quem ab omni nota ac reprehenſione integritas vitæ nullis vnquam violata maculis vindicet: nunquam enim res ad exitum perduceretur: ſed qui & præcipuis virtutibus inter æquales emineat, & vitiis, vt non omnibus, at iis certe careat, quæ in priuatis hominibus familias, in principibus maxima plerumque imperia euertunt. Apud Xenophontem barbarus quidam adoleſcēs eum equum eximiæ bonitatis quem habebat, libenter ſe alicui ſpectatæ virtutis viro, donaturum eſſe dixiſſet, idque apud Cyrum profeſſus eſſet: Ego vero, ait Cyrus, oſtendam tibi, quomodo et ſi clauſis oculis ieceris, aberrare à tali viro non poſſis. Simulq; cum glebam humo ſublatā in confertiſſimum agmen amicorum; quos aſſidue circū ſe habebat, iacere iuſſit: &, Quemcunque, inquit, ex eis contigeris, illi equum tuum dono dato, neque metus vllus ſit, ne aberraueris. omnium eadem eſt virtus, eadem temperantia, eadem multis ſpectata documentis fortitudo. Si de vobis PATRES AMPLISSIMI, idem dici poſſet, vt è veſtro nobiliſſimo honoratiſſimoque conſeſſu, nec ætate, nec vſu atque experientia rerum, nec auctoritate alius alio magis idoneus eſſet, ad

huius muneris grauitatem ſuſtinendam, non magna deliberatione opus foret: neq; vllam in partem, quis ei ex vobis pręficeretur, admodum intereſſet. Sin verius eſt, vt in ſtellis alia aliam nitore & claritate vincit, ſic è vobis alium alio eſſe iis bonis & ornamentis, quę Pontifici conueniunt, inſtructiorem ac ſuperiorem: & orandus ſummis precibus Deus, vt iudicia veſtra dirigat: & vobis intendenda omni ſtudio mentis acies, vt ex omni numero veſtro eum potiſſime, qui aptiſſimus & publice vtiliſſimus futurus videtur, deligatis. Ignoſcite, quæſo, ſi quid paulo liberius dixero. Non enim ea nunc res agitur, vt auribus ſeruiendum ſit. Dicenda quæ vrgent, quæ tempus, quæ rei magnitudo poſtulat. Omnis cogitatio cognationis, amicitiæ, vtilitatis priuatæ, ab hac deliberatione procul abeſſe debet: ne ſi quis ita eligitur, & ipſe, dum erigitur, corruat, & alios ſecum idem exitium præcipites trahat. Si nauigaturi de gubernatore nauis eligendo conſultarent, nemo reperietur vſque eo improuidus, vt eum qui ſibi aut amiciſſimus, aut ſanguine coniunctiſſimus, ac non eum potius qui intelligentiſſimus, & exercitatiſſimus eſſet, ei muneri præfici vellet, ac deſiperet, ſi quis in communi naufragio, quæſticulum aliquem ſuum ſibi ſaluum ac proprium fore putaret. Vna nauis qua oẽs vehimur, Eccleſia eſt: quæ quãtis hoc tempore procellis ac tẽpeſtatib. agitetur, nemo non videt. Et erit quiſquã ita non imprudens modo, ſed inhumanus & impius, qui in tãtis periculis, publicæ ſaluti ac tranquillitati quidquã anteferendum putet? Exulent à veſtris omnium animis talia omnia, *Patres Ampliſſimi*, & aliis omnib. circumciſis atq; amputatis, ea tm̃ in futuro Pontifice, quæ bono Pontifici neceſſaria, requirantur.

Videntur autem quinq; pręcipua eſſe, quæ in eo ſpectari oporteat: Sanctitas morum, Prudentia, Doctrina, Charitas, quæ, vt veriſſime dicit Apoſtolus, perfectionis vinculum eſt, & Auctoritas de quibus ſingulis vbi quam breuiſſime fieri poterit, dixero, finem dicendi faciam.

Primum igitur requiritur Sanctitas morum. nam quo ore audebit aliena vitia reprehendere, qui ipſe propriis madeat? Quare ſi quem auarum, ſi ambitioſum, ſi crudelem ac ſanguinarium, ſi libidini ac voluptati mancipatum, vixiſſe conſtaret, eius ne habenda quidem ratio in his ſacroſanctis comitiis eſſet. Auarus ciuitates exhauriret, noua quotidie populis onera imponeret, ſacra ac profana omnia venalia haberet, omnem turpitudinem, congerendæ ac coaceruãdæ pecuniæ cauſa ſuſciperet, nihil amplum aut magnificum agitaret animo, non de gloria Dei, aut vtilitate publica, ſed de arcis & ſaccis ſuis implẽdis perpetuo cogitaret. Non eſt, *Patres Ampliſſimi*, non eſt eiuſdem ingenii, pecuniæ ſeruire, & hominibus imperare. Duos impuros homines, Stratoclem & Dromoclidem aiunt olim tractationem Reipubl. meſſim auream vocare ſolitos. Non eſt credibile quenquam ex vobis ita animatum eſſe: ſed tamen procul abſitã gubernaculis Eccleſiæ, ſi quis Pontificatum meſſim ſibi ac ſuis fore auream putat. Ambitioſus

bitioſius omnia perturbaret, nihil vſquam quietum eſſe pateretur, bellis orbem terrarum concuteret: dum ſuorum titulos, ditionem, dignitatem augeret, Sedis Apoſtolicæ dignitatem in quodlibet diſcrimen adduceret. Quid crudelem & recenti ſemper cruore gaudentem, vltionis cupidum, ignoſcendi neſcium, cui pro virtute ira ſit, pro conſilio furor, pro ratione impetus: quomodo blandiſſimo illi ac leniſſimo Patris nomini reſponſurum eſſe cenſetis? Quid, ſi quis ſe voluptatibus vinciendum ac conſtringendum dedit, earumque turpiſſimo famulatu nexus & irretitus, in earum cœno, tanquam ſus, perpetuo volutatur, quid ab eo boni ſpectari, aut quid mali potius nõ metui poteſt? Libere, vobis audientibus, de vitiis loquor. Nuſquam enim tutius eſt accuſare vitia, quam cum ex eis qui audiunt nemo eſt, qui ea quę dicuntur, ſuſpicari poſſit ad ſe pertinere. Si quis igitur eſt, quales pleroſque omnes ex veſtro ampliſſimo ſplendidiſſimoque Collegio eſſe compertum eſt: ſed tamen fieri nullo modo poteſt, vt non & è vobis aliqui excellant: qui tota vita nullam ſignificationem auaritiæ dederit, qui ſiue in magnis opibus natus, ſiue à tenuibus ac modicis ad ampliores copioſioreſque perductus, omnem pecuniæ fructum in ſubleuãdis egentibus poſitum duxerit: qui arcam ſuam nunquam turpiter afferentibus, honeſte petentibus ſemper apertam habuerit: qui ad gloriam ſuam nihil, ad Dei gloriam omnia perpetuo retulerit: qui ex fuga atque abſtinentia voluptatum maximam ſibi voluptatem captauerit: qui veram animi magnitudinem in ignoſcendis, non in vlciſcendis iniuriis conſiſtere iudicauerit: eius demum mores aptiſſimi ſunt ad perſonam illius, qui & harum & omnium virtutum exemplar perfectiſſimum fuit, in terris ſuſtinendam.

Secundo loco dixi requiri prudentiam, quam vere Ariſtoteles ait eſſe propriam virtutem imperantium. Eam æterna illa veritas Chriſtus Dominus ac Deus noſter cum morum integritate ac ſinceritate coniunxit, his verbis: Eſtote ſimplices ſicut Columbæ, & prudentes ſicut ſerpentes. Sed videndum eſt, vt, quid prudentia ſit, recte intelligamus: neq; ita eam accipiamus vt vulgus ſolet. Vulgus enim eum prudentẽ vocat, qui multa ſimulare ac diſſimulare nouit, multa mentiri; eos quibuſcum agit, commodi ſui cauſſa fallere ac circumuenire: & quod ſibi propoſuit, multas vias reperire, quibus id quomodo adipiſcatur. Illa vero prudentia non eſt, ſed calliditas, verſutia, malitia, aut, ſi prudentia eſt, carnis prudentia eſt: quam ſe perditurum minatur Deus: quam mortem eſſe Paulus affirmat. Vera prudentia eſt, & cognoſcere quid petendum fugiendumq; ſit: & quib. viis tum ipſe eo peruenire, tum alios eodẽ perducere commodiſſime poſſit: nihil temere atq; inconſiderate agere, ſed vnaquaq; in re, quid rerum, perſonarum, locorum, temporum varietas poſtulet, diiudicare. Miſerũ qui alium fallit, ſi ſe idcirco eo quem fallit prudẽtiorem putat. Fallit ipſe ſe, & induit multo pernitioſiorem in laqueum, quam quo implicare

alium

alium parat. Quanto prudentior, qui neminem fallit? Deo enim ſimilior eſt, qui neque fallere, neque falli poteſt.

Dixi præterea in Pontifice requiri Caritatem: quam Apoſtolus & martyrio & fidei montes transferenti anteponit. Sine qua nihil Deo acceptum eſt. Deus enim ipſe caritas eſt. Pontifex autem cum communis pater & ſit & vocetur, hoc ipſo nomine admoneri debet, paterna ſe caritate erga omne hominum genus eſſe oportere.

Addidi Doctrinam & eruditionem: quam qui Pontifici neceſſariã non putant magno in errore verſantur. Iubetur Aaron in veteri lege geſtare ſupra pectus ſuum doctrinam & veritatem: iubetur nunquã in ſanctuarium ingredi ſine ſonitu: quo ſignificatur voluntatem Dei ab eo debere populis prædicari. Labia Sacerdotis, ait Malachias, cuſtodiunt ſcientiam. Paulus ad Timoth. Epiſcopum eſſe oportere, ait, aptum ad alios docendos. Hæc aiunt quidam, Pontifex etiam indoctus per alios obire poterit. Iſto modo poterit etiam lyricen eſſe, qui per alium canat; & bonus medicus, qui ægrotus per alium curet. Sed ſatis ſit.

Breuiter enim de Auctoritate dicendum, quam vltimo loco poſui: quæque ex iis, de quibus ante dictum eſt, effloreſcit. Auctoritatem autem voco potentiam, apud principes & populos, firma & diuturna virtutis & doctrinæ opinione quæſitam. Ea Pontifici hoc præcipue tempore neceſſaria eſt, propter eas gentes, quæ à fide & obedientia ſanctæ Romanæ Eccleſiæ deſciuerunt, quæ reuocari ad ſanitatem vix poterunt, niſi eius, qui præerit, auctoritate moueantur.

Agite igitur, *Patres Ampliſſimi*, proponite vobis ante oculos communem omnem parentem Eccleſiam, ex veſtro nutu pendentem, & quid à vobis ſtatuatur, ſumma cum cura ac ſollicitudine exſpectantem. Illa vos Chriſto genuit, illa educauit, illa ad ſummo proximum honoris gradum prouexit: nulla vobis maior cognatio, quam cum Eccleſia: omnes omnium caritates vna illa amplexa eſt: quæ nunc dilacerata, diſtracta, diuulſa, obſecrat vos, vt aliarum omnium rerum obliti, de ſua tantum tranquillitate, qua veſtra quoq; continetur, cogitetis. Deus omnium bonorum auctor eam vobis omnibus mentem atque animum inſpiret, vt non cæco & temerario, & inuitos etiam, vt interdum fit, ac quid agatur neſcios, rapiente paucorum motu, ſed certo maturoque iudicio, eiuſmodi Pontificem concordibus ſuffragiis quamprimum deligatis, qui diſperſa colligat, lapſa erigat, deprauata corrigat, infirma corroboret, turbulenta componat, efficiatque vt neque Pii V. admirabilem illam ſanctimoniam vitæ & excelſitatem animi, aut Gregorii XIII. inexplebile purgandæ religionis ſtudium, & effuſam atque incredibilem & omnibus ſæculis deprædicandam in omnes gentes caritatem ac beneficentiam deſideremus.

* * *

MONI-

MONITA AD N. NVNCIVM SVMMI PONTIFICIS CVM AD Sereniſſimam Rempublicam miſſus eſſet,

DISCVRSVS NONVS.

OCCASIO, quę mihi ſeſe offert, inſcitiam meam patefaciendi coram te, præterlabi non patiar, quia minus vitium eſſe, puto rerum inſcium ſe fateri, quam mandatis patronorum non obtemperare. Prima collocutio, quæ tibi cum Principe, & Senatu Veneto inſtituenda eſt, duplicem finem reſpiciet: altero eius Serenitati expones mentem Domini noſtri, finem, cauſaſque tuæ legationis explicando: altero peculiarem tuam beneuolentiam erga illam Rempublicam profitebere. Quoad rem primam ſpectat, ſatis erit mandata Pontificia ad amuſſim exequi, nihil, quod alicuius momenti ſit immutando: quoad alteram arbitratu tuo plus minuſue tibi ſatisfacies. Poteris autem exempli gratia, profiteri, quocunque modo Summus Pontifex opera tua vſus fuiſſet, rem tibi gratiſſimam futuram, vtpote qui te ipſum eius Sanctitati, Sedique Apoſtolicæ totum deuouiſti: verum cum illius Beatitudo te Venetias ad Serenitatem eius Nuncium delegare conſtituerit, multiplici de cauſa id tibi iucundum accidere, præſertim quia nunquam non facultatem aliquam exoptaſti, qua poſſes patrui tui Archiepiſcopi memoriam renouare, qui quidem nominis Veneti ſtudioſiſſimum, eidemque vel maxime ſeſe addictum prædicabat: cui Senatui tu etiam, domuſque tua omnem fidem, omniaque obſequia pollicemini, præterquam quod probe cognoſcis, te manſutum per hæc tempora ad ex eximiæ maieſtatis & magnitudinis, eiuſque Reipublicæ principem, quæ potentiſſima omnium, ac florentiſſima, optimiſque legibus inſtituta eſt: idcirco fore, vt ſecundum tui principis mandata nihil tibi antiquius ſit, quam vtilitatis eius Reipublicæ curare, ombuſque temporum momentis omnem reuerentiam, & omne obſequium eidem exhibere. Quod quemadmodum tu cunctis in rebus, quoad decuerit, fierique poterit, egregie conficies, ita diligenter curabis, vt paternus amor eius Sanctitatis erga Sereniſſimam Rempublicam

publicam

publicam conſeruetur, preſertim cum vterque horum principum eadem obtendant cupiantque, eademq; debeant reſpicere ad tuendam imperii vtriuſque auctoritatem & amplitudinem. In quo perficiendo omnes tuas vires, omne ſtudium, ingeniumque tuum collocaturus es, & perinde elaborabis, ac ſi eius Serenitatis ſubditus natus eſſes: neq; enim permiſſurus es, vt Archiepiſcopus patruus tuus voluntate & amore tibi anteferendus ſit. Tua vero prudentia moderabitur monitis meis, nec non verborum efficaciam maiorem, minoremve pro opportunitate diliget ad captandam Veneti Senatus propenſionem. Apud quem hoc tibi præcipuum documentum eſt, vt morum grauitatem, vtpote futuram vtiliſſimam ſerues. Adderem, vt in primo colloquio aliquam Oratoris Veneti Romæ degentis mentionem inſereres; quod non incommode poſſes efficere arrepta occaſione, cum te ipſum, operamque tuam Reipub. obtuleris, hoc pacto: Quemadmodum pariter dixi ac teſtificatus ſum Oratori Serenitatis T. Romę reſidenti, qui profecto Serenitatis T. gratiam plurimam meretur, cum Domino noſtro mirum in modum ſatisfaciat, & primorum omnium, item aulicorum voluntates & ſtudia ſibi valde conciliauerit. Hæc ad duplicem finem conducent: alter erit, quia Oratoris cōſanguinei tibi gratias agent, tuamque expetent amicitiam, tibi officioſi erunt in denuntiandis rebus quæ quotidie accidunt, neque aliunde facile expiſcari licet: alter, quia Oratorem officio deuincies & coram eius Sanctitate poterit te minimo tui Principis nutu abunde compenſare: quam quidem rem ambire, & ſollicite quærere te oportet, propter illa facilius aſſequenda, ad quæ adſpiras. Et quanquam exiſtimo, eundem Oratorem à te iam fuiſſe viſitatum, & omnibus humanitatis officiis tractatum: ſubiicere tamen nolo, in extremis verbis id large te profiteri debere, iturum Venetias eo animo, vt ipſi, eiuſque conſanguineis omnem honorem, omniaque obſequia tua præſtes cunctis in rebus, quibus vtique mandaturi ſunt, itaque ſcribat ipſis, literiſque ſuis conteſtetur hunc affectum, rogeſq; eundem, vt illos erga te bene animatos & propenſos eſſe iubeat, quo te, tanquam amicum, ſuſcipiant, foueantque, certioremque facies Oratorem, nunquam fore, vt ab illis quidquam petas, quod iis damnum aliquod allaturum eſſe videatur, vtpote qui non ignores, quouſque tuas petitiones ſeſe extendere deceat: quæ poſtrema verba, vel ſimilia huius argumenti clare proferre, ne deſinas, quia ex his Orator optimam de prudentia, ſapientiaq; tua coniecturam faciet. Ad ſummam cures etiam atque etiam, vt Oratoris animum tibi beneuolum facias, & ſæpe ad illum ſcribendo, & coram conſanguineis & amicis eius omnia proba & laudabilia prædicando: neque tamen idem cum cæteris efficies, quia tibi nil prodeſſes, viro illi etiam noceres.

An, & qui viſitandi. Paucis poſt diebus ab eo tempore, quo primum principis alloquium habueris, nonnullos inuiſere debebis. Quoniam vero mone-

rem,

re te, quo pacto cum prælatis illic degentibus officia tranſigas, ſuperfluum eſt; illud adiungam, nunquam Principem à te viſitari debere, neque vnquam priuatum colloquium ipſius expetendum tibi eſſe, neque indifferenter quoſcunque patricios inuiſere oportebit: quia id officij quibuſdam præſtare minime tibi decorum eſſet, maxime ſi iuuenes, vel mediocris auctoritatis forent; neque hoc cæteris perplaceret, qui etſi ſenatores & primores ciuitatis, nihilominus abnuunt, ac recuſant viſitari propter ſuas cauſas: Quæ duæ mihi videbantur, dum in ea ciuitate degerem. Altera eſt: modus priuatim viuendi, qui intra frugalitatis ac modeſtiæ terminos verſatur, & alienus eſt ab externis moribus, patriaſque tantum conſuetudines retinet: altera, quia plerique vel fratres, vel filios iam Prælatos, vel qui ad Eccleſiaſticas adſpirant dignitates, habent. Et quemadmodum erga illos tua viſitatio, vel quia domi ſplendorem nullum obſeruant, vel propter morum ſimplicitatem, pene iniuria foret; ita hos viſitando, ipſis in magiſtratuum communicatione non minimum noceres. Quamobrem etſi non bene determinari poteſt, quinam ſint ii, qui tuæ viſitationis honorem velint, aut mereantur: nihilominus eos eſſe, dicendum eſt, qui præcipuum in Repub. gradum obtinentes, ſplendidius, quam cæteri viuant, moribuſque aulicis præditi eſſe videantur. Denique paruo temporis ſpatio hos omnes & cognoſces opportune, & iudicabis. Neque vero viſitationes, quas impertiès cuicunque, frequentes eſſe debebunt: verum abunde erit, ſi eas toto anno duplicaueris, aut diutius etiam diſtuleris, prout conſuetudine docebere; quanquam ii, quos inuiſeris, ad te ſæpius accedent. Quotieſcunque magnus aliquis Senator officii cauſa te conuenerit, familia tua vſque ad inferiores domus partes obuiam procedat: tu vero illum excipies in primis ſcalarum gradibus: abſcedentes vero nullo modo committas, quin vſque ad inferiora ædium loca comiteris, niſi tamen obnixe rogeris, vt remaneas. Cum cæteris patritiis, qui minoris ætatis & conditionis exiſtunt, ita te geres, quemadmodum nobiliſſimi tui mores ac prudentia tibi demonſtrabunt. Regulam autem tibi conſtituas vniuerſalem, quod ſi Prælatos officioſe tractaueris, tibique deuinxeris (vt te facturum, certo ſcio) iidem conſanguineorum ope maximis in rebus te adiuuabunt, tametſi rerum conſanguinei, tuque cum illis amicitiam inuicem diſſimulabis. Item Prælati, ſi eorum animos tibi adiunxeris, valde proderunt, de te cuncta honorifica Romam ſignificantes. Dixi, tibi perutilem ore morum grauitatem, quia virtutis huius ſummam rationem habent Veneti, imo & eam profitentur, neq; modo propter prudentiam, vtpote rem publicis perſonis conſentaneam, ſed etiam quia graues mores animum indicant, conſtantia, prudentia, multaque virtute excultum. Modo iis, quæ dixi, addo grauitatem non eiuſmodi eſſe debere, vt affabilitatem, morumque ſuauitatem, quæ tibi valde

Grauitas comitate temperãda.

familia-

familiaris eſt, diminuat; alioquin enim ſuperbus, & elati animi homo exiſtimareris.

Ergo grauiter, eumque dignitate tuæ perſonæ loquaris, & quoties in Collegio negotia tractaueris, nunquam obliuiſcare Principis eius perſonam, quam ſuſtines: qua in re ſummam nihilominus reuerentiam ac modeſtiam præteferens, animo reputabis, te coram maximo quoque Rege orationem habere.

Venetorum mores.

Omnes ſermones, quos in Senat. inſtituetis, ad ſolum Principem dirigantur, & quamquam Collegium alloquutus fueris, quod ex 25. membris conſtat, nihilominus nunquam interpellabis quemquam in eo Senatu, niſi per vocabulum Sereniſſimi Principis, Veſtræque Serinitatis. Vt Patricios Venetos iuxta ætatem ac dignitatem in honore habeas, monere te ſuperuacaneum eſt: attamen ſcito, ciues illos, ciuiumque primores honoris appetentiſſimos eſſe, & mirifice gaudere, cum ſe multi fieri cognoſcunt, præſertim in ſua patria, multoque magis ſi magiſtratu fungantur, honorque ipſis eo charior eſt, quo illum à nobiliore atque illuſtriore viro recipiunt. Ex contrario ſi non honorentur, & habeantur in precio, iniuriæ ſibi illatæ imputant, & indignantur, contemnuntque eos, à quibus non honorantur, vtpote qui ſoleant ambitioſi eſſe & ſuperbi, tum propter ſtatum ac potentiam Reip. tum propter eorum incorruptam nobilitatem ac libertatem, exiſtimantes ſe præ omnibus nobiles, ac liberos.

Familiarum diſtinctio.

Præter differentiam, quæ adhibenda eſt in honore exhibendo maiore ſenibus patriciis, quam iunioribus, & in gradu conſtitutis, quam priuatis, cum ille magis, quam iſti honorandi ſint: eſt præter ea animaduertendum, diuerſis modis hanc, atque aliam domum, ſiue familiarum genera tractanda eſſe: non tamen vt hac de re quicquam eloqui debeas, vel palam oſtendere, ſed tantum, vt quæ neceſſaria ſunt, non ignores, & priuatim documento vtaris. Familiæ patriciorum Venetis in tres claſſes diſtinguuntur, hoc eſt, in veteres, in nouiſſimos, in medios. Veteres familiæ nobiliores ſunt, ſibique magis arrogant, quam cæteræ. Ideo etſi omnes patricii generatim honorandi tibi ſunt, tamen id tecum conſtituas, decere, vt veteres, & antiquas familias honoratiores à te eſſe, velis. Verum, vt dixi, id palam omittes, neque eum in modum facies, vt cæteri animaduertant: ſed hunc ſtylum priuatim, & in priuatis colloquiis tantum ſeruabis; ſitque hæc familiarum diſtinctio penes te ſecreta, neque cum illis verbum vllum tibi excidat, aut argumentum præbeas, vnde hæc tibi cognita eſſe intelligant: læſos enim ſe putarent, & miniſter incautus, ac periculoſus exiſtimaretis.

Inter Prælatos Venetæ nationis primus Patriarcha, cæteroſq; honore, & exiſtimatione ſupereminet, cum propter eius ætatem dignitatemque, tum quia multas affinitates, & amicitias amplectitur, & liberalitate, ac ſplendore omnes antecellit. Credo, te non fugere ea,

quæ

quæ olim in vrbe tractata fuere de ipſius Cardinalatu, & quomodo, curque ipſi promiſſus fuit, dein ablatus. Credo ſimiliter, te nõ ignorare, Rempublicam Venetam, poſtquam illum ſummo Põtifici quondam ad hanc dignitatem conſequendam commendauit, poſtmodum decreuiſſe (nempe eum penitus amotum, atque excluſum eſſe, cernens) vt nunquam de illo verbum faceret, neque viuente Pontifice quenquam alium commendaturam. Hic Prælatus nihilominus non ceſſat cauſam ſuam apud ſingulos Nuntios promouere. Idcirco facillimum factu eſt, vt petatur abs te, velis ſummo Pontifici ipſum tuis literis commendare, preceſque tibi eius nomine oblatæ vehementes erunt: ad quam ſubterfugiendam rem opus eſt, vt magnam adhibeas dexteritatem, animique moderationem. Quod ſi hoc officium præſtandum forte putaueris, ipſius Reipublicę voluntatis declaratio, nec non repulſa, quam cæteri Nuntii Patriarchæ dederunt, quid tibi agendum ſit, clarum argumentum ſuppeditabunt. Cuicunque tibi de illo Prælato loquenti poteris oſtendere, ipſum apud te ſummo in honore eſſe, virtuteſque, ac merita illius extolles, ſimulque omne ſtudium, omnemq; animi propenſionem ad eum iuuandum, quoad fieri poteſt, præ te feres, modo tamen Senatus nutu ſuo id comprobet: ad quam tota diſſertatio, ac reſponſio coarctanda eſt.

De Prælatis monita.

• Nunquam ad conuiuium quenquam patricium, multoque minus Senatores inuitabis: Vno tamen caſu id efficere poteris, neque diſplicebit, & aliquoties inuitatio grata, acceptaque erit, cum ſcilicet Senator aliquis in ædibus tuis negotii cauſa ſeſe vſq; ad horam prandii detinuerit: tunc enim eum inuitando, videreris neceſſario, non ſtudioſe, & affectate inuitaſſe: quæ res attamen perraro tibi continget. Senator ille niſi recuſauerit prandium, non debebit in menſa tua ſedere inferiore loco, quam Prælati ſedeant, ſed locus illi ſuperior, etſi ille obtineretur, tribuendus eſt: hoc autem minimo tuo labore conficies: etenim ipſimet Prælati partibus tuis ſatisfacient, & patrium ſtylum, bonoſque mores, & decorum ſeruabunt. Poſtquam exempta fames, menſæque remotę, ad te pertinebit priorem aſſurgere, & Senatori diſcedendi poteſtatem facere abſque alia mora, & diſcedentem ſociabis, vt ſuperius memorauimus.

De conuiuiis.

Ne ſis percunctator, neque præ te feras nimiam expiſcandorum Reipub. arcanorum cupiditatem: hoc enim pacto omnem arctæ amicitiæ cupiditatem tibi præcluderes: ideoque cum iis, qui Reipubl. à ſecretis ſunt, amicitiam negligito, & nihilominus ipſis honorem exhibere debebis, omniaque iis argumenta præſtare, quibus apud te in exiſtimatione ſe eſſe intelligant: neque quidquam dubites, quin publicæ res tibi ſigni-

ficentur, etiamſi minimam operam in iis peruestigandis impendas.

Commendatio qualis.

Si acciderit, vt Senatoribus aliquem commendare digneris, noli tuas preces & commendationem interponere, niſi ea res tibi maxime cordi ſit. Omnino fuge temporalibus iudicibus commendare eccleſiaſtici iuris homines, qui aduerſus laicos litem intentant. Nunquam in ea ciuitate, aut imperio toto protegas executionem ſententiarum, quæ Romæ latæ fuerint, niſi ſummus Pontifex mandauerit, & poſſis mandatum oſtendere.

Familiares cauti ſint in moribus ciuitatis iudicandis, neq; derideant ea, quæ aduenis deridenda videntur. Imo contra & tu, & ipſi faciles eſtote ad eas conſuetudines imitandas, præſertim vbi cognoueritis, quoſdam mores, qui alibi probantur, ibi inuiſos eſſe, atque ridiculos, neque abhorreas aliquando in tuis colloquiis aliquas phraſes, & verba idiomatis Veneti intermiſcere.

Qui laudādi, & quomodo.

Etſi laus animum eius, qui laudatur, laudanti cōciliat: nihilominus mos Venetorum neutiquam admittit, vt Nuntius, ſiue Orator quiſpiam valde laudet vel coram, vel abſentes, patricios illos, qui autoritate pollent; neq; enim huiuſmodi laudatio æqui conſuleretur. Non inficiabor, apud conſanguineos, & maxime amicos poſſe alicuius Senatoris actiones ac virtutes laudari; verum non oportet decipi in iudicandis iis, qui audiunt, & omnino parce laudare, & multiloquio abſtinere ſatius erit. Verum quemadmodum actiones, moresq; cuiuſcunque ſine periculo non laudantur: ita tibi perſuadeas, Venetis maiorē in modum placere, ſi quis eorum Remp. in cœlum euehat, eaq; omnia cōteſtetur, quæ ad gloriam, honoremq; nationis in vniuerſum pertinent: præſertim cum ad indiuidua quædam deuenitur, quæ ab ipſis ſingularia, & nullis ciuitatibus, atq; Imperiis communia exiſtimantur. Huiuſmodi eſt ſitus ac poſitio Venetiarum: modus, quo cuſtoditur ciuitas, eiuſque ſecuritas, & ſecuritatis cauſæ: publicæ & priuatæ opes. Sanguis patricius, in quo mille & amplius ab hinc annis reliquiæ Nobilitatis Romanæ, multarumque veterum ac præcipuarum Italiæ & Europæ familiarum conſeruantur: Origo Reip. Chriſtiana, cuius religionis ſemper fuit retinens: Gubernatio ſtabilita legibus & conſtitutionibus propriis, non aliunde quæſitis, aut acceptis: Duratio ipſius, quæ præteritas omnium Rerump. durationes excedit, cum nullo tempore libertatem ſuā amiſerit, aut imminuerit, aut ſuperiores alios recognouerit: Dominationis temperamentum, quo omnes ſpecies Reip. comprehenduntur: Modus creandi magiſtratus, mira ſortis, & electionis mixtione. Forma iudiciorum, & authoritas, ac poteſtas à tribunalibus limitata: Prudentia, ac maturitas Senatus in deliberando: Æqualitas priuatorum: opes maritimæ: munitiones &

apparatus bellici, quibus Veneta Reſpub. omnes Chriſtianorum Principes exſuperat. Non poſſe maritimas expeditiones ſuſcipi contra domum Othomanam ſine Venetarum claſſium auxilio. Rempub. illam vocari,& eſſe clypeum, vtque Paulus III. vſurpabat, Chriſtianorum omnium propugnaculum: Expeditio ſuſcepta contra Selymum ad Cyprium regnum defendendum. Generoſitas patefacta in bello illo non recuſando: Decretum prælium, & certamen egregium initum à claſſe Veneta anno 1571. ad Echinadas inſulas. Vtque nimius ne ſim, aſſero, ſi res geſtas antiquis, & præſentibus temporibus amplificaueris, incredibiliter probaueris; multoque magis ſi Rempublicam Venetias appellaueris religionis ſtudioſam, & authoritatis, imperiique Eccleſiaſtici cupidiſſimam, commemorando ea, quæ à priſcis Venetis patrata ſunt, imperante Friderico Secundo: item præteritis annis inſtituta belli tractatio, & proteſtationes factæ Duci Albæ, cum Romam nuper inuaſiſſet; & alia id genus, quæ ad hanc rem allegare non ignorabis: & præcipue ne obliuiſcaris laudibus tuis efferre morem Senatus vere regium in negotiis pertractãdis, ſummamque ei tribuere laudem conſtantiæ, libertatis, veracitatis, nullo fuco, nullis laruis, nulla diſſimulatione adhibita.

Non diſſertabo quidquam de Principibus, quibus Reſpublica infeſta eſt, quibusve beneuolum animum ſeruat, quia argumentum meum egrederer: tantum dicam, quo minus te Magno Duci fauentem oſtenderis, eo te gratiorem nobilitati, ac Reipublicæ euaſurum.

Reſpublicæ Raguſæorum, & Genuenſium non bene omni ex parte conueniunt cum Republica Veneta, quæ nihilominus odio eas non proſequitur, quia paruifaciunt: ipſarum tamen diſcordias, & pericula ægro animo audiunt: quia vtrauis harum Rerumpublicarum corruat, dubium non eſt, quin poſſeſſor imperio, atque opibus magis valiturus ſit. Quæ res aduerſatur ſcopo, quem Reſpublica Veneta reſpicit: hic autem eſt, vt orbis terrarum, ſed præcipue res Italicæ non immutentur, & in præſenti ſtatu conſeruentur. Hac ratione pergratum iis eſſet, vt Status, & Prouinciæ, quas Rex Hiſpaniæ in Italia poſſidet, diuiderentur inter ipſum, & Regem Chriſtianiſſimum, quo Principum potẽtia æquilibrio quodam virium temperaretur, & alter ipſorum nõ adeo in hac regione polleret. Qua de re Veneti ſummopere cupiunt, vt Roma, & ſtatus Eccleſiaſticus, ſanctaq; Sedes Apoſtolica conſeruetur: etenim præter Religionis reſpectum proſpicit Reſpublica, in ſtatum Eccleſiaſticum, & in ſe ipſam collectum his temporibus eſſe, quidquid ſpiritus, ac libertatis, & exiſtimationis reliquum eſt Italiæ. Quod ſi aliqua Pontifici neceſſitas, aut periculum obtingeret, Reſpublica illa omnes ſuas

fortunas effunderet, ſibi perſuadens, quodcunque damnum eius Sanctitas pateretur, totum illud in Venetos reſultaturum.

Hucuſque meam ſcripturam prouexi, vt tibi præcipuum Venetorum conſilium in ſua forma gubernationis innuerem, vtque monerem te, vt nunquam ſententiam his contrariam præ te feras, adeo vt cupidus videaris tumultuum, atque turbarum in Italia, quaſi cenſeas, ſimiles motus vtiles fore. Verum potius quietem, atque tranquillitatem prædicabis, omnemque collocabis induſtriam, vt ita exiſtimeris velle, & credere. Accidet, vt quemadmodum Galliæ calamitates, & vehementes cauſæ, quæ totum illud Regnum quatiunt, maximæ omnium inter Chriſtianos ſunt, ita frequenter de iis ſermo inſtituendus ſit, neque deſunt plerique, qui tanti mali cauſam adducunt amicitiam, quam Galliæ Reges pridem cum Turcis Imperatoribus initam conſeruant. Ego quidem huiuſmodi diſſertationibus applaudendum non eſſe, puto, multoque minus non arguerem Principes, qui cū domo Othomana fœdus, aut amicitiam retinent; quoniam id argumenti ſuſtentari illic nequit, abſq; offenſione non modo Regis illius, ſed etiam Imperatoris, ac Venetorum.

Item expedit, vt in priuatis ſermonibus, aut cum patriciis Venetis, aut cum quoquam alio inſtituendis non ignores; non eſſe tibi innuendum vnquam, te cupere nouum aliquod fœdus ineundum contra Turcas, niſi rerum neceſſitas, aut mandata tui Principis occaſionem ſuppeditauerit: at potius, ſi in eiuſmodi colloquia incideris, atteſtare, Venetam Rempublicam valde prudenter cum tanto Principe amicitiam retinere, neque ſecus faciendum eſſe, & nunquam has tres cauſas, propter quas Veneti putant, honeſte ſe cum Turcis fœdus iniuiſſe, ac ſeruare, obliuioni tradas.

Cur Veneti cum Turcis pacem colant.

Prima eſt, quia maritimæ omnes ciuitates, & prouinciæ fines cum Turcis communes habent, ideoque facillime poſſunt inuadi, & occupari.

Altera, quia ciuitas Venetiarum populum habet omnium in Italia frequentiſſimum, neque agros habet, vnde nutriatur, eiuſque inſulæ, ac littora, maritimeque vrbes meſſem non colligunt, quæ ad tertiam partem anni tranſigendam ſatis ſit: ideo in perenni verſantur neceſſitudine aliunde ſibi victus conquirendi: neq; vllus Princeps iis ſubſidia ferre poteſt maiori vbertate, & compendioſius, minoreve ſumptu, quam Turca. Cui exploratum eſt, ſi extractionem annonæ frumentariæ Venetis interdixerit, fore, vt quamprimum eos fame vrgeat.

Tertia cauſa eſt, quia, bello in Orientem ſuſcepto, maritimi, immo etiam terreſtris commercii plurima pars ceſſaret, cumque

Vrbs Venerorum mercimoniis dedita ſit,patrimonia, priuatæque diuitiæ cum publico detrimento diminuerentur. Quibus cauſis,ac reſpectibus additur forma Reipublicæ ad ſtudia pacis magis directæ,quam ruriorē magiſtra experientia docuit: ideoque patritii illi perlibenter pacem laudantibus, iiſque, quibus ipſorum retinendæ pacis conſilium probatur,aures præbent: & quocunque modo de Turcis diſſeratur, arridet mirifice Venetis, vt confirmetur, Imperatorem illum potentiſſimum eſſe; hoc enim modo loquentes oblique laudare videntur eorum prudentiam, qui cum illo pacem malint.

Iura, & rationes, quibus Veneti coram toto orbe ſe purgauerunt,cur amicitiam cum Turcarum Imperatore contra fœderis pacta ſanxerint,adeo notæ,ac peruulgatæ ſunt, vt ſi eas ego hoc loco referrem, inanem operam inſumerem: verum etſi neque ſcirentur, neque crederentur, non me fugit, ſi ad trutinam iudicii examinandæ eſſent, eas tibi penitus cognitas fore. Ideo quotieſcunque ſeſe dederit occaſio, vt de iis verba fiant, ſatis erit, vt profitearе, te earum rerum abunde capacem eſſe; & prudenti, ac dextera quadam ingenuitate duo contraria præcaueas: alterum Regiæ Maieſtati non detrahendi, alterum Venetis ſatisfaciendi.

In hac clauſula, vnde prædicta deriuantur, finem facio; Omnem Oratorem, ac Nuntium totis viribus eniti debere, vt Principi, quo cum ſibi tractandum eſt, pergratus exiſtat: quia dubio procul huiuſmodi miniſtri Principibus ſuis vtiliorem operam præſtare queunt, & per breuiora compendia ad deſideria ſua explenda peruenire, &c.

ROMÆ VRBIS EIVSQVE IMPERII ET DE RITV creandi pontificis,

DISCVRSVS DECIMVS.

PONTIFICEM eſſe caput Eccleſiæ, Deique vices in terris gerere, nemini vnquam inter Chriſtianos dubitandum fuit. Hoc enim Euangeliis exprimitur, noſtræ fidei profeſſione declaratur, ſtabilitur conciliis, omniumq; fidelium communi conſenſu per tot ſecula

Pontificia auctoritas diuerſa recipitur.

huc vſque confirmatur. Hæretici auctoritatem Pontificis deprimere ſemper conati fuere, vt Eccleſiam fidemque noſtram deſtruerent, & quamuis inter ipſos multis de cauſis diſſideant (vide innumeras ſectæ, quæ olim fuerunt, neq; noſtris temporibus deſunt, originem ſumpſere) in hoc tamen omnes ptinaciter conſentiunt, vt Romano Pontifici aduerſentur. Ex quo Eccleſia cõmuniter S. Petri nauiculæ comparatur, quæ in mediis huius mũdi procellis, variis hæreſum ventis agitata, adhuc tempeſtati reſiſtit, neque ſubmergitur. Qua in re potiſſimũ conſiſtat, & quouſque hæc ſuprema Pontificis auctoritas extendatur; quoad Eccleſiaſticos, notiſſima res eſt, Pontifici in omnes vniuerſalẽ eſſe poteſtatem, non ſolum in eos, qui ipſius ſubduntur imperio, ſed etiam qui cæteris Principib. parent, totoq; orbe terrarũ viuunt;

Quouſque extendatur.

Sed quantum ad laicos, duplex ei competit iuriſdictio vel ſpiritualis, vel temporalis: quoad ſpiritualem, omnes concedunt, ipſi tanquam capiti, ſupremã eſſe auctoritatem, & poſſe quaſi iuris poſitiui leges non ſolum interpretari, ac moderari, ſed etiam omnino reuocare: leges vero, quæ de iure diuino ſunt, non item: ipſas enim reuocare non poteſt. Quod ſpectat ad temporalem;

Temporalis auctoritas oppugnatur à pleriſque.

magna fuit, & adhuc vertitur controuerſia: quia pleriq; præſertim Canoniſtæ, opinati ſunt, Pontificem ſupremã habere vtriuſque iuriſdictionis auctoritatem, alii pleriq; cõtendunt, Imperatorem ſupremum eſſe rerũ mundanarum Principem; itidem pro virili ſua certant Reges & Principes cæteri: Pontificẽ vero plenã atq; ſuprèmam poteſtatem nuſquam, niſi in ſuomet imperio, ꝙ poſſidet, aiunt obtinere; in alienis vero ſolummodo, quatenus ſpirituale aliquid agitur, quale eſt iuſiurandum, votum, aliudue, quod ad conſcientiam ſpectat. Quod ad vires Pontificii imperii, & quid ab illo aut ſperari, aut timeri queat; præter auctoritatem ſpiritualem (quæ maximis quibuſque Principibus nunquam nõ fuit, aut tremenda, aut veneranda, & præter auctoritatem, quam in ſacerdotiis habet, & in Eccleſiaſticis perſonis vbique) nõ mediocris momenti ſunt terrarum ſpatia, quæ poſſidet: etenim in

Latitudo temporalis dominii.

medio Italiæ imperat Romæ toti Latio, magnæ parti Etruriæ, Vmbriæ, Ducatui Spoletano, Peruſiæ & Bononiæ, nec non Flaminiæ, & agro Piceno, & parti Samnitum, præter quam quod ſupremum habet ius in regno Neapolis, & Siciliæ, Ferraria, Vrbino, Placentia, & Parma: in Gallia vero poſſidet Auenionem, & nonnullas alias ciuitates. Qui dominatus (vt inter Italos) magnꝰ eſt, & in vnum redactus, vtrumque mare attingit, fertilis totus, excultiſſimus, vberrimi agri, omni commoditate refertus, populorum, & bello aptorum hominum plenus. Et quo ad annonam; ſolus ager Picenus præteritis annis minimo negotio potuit Venetorum imperio plus quam centum millia modiorum tritici

ſubmi-

ſuominiſtrare Patrimonium vero, quod eſt Viterbi & adiacentium agrorum territorium potuit olim Liguriæ, Neapolis, & remotiorum locorum egeſtati ſubuenire. Verum quod ſpectat ad milites communis eſt opinio, in Eccleſiaſtico ſtatu meliores eos deligi poſſe, quam in tota reliqua Italia, imo Europa; crediturq; ex agro Piceno & Flaminia viginti quinque millia hominum bello idoneorum educi poſſe: ex patrimonii vero & Latio fortaſſe totidem. Et quamquam dubio procul ex iis regionibus Pontifex minimos colligit reditus, vtpote qui oppignorati ſunt, vel creditoribus addicta, nihilominus patet, exploratumque eſt, Pontifici nunquam deeſſe, modo velit, pecuniam; cernimuſque, præſentem Pontificem breuiſſimo annorum curriculo collegiſſe circiter quinquageſies centena millia aureorum, quos temporis progreſſu adaugere poterit, magiſque poſſet, quam antehac, ſi renũtiationes beneficiorum cum regreſſibus admitteret, & adhuc multo magis ſi officiorum compoſitiones approbaret: & prouerbio vſurpatur, Pontifici nunquam defuturos nũmos, dum manus illi & calamus aderit. Cum hoc igitur terrarum dominatu, cumque iis viribus quas diximus, dubitandum non eſt, quin Pontifex ex ſeipſo vel aliis adhærens, multum commodi aut incommodi, modo velit, cuicunque præſertim in Italia, afferre poſſit; neque deſunt exempla, quibus Pontifices minoribus opibus, quam eæ ſunt, quas modo poſſident, Pontificiam dignitatem atque autoritatem contra potentiores Principes ſuſtentauerunt, Reges & Imperatores exautorauerunt, Imperia, & Regna ſuo arbitratu mutauerunt; noſtrorumque patrũ temporibus minime ignotum eſt, quid efficere potuerit Pontifex Alexander, cuius nutu Rex Galliæ, ſuperatis Alpibus, Italiam inuaſit, totamq; pturbauit, & Pontifex Iulius eius ſucceſſor nõſtræ reip. (heu nimium) quanta ſit Pontificis autoritas, patefecit. Leo decimus, & Clemens ſeptimus perplurima bella, quæ ſuis, aut iunctis ſociorum viribus, geſſere, magnitudinẽ ſuam firmarunt, & Clemens poſt perpeſſas calamitates potentior quã antequam ipſas perpeteretur, euaſit. Paulus tertius Eccleſiæ dignitatẽ, Italiæq; tranquillitatem & quietem inter duos potentiſſimos Principes ſuſtentauit autoritate magis, quam armis: aduerſus Turcas & hæreticos arma mouit, denique poſteros ſuos in eam fortunæ amplitudinem, quam cernimus, collocauit. Iulius tertius dum arma mouit, Italicam pacem ſuſtulit, totamque propemodum Europam pturbauit; & Paulus quartus multos theſauros hoſti Regi ademit, memorabile poſt ſe relinquens exemplũ incommodorum, quæ ex Pontificis animi propenſionibus, niſi ratione regantur, emanare poſſunt: & Pontifex, quem modo habemus, quanquam nullum hactenus inter Chriſtianos bellum

Populi militares.

excitauit; neque vllam turbarum occaſionem dedit, tamen haud mediocre inſtat periculum propter ſtimulum conſiliariorum, quibus circundatur: quam rem non ignorat Gallorum, non Catholicus Rex, & pleriquealii Principum.

Proinde quemadmodum antiquitus fiebant numinibus quibuſdam ſacrificia, vt prodeſſent, aliis, ne nocerent; ita ſanum conſilium exiſtimandum eſt, ſumma ope niti, vt cum Pontificibus (quoſcunque mores præ ſe ferant) bene nobis conueniat: quantum enim pacis & belli tempore vtiles ſunt fauores, & beneficia, quæ bene animati Pontifices poſſunt concedere, tantum periculoſa ſunt detrimenta, quæ ab iiſdem male affectis timenda ſunt: neque vnquam defuerunt, qui ad deteriora procliues animos inſtigant.

Potentia aucta vnde.

Ideo omnes Chriſtiani Principes, ſiue inter magnos, ſiue inter medioeres annumerentur, religione ducti, ſiue aliis de cauſis, eo ſeſe abiecerunt, vt corã Pontificibus genua flexerint, eiuſque pedib. oſcula detulerint: omneſq; in vniuerſum, etſi magni validique, ipſorum amicitiam adipiſci conati ſunt, aut ſaltem, ne contrarios haberent, operam dederint; & quicunque naturæ & affectibus Pontificis ſeſe prudenter accommodauit, ingens ex ea re commodum, maximumq; fructum aſſecutus eſt. Quæ res ſi vnquã vtilis aut neceſſaria deprehenſa eſt, equidem hoc tẽpore, & hoc, quem habemus, Pontifice, perneceſſaria eſt, multoq; vtiliſſima. Natura ſiquidem rigidus eſt & auſterus, cumque præſentem dignitatis celſitudinem non artibus ſuis, non ambitu, ſed ſolo Dei conſilio conſecutus eſſe ſibi videatur, autoritatem ſuam ſine timore vllo ſemper exercuit, profiteturque ſe non modo omni perturbatione, atque vtilitatis cupidine immunem, ſed etiam nihil aliud reſpicere, quam quod religionem, & quæ eam conſequuntur, attingit, fixam animo gerens opinionem, cunctos Chriſtianos religione omnia metiri debere.

Roma prærogatiua.

Verum de temporali Pontificis dominatu inſtitutum ſermonem continuantes, primum ſeſe mihi offert Roma vrbs, de qua ſi omnia quæ poſſem, referre atque enarrare vellem, profecto relationis meæ curſum nimis dilatarem: etenim nemo neſcit, hanc non ſolum totius Italiæ omniumq; nobiliorum Europæ prouinciarum, ſed etiam maximæ partis Aſiæ & Africæ dominã longo interuallo omnes principatus & regna imperii amplitudine & gloria ſuperauiſſe: & quamuis (vt eſt rerum humanarum viciſſitudo) imperium ipſius ab antiquo illo culmine defecerit, nihilominus adhuc maiores orbis terrarum Principes ipſius nomine honeſtiores eſſe ſibi facile videntur: quandoquidem Imperator libenti animo titulum Regis Romanorum vſurpat, & Turcarũ Rex aſſentitur, vt quas regiones in Europa poſſidet, vbi etiam

reſi-

reſidet, Romana appelletur, ſed quod magis intereſt, hęc Vrbs Pontificum ſedes facta eſt, propter quorum authoritatem videri poteſt, antiquæ dignitatis ſplendorem magna ex parte recuperauiſſe, & illic alteram fortaſſe admirabiliorem Rempublicam, & ſublimius imperium inſtauratum eſſe.

Legimus poſt imperii priſci declinationem hanc vrbem gentium dominam decies victam & captam fuiſſe, à Vicegottis, Vandalis, Oſtrogottis, Normanis, Gallis, Alemanis, Hiſpanis, & ab aliis ſub Athaulpho, & Genſerico, Totila, Ruberto, Leuiſcardo, Henrico V. Imperatore, Ladislao Rege Neapolis, & poſtremo ſub Cardinale Columna, Duce Borbonio. Verum etſi omnem aciem victores adhibuerunt, vt eam penitus demolirentur, eiuſque nomen & ſpeciem, ſi fieri poſſet, extinguerent, neque contenti omnem ſæuitiam aduerſus homines abſque vllo ſexus vel ætatis diſcrimine exercuiſſe, cuncta ſacra profanaſſe, & profana omnia expilaſſe, paucos illos, qui bello ſuperſtites fuerant, ſecum aliquando abduxerunt, & domibus dirutis, euerſis palatiis, cunctis pulcherrimis ac pretioſis rebus perfractis, præſertim tot figuris mirabilis artificii comminutis, ingentibusque & ſtupendis ædificiis, quæ aduerſus temporum iniuriam erecta eſſe videbantur, proſtratis: nihilominus ſi ad dignitatem procerum, quibus modo repletur, ſi ad numerum & ad magnificentiam Palatiorum, templorum, aliorumque ædificiorum, ſi ad pulchritudinem viarum, ad Vrbis magnitudinem, hortorum amœnitatem, denique ad commoda, rerumque omnium abundantiam reſpiciatur, facile ad hæc vſque tempora Vrbem Romã vigere deprehendemus.

Sæpe capta & diruta.

In hac vrbe, vt communis fert opinio, trecenta millia hominum, maiori ex parte aduenarum, reperiuntur, nam quo ad indigenas, re uera pauci ſunt, ambigiturque, an quiſquam ex illis à vetuſtis incolis originem trahat. Inter quos aliqui Barones, & Principes, viginti, triginta, quinquaginta millia aureorum, & nonnulli amplius in redditibus poſſident, omnes tamen fere alieno ære obſtricti, quemadmodum etiam plurima pars hominum magis ad paupertatem vergit, quam diuitiis affluat, vt neceſſe eſt accidere, vbicunque nulla ars, qua homines ſuſtentare ſe poſſunt, celebratur: propterea quod quæcunque ad vſum vitæ pertinent, omnia fere aliunde importantur, præſertim laneæ & ſericeæ veſtes, Venetiis, Luca, Florentia, Genua, & Neapoli illuc afferuntur.

Vrbis multitudo.

Iners vt plurimum.

Creant Romani ſuos Conſeruatores, Tribunos, alioſque Magiſtratus, & Pontifex ipſis ſecundum veterem morem Senatorem concedit: qui ſimul cum Conſeruatoribus in Capitolio ius dicit, vbi populus conſilium ſuum habet, vbi ſimiliter Tibicines, & Muſici detinentur, ſed hæc ſpeciem potius, quam vim gubernationis exhibent: etenim à tribunalibus illis non niſi controuerſiæ inter Romanos, reſque minoris momenti cognoſcuntur: cætera vero & maiora quæque

Populus Ro. penitus ſubiectus Pontiff.

coram Pontifice, eiuſque miniſtris, Vicario, Gubernatore, & Auditore Cameræ agitantur; & conſilii decreta omnino dependent ex voluntate Pontificis, qui Baronum, populiq; audaciam quotidie deprimendo, abſolutum vrbis imperium ſolus adeptus eſt.

Peregrini privilegiis fruuntur innumeris.

Peregrini vero ad vrbem, tanquam ad communem patriam, ingenti numero conuolant, vbi nullius perſonæ acceptio eſt nulla inter nationes conſtituta diſcrepantia, omnes breui temporis ſpatio in albo ciuium deſcribuntur, primoſque ciuitatis honores non multo negotio adipiſcuntur, & melius fortaſſe, quam alibi, ingenii induſtriæque ſuæ fructum præmiumque conſequuntur, denique fortunæ ſuæ fauore, & virtutis ductu adſpirare poſſunt ad maximas aulæ, & Eccleſiæ dignitates, imo ad ſupremum quoque honoris gradum, quem ſæpe conſecuti ſunt ſordido loco nati, & eiuſmodi homines, qui alibi vix potuiſſent egeſtatem ſuam aliquatenus ſubleuare: prætterquam quod tendunt illuc pleri que vel religionis ergo, vel clementiæ, vel iuſtitiæ in negotiis ſuis petendæ, quorum multitudo ingens expeditur quotidie, plerique etiam propter munia & officia ſua in aula reſidere coguntur.

Admirandum quoque eſt, quo pacto vndequaque Romam confluat pecunia, partim, propter quotidianos aduenarum vrbem incolentium ſumptus, qui generatim ſatis ampli ſunt, atque profuſi; partim obſoluendas earum rerum, quæ impetrantur expeditiones, præſertim propter bullas beneficiorum: partim etiam ad quædam aulæ officia, vtilitatis vel ambitionis ergo coemenda.

Ager Romanus ferax, ſed ſolitarius.

Regio, quæ ſpatio triginta millium paſſuum Romam ambit, vberrima eſt, vtpote quæ affatim frumentariam annonam carniumque omne genus ſuppetit; vini quoque copia non deeſſet, niſi incolæ, præſertim externi, valetudinis, aut potius deliciarum cauſa aliarum regionum vina expeterent: quorum plurima ex regno Neapolitano, Corſica Inſula, ex littoribus Liguriæ, & ex Gallia aduehuntur.

Cauſa ſolitudinis.

Verum hæc regio adeo fertilis, omnique ex parte adeo parum incolis repleta eſt, vt ad agros colendos, & ad meſſem, vindemiaſque ex diuerſis Italiæ partibus, & vſque ex Gallia Ciſalpina illuc quadraginta circiter mille operarii concurrant: qui abſoluto opere cum lucello aliquo domum reuertuntur, ſi modo ſuperſtites fuerint: etenim magna ipſorum pars extingui ſolet, vel propter inſuetum ſolis feruorem, vel propter marinorum flatuum malignitatem, qui in præſentia eo ſunt perniciofiores, quo maiorem vaporum, qui ex paludibus exſurgunt, copiam afferunt, remoto his temporibus magna ex parte impedimento ſyluarum, quæ prius obſtabant: hæc autem omnia (quanquam non vt antea) Vrbem Romam adhuc inſalubrem faciunt. Itaque hæc regio, & antiquitus innumerum hominum numerum continebat, modo vacua & deſolata

eſt,

eſt, & in littore, quod Romanum dicitur, a portu Herculis, Terracinam vſque ſpatio centum quinquaginta millium paſſuum in longitudine, vix & ne vix quidem octo mille habitatores connumerantur.

Tractus ille terrarum, quæ inter Vrbem & Regnum Neapolitanum interiacent, Campania dicitur, quemadmodum ſpatium illud, quod ab altera parte Vrbis Florentiam verſus extenditur, Patrimonium nuncupatur. Marchia Anconitana, & Flaminia ad mare Serenitatis Veſtræ ſitæ ſunt, illa contigua Regno Neapolitano, hæc agro Ferrarienſi, quibus ſimiliter Bononia finitima eſt. Vmbria mediterranea loca tenet, regio quidem adeo ferax, vt non ſolum incolis ſuis victum ſuppeditet, verum etiam ad Florentinos frumentum tranſmittat.

Campania & Patrimonium vbi.

Multa enarrare poſſem in explicandis iis, quæ pertinent ad prouincias haſce, & ad nonnullas ex præcipuis ciuitatibus præſertim Bononiam, nobiliſſimam & frequentiſſimam inter omnes totius Italiæ vrbes, ornatam præterea florentiſſimo gymnaſio, Rauennam, Ceruiam, Ariminum, & Fauentiam, olim Serenitatis Veſtræ vrbes, item Anconam, portum & emporium earum rerum, quæ importantur illuc & exportantur ex Turcico imperio ſatis celebre.

Poſſem etiam memorare Beneuentum hiſtoriis celebratam vrbem, necnon Auenionem, quondam ſeptuaginta circiter annorum ſpatio Pontificum ſedem: ſed temporis anguſtia cogit me, vt ſermonem meum coarctem, eritque ſatis, vt quæ ad hæc generatim pertinent, ediſſeram.

Conſueuerunt præteriti Pontifices harum prouinciarum legationes, & quarundam ciuitatum gubernacula affinibus ſuis, tam eccleſiaſticis, quam ſecularibus, & Cardinalibus à ſe promotis & benemeritis concredere, vt inde vtilitatem ac beneficium conſequantur: Nonnulla enim gubernatio, & legatio tria, quatuor, & vſque ſeptem millia aureorū, nonnunquam amplius, in annuis redditibus habebat.

Verum hic Pontifex hæc emolumenta omnia ad ſe traxit, ipſeque gubernatores illuc mittit: qua in re haud bene ſcio, num populi in ratione gubernationis quidquam lucri fecerint: Illud verum eſt, ipſos propter ſummam in hac re Pontificis diligentiam, quiete viuere, cum antehac magnis perturbationibus iactati fuerint, ſæuiſſimas inter ſe inimicitias exercentes, neque cuiquam odii cauſa parcentes, extinctis aliquando integris familiarum gentibus.

Sed ex hoc incommodo beneficium illud conſecutum eſt, quia in armorum exercitio ſeſe perpetuo exercentes, videntur magna ex parte ſtrenui & generoſi milites euaſiſſe: quos præteriti Pontifices ad numerum vſque viginti quinque millium conſcriptos delegerunt, & in cohortes diſtribuerunt, vt exercerentur, prout Serenitas Veſtra ſuos conſueuit.

In

Militia Pontiff.

In præſentia Pontifex nullos habet ſtipendiarios milites, præter ducentos Heluetios, & centum equites leuis armaturæ, quibus ſtipatoribus vtitur: viginti quinque Heluetios Rauennæ, in agro Piceno viginti quinque pedites, totidemque equites, præter Adrianæ molis præſidiarios milites: item arces Anconitanæ, aliarumque arcium & turrium pauciſſimo numero.

Militum ac Ducum copia.

Bononia ex ſuis reditibus centum habet ſtipendiarios Heluetios, & quinquaginta equites. In iſtis nihilominus ciuitatibus ac regionibus poſſent, quotquot placeret, milites colligi, & nonnulli etiam equites, quamquam non adeo magno numero: neque deſunt eximiæ virtutis Duces; quandoquidem videntur hæ prouinciæ non minus quam quælibet pars Italiæ, iis abundare.

Hoc loco tetuliſſem aliquid de præcipuis viris, Domus ſcilicet Columnæ, Vrſina, Comitum, Sabellorum, Caetanorum, Balionum, Vitelliorum, cæterorumque, niſi alias hac de re copioſam olim epiſtolam ſcripſiſſem, ita iuſſus, ad Serenitatem Veſtram: quam epiſtolam, cum oportunum fuerit, ſibi legendam curabit.

Quo ad arces, quædam ſunt natura munitæ, vt Oruiætum, ſed paucæ arte adiutæ: hæc enim res non minus ſocordtter, quam plerҫque aliæ, in ſtatu Eccleſiaſtico tractantur.

Arces imperfectæ.

Incepit Pius IV. Leoninæ ciuitatis munitionem (quæ eſt pars Romҫ vltra Tyberim, in qua parte eſt Caſtellum S. Angeli, templum S. Petri, Palatium Pontificis) ne regina vrbium hoſtilib. damnis ſemper aperta & expoſita foret. Gregorius Pontifex multum pecuniæ expendit, eandemque partem duabus pulcherrimis viis exornauit: & præſens Pontifex, quanquam præ ſe fert munitionis abſoluendæ voluntatem, nihilominus eam reliquit hactenus imperfectam.

Verum Eccleſiaſtici imperii arces, quæ maioris momenti, ſunt Neapolim verſus Anagnia, ciuitas vetus ad mare inferum, Ancona ad hæc Sublimitatis Veſtræ maria, omnes ita imperfectæ, vt difficillime reſtitutæ eſſe videantur minimæ, quҫ fieret ab hoſte, impreſſioni. Sunt præterea pleraque alia caſtella & arces, ſed malæ cuſtoditæ, cum propter minimum præſidiariorum numerum & virtutem, tum etiam propter munitionem & annonæ defectum.

Vectigalia & tributa.

Reſtat, vt de prouentibus dicamus, qui conſiſtunt in vini, olei, farinæ, ſalis, carnis, ac cæterarum venalium rerum vectigalibus, gabellis, mulctis, ſubſidio triennali, quod à Paulo Tertio extra ordinem ſemel impetratum, iam ordinarium ac perpetuum fieri cœpit; ſubſidio triennali, quod Fratrum ſiue Monachorum non mendicantium in Italia collegia perſoluere conſueuerunt: collectis ex Hiſpania, Luſitania, Italia, cenſu Sancti Petri, quem Reges Neapolitani, Duces Ferrariæ, Vrbini, Parmæ, & Placentiæ, aliique dependunt. Item ordinariis reditibus è Romaniola, Marchia Anconitana, Patrimonio Sancti Petri, Vmbria, ex agris Camerino,

Peruſino, Bononienſi, Beneueniano, & aliis regionibus & oppidis. His non computo illas vtilitates, quæ ex præfecturis à Pontifice retentis, & ſibi reſeruatis percipiuntur: has enim illis ſumptibus contrapendo, quos Pontifex in Cardinales quoſdam non ditiſſimos, quo melius dignitatem ſuam tueri poſſint, erogare ſolet.

Neque huc Annatæ veniunt beneficiorum, & penſiones pro Bullarum redemptionibus, cum ex his nihil in Pontificis ærarium inferatur, ſed eæ diuerſis Officialibus ſunt obligatæ.

Quamuis autem horum redituum non pauci à ſuperioribus Pontificibus alienati fuerint; præſentis tamen Pontificis vigilantia & parſimonia ita iam ſunt reuocati, vt ſeſquimillionem auri fere reddant.

Alienationes hæ ſub duobus ſunt factæ nominibus & titulis; Officiorum, & Montium. Officia eorum fere ſunt, qui in munere aliquo aulico ſunt conſtituti, & aliorum adiunctorum, quorum ea eſt conditio, vt poſt mortem eius, qui tenuit, vacent, aut etiam tum, quando is ad Cardinalatum euectus fuerit. In his elargiendis Camera ita verſatur, vt pro denis annui reditus centum ſemel accipiat: vnde quinquies centena coronatorum millia conficiuntur. *Officia & Motes quid in vrbe.*

Montes duorum ſunt generum: Aut morte extre extinguuntur, in quibus pro centenis duodenum aureorum fit ſtipulatio, aut ad hæredes tranſeunt, & pro centenis ſeptem penduntur.

Præter hæc aliis etiam modis Pontificii redditus obligati & onerati ſunt, inprimis ipſius vrbis, & aliarum prouinciarum Præfecturæ: nec parum in Vrbanos populi Romani Magiſtratus erogatur. Huc accedunt ſumptus domeſtici in Pontificis familiam, in Heluetiorum & leuis armaturæ equitum ſatellitia; in caſtelli Sancti Angeli, Oſtiæ ciuitatis veteris, Terracinæ, Oruieti, &c. præſidia, in cantores, cornicines, nuncios, curſores, & eiuſmodi famulitium: in eleemoſynas, dona & largitiones, aliaq; in magnarum aulis vſitata. Hos tamen alioſq; fere infinitos, quos in multa ædificia & magnificas ſubſtructionum moles cum æterna nominis ſui laude iam ante fecit, & ẽt nunc quotidie facit, præſens Pontifex ita moderatus eſt, vti quinque Pontificatus ſui annis quadragies centena aureorum millia, id eſt, quatuor auri milliones ærario intulerit. Etſi vero Pontifices mille habent conficiendæ pecuniæ modos, ex iis duo tamen maxime in promptu ſunt, quorum vnus eſt Cardinalium creatio, à quibus etiamſi nullam paciſcatur pecuniam, non modicum tamen è beneficiis, quæ illi ante poſſederant, percipere poſſit emolumentum. Alter eſt liberalis gratiarum & aliarum rerum, quarum indulgentia à Pontifice peti ſolet, diſpenſatio: in qua tamen Pontifici ita verſandum eſt, vt conſcientiam ſeruet illæſam. Sed vt ea, quæ de ſeculari Pontificis imperio dicta ſunt, & adhuc multo plura dici poſſent, concludam; illud auſim dicere, ſi Princeps aliquis ſecularis Pontificias obtineret ditio- *Onera & expenſæ.* *Modus pecuniæ congregandæ.*

nes,

nes eaſque tanquam rem propriam & hæreditariam adminiſtraret, cum paucis Principibus fore comparandum, non tam imperii amplitudine (quanquam & hoc ampliſſimum eſt) quā regionum præſtantia, agrorum fertilitate, incolarum numero, nobilitate ciuium, ad militiam apta iuuentute, ſumma denique rerum omnium abundantia: quarum rerum adiumentis non ſua tantum præclare tueri, ſed aliis etiam formidabilis eſſe poſſit. Sed plerique omnes, qui antehac fuerunt Pontifices, non modo de amplificanda & locupleranda ditione Eccleſiaſtica, ſed vix pæne dicam, de conſeruanda vllam ſuſceperunt curam aut cogitationem. Vnde mirum non eſt, vix vllum in toto Chriſtiano orbe reperiri dominium, quod in tanta rerum omnium copia & vbertate armis, commeatu, aliiſque eiuſmodi præſidiis minus ſit munitum, ita vt ad prædam cuilibet inuaſuro expoſitum videatur. Hic in Pontificibus digna quædam conſideratione occurrunt, vtpote quibus cauſa ad mutandam ſententiam nuuquam deeſt, dum Eccleſiæ commodum & dignitatem allegant & prætexunt. Sed & iidem prouecta plerumq; ſunt ætate ita vt haud procul à morte abſint. Quibus defunctis, vniuerſa mutatur rerum facies, conſiliaq; euaneſcunt, aut alium longe exitum ſortiuntur, ſic vt in Pontificum amicitia & confœderatione non multum ſpei ponendum ſit. At ſi quis viceuerſa dicere velit, eorundem ergo inimicitias vel odia non valde metuenda, longe errauit. Quicunque enim cum Pontifice bellum geſſerit, poſt ipſius ios factos ſumptus præclare ſecum actum putabit, ſi quod ſuum eſt, defenderit: quum plerique omnes aut religionis quadam veneratione, aut certe ſimulatione, aut ne noua in ſe concitent odia, aut abſtineant ab iis, quæ Sedis Romanæ ſunt, occupandis, occupata reſtituant, vt ex multis hiſtoriis & exemplis videre eſt; idque noſtro tempore fecit Carolus V. Imperator Rex Catholicus, Veneti, qui Ceruiam & Rauennam Pontifici reddiderunt.

Amicitia non multifacienda, ſed inimicitia vitanda.

Verum enimuero Pontificia dignitas atque auctoritas magis à ſpiritualibus, quam à temporalibus dependet. Quo ad illas enim, Pontifex Roman. pro vniuerſæ Chriſtianæ Reipub. capite D. Petri ſucceſſore, & Chriſti in terris Vicario agnoſcitur, & habetur; qui in rebus ad fidem pertinentibus errare non poſſit: à cuius iudicio & determinatione ne minimum quidem diſcedere liceat: qui legum in eiuſmodi rebus à ſe latarum vinculo conſtringere omnes queat: qui in eis etiam, quæ in conciliis tractata ſunt, plenam ſtatuendi & determinandi habeat facultatem: qui denique ſupra Concilia ſit, quorum decreta ipſius ſit declarare, annihilare, corrigere, & in quibuſdam etiam diſpenſare: in quo tamen Sorbona Pariſienſis Theologica, Baſilienſis Concilii auctoritatem ſequuta, nunquam abſolute voluit aſſentiri. Iam rerum ſacrarum, & quæ ſub iis comprehenduntur, cura omnis ad Pontificem refertur. Neque vero Sacerdotes modo &

Auctoritas ſpiritualis quouſque.

De conciliis dubium.

Monachi

Monachi ipſi ſunt ſubiecti, ſed ne ſeculares quidem ab ipſius poteſtate ſunt exempti, non tantum reſpectu rerum pure ſpiritualium, ſed & aliqua ex parte temporalium, & iudiciorum iam ciuilium quam criminalium, quum rerum matrimonialium, hæreticæ prauitatis & aliorum enormium ſcelerum iudicia ab ipſa eiuſque miniſtris petantur. Quin etiam non defuerunt, qui ad demerendam Pontificum gratiam, ſcribere non dubitarunt, Principes omnes & ſtatus ſeculares Pontificum imperio eſſe ſubiectos, eorumq; eſſe de Regum & Principum controuerſiis diſceptare, & iudicium ferre, & quid huius, quidve illius ſit, determinare. At ſi quis penitus cognoſcere velit, quanta Pontificis Romani ſit auctoritas: tot tantoſque præmiorum ac pœnarum, quibus duabus rebus, tanquam vinculis, homines in officio continentur, modos perpendat; In pœnis quidem, quæ à Pontificibus infliguntur, non de fortunis tantum & vita, ſed de animæ quoque ſalute agitur, eorum ſcilicet, quibus illi ſacris interdixerint, quoſue Cenſura & Excommunicatione percuſſerint. Remunerandi vero iidem plures, quam quiſpiam alius Princeps habet, modos, non tamen è bonis temporalibus, ſed etiam ſpiritualibus, vt Abſolutione, Indulgentiis, Diſpenſatione, aliiſque tam temporalium quam ſpiritualium rerum gratiis, quibus non plebeii tantum homines, ſed maxime etiam Principes opus habent, præſertim vt ad ſuos, & ſuorum regnorum vſus, & neceſſitates, Eccleſiaſticorum ſubſidiis, decimis, & id genus exactionibus liceat vti. Sed inprimis illa trita & latiſſima eſt via, conferendi ſcilicet in alienis regionibus ſiue imperiis Eccleſiaſtica beneficia: quæ tamen poteſtas hodie non parum acciſa eſt, & reſtricta, in Germania præſertim, vbi Epiſcopos & Prælatos eligendi Canonicorum Collegia (quæ Capitula vocant) ius habent; exceptis iis, qui Auſtriacæ familiæ imperio ſubſunt, qui ab Archiducibus nominantur. In Francia ſiue Gallia ſolius Regis eſt Epiſcopos nominare, ſic etiam Rex Catholicus ſolet in Hiſpaniæ regnis, in India Occidentali, in Belgio, in Sardinia, Epiſcopos nominare: in Regno Neapolitano nominationis ius habet in vigintiquatuor Eccleſiis, ſecundum conuentionem cum Clemente VII. factam. Sed & Imperatori, quatenus Hungariæ & Bohemiæ rex eſt, Epiſcopos in iam dictis regnis nominandi ius eſt, non Collegiis. Idem in Luſitania & Polonia vſurpatur: Nihilominus tamen tanta eorum beneficiorum, quorum ad Papam pertinet diſpoſitio, eſt copia, vt nemini ex omnibus Chriſtianis Principibus vberior ſit materia & latior, quibus voluerit, benefaciendi campus, ſed & qui collationem ab ipſo non accipiunt; Confirmationis tamen diploma impetrare neceſſe habent.

Præmium, & pœna à Pontiff.

Collatio beneficiorum mutilata.

Non alienum abs re fuerit de Pontificum creatione hoc loco aliquid dicere, vt quantum fieri poteſt, omnia breuiter, quæ ad materiæ huius cognitionem pertinēt, perſequamur. Scire igitur oportet, mo-

Digitized by Google

Creatio Pontiff. varia.

rem Romani creandi Pontificis variu n eſſe,& diuerſum ab illo antiquitus vſurpato. Primum enim Pontificem, D.Petrum ſcilicet Apoſtolorum Principem Chriſtus ipſe Dei filius Eccleſiæ fundator, propria auctoritate inſtituit. D.Petrus Clementem ſibi ſucceſſorem aſciuit,cui poſtea, Cletus & inde Anacletus ſucceſſerunt Poſtea clerus Romanus, coniunctis cum populo ſuffragiis, ius renunciandi ſibi Pontificis vſurpauit. Inde ab anno C C C. L I. Imperatores ſuam quoque interpoſuere auctoritatem, à quibus illi confirmationem petere ſolebant, primum depenſa certæ pecuniæ ſumma, deinde ſine pretio. Iidem per aliquot temporis ſpatium non niſi præſentibus Imperatorum Legatis coronari ſolebant; ac tandem etiam ipſorum Pontificum conſenſu, ad retundendam populi Romani inſolentiam, vniuerſum ius creandorum Pontificum in Imperatores fuit translatum, qui etiam longo id tempore vſurparunt, ac mordicus retinuerunt, adeo vt quum idem à Pontificibus repeteretur, graue ſchiſma exortum fuerit, quod Chriſtianam Rempub. diu grauiſſime afflixit. Inter hæc, Pontifices quidam ipſi ſibi ſucceſſores elegerunt, quorum electionem deinde clerus confirmauit. Tandem vero præualente Pontificum auctoritate, excluſo Imperatore & populo, electio penes Cardinales & Primates aliquot ex clero remanſit, donec ab Alexandro Tertio in Concilio Lateranenſi Anno M C C L I X. præſentibus C C L X X X. Epiſcopis decretum fuit, vt is, qui à tertia Cardinalium præſentium parte electus fuiſſet, pro legitimo Papa agnoſceretur. Qui mos obtinuit ad Annum vſque M C D X V I I. quando Martinus V. ad tollendum illius temporis ſchiſma electus fuit: poſtea vero Gregorius X. in Concilio Lugdunenſi primus conclaue illud ordinauit, donec tandem ſucceſſu temporis dicta electio ad eam, quæ hodie vſurpatur, formam eſt reducta Solebant autem Cardinales in eligendo Pontifice tribus vti modis, per Compromiſſum, per Adorationem, & per Scrutinium. Nobis illud ſcire hic ſufficiat; omne eligendi Pontificis ius, atque auctoritatem penes Carnales eſſe, qui Pontificis tanquam capitis præcipua membra ſunt, rationis eius lumina, & operum coadiutores. Eis multa à Pontificibus conceſſa ſunt priuilegia, præcipue vero à Paulo Secundo & aliis, ſe miſſis omnium redditυum Sedis Apoſtolicæ, vt ex ſcriptis ſiue actis patet: Sed eius loco, ſemiſſis Annatarum de Beneficiis, quæ à Conſiſtorio conferuntur, aut impetrantur ipſis aſſignata eſt. In honore autem regibus æquiparantur. Olim, vt curioſi quidam obſeruarunt, non plures erant quinquaginta tribus, at numerus paulatim eo vſque excreuit, vt Pius I V. vno tempore ſeptuaginta ſex viderit: Hoc vero tempore (quo auctor huius Relationis Italice hæc ſcripſerat) ſexaginta quatuor ſunt: in quibus multi excellentes Iuriſconſulti, Theologi vero, qui alicuius nominis ſint pauci.

Collegium hoc Cardinalium Principum ſtudiis in factiones

olim

olim ſciſſum fuit, eo maxime tempore, quo Carolus Quintus Imperator, & Franciſcus Primus Galliæ Rex capitali odio inter ſe diſſidebant, & non de gloria & imperio, ſed de ſalute dimicare videbantur.

Quum enim vterque exiſtimaret, magnum ſibi ad victoriam conſequendam in Pontificis gratia & fauore poſitũ eſſe momentum: illi vero circa Pontificem aſſidui ſint, eiuſque conſilia moderentur, & quo velint, flectant, mortuo vero Pontifice, noui eligendi habeant poteſtatem, vterque omnibus modis eo elaborauit, vt quos rebus ſuis commodos fore arbitrabantur, eorum obſequia multis officiis ſibi deuincirent. Poſtquam vero experientia cognitum eſt, Cardinales quibuſcumque obſtrictos officiis in Pontifice eligendo ſuas magis quam aliorum ſequi vtilitates (ex quo factum ſæpe eſt, vt Pontifices ii renunciati ſint, quos illi minime omnium volebant) electionem Pontificis non à Cardinalium ſibi propenſo fauore, ſed vnius Dei voluntate expectandam ſibi ſtatuerunt, rati, omnem operam & ſumptus, qui hanc in rem impenderentur, perire. Hinc Galli primum curam hanc omiſerunt: & rex Catholicus diu ab omni largitione in Cardinales abſtinuit; poſtea vero paucos quoſdam certis penſionibus ſibi obligauit, numero circiter, cum ſibi ſubditis, ad viginti quinque. Nec Gallis difficile foret ad ſuas partes quoſdam hac ratione adiungere; ſed prudentius forſan faciunt, quod tale nihil præſeferunt, ſed in vniuerſum omnibus Cardinalibus fauorem ſuum probare ſtudent. Imperator ſex aut ſeptem habet ſibi obnoxios, quos tamen ille nihil impedit, quo minus libere omnia agant, ſuoque munere fungantur. Inde fit, vt hodie factionum Cardinales ipſi ſint capita, quamuis magnus Hetruriæ, ſiue Florentiæ Dux, non ignarus, quantum ſua interſit, Papam habere, cui tuto fidat, aut certe non diffidat, nihil eorum omnium intermittat, quibus hoc ſe putat conſequi poſſe; & eum in finem octo vel decem Cardinales habeat confœderatos.

Fauor Cardinalium iam parum ambitur à Principibus.

Solent qui de Pontificis electione diſſerunt, vel augurantur, ex vna parte præſentis conſiderare temporis ſtatum (ſiquidem alium turbulenta, alium quieta; alium licentia & luxu diffluentia, vt ſit qui frænet; alium nimia ſeueritate conſtricta, vt ſit, qui habenas aliquantulum laxet, poſtulant) ab altera vero ad Principum ſtudia & deſideria aduertere; quorum nemo eſt, qui Pontificem amicum habere non expetat (nam etſi plerique Pontificatum adepti vtplurimum ſuis ſuorumque commodis ſunt intenti, auideque omnes occaſiones arripiunt, ex quibus emolumentum aliquod ſperant, vtilis tamen ſemper & fructuoſa iudicata fuit prima eorum amicitia) At certior aliquanto coniectura ex

Ætas, deinde virtus proſunt Pontificatui adipiſcendo.

priuatis Cardinalium affectibus fieri poſſit: qui fere in eligendo Pontifice, dum ſui memores ſunt, aliorum obliuiſcuntur. Hinc ad Pontificatum adipiſcendum prouecta ætas multum iuuat, non ſolum eorum reſpectu, qui ad eandem dignitatem adſpirât; ſed eo etiam, quod Pontificis mutatio omnibus & ſingulis aliquo modo fructuoſa. Sed & virtutis magnam vim hic eſſe, non negandum eſt, neque enim quiſquam tam malus eſt, quin naturæ quodam inſtinctu & deſiderio ad bonum feratur. Sed quarum à Cardinalibus ratio habetur virtutes illæ ſunt; quæ alteri proſunt, vt Iuſtitia, Affabilitas ſiue Manſuetudo, Beneficentia, Facilitas in communicanda ſua cum aliis dignitate, &c. cæteræ enim virtutes animique perfectiones, vt Temperantia, Continentia, &c. minus hic requiruntur: ac propterea raro eligi videntur, quibus multi & magni cognati vel propinqui, ne ſcilicet illis locupletandis & euehendis beneficentiæ fontes aliis claudantur. Et Cardinales Pontificem deſiderant, non qui ipſos amet tantum, ſed qui cauſas habeat ipſos amandi. Etſi vero ad Pontificis electionem hæc omnia, quæ diximus, magnam vim habent; vix tamen eſt, vt de ea quicquam quiſquam, non dico, pronunciare, ſed certa coniectura poſſit aſſequi, ob continuam rerum Romanarum mutationem; vbi vna offenſiuncula, vna Cardinalium creatio, vnus vel leuiſſimus caſus rem omnem perturbare, conſilia omnia euertere, ſpem omnem præcidere ſolet. Sed & illud obſeruatum eſt, Cardinalium affectus plerunque vbi conclaue ingreſſi fuerint, mutari: ipſoſque aut metu aut enthuſiaſmo neſcio quo eo abripi, quo ne ipſi quidem vel per ſomnium cogitarant. Quod ſi periculum aliquod in eo eſſe viderint, ſi in Pontificem quis eligatur, facile coniunctis animis & ſententiis remedium afferunt: eoque fit, vt qui præcipuæ inter eos ſunt dignationis, & qui præ cæteris eligendi videbantur, ſpe ſua plerumque fruſtrentur. Quoniam vero eadem diligentia in omnibus adhiberi non poteſt, ſi forte contingat, vt eius fiat mentio, de quo ipſi non cogitarant, & de quo cogitandi aut deliberandi ſpacium nô habent, videas eos, quaſi lymphatos agi, & certatim hunc illum anteuertere: atque inde eum Pontificem renunciari, quem renunciatum iri, vix quiſquam fuerat ſuſpicatus: Sic, vt, qui dicere velit, quis futurus ſit Pontifex, diuinare potius, quam coniecturare, ſit exiſtimandus.

Iudicium difficillimum.

Quibus cũ Principibus Papa Sixt. V. conuenerit.

Explicatis iis, quæ ad Pontificis tam temporalem quam ſpiritualem pertinent iuriſdictionem, quantum quidem ſatis nobis ad inſtitutum noſtrum viſum eſt, additis paucis, de iis, qui Pontificis eligendi ius habent, & de modo, quo vtuntur, deque iis, quæ in futuro Pontifice conſiderari ſolent; reſtat, vt exponam, quomodo, & cum quibus Principibus amicitiam Pontifex co-

lat;in quo breuior ero,quod & Turcam,& Hæreticos ſilentio hic tranſire licebit,quibuſcum omnibus Pontifici nulla intercedit amicitia,vel intelligentia, vt vocant, ſed ab eo hoſtium loco habentur.

Erga Imperatorem Pontifex ſemper optime fuit animatus, quod Catholicæ religioni valde eum addictum eſſe certis indiciis compertũ habeat,vt & fratres eius Archiduces & vniuerſam familiam Auſtriacam,à quibus vix vnquã vlla in re eſt offenſus.

Ex aliis Principibus Germaniæ ſecularibus vix quiſquam, quod quidem nos ſciamus, Catholicam vere profitetur religionem,præter vnum Bauariæ Ducem, cui in omnibus, quibus poteſt,Pontifex gratificatur. Sunt etiam in Eccleſiaſticis nonnulli in iam dicta Prouincia, de quibus Pontifex non optimam habet opinionem.

Erga Franciam,ſiue Galliam Pontifex magna afficitur commiſeratione, iamque de ſalute eius conclamatum putat, vtpote infeſtæ vndique,& cinctæ ab Hugonotis,ſiue Hæreticis.Et quãuis animus ei non deſit tam afflictum regnum adiuuandi, hactenus tamẽ inter ſpem ac metum poſitus parum præſtitit,niſi quod conſilio iuuat & in Catholicis in officio retinendis, & ad viam reducendis hæreticis omnem adhibet diligentiam; magna interim ad ſubſidium Galliæ ferendum pecuniæ vi congeſtâ.

De Catholico Rege Pontifex optime ſentit,quem nouit vnum ex omnibus Chriſtianis Principibus, tam infidelibus, quam hæreticis,maxime formidabilem eſſe, vt certiſſimum aduerſarium, non religionis tantum ſtudio,ſed quodam etiam ad res priuatas reſpectu. Quare in omnibus, quibus honeſte poteſt,gratificari ei in animum induxit:licet aliquando ob iuriſdictionem cum regiis miniſtris offenſiunculæ quædam incidant; quibus tamen Rex partim temporibus obſecundando,partim concedendo mederi ſolet.

Poloniæ Rex ſtudium ſuum & ardorem Catholicæ religionis in tanta, Nobilitatis maxime, corruptione, conſeruandæ Pontifex ſummopere probare nititur, neque tamen hucuſq; ei ſatisfecit,quod Pontifex aſperis remediis & rigore vtendum putet, Rex vero in regno nouello,ſeditionis metu, Gallici regni exemplo,iis hactenus vti ſuperſederit.

Ex Italiæ Principibus primo inter Pontificem & Sabaudũ nõnulla intercedit offenſiuncula ob Saluciarum occupatã regionẽ. Id enim Gallis, Venetis, & aliis Italiæ Principibus mirum admodum viſum,& varias ſuſpicionum cauſas præbuit,quas apud Põtificem etiam vehementer exaggerarunt. Sabaudus econtra factum id à ſe dicit, Catholicæ religionis cõſeruandæ ſtudio: cuius cauſa etiam nunc periculoſum cum hæreticis bellum gerit, ac

propterea auxilia tam hominum armatorum, quam pecuniæ à Pontifice ſubminiſtrari ſibi debere putat.

Cum Duce Ferrarienſi nulla eſt Pontifici, quam quidem præ ſe ferat, ſimultas, etſi quandoque de finibus regendis controuerſiæ incidant, quibus tamen ab vtroque mature & pacifice occurri ſolet.

Cum magno Hetruriæ Duce non ſemper Pontifici optime conuenit, ſed prudentiſſimus hic & generoſus Princeps omnia ita moderate agit, vt nihil iam ei metuendum ſit. Quin etiam Pontifex plurimum ei fidit.

A Venetis, licet turbæ & ſeditiones Gallicæ animum Pontificis nonnihil abalienarint, quibus illi (vt ſunt regno illi addictiſſimi) aliquo modo ſeſe immiſcuerunt; eum tamen quibuſuis modis & artibus placare, & æquum ſuis rebus reddere conantur.

De Sixti V. electione.

Reſtat, vt de præſentis electione Pontificis huic relationi aliquid ſubtexam. Is antea Cardinalis Montaltus cognominatus fuit, Frater Ordinis Minorum Conuentualium S. Franciſci, natus ad Caſtellum Montaltum in Marca Anconitana, humilibus parentibus, ſed magno ingenio præditus. A Pio V. Epiſcopus, & deinde Cardinalis creatus fuerat, poſtea mortuo Gregorio XIII. ad Pontificatum euectus, hoc modo. Iuſtis mortuo Pontifici perſolutis, auditáq; ab Excellẽtiſſimo Oratore Marco Antonio Mureto, de eligendo optimo Pontifice, habita oratione, Cardinales vnde quadraginta conclaue ingreſſi ſunt, inter quos ſex erãt præcipui ſiue factionum capita, nempe Farneſius, Ateſtinus, Alexandrinus, Medices, Altempſius, & Boncompagnus: quibus poſtea acceſſerunt Auſtrius, Madrutius, Vercellenſis, in vniuerſum 42. Cardinales, inter quos multi erant ad dignitatem iſtam ſperati. Inter eos, qui à Paulo III. creati, magnæ erant exiſtimationis Farneſius & Sabellius: inter Pii IV. creaturas eminebant Sirletus, Sangeorgius, Palæottus, & Santacrucius: qui à Pio V. eam dignitatem acceperant, præcipui erant Montaldus, Cæſius, Albanus, Sanſeuerinas: quos Gregorius XIII. promouerat, Turrius, Santiquatrius, Mondonius, Caſtaneus. Hi à factionum ſuarum ducibus magno ſtudio omnes fouebantur: ſolent enim ii ſtudium & voluntatem quandam ſingularem ſuam omnibus oſtendere, & æqualiter omnibus fauere, ne ſchiſmati occaſionem dent, vel quenquam à ſe abalienent: quamuis poſtea in ſecreto eum inprimis ament, quem ſupra omnes eſſe vident, cui etiam occulte fauorem ſuum & ſtudium aperiunt atque oſtendunt.

Inuocato igitur diuino numine & auxilio S. Spiritus implorato, quum in conclaue ſe Cardinales contuliſſent, ſtatim Medicis, Altempſii & Alexandrini, de Cæſio Cardinali in Pontificem eligendo conſilia deprehenſa ſunt, cui etiam alii non pauci ſuffragaban-

gabantur. At Cardinali S. Sixti, eorum qui à Gregorio XIII. creati fuerant, præcipuo ſeſe opponente, nihil in hac re tentare amplius auſi ſunt. Inde Altempſius de Sirleto promouendo cogitare cœpit, à Medice, & iis, qui à Pio IV. creati fuerant, adiutus: at confeſtim Ateſtino, Farneſio, Sfortia obſtantibus, Sirletus etiam excluſus fuit: quod, licet ſumma doctrina & virtute hominem ad tanti muneris adminiſtrationem non omnino aptum putarent. Et Altempſium quidem nimiæ temeritatis nonnulli arguerunt, quod primo ſtatim ingreſſu tale quid tractare non dubitarit, quo quidem tempore omnium Cardinalium ſpes & deſideria circumuolitant fere, & huc illuc feruntur: & dum quiſque ſe ſuoſque promouere ſtudet, plerumque fit, vt quæ facilia videbantur, fiant difficilia. Excluſo Sirleto, de Caſtaneo, viro omnibus perchăro, & qui ob ſingulares virtutes tantæ dignitati par omnium iudicio habebatur, multus ſermo fuit. Sed quum ad Hiſpanorum partes (quorum ſingularia in ipſum erant ſtudia) nimis inclinare videretur, ac nouitius adhuc eſſet Cardinalis; veteres in eum conſentire noluerunt. De Sabellio inde conſultatum fuit: cui tamen aperte ſtatim aduerſati ſunt Columna, & Cæſius, ac libere apud Medicem profeſſi; ſi Sabellium ipſe prouehere vellet, ſe ad Farneſium ſtudia ſua conuerſuros. Quare Medices, ne tam charos amicos ſibique adhærentes abalienaret, illam de Sabellio curam omiſit. De Turrio inde agi cœptum, in quem quamuis abſentem (cuius tamen aduentus quotidie expectabatur) tanta erant Farneſii, Ateſtini, & Gregorii XIII. nepotum ſtudia; vt certa fere eius electio haberetur. Eam tamen nihil aliud, quam abſentia ipſius impediuit: quanquam Medices quoque in eo excludendo mirum in modum ſategit, quod arbitraretur, Turrio ad pontificatum euecto, rerum ſummam penes Farneſium futuram, qui mox Pontifici ſuaſurus eſſet, vt Cardinales aliquot nouos crearet, quorum fauore res ſuas magis ſtabiliret. Et qui quidem huic fauebant, conſtituerant, eum, quando in cõclaue ingreſſurus eſſet, ſtatim Põtificem renunciare: quo quidẽ conſilio nihil videbatur opportunius. Solent enim, quando Cardinalis aliquis aduenerit, omnes ad conclauis portam conuenire, ad eum ſalutandum atq; introducendum, in quo facile illis futurum videbatur inſtitutũ ſuum perficere: quod improuiſo hoc motu cæteros quoque ſe ad ſuffragandum pertracturos ſperarent.

Quoniam ergo Medices Cardinalis, eiuſque complices hoc ſe metu, ne in Farneſii gratiam Turrius, qui totus ab ipſo pendebat, renunciaretur, liberare cupiebant; cum Alexandrino & Ruſticutio egerunt, vt ſine vlla mora Montaldum ſuffragiis ſuis Pontificem deſignarent: non enim ignorabant, quantopere ſuas

 partes

partes horum adiunctione confirmaturi eſſent: quorum ille apud Principem, Cardinales, & Reges Catholici miniſtros plurimum poterat; hic vero Ateſtini, qui Gallicæ factionis princeps erat ſingulari gratia & amicitia florebat. Vt vero omnia obſtacula amouerentur & Farneſianæ factionis Cardinales tanto facilius inducerentur, rumorem ſpargi, literis etiam prolatis, curarunt, Turrium intra biduum in conclaue venturum, illo etiam addito, Turrium, ſi in Pontificem non fuerit electus, nequaquam amplius ſtudia ſua celaturum, aut tempori ſe accommodaturum. Quamuis autem non ſatis prudenter Medices in Montalto renuntiando facere videretur, qui Pauli Iordani cognati ipſius eſſet inimicus: plus tamen apud illum potuit excludendi Farneſii & Turrii deſiderium, quam ſuorum reſpectus. Et quia Montaltus viuaci adhuc erat ætate, & robuſta corporis temperatura, cuius vita in multos adhuc annos poterat prorogari: ſperabat Farneſii gratiam interea cum ſuis omnibus fautoribus intermorituram, vel extinctum iri. Alexandrinus ergo & Ruſticutius ad diſponendos tentandoſque Cardinalium animos, Montaltum proponere cœperunt, qui natura eſſet bonus, pacificus, gratus, nemini obnoxius, non numeroſam aut potentem habens cognationem, ſingulari diuini cultus zelo flagrans. Quia vero nec Medices, nec Ateſtini fauorem ſibi ad votum obtinendum ſatis eſſe, non ignorabant, niſi ad ſuas partes Gregorii quoque XIII. nepotes, & inprimis Cardinalem S. Sixti adiungerent, id non minus prudenter tentatum ab illis, quam feliciter perfectum fuit. Altempſius reſtabat, eorum, qui à Pio IV. creati fuerant, caput, quem Medices, Geſualdus, & Cæſius aggreſſi, facile ad ſuas partes pertraxerunt, ita vt Montalto ſe ſuffragaturum reciperet. Ad quod etiam non parum eum incitauit de Farneſio ſe vindicandi deſiderium, cuius opera potiſſimum Syrletus à ſe productus, excluſus fuerat.

His artibus aliquandiu, & quidem interdiu magis, quam noctu pugnatum fuit. Medices Geſualdi opera vtebatur, & Simoncelli; Ateſtinus Gonzagæ & Canani; Alexandrinus Cæſii, & Caraffæ. Ruſticutius huc illuc diſcurſabat, vt cæteros in fide retineret, ſæpiſſime tamen ad Ateſtinum commeabat, ne ab aliis diuerteretur, metuens. Hic vero notandum eſt illud ſtratagema, quo Riarius Montalti fautorum vnus, erga Cardinalem S. Sixti vſus eſt. Quum enim arthritide laboraret, lectica ſe addicti Cardinalis conclaue portari iuſſit, cumque eo ita locutus eſt: Eouſque iam rem eſſe deductam, vt ſine dubio Montaltus Pontifex futurus ſit: cuius creationem ſi vel ipſe vel quiuis alius impedire velit, nihil aliud lucri facturum, quam quod rem aliquantiſper forte extracturus, tandem vero ſibiipſi damnum & pudorem

eſſet conciliaturus: Se igitur rogare ipſum atque hortari, vt quod faciendum ſibi, quod alios facturos, velit nolit, intelligeret, vltro id & bona cum gratia facere vellet. Addebat Montaltum alterum fore Sixtum, qui ex eadem familia monachus fuerit. Quibus auditis Cardinalis S. Sixti mirum in modum confuſus fuit, nec quod reſponderet, inueniebat; ac multo magis, poſtquam Cardinalis Guaſtauillanus ad eum venit, eandem illi lectionem inculcans, & multo actiores ad inſtitutum hoc perficiendum, ſtimulos addens, ac dictitans, ſtultitiam fore, quenquam hic obniti velle. Licet autem hæc omnia ſecreto agerentur, Cardinales tamen facile quid ſubodorari poterant: quin etiã tota fere ſcena rei detecta eſt, poſtquam Alexãdrinus noctu mutatis veſtibus per conclaue ire viſus fuit; quod quidem ad interrumpendam potius, quam pertexendam cœptam conſiliorum telam valiturũ erat, niſi Deo ita diſponente, qui Montaltũ eligi volebat, Farneſius cum ſuis adhærentibus tam ſecure egiſſet, vt nullum eius rei, quæ maxime ipſius intererat, indicium ſenſerit; quo pcepto, facile hoc aliorum conſilium diſturbare potuiſſet. Sed fide inprimis & promiſſis S. Sixti Cardinalis nitebatur, qui ſine ipſius conſenſu, nihil hac in re facturum ſe, receperat.

Neq; vero hic ſilentio prætereundum eſt, Montaltum quoq; tam in conclaui, quam extra, ſibi ipſi non defuiſſe: nã miro quodam artificio in Cardinalium fauorem ſeſe inſinuabat, honorando illos & laudando, omnibuſque ſatisfaciendi ingens quoddã deſiderium præ ſe ferebat: ſeipſum vero ab omni ambitione remotum oſtendebat, tanquam qui nihil magis cuperet, quam ad vineam ſuam & vacationem redire. Nec minor in familia alenda, & continenda ipſius erat modeſtia. Nemini Cardinalium, vt ſuam obtineret opinionem, aduerſabatur, vel pertinaciter cõtradicebat, ſed diſſimulatione quadam cedebat potius. Si quando de Principibus, & eorum negotiis dicebatur vel tractabatur, ſemper eos aut defendebat, aut excuſabat, ita tamen, vt Sedis Apoſtolicæ dignitatem & iuriſdictionem ſuper omnia tueretur. Idem publice & priuatim in omni ſermone prædicare ſolebat, quantum Cardinali Alexandrino deberet, ob tam multos honores & beneficia, à Pio V. ab ipſo Alexandrino, & aliis in ſe collata.

In Conclaui, licet nullum apertæ ambitionis daret indicium, nihil tamen eorum intermittebat, quæ & tempus eiuſmodi & locus requirunt, Cardinales adeundo, operam ſuam promittendo, & his talibus officiis erga eos vſurpandis: à quibus & ipſe plerunque magnis promiſſis oneratus abibat.

Interea dum Montalti fauores ad cœptum perficiendum, diẽ cupidiſſime expectant, eiuſdẽ Fati ſiue Numinis benignitate

accidit, vt mane illo Cardinalis Vercellenſis aduentarit: ad quē in Conclaue recipiendum Cardinales fere omnes in atrio conuenerunt. Ei vix ingreſſo Medices & Geſualdus omnes machinas admouerunt, ac tandem perſuaſerunt, vt Montalto ſuffragaturum ſe promitteret. Paulo poſt, dum Sacriſta Sacrum auſpicatur, Magiſter ceremoniarum Cardinali Vercellenſi & Madrutio modo ingreſſis, Bullam prælegere iubetur: qua occaſione qui Montalto fauebant, inſtituto conſilio ad exitum perducendo prudenter vſi ſunt, hoc modo.

Vix Bulla legi cœperat, quum Ateſtinus Cardinali Alexandrino, in ſacello è regione ſedenti, capite innuit: ad quem nutum is ſtatim ſacello egreſſus, ſcabello aſſedit, & votum ſuum ſiue ſuffragium à ſe perſcribi ſimulans, Cardinalem S. Sixti vocari iuſſit, & præſenti expoſuit, Ateſtinum, Medicem, Altempſium, Se, Guaſtauillanum, & alios cōiunctis ſtudiis & ſuffragiis Mōtaltum velle renuntiare Pōtificem, iamque rem pene confectam haberi. Huius tamen beneficii gratiam ſe ipſi ob eam, quam ipſi debeant reuerentiam, lubenter conceſſuros, vt Montaldus Pontifex factus tanto magis obligatum ſe ipſi agnoſcat. Fruſtra futurum, ſi obniti velit: nam ipſo, quamuis inuito, ſpectante atque audiente, rem certo certius confectum iri. Sermo hic in tali loco, ac tempore non ſine myſterio quodam & artificio adhibitus fuit, vt ſcilicet Cardinalis S. Sixti inopinata re perculſus, ſpatium cogitandi, animumque recolligendi non haberet, quem Ateſtinus natura mutabilem iam ante cognorat. Quare Alexandrini verbis, atque iis, quæ pauló ante è Riario & Guaſtauillano intellexerat, motus, promiſſi, quod Farneſio dederat (nemini ſcilicet ſuffragaturum ſe, niſi communicato cum ipſo conſilio) oblitus: omni etiam ſpe euehendi è ſuis aliquem ad Pontificatum abiecta: prudentiæ etiam, & conſtantiæ, quam antehac oſtenderat, & quæ in tanta re tali viro neceſſaria, quaſi immemor, vna cum Alexandrino primus ſacellum intrauit, & Montaltum amplexus, vt Pontificem, adorauit. Quo facto mox certatim reliqui accurrerunt, & nouo Pontifici gratulati ſunt, qui mutato nomine Sixtum V. appellari ſe voluit, partim vt Cardinali Sancti Sixti gratificaretur, partim vt Sixti IV. Pontificis ex eadem familia monachi hanc dignitatem adepti, memoriam renouaret. Hac peracta adoratione, ceremoniarum magiſter, & ſacriſta obſerato ſacello Montaltum Pontificalibus induerūt. Inde abſque primæ electionis præiudicio publicum fuit inſtitutum ſcrutinium: itaque denuó à ſingulis Cardinalibus Pontifex renuntiatus & adoratus fuit, & pedum oſculum ſecutum, mox ad populum proclamatus, & in templum D. Petri delatus die Mercurii 24. Aprilis, qui dies eidem fauſtus fuerat

ante-

antehac: ſiquidem eo die monaſticam vitam amplexus, eodem Generalis, Cardinalis, Papa factus & coronatus fuit.

DE AVLA ET REGNO IMPERATORIS ROMANORVM, Oratoris N. Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ,

DISCVRSVS VNDECIMVS.

IMPERII Regis Romanorum limites (Princeps Sereniſſime) ab agro Brixiano vſque ad vltimos Hiſtriæ terminos extenduntur ſpacio amplius trecentorum millium paſſuum, & quibuſdam in locis paullo plus diſtant hinc quinquaginta milliaribus. Proinde finitimorum Principum quorumcunque nulla maior, quam huius, ratio apud Sereniſſ. hanc Remp. habenda videtur.

Quod ſpectat ad eius ditiones & ſtatus, quia in Germania collocantur, vt rebus dicendis maius lumen affertur, à Germaniæ deſcriptione exordiemur. Quæ ab Oriente finitimas habet prouincias, Pruſſiam, Poloniam, Vngariam, Sclauoniam, Dalmatiam: à meridie Venetorum ſtatum, Rhetos, & partem Heluetiorum: ab occidente regiones Galliæ: ab aquilone Oceanum, regnique Daniæ partem. Huius prouinciæ figura quadrata eſt pene æquilatera, & patet in longitudinem millia paſſuum 650 totaque continetur ſpacio 2600. milliarium. Hæc regio omnibus victui humano neceſſariis abundat rebus, & in eam non importantur, niſi quæ ſuperflua ſunt, & inter delicias connumerantur, vt vuæ paſſæ, amygdala, & eiuſmodi fructus, aromata, vina delicatiora, ſericæ veſtes, & aureæ: In parte ad ſeptentrionem poſita vinum non naſcitur, in cuius vicem ceruiſia frequentatur.

Germaniæ fines.

Fœcunditas.

Populi Germaniæ ſeſe apprime fideles ac ſynceros eſſe profitentur, vtque vere dicam, magis ad ſimplicitatem videntur nati, quam ad aſtutiam, quam ex ſeipſis vix animo aſſequuntur: ſed extra loca patria tanto facilius decipiunt, quo minor ab iis eſt ſuſpicio, & cautio: dicique poteſt, pudicitiam apud eos laudari magis, quam coli, propter magnam, quæ viris intercedit cum mulieribus, familiari-

Fides aliquando ambigua.

Bibacitas laudanda cur.

ratem Bibaces ſunt vltra mediocritatem non ſolum, ſed etiam vltra quam credibile, & apud ſingulos opinio eſt, ebrietate iudicari homines candidæ, apertæque fidei, abſtinentiam vero, & temperantiam à fraudulentis, ac fallacibus hominibus inuentam eſſe, ne bibentes nimium, malas ſuas cogitationes exerant, detegantque.

Dominia, & Status, quæ Germaniam gubernant, triplici ordine cenſentur. Principum Eccleſiaſticorum, Secularium, Ciuitatum.

INTER Eccleſiaſticos Epiſcopus Moguntiæ ſupremus eſt per Germaniam Cancellarius, apud quem omnes publicorum Comitiorum ſcripturæ aſſeruantur. Coloniæ Archiepiſcopus per Italiam eſt Atchicancellarius: Treuetenſis per Franciam. Hi tres ſunt Eccleſiaſtici Electores. Sequuntur alii Archiepiſcopi: Salisburgenſis, qui antiquiſſimam obtinet dignitatem, habetque annuos reditus 150. millium florenorum: Magdeburgenſis, qui Primas Germaniæ nuncupatur: Bremenſis, & alii, qui temporibus præteritis fuerunt numero 45. ſed modo viginti quinque ſolummodo nominantur: qui tamen viribus, opibuſque non concedunt ſecularibus Principibus. Accedunt Abbates, & Theutonicorum equitum magnus Magiſter: & quamuis Pruſſia, quam equites annis anteactis poſſidebant, modo Regi Polonorum pareat, tamen adhuc eligitur Magnus Magiſter, qui pleraque illius Ordinis bona, in Germania ſita, poſſidet: ſicque Eccleſiaſticis hiſce Principatibus Germanorum pleraque nobilitas, & Principum filii detinentur. Inter ſeculares Principes primus eſt Palatinus, qui ſupremus appellatur Dapifer: Dux Saxoniæ, qui ſupremus eſt Marſchallus, aulæque Iudex. Marchio Brandeburgenſis, qui ſupremus eſt cubicularius, hique ſunt eodem ordine Electores. Subſequuntur hos cæteri Principes, primum ii, qui ſunt ex Electorum familia, vt Dux Bauariæ, cæterique eiuſdem familiæ Palatini: Duces Saxoniæ: Marchiones Brandeburgenſes & Cuneburgenſes, qui nobilitate cæteris antecellere, ſeque ex Domo Saxoniæ, quæ nomen, & Electoratum obtinuit anno 1429. à Sigiſmundo Imperatore, deſcendere profitentur, cum eo tempore Miſniæ Marchionatum poſſiderent. Sequuntur poſt hos longo ordine omnes Duces, Marchiones, Landtgrauii, Burggrauii, Comites & Barones. Archidux Auſtriæ, vt Princeps Imperii inter ſeculares Principes locum non habet propter ius præcedendi, ſed inter Eccleſiaſticos, quibus ipſi præcedunt. In Comitiis Auguſtæ 1548. omnes prouinciæ Burgundiæ ſub Imperii protectione receptæ fuere, locuſque illarum Principis ſimiliter inter Eccleſiaſticos attributus, quamquam in vltimis Comitiis Ratisbonenſibus

Eccleſiaſtici Principes.

M. Magiſter Pruſſiæ.

Seculares Principes.

Saxonia Domus.

Archidux Auſtriæ cur non habet locum inter ſeculares.

Burgundia & Lotharingia Duces.

Rex

Rex Hiſpaniæ nullum mittit procuratorem. Dux Lotharingiæ Imperii Princeps habebatur, ſed nunc tota domus Lotharingiæ in domum Franciæ tranſiuit. Principes hi Germaniæ per hæc tempora potentiores exiſtunt, quam vnquam antehac fuerint, partim ob Eccleſiaſtica bona, quæ vſurpauerunt, partim ob inſueta grauamina, quæ ſubditis impoſita ſunt. Potentiſſimus omnium eſt Saxoniæ Dux, qui pluſquum quingenta Daletorum millia habet quotannis: colligitque in ſuo ſtatu circiter octo equitum, peditum vero quindecim millia; cui proximi ſunt Duces Bauariæ & Iuliacenſis.

Ordo ciuitatum liberarum. Ciuitates liberæ Imperii eæ ſunt, quæ alium dominum, quam Imperatorem, non cognoſcunt: quarum nonnullæ vectigal quoddam ſoluunt, ſed adeo tenue, vt tota ſumma tributi quindecim millia florenorum non excedat. Cunctæ ſuis legibus viuunt, & populari ferè politia reguntur, aut mixta, etſi nonnullæ præſertim Norimberga, ab optimatibus gubernentur. Vt Lippomanus in ſua Poloniæ relatione refert, Norimbergenſes quondam Legatos Venetias miſerunt, quo leges ſuas, & Reipublicæ formam inſtituerent, & reuera audiui ſæpe Norimbergam ciuitatem paruas Venetias nominari. In ſuis rebus ac potiſſimum libertate tuenda, diligentiſſimi ſunt: eorum politia antehac minimi facienda erat, antequam pecunia, aut fauoribus libertatem ab Imperatore aut à Principibus, quibus parebant, redemiſſent. *Earum potentia.* Quo eodem modo omnes Germaniæ ciuitates liberæ factæ, in tantam creuerunt potentiam, vt cum potentioribus Germaniæ Principibus contendere valeant. Erant huiuſmodi ciuitates olim octoginta octo, ſed modo pauciores ſunt, nempe quaſdam Galli occupauerunt, ab Heluetiis aliæ, aliæ à Polonis vſurpatæ. Nemo Imperatoris nomine, niſi prius à Pontifice coronetur, ſed tantum Cæſar, aut Rex Romanorum, aut Germaniæ Rex appellatur, qui ab Electoribus eligitur. Imperator in Germania abſolutum non habet imperium, ſed eam per Comitia gubernat; proinde Imperatores plus minuſve auctoritatis habent, prout in Comitiis amantur aut timentur, & quo minus ob reuerentiam iis non repugnarut.

Comitia. Ad Comitia tres dicti ſtatus conueniunt, quibus tria Conſilia formantur: In primo Electores conſiſtunt, inter quos Rex Bohemiæ non adeſt, quippe ius conſultandi non habet, magiſque videtur *Rex Bohemia.* Arbiter eſſe, quam Elector: nihil enim ipſe in electione agere ſolet, niſi eum Electorum ſuffragia æqualiter diuiſa fuerint, hoc eſt, tres ab vtraque parte: hoc enim caſu ille eligitur, quem pronunciauerit ipſe, & ſummus idem eſt Pincerna Imperatoris.

Alterum conſilium ex omnibus Principibus tam ſecularibus, quã Eccleſiaſticis componitur, in quod ingrediuntur duo pro cæteris omnibus Eccleſiaſticis: duoque alii pro omnibus Comitibus & Baronibus. Tertium Conſilium eſt ciuitatum.

Coram omnibus hiſce ſtatibus & ordinibus proponitur Imperator, vel Romanorum Rex ab eo, qui negotium ſuſcepit pertractandum, & ſingula conſilia ſeparatim ſuper rebus propoſitis conſulrant: verum ciuitates etſi ſententiam ſuam, quaſi conſilium conferunt, tamen nullum in decidendo ſuffragium habent. Conſilium Electorum poſtremo loco ſuam pronunciat ſententiam, & maioris eſt exiſtimationis.

Comitior. confuſio.

Germaniæ ſtatus in præſentia corruptiſſimus eſt: nam ſi Imperator Comitia publicet, Principes conuenire negligunt, ſuoſque procuratores illuc mittunt, quibus vetant quidquam decernere, niſi prius de tractandis rebus ſibi ſignificetur: itaque pauca negotia expediuntur.

Diſſidia Germaniæ triplicis ſunt generis.

PRIMVM eſt inter Principes & liberas ciuitates: quia illorum conatus omnis, & finis eſt, vt dominentur, & harum, ne ſub iugum mittantur: præter fines iuriſdictionis inter vtroſque. Alterum diſſidium eſt inter Principes, & domum Auſtriacam propter inuidiam, qua eius felicitatem ac magnitudinem proſequuntur, quod imperium diutius, quam cæteræ ſtirpes poſſederint: nam poſteri Caroli Magni illud tenuere per annos 118. Domus Saxoniæ 117 Francia 102. Sueuia 110. Hæc vero iam regnauit annos 180.

Triplex diſſidium.

Tertium diſſidium eſt inter Catholicos, & Proteſtantes: Hanc partem conſtituunt omnes liberæ ciuitates & omnes Principes ſeculares exceptis quatuor: illam vero Imperator, Dux Bauariæ, Dux Brunſuicenſis, & Cliuenſis cum omnibus Eccleſiaſticis.

Primi, qui in Germaniam ſectas hæreſum inuexerunt, fuere Iohannes Hus, & Gregorius Pragenſis, qui fuerunt diſcipuli Iohannis Vicleſi Oxfordienſis. Is autem ſub Eduardo Tertio Angliæ rege, & Carolo Quarto Imperatore vixit. Ex horum radicibus pullularunt poſtea Picardi, Lutherani, Zuingliani, Anabaptiſtæ, Oſiandriſtæ, Suenckfeldiſtæ, qui Pontificem omnibus, quibus poſſunt, modis inuiſum reddere conantur: ſed verendum non eſt, vt ab vniuerſis Germaniæ Principibus Pontificis profligetur vnquam auctoritas; non ſolum quod ipſi inter ſe diſſentiunt, ſed etiam quod Eccleſiaſtici à Pontifice dependent.

Hæreſes quo pacto irrepſerint.

Auſtriacæ familiæ origo.

AVSTRIACA familia ad eam, quam nunc videmus, magnitudinem excreuit hoc modo. Rudolphus Comes Habſpurgenſis anno 1213. Imperator fuit electus: cui Manardus, indignatione contra

liberos ſuos,& cognatos concepta, Titolenſem comitatum donauit. Huic filius fuit Albertus, qui patri in Imperatoria dignitate ſucceſſit, adiectis ad patrimonium Auſtria, & Stiria (quarum poſſeſſione Rudolphus Ottocarum Boemiæ regem depulerat) & inueſtitura, vt vocant, earundem in Comitijs Auguſtanis anno 1328. confirmata His acceſſit non multo poſt Carinthia: tumq; ſtirps Auſtriaca in multos veluti ramos fuit diuiſa. Poſtea tamen ditiones omnes ad Federicum III. Alberti II. Imperatoris fratrem deuolutæ ſunt, qui imperio vnũ centum annum præfuit. Filium Federicus habuit Maximilianum: qui ducta in matrimonium Caroli Burgundiæ Ducis filia Maria, Burgundiam, Brabantiam, Flandriam, Hollandiam, Selandiam, Luxemburgum, & alias Belgii prouincias ſuo adiecit imperio. Ex hoc natus filius Philippus primus matrimonio ſibi copulauit Ioannam Ferdinandi, & Iſabellæ Aragoniæ, & Caſtiliæ regum filiam: cumque ea dein vniuerſa Hiſpania, Neapolitano item, & Siciliæ regnis, & India Occidentali potitus eſt. Tanta huius fuit felicitas, vt intra quindecim annorum ſpatium omnibus in orbe Christiano regnis vel reges, vel reginas dederit, excepta Scotia. Ex hoc, genitus Carolus V. Imperator omnium regnorum, quæ matris fuerant, hæreditatem auxit. At ex paternis ditionibus diuiſis, Carolo Belgicæ prouinciæ, ac Burgundia; Ferdinando eius fratri Auſtria cum annexis regionibus, antiquiori Sereniſſimæ huius familiæ patrimonio, & cum anna ſexagenum millium ſcutatorum ex regno Neapolitano penſione obuenerunt Coniugem Ferdinandus duxit Annam, Ludouici Hungariæ & Bohemiæ regis ſororem; quo ſine liberis defuncto, ex conuentione iam olim auum eius Maximilianum, & Ladiſlaum ſocerum facta an. 1526. Hungariæ rex creatus: anno 1536. die 5. Ianuarii in Romanorum regem fuit electus. Habuit Ferdinandus tres filios: Maximilianum, qui poſt eum Imperator fuit; Ferdinandum Oeniponrinum Principem, & Comitem Tirolenſem; & Carolum Croatiæ, Carinthiæ, & Carniolæ Ducem.

Felicitas Auſtriacorum.

Hungaria quomodo acquiſita.

Auſtriæ nomine hodie comprehendi ſolêt omnes illæ prouinciæ, quas Ferdinandus ab auo accepit. Quæ vero proprie Auſtria dicitur, diuiditur in ſuperiorem, & inferiorem, quarum hæc vltra, illa cis Danubium ſita eſt Ad inferiorem pertinẽt Auſtria, Lineium, Carinthia, Stiria, & Carniola. Superior ab Oriente Hungariam, ab occidente Bauariam, & Comitatum Tirolenſem habet finitimũ: à meridie mari Adriatico, & Venetorũ imperio; à Septentrionibus Morauia, & Boemia clauditur. Regio omnis ab Oriente in Occidentem patet ad trecenta milliaria in longitudinem; vbi latiſſima eſt, ducenta quinquaginta comprehendit. Primaria vrbs Auſtriæ Vienna eſt, ſplendore & diuitiis vix vlli vrbium cedens. Præcipuis fluuiis irrigatur Danubio, Drauo Sauo, Mura. Solum fertile admodum eſt, frumenti, vini ferax: flumina, & ſtagna piſcibus mirum in modum ſcatent: quod

Auſtria fines & fertilitas.

vni regionum deeſt, alterius abundantia facile ſupplētur. In Stiria & Carinthia argenti, ferri & plumbi fodinæ non deſunt.

Ordines Auſtriæ quatuor.

Incolarum quatuor ſunt ordines. Primus Eccleſiaſticorum, qui ab Archiduce, eliguntur & confirmantur, Epiſcopi præſertim. At Abbatum electio pene. conuentus ſiue capitula eſt. Secundus Baronum. Tertius Nobilium, qui, qua certa prædia ab Archiduce tenent, ſuperiorem eum agnoſcunt. Quartus ciuitatum, quæ ſuo modo & iure remp. adminiſtrant, cauſas tam ciuiles, quam criminales diſceptant & diiudicant, reditus percipiunt, & ex iis tam ad cuſtodiam, quam ad refectionem murorum ac publicorum operum ſumptus faciunt. Omnes Archiducem dominum & ſuperiorem agnoſcunt: at is nihilominus, ſi aliquod tributum vel tale quid ſubditis imperare velit, neceſſe eſt, vt petitionem ad publicos conuentus deferat, quibus omnes quatuor ordines interſunt.

Supremus magiſtratus Viennæ.

Prælati & Nobiles in ſubditos ſuos & clientes iudicia exercent; nonnulli etiam vitæ, ac necis habent poteſtatem. At controuerſias, quæ inter ipſos ordines exiſtunt, Capitaneus ſiue iudex cuiuſcunque prouinciæ diſceptat & diiudicat. Viennæ conſilium eſt Quindecimvirum, in quod Prælati, Nobiles & Doctores alleguntur: regimen eum vulgo vocant. Ad hoc prouocationes, ſiue appellationes cæteris Capitaneis omnium prouinciarum deferuntur, & cauſæ nonnullæ integræ, ſiue in prima inſtantia. Et magna libertas, ac fere ſumma rerum pro arbitrio adminiſtrandarum facultas Archiducum beneficio concedi ſolet. Subditi, ſiue incolæ harum prouinciarum optima ſunt indole, & magno principes ſuos amore complectuntur: quamuis tributorum & onerum magnitudine nonnihil aliquando exaſperentur. Nobilitas fere omnis nouarum de rebus diuinis opinionum veneno infecta eſt: adeo vt cum olim Ferdinandus ex hoc hominum genere legatos ad Comitia Ratisbonenſia miſiſſet, qui auxilia contra Turcas poſtularent, illi ipſi Proteſtantium religioni addictos Principes adhortati ſint, ne quicquam prius conferrent, quam religioni ipſorum ſatis cautum eſſet. Arces munitiores harum prouinciarum ſunt, Goritia, Tergeſtæ, Gradiſca, Neottadium.

In Auſtria ſuperiore comprehenduntur etiam Comitatus Tirolenſis, & Prettenſis, Inſula Alſatiæ, Burgrauiatus Sueuiæ, Conſtantienſe territorium, & alia quædam loca. Ab ortu Carinthiam habet, & partem aliquam Bauariæ & Sueuiæ: ab auſtro territorium Brixienſe, Vincentinum, Veronēſe, Taruiſinum, Feltrium Bellunenſem ciuitatem: ab occaſu Rhetos, & Heluetios: ab Aquilone Bauariam, & Sueuiam. Extenditur in longitudinem ad 150. milliaria: lata vero eſt 70. Vniuerſa in montes aſperrimos attollitur, vini, ligni, & ſalis feracior, quam frumenti. Præcipua vrbs eſt Oenipons, ſedes Principis, Parlamenti regionum iſtarum ſedes: ad quos appellationes

Oenipons, caput Auſtriæ ſuperioris.

omnes deuoluuntur. Cæterarum rerum eadem hic fere, quæ in inferiori eſt ratio, niſi quod Barones & Nobiles hic non ſunt diuiſi, ſed vno & eodem ordine comprehenduntur: Et plebs quoque, ac ruſtici Comitiis interſunt, neque tantopere tributis grauantur, vt in inferiori Auſtria, vbi, exemptis Nobilibus, omnia plebi onera imponuntur.

Bohemi è gente Sclauonica ortum ducunt, eaque lingua vtuntur. Eis duces initio præfuerunt viginti vſque ad Ladislaum, quem anno 1088. Henricus Quartus Imperator Moguntiæ Regia dignitate ornauit. Cuius poſteri & ſucceſſores cum modeſtia quadam illo titulo aliquandiu abſtinuiſſent; iterum Ladislaus X X V. Dux à Federico Primo Imperatore rex creatus eſt anno 1156. Tandem vero eadem dignitas Primislao Anno 1202 à Philippo Imp. tributa, vel potius confirmata fuit, qua etiam ſequentes omnes vſi ſunt. Ex Luxemburgenſi familia regnum hoc tenuerunt Ioannes, Carolus, VVenceslaus, & Sigiſmundus per 125. annos. Ex Iagellonica Poloniæ regum ſtirpe Ladislaus, & Ludouicus per L V. annos. Ad familiam Auſtriacam ſceptrum hoc bis eſt deuolutum, biſque rurſus ablatum, donec præſenti regi in manus venit. Primum Rodulpho rege Alberti Imperatoris filio anno 1206. iterum anno 1348. Alberto II. Imperatore: Cui Ladislaus filius ſucceſſit, & quo tempore Imperatoria fere Maieſtas in Bohemiæ regum familia hæſit. Ordines quidem, ſiue ſtatus regni, ius eligendi regis ſibi aliquando vindicare non dubitarunt: at poſtea diploma, ſiue inſtrumentum inter Bohemos, & Carolum I V factum, repertum eſſe aiunt, quo filius regis natu maximus poſt patrem rex declaratur, & deinceps alii maſculini ſexus. Quibus deficientibus fœminæ quoque ſubſtitui iubentur.

Bohem. deſcriptio.

Ius regni ad diuerſos pertinuit.

Vndique regnum hoc Germanis populis circumſeptum eſt. Terminatur enim ad Septentriones Sileſia, Luſatia, & Miſnia: ad occaſum Franconia, ſiue Norico, Voitlandia, & Palatinatu ſuperiori; ad meridiem Auſtria, ſeu Pannonia ſuperiori, ad ortum Morauia, ac Sueuiæ parte. In longum ab ortu in occaſum habet milliaria Italica centum ſexaginta 3. in latum vero, ſiue à Borea in auſtrum centum & quatuor. Fluuium nullum aliunde recipit; plurimos autem, nobiliſſimoſque extra ſe diffundit: qui tamen fere omnes in Albim confluunt Argenti, aliorumque metallorum diues eſt Bohemia: frequentiſſime colitur, adeo vt ſexdecim pagorum millia, oppida vero ſupra ſeptingenta in ea numerari dicantur. Primaria vrbs eſt Praga. Diuiditur autem vrbs tota in tres ciuitates, antiquam, nouam, & paruam: ſeptem milliarium circuitum habet cum ponte viginti & quatuor circiter arcuum.

Præter aratores & ruſticos tres in hoc regno incolarum ſunt Ordines, Baronum, Nobilium & Ciuium. Eccleſiaſticus enim ordo

Ordines Bohemiæ.

ab Huſſitis ſuperiori tempore vndique exterminatus fuit, & bona ab iis, qui potentia præualebunt, occupata. Vnde inter omnes Chriſtianas prouincias ſolum hoc regnum neque vllos Epiſcopos, neque Comites habet.

Illorum omnium idem fere ius eſt, eademque priuilegia, quæ Auſtriæ ordinum: nam & ſubditis ipſi ius dicunt, & Regi præter fidem, quam ei debent, non vltra ſunt obligati, quam ad id, quod in Regni Comitiis fuerit decretum. Olim cauſarum appellationes ad fora, ſiue iudicia extra regnum deferebantur; nempe ad Curiam Magdeburgenſem; & Lipſienſem: hodie tamen duodecim viri Pragæ à Rege conſtituti ſunt, quorum iudicio lites omnes definiuntur.

Roſembergiorum familia, quam ex Vrſinorum gente ortam quidam volunt, ciuis fere Bohemiæ potentiſſima eſt, cuius familiæ princeps, ſiue caput ſexagenum talerorum millia cenſum quotannis percipere dicitur.

Mores Bohemorum. Reliquis incolis & Nobilibus ampli etiam ſunt reditus, maxime ex ſtagnis & viuariis: pauci tamen pecunias in numerato habent, quas fere ſplendidiore victu abſumunt. Vaſto ſunt corpore, & magnis viribus: ſed luxu, quo diffluunt, plerique laudes ſuas obſcurant: audaces, iactatores, ſuperbi, nimium ſibi ſuiſque viribus confidentes: in promiſſis ſuperſtitioſi dicam, an conſtantes? Nobiles enim in cauſis grauiſſimis, vbi magiſtratui fidem dederunt, iudicio quamprimum euocantur, infallibiliter ſe ipſi ſiſtunt: adeo vt multi, quamuis capitalem ſententiam in ſe latum iri, non ignorarent, vltro nihilominus comparuiſſe tradantur.

In Bohemiæ Regis clientela aliquo reſpectu ſunt, Palatinus, Dux Saxoniæ, Marchio Brandeburgenſis. Regno annexæ ſunt Morauia, Sileſia, Luſatia: quæ magna ex parte Bohemiam complectuntur. Eædem vero ab occaſu Miſnia, & Saxonia: ab oriente Hungaria, & Polonia, à ſeptentrionibus Marchia Brandeburgica diſterminantur. Earum longitudo ab auſtro ad aquilonem patet ad quadringenta milliaria: latitudo ad ſeptuaginta. In adminiſtranda Rep. ſuis vtuntur moribus, & legibus, iiſdem fere, quibus Bohemi. In Morauia tamen, & Sileſia Epiſcopi ſunt, quibus Ordo Eccleſiaſticus conſtat. Sileſiæ adminiſtratio magna ex parte eſt penes Epiſcopum Vratiſlauienſem. Morauiæ, & Luſatiæ Præfecti à Rege dantur. Pauca hic loca munita. Bohemi quidem ſuam regionem ſylua Hercinia, qua circundatur, apprime munitam eſſe, ſibi perſuadent: nulla tamen hic clauſtra, aut viarum anguſtiæ, quibus hoſti aditus intercludi queat. Venio ad Hungariam.

Coluerunt regionem iſtam primum Pæones, ſiue Pannones: poſtea Gotthi, qui ab Hunnis expulſi ſunt à Longobardis, qui etiam totos ſeptuaginta duos annos hic conſedere. Succeſſerunt iterum

Hunni anno 377. Duce Attila: poſt cuius obitum Carolus Magnus eam ſui iuris fecit: anno autem nongenteſimo ſub Arnulpho Imperatore è Scythia profecti Hungari loca iſta occupauerunt, paganiſmum colentes vſq; ad Regis Stephani inaugurationem, quæ fuit anno 972. cuius coronam cœlitus, vti fama eſt, demiſſam, Hungari magna habent veneratione. Stephani poſteri regnum vſque ad annum 1137. tenuerunt. Dehinc exteri, vel cognationis, vel electionis iure ſceptro potiti ſunt: quamuis Hungari ius eligendi Regis ſibi liberum eſſe contendant, nec facile quem alium admittant. Poſt hos Bohemiæ, Poloniæ, Neapoleos Reges, & Valachiæ Deſpotæ ad regnum adſciti ſunt, donec tandem familia Auſtriaca rerum potita eſt. *Hungarorũ origo & regnum.*

Sunt Hungari feræ admodum, & agreſtis naturæ, ad auaritiam & crudelitatem propenſi; fluxæ etiam fidei à nonnullis inſimulantur. Veſtitu, & aſpectu etiam parum à Turcis differunt. Lingua vtuntur ab omnibus reliquis differenti. Fines regni olim fuerunt ab ortu Bulgaria, ab occaſu Morauia & Auſtria; à meridie Boſnia & Seruia; ab aquilone Moldauia, Ruſſia, & Polonia, ſi Tranſſyluaniam ei includamus. Longitudo eius eſt quadringentorum, latitudo ducentorum quinquaginta milliarium. Omnes fere totius Europæ regiones ſoli fœcunditate ſuperat: nam frumentum, vinum, carnes, metalla, & cætera, tanta copia ſuppeditat, vt ad remotas etiam gentes neceſſaria inde conuehantur. Præcipui fluuii ſunt Danubius, Drauus, Sauus, Tibiſcus, & alii minores. Diuiditur vniuerſa Hungaria in citeriorem & vlteriorem. Vlterior omnem illum tractum complectitur, qui vltra Danubium eſt, quem quidem medium Tibiſcus ſecat. Regnum olim Comitatus habuit quinquaginta; de quibus viginti octo Rex ſiue Imperator hodie poſſidet, ſex rebellibus parent: cæteri Turcicam ſeruiunt ſeruitutem. Ciuitates in adminiſtranda Repub. ſuis itidem, vt in Auſtria, legibus vtuntur. Ruſticani homines, poſt motum illum anno 1514. excitatum, perpetuę ſeruituti addicti fuerant: ſed eis poſtea in Comitiis Poſonienſibus libertas eſt reſtituta; quanquam hodie etiam vilipenduntur, magniſque oneribus grauantur. Epiſcopi ſpiritualis & temporalis gladii ius habent. Inter hos eminet Strigonenſis Archiepiſcopus: qui, ciuitate à Turcis occupata, Poſonium domicilium tranſtulit. Rex Archiepiſcopos, & Epiſcopos Regni eligit antiquo iure: ſed Cœnobiorum Antiſtites à Monachorum Collegiis eliguntur. Singulis Comitatibus Præfectus à Rege datur, qui Comes inde dicitur. His omnibus ſuperior eſt regni Palatinatus, Regis Vicarius, cuius ea fere eſt autoritas, quæ apud Venetos maris Præfecti. Præter hunc duo ſunt ſupremi cauſarum iudices: quorum vnus eſt Archiepiſcopus Strigonenſ. alter Iudex au-

Hungarorũ mores.

Soli fertilitas.

Epiſcoporum ius.

Palatini autoritas.

licus, qui appellationes primæ inſtantiæ diſceptat. De rebus publicis deliberationes in Comitiis habentur. Tranſyluania Hungariæ non finitima tantum, ſed quodammodo etiam annexa, & inſerta, regio eſt non ampla quidem, ſed opulenta admodum, & vbere omnium rerum prouentu felix. Fodinas habet auri, argenti, ſalis. Aliquibus etiam locis exſcinduntur auri glebæ puriſſimi, cuius effoſſi ſtatim vſus eſſe poſſit, ſine accuratiori ſeparatione. Princeps omnibus rebus ad bellum neceſſariis, armis, equis, pecunia, annona eſt inſtructus.

Tranſyluania qualitas.

Nauale Auſtriæ Archiduces Viennæ habent, in quo quinquaginta circiter varii generis nauigia aſſeruantur: quibus magnum Hungaricarum nauium numerum facile iidem addere poſſint. His carina plana eſt: longitudo altero tanto, quam gondularum Venetarum, maior. Reguntur, ac propugnātur à viginti quatuor viris: è quibus quatuor in cæteros imperium habent. Claſſiarii vtplurimum Hungari ſunt, Sclauoni, Itali, Græci: pauci Germani. His enim ad terreſtrem tantum militiam vtitur Imperator ſine miſtura fere aliarum gentium: quas illi vix inter ſe ferunt. Italos quidem, & Hiſpanos non aſpernatur Imperator: ſed ſubditos irritandos ſibi non putat.

Nauale Auſtria.

In Comitiis noſtri temporis vix vnquam vllus exercitus decretus fuit, in quo peditatus 24000. aut equitatus octo equitum millia exceſſerit. Conſtat tamen, ſi poſtulet neceſſitas, è Germania nonaginta peditum, & viginti quinque equitum millia ita colligi poſſe, vt nulla eius regio viris, aut viribus nudetur. Notarum enim harum rerum curioſi, vno eodemq; tempore tantum Germanorum numerum diuerſis Principibus militaſſe.

Militia Germanica.

Ex inferiori Auſtria Imperatori procliue eſſet duodecim peditum, & tria equitum millia colligere. Sed peditatus is hodie non magni æſtimatur.

E Comitatu Tirolenſi conſcribi poſſent quatuor peditum lectiſſimorum millia, & trecenti equites: ſed rari hic habentur delectus, ne operæ ad fodinas deſint.

Sola Bohemia decem equitum millia ſubminiſtrare poteſt: peditum vero numerum incredibilem. Et equites quidem habētur in pretio; pedites parui æſtimantur. Armis ad defenſionem vtuntur lorica, manicis annulatis, galea aperta: ad offenſionem, gladio, framea, claua, binis aut ternis ſclopis breuiuſculis; nonnulli etiam lancea.

Bohemia militia quales.

Inter hos ſunt Nobiles aliquot, ſed ignaui vtplurimum, & ad res gerendas inutiles. Stipendium equiti menſtrui aurei duodeni. Seni equites clitellarium habent, ad portandam militarem ſupellectilem, iumentum: quod binos ſingulis menſibus aureos meret.

Inter pedites haſtati armis probe ſunt inſtructi, ſed male ſclopetarii. Menſtruum ſingulis ſtipendium floreni quaterni. Diſciplina apud eos exigua, vel nulla potius eſt. In extorquendis per tumultum debitis tantum ſtrenui: contra hoſtes ignaui. Sunt tamen inter eos quidam bonæ notæ milites: ſed ii cæterorum contagione inficiuntur. Totum hoc genus peditum ad oppugnationem, aut defenſionem inutile eſt: ad ſtatarias tamen pugnas non ineptum, cum ordines accurate tueantur.

Econtra, Hungaricus peditatus ad prælia, velitationes, inſidias, & oppidorum etiam defenſiones multum valet. Equi Hungarici pernices ſunt: ipſi vero ſeſſores mira agilitate, quocunq; libet, ſe nullo negotio flectunt. E ſolo Hungariæ regno ſexaginta equitum millia in aciem quondam educi potuiſſe, aiunt: at iam ex eo, addita ſimul Croatia, & Sclauonia, vix decem millia colligi poſſent. Inter Hungaros non multi ſunt experti militiæ Duces. Quibus animus non deeſt, ii à iudicio plerunque deſeruntur. Externis quidem etiam ſummis viris obedire detrectant. Hinc graues inter Germanos, & Hungaros ſunt ſimultates & odia. Hungarorum fidem, tanquam ſubleſtam & infidã Germani eleuant. Germanis econtra ignauiam Hungari, aliaque vitia exprobrant. Turcæ interim in omnes occaſiones intenti, in medio derelictas prouincias carpunt, & imperium ſuum longe lateq; propagant. Quorum conatus illud quoq; non parum iuuat, quod ad Turcicas regiones aditus anguſti ſint, & impediti, cum Imperatoris ditio tota vndiq; pareat, & ad vim ſit expoſita. Sed & hoc maximi eſt momenti, quod Turcæ decem dierum ſpatio infinitas pene copias poſſint contrahere, cum Imperator multo minores vix tot ſeptimanarum ſpatio colligere queat. *Hungari milites quales.*

Ab Imperii Ordinibus parum accipit Imperator. Aliquando tamen ſubſidia aliquot Romana ei conceduntur. Hoc ſubſidio ad bellum contra Turcas, Gallos, & quoſcunque Imperii hoſtes olim Impp. vſi ſunt, & iam vtuntur, poſtquam Romanæ illæ expeditiones in deſuetudinem venerunt: ex eo aliquando ad quater centena aureorum millia collecta quidam prodiderunt.

Ex Auſtriæ reditibus, tributis, & vectigalibus decies centena aureorum millia Imperatorem percipere poſſe, nonnulli ſcribunt: cuius tamen ſummæ tres partes vix oneribus exoluendis ſufficiunt, ita vt vix quarta ærario inferatur. Quantum ad ſubſidia extraordinaria, ſuperioribus annis ab Auſtria inferiori quatercenta ſeptuagena, ex ſuperiori vero ter centena aureorũ millia in cenſum relata perhibentur. Bohemiæ cenſus quater centenis aureorum millibus, Hungariæ ſexies cẽtenis millibus æſtimatur: ita vt in vniuerſum fiant vicies centena aureorum millia. *Reditus Impp.*

licus, qui appellationes primæ inſtantiæ diſceptat. De rebus publicis deliberationes in Comitiis habentur. Tranſyluania Hungariæ non finitima tantum, ſed quodammodo etiam annexa, & inſerta, regio eſt non ampla quidem, ſed opulenta admodum, & vbere omnium rerum prouentu felix. Fodinas habet auri, argenti, ſalis. Aliquibus etiam locis exſcinduntur auri glebæ puriſſimi, cuius effoſſi ſtatim vſus eſſe poſſit, ſine accuratiori ſeparatione. Princeps omnibus rebus ad bellum neceſſariis, armis, equis, pecunia, annona eſt inſtructus.

Tranſyluania qualitas.

Nauale Auſtriæ Archiduces Viennæ habent, in quo quinquaginta circiter varii generis nauigia aſſeruantur: quibus magnum Hungaricarum nauium numerum facile iidem addere poſſint. His carina plana eſt: longitudo altero tanto, quam gondularum Venetarum, maior. Reguntur, ac propugnātur à viginti quatuor viris: è quibus quatuor in cæteros imperium habent. Claſſiarii vtplurimum Hungari ſunt, Sclauoni, Itali, Græci: pauci Germani. His enim ad terreſtrem tantum militiam vtitur Imperator ſine miſtura fere aliarum gentium: quas illi vix interſe ferunt. Italos quidem, & Hiſpanos non aſpernatur Imperator: ſed ſubditos irritandos ſibi non putat.

Nauale Auſtriæ.

In Comitiis noſtri temporis vix vnquam vllus exercitus decretus fuit, in quo peditatus 24000. aut equitatus octo equitum millia exceſſerit. Conſtat tamen, ſi poſtulet neceſſitas, è Germania nonaginta peditum, & viginti quinque equitum millia ita colligi poſſe, vt nulla eius regio viris, aut viribus nudetur. Notarum enim harum rerum curioſi, vno eodemq; tempore tantum Germanorum numerum diuerſis Principibus militaſſe.

Militia Germanica.

Ex inferiori Auſtria Imperatori procliue eſſet duodecim peditum, & tria equitum millia colligere. Sed peditatus is hodie non magni æſtimatur.

E Comitatu Tirolenſi conſcribi poſſent quatuor peditum lectiſſimorum millia, & trecenti equites: ſed rari hic habentur delectus, ne operæ ad fodinas deſint.

Sola Bohemia decem equitum millia ſubminiſtrare poteſt: peditum vero numerum incredibilem. Et equites quidem habētur in pretio; pedites parui æſtimantur. Armis ad defenſionem vtuntur lorica, manicis annulatis, galea aperta: ad defenſionem, gladio, framea, claua, binis aut ternis ſclopis breuiuſculis; nonnulli etiam lancea.

Bohemiæ militia qualis.

Inter hos ſunt Nobiles aliquot, ſed ignaui vtplurimum, & ad res gerendas inutiles. Stipendium equiti menſtrui aurei duodeni. Seni equites clitellarium habent, ad portandam militarem ſupellectilem, iumentum: quod binos ſingulis menſibus aureos meret.

Inter

Inter pedites haſtati armis probe ſunt inſtructi, ſed male ſcloperarii. Menſtruum ſingulis ſtipendium floreni quaterni. Diſciplina apud eos exigua, vel nulla potius eſt. In extorquendis per tumultum debitis tantum ſtrenui: contra hoſtes ignaui. Sunt tamen inter eos quidam bonæ notæ milites: ſed ii cæterorum contagione inficiuntur. Totum hoc genus peditum ad oppugnationem, aut defenſionem inutile eſt: ad ſtatarias tamen pugnas non ineptum, cum ordines accurate tueantur.

Econtra, Hungaricus peditatus ad prælia, velitationes, inſidias, & oppidorum etiam defenſiones multum valet. Equi Hungarici pernices ſunt: ipſi vero ſeſſores mira agilitate, quocunq; liber, ſe nullo negotio flectunt. E ſolo Hungariæ regno ſexaginta equitum millia in aciem quondam educi potuiſſe, aiunt: at iam ex eo, addita ſimul Croatia, & Sclauonia, vix decem millia colligi poſſent. Inter Hungaros non multi ſunt experti militiæ Duces. Quibus animus non deeſt, ii à iudicio plerunque deſeruntur. Externis quidem etiam ſummis viris obedire detrectant. Hinc graues inter Germanos, & Hungaros ſunt ſimultates & odia. Hungarorum fidem, tanquam ſuſpectam & infidã Germani eleuant. Germanis econtra ignauiam Hungari, aliaque vitia exprobrant. Turcæ interim in omnes occaſiones intenti, in medio derelictas prouincias carpunt, & imperium ſuum longe lateq; propagant. Quorum conatus illud quoq; non parum iuuat, quod ad Turcicas regiones aditus anguſti ſint, & impediti, cum Imperatoris ditio tota vndiq; pateat, & ad vim ſit expoſita. Sed & hoc maximi eſt momenti, quod Turcæ decem dierum ſpatio infinitas pene copias poſſint contrahere, cum Imperator multo minores vix tot ſeptimanarum ſpatio colligere queat. *Hungari milites quales.*

Ab Imperii Ordinibus parum accipit Imperator. Aliquando tamen ſubſidia aliquot Romana ei conceduntur. Hoc ſubſidio ad bellum contra Turcas, Gallos, & quoſcunque Imperii hoſtes olim Impp. vſi ſunt, & iam vtuntur, poſtquam Romanæ illæ expeditiones in deſuetudinem venerunt: ex eo aliquando ad quater centena aureorum millia collecta quidam prodiderunt.

Ex Auſtriæ reditibus, tributis, & vectigalibus decies centena aureorum millia Imperatorem percipere poſſe, nonnulli ſcribunt: cuius tamen ſummæ tres partes vix oneribus exoluendis ſufficiunt, ita vt vix quarta ærario inferatur. Quantum ad ſubſidia extraordinaria, ſuperioribus annis ab Auſtria inferiori quatercenta ſeptuagena, ex ſuperiori vero ter centena aureorũ millia in cenſum relata perhibentur. Bohemiæ cenſus quater centenis aureorum millibus, Hungariæ ſexies cẽtenis millibus æſtimatur: ita vt in vniuerſum fiant vicies centena aureorum millia. *Reditus Impp.*

Sed præter hæc Imperator non exiguum emolumentum ex bonis eccleſiaſticis percipit.

Aula Impp. Ad cuſtodiam corporis alit Imperator 140. equites, menſtruo duodenum florenorum ſtipendio, & quadraginta ſatellites, quibus menſtruum ſtipendium floreni octo: Muſicos quadraginta, quibus à denis ad denos quinos florenos ſtipendium ſingulis menſibus numeratur. Non parum quoque in nobilitatem, quæ magnificentiam aulæ ſequitur, impenditur.

Præcipua aulæ officia ſunt: Maior domus, ſiue aulæ Magiſter: Magnus Cancellarius: Mareſcallus, qui in aula ius dicit; Camerarius: & ſtabuli Magiſter.

Tria ſunt Conſilia: Bellicum, Camerale, cui pecuniæ conficiendæ cura incumbit: & Conſilium Status.

Cum Heluetiis, & Rhetis Cæſar pacem colit, licet illi multa loca teneant, quæ Auſtriacæ domus olim fuerunt.

Erga Pontificem præſentem optime eſt animatus.

Hiſpaniarum Regem ſingulari amore & obſeruantia proſequitur.

A Venetis non eſt alienus, eorumque Legato multa beneuoli animi indicia oſtendit: etſi de finibus nonnunquam turbæ oriantur.

Cæteros Italiæ Principes caute admodum & prudenter tractat, omniumque beneuolentiam variis officiis alit: nec ægre fert eas, quæ inter ipſos ſunt de dignitatis prærogatiua contentiones, & æmulationes; vt neceſſitate poſtulante ſubſidia à ſingulis accipiat, quemadmodum nuper pro expeditione Maximiliani fratris in Regnum Poloniæ, cuius Rex electus fuerat, ingentem pecuniæ ſummam ab iis exegit. Et hæc quidem ſunt, quæ Serenitati Veſtræ de Germania, eiuſque Imperio referenda habui.

HISPANIÆ TOTIVS HISTORIARVM PRIMARVM ATQVE præſentis Imperii eius breuiarium, ſiue de eo

DISCVRSVS DVODECIMVS.

HISPANIA quondam ab indigenis regibus, principib. dominis partim, partim ab iiſdem et ſuis populis gubernabatur. Hi vero magiſtratus alii optimates ſuos reip. gerendæ præficientes, honeſta & tranquilla pace diu potiti ſunt: donec bellicoſi Carthaginiẽſes, vbi Africam armis domuiſſent, auidi latioris dominationis, in eam prouinciam, ducibus Amilcare & Aſdrubale, traiecere: in qua cum populos imparatos ac diſſidẽtes inter ſe comperiſſent, parti diſſidentium ſeſe adiunxere, aliamque partem ſubiugauere, præſertim virtute Aſtrubalis: qui expugnato ac diruto Sagunto, ſuorumq; armorum terrore, populis illis imperio Carthaginenſium ſubactis, aduerſus Romanos in Italiam tranſiuit; quo tempore Senatus Romanus (ne ſcilicet Carthaginenſes, firmato imperio, nimium inualeſcerent) P. Cor. Scipioni conſuli iuſſit, vt cum exercitu in illam prouinciam ſe transferat, armiſque hoſtes inde expellere conaretur.

Hiſpania ex prouinciis, quos Romani armis vexauerant, prior fuit, quo vero cederet Romanis & in totam ſubiugaretur poſterior. Quandoquidem primus, qui totam occupauerit, fuit Octauianus Cæſar Auguſtus primus Imperator, poſt continuum fere bellum, quod per ducentos circiter annos inter Hiſpanos, & Remp. geſtum eſt. Multa per id tempus præclara euenere, & vtrinque flumina ſanguinis effuſa fuiſſe, non dubium eſt: duo tamen perpetuam Hiſpanicæ virtuti memoriam, & trophæum ſempiternum peperere. Primum, anno ab vrbe condita quingenteſimo quinquageſimo nono accidit, Proprætore M. Portio Catone Cenſorino, Philoſopho, Oratore, Senatore, ac Duce præſtantiſſimo, qui primus ad amplificandum Populi Rom. ærarium, auri atque argenti fodinas inuenit, vt ſexaginta *Hiſpanorũ virtus.*

Hiſpanorum vno prælio interficerentur, vnde cæteri ſeſe victori dediderunt, cum nullo modo viribus ſuis libertatem tueri poſſent. Cato enim, vt iis defectionis occaſionem tolleret, edixit ſub grauibus pœnis, vt arma in caſtra Romana comportarent: ex quo plerique miſeram ſine armis vitam eſſe putantes, màluerunt ſeipſos occidere, quam nullo armorum vſu quiete ac pacifice viuere: quod profecto manifeſtum extitit inuicti animi argumentum. Verum longe glorioſior atque honeſtior fuit Numantinorum fama, qui numero quatuor mille Romanum exercitum, Q. Pompeio, & C. Hoſtilio Mancino Conſulibus, profligatum, ad inhoneſtam atque turpiſſimam pacem coegere; & incredibili virtute, quatuordecim annorum ſpatio Imperii Romani impetum ſuſtinuere; denique anno ſexcenteſimo vigeſimo primo obſeſſi à Scipione Africano, qui pugnæ copiam minime faciebat, & fame laborantes, ne in manus victorum venirẽt, interfecerunt parentes, filios, vxores, pretioſioribus rebus ſuis combuſtis, demum inter ſe pugnantes, eandem mortem ſubiere, neque magnus Scipio vel vnum Numantinum hominem potuit in triumphum adducere. Ab Octaui temporibus ad Honorium vſque quieta, & pacifica fuit Hiſpaniæ poſſeſſio, fuitque recta modo a Viceconſulibus alias à Viceprætoribus aliquando à Comitibus. At dum Honorio totum imperium conceſſiſſet, Vandali in hanc prouinciam excurrerunt, & fugatis Romanis partem regni Granatenſis occupauere, ex quo poſtea a Gottis (qui maximo occidentis damno eas partes peragrauerunt) eiecti ſunt Theodoricus primus Gottorum rex tres filios reliquit hæredes, Turriſmundum, Theodoricum, & Henricum. Turriſmundus tertio regni ſui anno fuit à Theodorico fratre interemptus: cui cum proceres parere recuſauiſſent, ſucceſſit Henricus, ſedente Pontifice Simplicio, & Imperatore Leone. Hic Gottis leges dedit, & duodeuiginti annos regnauit: poſt quem obtinuit regnum Alaricus eius filius, qui, regiam ſedem Toloſæ tranſtulit: ſed à Clodoneo rege Franciæ coactus eſt eam mutare, & vltra montes referre, vbi vix a Gallicis armis tutus extitit, quia cum Rex Childelbertus ægre ferret, vt Reginam Clodiolam ſororem ſuam, quam ille vxorem duxerat, indignis modis haberet, quod Arrianorum errores deteſtaretur, ingreſſus fines regni anno imperii ſexto & decimo eum ad priuatam vitã redegit. Regnum autem ad Tendam translatum eſt, quo vſus eſt ſeptemdecim annis, mox à domeſticis ſuis interfectus. Theodoſius duodecim annos imperauit, Agla nouem, & Attanagildus duos, & viginti. Quo mortuo Leuogildus ſex, & quadraginta annos fœliciſſime regnauit, Cantabros perdomuit, Gallæciæ regnum cepit, eiecto Andrea rege natione Sueuo, cuius maiores

Poſt Auguſtum pacifica poſſeſſio Hiſpaniæ vſque ad Honorium.

Poſt Honorium ad Vandalos & Gotthos tranſit regnum.

Gallæcia.

ſpacio centum ſeptuaginta ſeptem annorum regno illo potiti fuerant; & anno quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo poſt Chriſtum natum, filium ſuum Hermogildum necari iuſſit, quia, Catholicos ritus ſequebatur, & patre inuito filiam Childeberti Franciæ Regis in matrimouium duxerat Recaredus eius filius & ſucceſſor, celebrato in Toletana ciuitate Concilio, Arrii errores, eorumque aſſertores damnari curauerat, & in Cathalonia cum Gallis prælio commiſſo, ex eis quadraginta mille profligauit: poſt eum Federicus, & Gundandus octo, & viginti annos dominationem exercuere. Hic Euaſconiam ſibi quæſiuit & Romani Imperatoris exercitum afflixit, Sicebatus eius ſucceſſor Rocaredum Secundum expulit, qui vixit poſthæc otioſus. Rex Suitilla, qui poſt hunc imperium tenuit, totam Hiſpaniam armis ſibi vindicauit, eiuſque dominatum Siſeuando Suitilla Secundo, reliquit mox Tulgæ Vedeſuindo Recenſundo, Bambæ, & Henrigio: quo improbe defuncto, regnum ad Egicam generum ſuum delatum eſt. Hic vero Ducem Fauillam interfecit, vt eius vxore, cuius vehementi amore deperibat, liberius frui liceret. Regnauit poſt hunc Vitica, qui ſuſpicans, ne Theodoricus Recenſuindi regis filius legitimus regni, quod prius ob teneram ætatem amiſerat, dominus ipſum virtute recuperaret, eundem oculorum lumine priuauit: neque tamen regnum quietum fuit, nam Rodericus Theodoberti filius eo ſimul cum filiis capto ſolium ſibi vindicauit maximo totius Hiſpaniæ detrimento. Nam tertio ſui regni anno cum filiam Iuliani Præſidis Prouinciæ Tingitanæ vi conſtupraſſet, parens vindictæ cupidus, Miram olinum Saracenorum, & Maurorum regem induxit anno ſeptingenteſimo decimo quarto noſtræ ſalutis, vt in Hiſpaniam numeroſum tranſmitteret exercitum, duce Muzia: quo exercitu, duobus conſertis præliis, totam fere prouinciam ſibi quæſiuit incredibili hominum ſtrage, ſcribunt ſcilicet illorũ temporũ hiſtorici, ſpatio biennii ex Hiſpanis & Mauris ſeptingenta millia hominum periiſſe, & Regem Rodericum cum toto ſuo exercitu tandem trucidatum fuiſſe Mauri Hiſpaniam in tria regna diuiſere, quorum præcipuam vrbem Cordubam, Hiſpalim, & nouam Carthaginem conſtituerunt. Inter tot calamitates occiſo rege Roderico, Pelagius patruus ipſius, & Reconſuindi Secundo genitus regium titulum cepit, retinuitque ſibi Aſturiæ, atque Gallaciæ regiones, quæ altis montibus & vallibus anguſtis defenduntur, locauitque imperii ſedem in ciuitate Legionis, quæ ab indigenis Caſtilia noua nuncupatur ad differentiam veteris Caſtiliæ, quæ inter Cordubã & Hiſpalim ſita eſt, Regnauit hic 20. annos, & perpetua cũ Mauris bella geſſit, locis plerisque, quæ in manus hoſtium primo bellorum impetu deuenerant,

Gotthici Regni euertendi occaſio.

Strages Hiſpanorum ab Arabibus.

Regnum Caſtiliæ quando inceperit.

rant,recuperatis:titulumque accepit non regis Gottorum,quod antea maiores eius vſurpabant, ſed Regis Caſtiliæ. Poſt Pelagium eius filius Faſilla regnum adminiſtrauit: qui in venatione ab vrſo diſcerptus, cum mares filios non haberet, Alphonſum generum ſucceſſorē reliquit. Hic Catholicus appellatus magnā amiſſi imperii partem recuperauit, & ſpatio nouendecim annot. quibus vixit, multas Eccleſias atque vrbes renouauit.

Friola filius eius vno prælio quinquaginta Maurorum millia cæcidit:& duodecimo imperii anno ab Aurelio fratre impie interfectus eſt:hic autem ſine prole mortem obiuit poſt ſexenniū. Quam obrem Silo Alphonſi gener regnum cepit,cū Mauris pacē iniit,& Gallæciæ tumultus pacauit. Alphonſus ſecundus cognomine Caſtus, Princeps religioſiſſimus, temperatiſſimus & fortunatiſſimus, Friolę regis filius paternum regnum recuperauit, cūque à Mauris vehementer vexaretur, Legatos miſit ad Magnum Carolum regem Franciæ, (cuius religionis atq; virtutis fama tūc reſplendebat,& reſplēdebit in æternum toto terrarum orbe) auxilia rogans. Carolus autem valido exercitu. Piſtræna iuga tranſiens in Fidei Chriſtianæ beneficium, & nationis Hiſpanicæ tutelam, maxima damna Mauris intulit, eoſq; radicitus extirpaſſet, ſi Alphonſus ſua arma cum illo coniunxiſſet. Etenim Proceres mortē potius, quam Gallorū dominatum eligentes, neq; iis ſalutem ac libertatem acceptam referre volentes, hanc Alphonſi Secundi conſpirationem præpediuere: vixit autem Alphonſus in regno duos ſupra quinquageſimum annum. Succeſſit Ramirius Veremundi filius, Birimai nepos, generi tertii Alphonſi primi; qui nouo,& inuſitato amoris exemplo tituli auctoritatis & poteſtatis Regiæ puerum fratrem ſuum nomine Garziam participē fecit: Normandorum claſſem, quæ Gallæciam inuaſerat, vicit, ſexaginta eorum nauibus ambuſtis: ope S. Iacobi Apoſtoli Maurorum exercitum diſſipauit, quē Apoſtolum aiunt, eo prælio apparuiſſe albo equo inſidentem, & Maurorū copias pterrefeciſſe. Sexto ſui regni anno mortuus eſt. Ordonius Ramiri filius decēnium imperauit, Mauros profligauit, Toletū recepit,& anno octingenteſimo octuageſimo tertio mortuus eſt. Alphonſus III. qui magnus cognominatur in Luſitania Colimbricam & Viſæum recuperauit, ſæpenumero ingentes Maurorū ſtrages edidit, fuit in bello felix, in pace parū fortunatus; quia Veremūdus, Numius, Ordonius,& Friola cū regno vitā inſidiis ei conati ſunt eripere: qua de re monitus, eos occæcari iuſſit: auguſtiſſimū Diui Iacobi tēplum exſtruxit, à Principibus Chriſtianis phoneſte habitus eſt, eumque Ioannes Pontifex eius nominis octauus per litteras hiſce verbis appellauit: Ioannes ſeruus ſeruorum Dei Alphonſo Regi Chriſtianiſſimo Sal.

Carolus Magnus auxilia fert Hiſpanis.

S. Iacobi ſuppetiæ.

Chriſtianiſſimi titulus regibus Hiſpanis tributus.

Mor-

Mortuus eſt anno 40. imperii ſui, & ſucceſſorem habuit Garziam filium, qui Aiolam Regem Maurorum bello vicit, & cepit, & tertio regni anno obiit. Ordinis Alphonſi ſecundo genitus parum feliciter cum Mauris pugnauit: Is quatuor Caſtiliæ Comites, ad ſe cum pignore fidei publicæ vocatos, morte affecit, quod contra Mauros auxilia denegaſſent: qua de cauſa Caſtellani abalienati ſolitam ei ſubtraxerunt obedientiam, & ſublatis regiis magiſtratibus ſeceſſerunt. Friola Secundus, Alphonſi Tertio genitus ſæuum admodum, ac trucem animum præ ſe tulit, ſed primo anno mortuus eſt. Alphonſus Quartus, cum totum ſe contēplationi dedicauiſſet, vt liberius Chriſto inſeruiret, regnum depoſuit, ſubſtituto Ramirio fratre, & monaſticam vitam ſuſcepit, vixitq; ſanctè & religioſe annos aliquot, mox in regnum reduci cum tentaret, à fratre captus, & excæcatus eſt. Ramirius exercitum regis Atefſæ profligauit, & Diegum Comitem Nunii, & Ferdinandum Hiuarii Comitem, rebellantes cepit, quibus, amicorum precibus victus, vitam elargitus eſt. Sanctius Craſſus Ramii frater in regno ſuccedens, pacem cum Mauris celebrauit: Ferdinandum Caſtiliæ Comitem à ſubiectione Regis Legionis liberauit (hoc enim nomine tunc appellabantur Chriſtiani reges Hiſpaniæ) & fato functus eſt anno nongenteſimo vigeſimo octauo. Ramirius Tertius à Mauris & Normandis maxime vexatus eſt: quare populi vexationum cauſam, eſſe minorem regis ætatem, animaduertentes, Veremundum Secundum Gordinæ filium, & Alphonſi Quarti nepotem regem crearunt. Hic primum hoſtes affixit: ſed rex Almanſor inſtauratis copiis, tanto impetu prouectus eſt, vt Regiam Legionis ciuitatem ceperit, Luſitaniam depopulatus fuerit, templum D. Iacobi in Compoſtella deſtruxerit, relicto ſolummodo Apoſtoli ſacello: & nihilominus Rex ope Garciæ Comitis Caſtellani denuo Maurorum exercitum diſiecit. Alphonſus V. Veremundo patre mortuo, ſeptem ſupra trigeſimum annum imperio potitus, ſagitta confoſſus interiit, dum Viſcum vrbem, quam Mauri tenebant, ſummo nixu oppugnaret. Veremundus tertius quarto anno ſine prole deceſſit, eiuſque ſoror Sanctia ſucceſſit, ſimul cum Ferdinando Comite Caſtiliæ eius marito, anno milleſimo decimo octauo: qui cæteris ditionibus ſuis regnum Nauarræ, quo Garziam fratrem ſuum exuerat, aggregauit: recepit Colimbricam; maioremque Luſitanicæ oræ partem: anno milleſimo trigeſimo opera Roderici Cidi, magni Ducis, Valentiam vrbem cepit (ex hoc autem Roderico, ſcribunt hiſtorici, originem trahere Mendoziorum domum illuſtriſſimam) & poſtquam regnauiſſet quadraginta annos, vita exceſſit. Sanctius patri ſucceſſit, & Sanctio frater eius Alphonſus ſextus: qui Toletum recepit, illiuſque ciuitatis, & Burgenſes Eccleſias ditauit: vnicam filiam Vitacam Raimondo Barcinonæ Comiti nupſit, ex quo matrimonio Alphonſus Septimus ortus eſt. Hic autem potens fuit Rex, & Cordu-

ban, Almenium; & Baionam recuperauit, & Caſtiliæ regnum Sanctio filio primogenito teſtamento reliquit, Legionis vero regnum Ferdinando item filio minori natu. Sanctius tertius fratrem, quocum diſſidebat, cepit, mox dimiſit Alphonſus Octauus cognomento. Bonus inſigni quodam prælio viginti millia Maurorum interemit: octo ſupra quinquageſimum annum regnauit, & anno milleſimo centeſimo vigeſimo occubuit. Regnauit poſt ipſum Alphonſus Nonus filius Ferdinandi Regis Legionis anno viginti octo, & poſt ipſum Henricus Alphonſi Octaui filius. Qui mortuo fratre Ferdinando adhuc in puerili ætate conſtituto, paternorum & patrui regnorum hæres vnicus remanſit. Hic virtute ſingulari, ac rara felicitate Mauros ad regnum Granatenſe vniuerſos confugere, & reliquam Hiſpaniam deſerere coegit. Alphonſus X Infantem Violantem filiam Iacobi Aragoniæ regis vxorem duxit: à qua diuortium fecit, allegans cauſam ſterilitatis, & per ſuos legatos Chriſtiernam filiam regis Daciæ pulchritudinis eximiæ virginem deſponſauit, ſed cum grauida deprehenſa fuiſſet, antequam ad eum perueniret, ei repudium dedit: & tamen Philippus frater regis, Hiſpalenſis Epiſcopus, religione ſanctæque Eccleſiæ præceptis poſthabitis, eius matrimonium expetiuit. Alphonſus princeps fuit ſummæ humanitatis, & excellentium hominum amicus, maiorum ſuorum leges in ſeptem libros digeſſit: Sultano Ægypti ad redimendum Imp. Conſtantinum magnam pecuniæ vim erogauit: Dionyſium filium Beatricis filiæ ſuæ naturalis, & Luſitaniæ regem liberauit à tributo, quod regi Caſtiliæ, tanquam ſupremo domino, reges Luſitani pendebant, immunemque fecit ab omni obligatione, atque ſubiectione, inuitis regni proceribus qui huic actui aſſenſum denegarunt, quia minuebatur inde Coronæ regalis Hiſpaniæ auctoritas, & iuriſdictio. Hic rex in Germaniam tranſiuit, ſpe quorundam Electorum illectus, qui Federico II. eum ſubrogare promiſerant: ſed ſpe fruſtrata, à Sanctio filio excluſus eſt: Is enim paternæ abſentiæ occaſione regnum inuaſit, ſuumque eſſe voluit: qua de cauſa Alphonſus ob dolorem, animique moleſtiam periit. Sanctius Quartus vndecim annos regnauit, ciuitatem Tauriſæ recuperauit, & potentem Mehemethi regis Foſſæ claſſem diſiecit Ferdinandus Quartus ſub tutela Reginę Mariæ matris ſuæ anno 1295. regnare incepit. Hæc Regina filium ab armis regum Luſitaniæ, Aragoniæ & Nauarræ, & Alphonſi Cordæ, qui ſe regem Caſtiliæ nominauerat, acerrime tutata eſt: Regina fuit egregiæ probitatis, religionis, ac pietatis: ſeptem fundauit illuſtria monaſteria, & argenteis, aureiſque vaſibus ſuis diſtractis, vt pauperibus ſubueniret, fictilibus ſemper vſa eſt. Alphonſus XI. patri ſucceſſit anno milleſimo trecenteſimo decimo: quadraginta annos regnauit: proſpere pugnauit cum regibus Bellarminiæ, atque Granatæ: Alcalam ciuitatem recepit: Conſaluum magnum Magiſtrum ordinis

Mauri Hiſpaniam cæteram deſerunt, Granatam fugiunt.

Cala-

Calatrauæ, virum ob virtutes, ac muneris dignitatem egregium, breuibus de cauſis vita ſpoliauit. Petrus Alphonſi filius natu maior, cum procerum multorum morte manus ſibi cruentaſſet, publicumque odium prometitus eſſet, fratrem quoque ſuum Henricum interficere curauit: ſed is ope Aragonum regum, ac populari fauore, eum regno, ſimul & vita priuauit. Iohannes Henrico Secundo patri ſucceſſit, & cum Luſitanis & Anglis belligerauit. Henricus Tertius ſex decim regnauit annos. Iohannes Secundus B. Vincentii monachi ordinis Prædicatorum hortatu edixit, vt Iudæi, qui fidem Chriſtianam nollent ſuſcipere, relictis bonis ex templo ex Hiſpania decederent: quamobrem multi abiuere, alii, ne pauperes fierent, Chriſtiani eſſe maluerunt, eo tamen exitu, vt palam Chriſtianos ſeſe profiterentur, clam Iudaizarent, vnde peſſimam illam Maranorum ſectam induxere: ſeptem & quadraginta annos regnauit, duoſque poſt ſe filios reliquit. Henricum Quartum & Iſabellam. Henricus naturaad generandum impotens fuit: perſuaſus tamen ab vxore ſua hæredem regni declarauiſſet Beltianudam filiam vxoris ex amaſio ſuſceptã, niſi victus precibus Roderici Borgiæ Cardinalis Vicecancellarii (qui deinde fuit Papa Alexander VI. Sixti IV. legatus) & Archiepiſcopi Toletani, aliorumque Procerum, conſenſiſſet, vt Iſabella ſorori nuberet Principi Ferdinando Iohannis Aragonum regis filio, & iurarentur ambo principes, & hęredes, quod effectum anno milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo primo: neq; multo poſt tempore defuncto Henrico, in regna ſucceſſerunt, ſuperatis armis, quæ in neptis fauorē ſuſceperat Luſitanus rex. Ex his multi geniti fuere filii: alter Ioannes, cæteræ fœminæ quatuor. quarum prima nupſit regi Luſitano: altera Philippo Archiduci Auſtriæ Maximiliani Primi Imperatoris filio: tertia Henrico Octauo Angliæ reg. poſtrema Daniæ regi. Fuerunt principes eximiæ virtutis, cumque ſociato imperio plurimum poſſent, decreuerunt, Mauros ex regno Granatenſi expellere, quod multo cum damno Chriſtianæ fidei, & totius Hiſpaniæ ſeptingentos, & amplius annos poſſederant: cumque ambo regnum illud inuaſiſſent, decem continuos annos bellum geſſere: quo in bello cum Regina, & egregium Virginum Comitatus adeſſet, & amatores amaſiarum ſuarum amorem pulchris facinoribus mereri conarentur, neque adhuc tormenta, & ſclopeta in vſu forent, honeſtiſſimæ res atque illuſtres geſtæ fuere: demum Mauri & vi extrinſeci hoſtis, & ob diſcordias ac diſſenſiones inteſtinas, amiſſa ſpe, audacia, potentia, quæcunque poſſidebant in Hiſpania reliquere, & in Africam anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſecundo conceſſere. Poſtquam victoriam Rex Ferdinand. & Regina Iſabella regum Hiſpaniæ titulum aſſumpſere: & Papa Alexander Sextus, ſimul cum ſacto Cardinalium Collegio cognomine Catholicorum eos cohoneſtauit.

Hiſpani edicto pulſi ex Hiſpan.

Marani vnde.

Ferdinandus, & Iſabella contra Mauros Granatenſes decennium bellauerunt.

Amantes & amatorum vis.

Regis Hiſpaniæ titulus, quando inceptus: & Catholici nomen.

Iſabellæ mores.

neſtauit. Regina magni animi fuit, magnique ingenii,& charitatis, præſertim erga pauperes, inter quos diſtribuebat quotidie centum aureos ad minus; erga famulos vero liberalitatem exercebat. Bello Granatenſi eum ipſamet intereſſet, incredibilem eorum, qui aut ægroti decumbebant, aut vulnerati ægre ſe ſuſtentabant, curam habuit. Chriſtophoro Columbo Indiarum Occidentalium inuentori mirifice fauit, demum ob ſingulares eius animi dotes ſummo amore ac veneratione habita fuit, dum viueret, & poſtquam vita exceſſit, fuit populis exoptatiſſima, atque omnium celebratiſſima. Rex eius maritus princeps extitit amplificandi imperii percupidus: quam ob cauſam præſenti ſtatu minime contentus, nullo iure amicos ſuos, & conſanguineos reges Neapolis, & Nauarræ regnis eorum priuauit, hunc, quaſi Pontificiæ bullæ obtemperaturus, illũ, quaſi Alphonſus X. Aragonum rex, regnum illud armis Aragonenſibus quæſitum, nõ potuiſſet Ferdinando naturali filio tradere, ſed pertineret ad legitimum Aragoniæ regem. Ob ius etiam prærogatiuæ inſtituit controuerſiam cum rege Angliæ: allegans, etſi cum olim Hiſpania ſuis partibus diſiuncta eſſet, primus locus poſt regem Galliæ Anglo regi debebatur, nihilominus poſt tot ditionum annexionem ſibi deberi: at Iulius II. quemadmodum ſcribit Volaterranus, cum vtriuſque oratores ad præſtandam obedientiam cõueniſſent, prærogatiuam ſuam Anglo reſeruauit. In auxilium Venetæ reipubl. ab armis Baiazethi Othomani Turcarum Principis vexatæ, numeroſam claſſem duce Conſaluo Hermandes magno Duce miſit; qui in omnibus gerendis rebus, ac præſertim in expugnatione Cephalene tantam virtutem, ſtudium ac diligentiam præ ſe tulit, vt Cardinalis Pet. Bembus affirmet, fieri non potuiſſe, vt diſcerneretur, quis Venetæ reipubl. cauſam tueretur amantius, vel Benedictus Piſaurus eius Generalis, vel magnus dux Conſaluus: qua de re Senatus Venetus, qui erga viros de ſe benemeritos omnia grati animi ſemper argumenta demonſtrauit, ei gratias ingentes egit, tria aureorum millia donauit, ciuitatis ſuæ nobilitatem omnium nobilium conſenſu communicauit. Miſit etiam Ferdinandus Vgonem de Moncada Proregem ſuum Neapolim cum magno exercitu, vt ferret opem Iulio Secundo aduerſus Regem Galliæ: qui Vgo Rauennatenſi clade captus fuit à Gallis. Percuſſit fœdus cum Iulio, cum Leone Decimo, cum Imperatore Maximiliano, & cum Sforcia, vt ex Italia Gallos eiiceret: quod conſilium ſuo euentu fruſtratum fuit ob nimiam Franciſci Regis virtutem. A ſuis haud multum diligebatur, ob neceſſitates bellorum, quorum cauſa donando parcus, in exigendo ſeuerus eſſe cogebatur. Fuit apud Principes in magna exiſtimatione, cum ob eius regnorum potentiam, tum ob peculiarem ipſius prudentiam. Illud frequenter vſurpabat, Conſiliarios Principum inſtar perſpicillorum eſſe, verum miſere agi cum eo Principe, qui ſine ope perſpicillorum

Ferdinandi Catholici mores.

Ambitio.

Anglus præcedebat Hiſpano.

Dictum Ferdinandi de Conſiliariis Principum.

non videret. Ferdinando in gubernanda Hiſpania ſubſtitutus eſt Carolus Auſtriacus Dux Burgundiæ, & inferioris Germaniæ Princeps nepos ipſius, ſimul cum Iohanna Regina eius matre, qui poſt mortem aui ſui Maximiliani primi creatus fuit Imperator: is magnæ potentiæ magnam prudentiam adiunxit, ac proinde glorioſiſſimus extitit. Don Vgo de Moncada, & Carolus Dux Borbonius eius Duces bis Romam, & Pontificem ſeptimum cepere: Regem Franciſcum potentem & inſignem bellatorem apud Ticinum captiuum fecerunt: terrore ſuorum exercituum Imperatorem Turcarum Solimanum coegit ad expeditionem Hungaricam deſerendam. Florentiam, & Senas ſubiugauit, eaſque Alexandro, & Coſimo Medicis regendas tradidit. Diuerſis temporibus regnum Neapolitanum, & Ducatum Mediolani defendit ab armis Pontificis, Gallorum, Venetorum & Turcarum, qui cũ illo occaſione eorum ſtatuum bella geſſere. Claſſem Turcicam fugauit, & Coronem, præcipuam Peloponneſi vrbem, occupauit: ex Tunetano regno Ænobarbum expulit, illudque Muleaſſo legitimo eius domino, quem ſibi tributarium eſſe voluit, reſtituit: Germaniam conſpirantem, atq; ab ſe deficientem domuit, capto Ioh. Federico Saxoniæ Electore, & coacto Philippo Lantgrauio Haſſiæ, nec non ciuitatibus liberis, quæ deſciuerant, vt vitam & dominia ſibi committerent. Denique viuens Ferdinando fratri ſuo imperium, Philippo vero filio regna, & dominia conceſſit anno milleſimo quingenteſimo, quinquageſimo quinto, vitamque poſthac pacificam & quietam in monaſterio tranſegit. Philippus itaque cum plura, quam vllus maiorum ſuorum, dominia, & ſtatus congregauiſſet, difficultatem mouit ſuper iure præcedenti Regi Franciæ, quo cum etiam in Belgio bellum geſſit, & in Italia cum eodem, & cum Pontifice Paulo Quarto. Cui bello, ingenti gaudio, atque vtilitate Reipublicæ Chriſtianæ, finis impoſitus fuit honeſtis conditionibus anno 1559. Eſt hic Philippus Religionis obſeruantiſſimus, mari contra Turcas ſemper dimicauit, & in Africa Pignonum acquiſiuit: Regi Galliæ à rebellibus diuexato opitulatus eſt, itemque Imperatorem à Turcis impetitum, & Melitam ab iiſdem obſeſſam, & horribiliter oppugnatam adiuuit: Granatenſes rebelles caſtigauit: Sereniſſimæ Venetorum Reip. graui bello, quo præteritis annis à Selimo Turcarum Principe laceſſita fuerat, egregie auxiliatus eſt. Quo in bello anno 1571. Don Iohannes Auſtriacus ipſius frater ſancti fœderis Dux generalis die 7. Octobris illuſtrem de Turcis victoriam, disiecta eorum claſſe, reportauit, & numeroſas copias in Belgio detinet ad hæreticos Diuinæ Maieſtatis perduelliones domandos. Quatuor duxit vxores, filiam Regis Portugalliæ, ex qua Principem Carolum ſuſcepit, Reginam Mariam Angliæ, Eliſabeth Henrici Galliæ Regis filiam, & poſtremo loco Annam filiam Maximi-

Caroli V. virtus.

Hiſpanus Gallo vult precedere.

liani ſecundi Imper. ſororem habuit germanam Mariam, quæ pridem ex viuis exceſſit.

De Regnis Nauarræ, Aragonia, & Portugallia.

CVM ſuperius de toto Hiſpaniæ regno egerimus, ne quid amplius, quod ad huius prouinciæ cognitionem pertineat, deſideretur, breuibus de regnis Nauarriæ, Aragoniæ, & Portugalliæ nonnulla recenſebimus, ne nobiliſſima hæc Hiſpaniæ membra ſilentio tranſigantur. Sciendum igitur eſt, Enecum Comitem Brigoracenſem ann 960. ſuperatis Pireneis, ex vicinis regionibus Mauros expuliſſe, & ab incolis in memoriam tam egregii facinoris nominatus fuit Rex Nauarriæ. Garzia Sbarcha ſecundus Rex, paternam imitatus virtutem, maiorem Aragoniæ partem ab infidelibus poſſeſſam vindicauit. Garzia Tremolania Rex fuit tertius, & Sanctius quartus, cognomento Magnus, qui matrimonio Eluiræ filiæ, & hęredis Comitis Caſtiliæ, obtinuit regna Nauarriæ, Caſtiliæ, & Aragoniæ, quorum primum Garziæ, alterum Ferdinando, tertium Raimirio naturali filio reliquit. Raimirio ſucceſſit Sanctius IV. Sanctio Petrus, Alphonſus, & Raimirus fratres ordine ſucceſſionis. Raimiro II. ſucceſſit Raimundus Barcellonæ Comes eius gener: Raimundo Iacobus, qui Inſulas Baleardes ſibi aſſciuit: Iacobo Petrus, qui à Nicolao III. Pontifice regno Neapolis & Siciliæ donatus eſt, duoſque reliquit filios, Iacobum & Federicum: Iacobus Rex fuit Aragonum, & Federicus à Clemente V. obtinuit regni Sardiniæ, quam Mauri poſſidebant, inueſtituram. Iacobo ſucceſſit Martinus: cui, cum deceſſiſſet abſque liberis, hac ſententia Petri Lunæ, qui, dum eſſet Antipapas, vocatus fuit Benedictus decimus tertius, itemque ex ſententia Sancti Vincentii ſucceſſit Ferdinandus Iohannis ſecundi Regis Caſtiliæ patruus. Ferdinando tres nati fuerunt, Alphonſus, Iohannes, & Petrus: ex quibus Alphonſus magna fortuna, atque virtute quæſiuit Regna Siciliæ & Neapolis, & morti proximus reliquit regna Aragoniæ, atque Siciliæ Iohanni fratri ſuo, qui pater fuit Ferdinandi Regis Catholici: Regnum vero Neapolitanum Ferdinando filio ſuo naturali reliquit, cui ſucceſſit Alphonſus: is vero Carolo Octauo Regi Galliæ, à quo magno impetu oppugnabatur, cum impar eſſet, coronam regiam Ferdinando filio ſuo ceſſit, quo in minori ætate defuncto, regnum Federico eius patruo delatum eſt, qui paucis poſt diebus à Ludouico Duodecimo Rege Galliæ, & à Ferdinando Quarto Rege Hiſpaniæ deturbatus fuit: hic autem Ferdinandus illam etiam Nauarriæ partem ſibi vindicauit, quæ vltra montes Pyreneos ſita eſt.

De regno Luſitania hiſtoria.

Regnum Luſitanum olim illuſtriſs. & antiquiſs domus Lotharingiæ poſſeſſio fuit: quæ familia per cuncta quidem ſecula multos

egregios, & præclaros Principes produxit, ſed profeſſione armorum anno circiter centeſimo ſupra milleſimum à Duce Henrico illuſtrabatur: qui nominis ſui gloriæ amplificandæ, & in æternum propagandæ cupidus, & Chriſtianæ fidei zelo ductus, in Hiſpaniam penetrauit, vbi aduerſus Mauros partes Alphonſi V I. tanta virtute tutatus eſt, vt cum Rex gratum animum alio pacto ei demonſtrare non poſſet, Tireſiam filiam ſuam in vxorem dederit, & Portugalliæ regionem dotem eidem conſtituerit, quam regionem in feudum cum titulo Comitis accepit anno 1110. Ex hoc matrimonio Alphonſus primus ortus, qui primus etiam regio titulo ornatus eſt, Vlyxiponem regiam Luſitanorum regum, quam Mauri poſſidebant, recuperauit, & quodam prælio quinque Maurorum Reges profligauit, qui ingenti exercitu ad eius internecionem conſpirauerant: ob cuius victoriæ memoriam ſcuta quinque in inſigni Regni ſui adhuc Luſitani collocata gerunt. Alphonſo ſucceſſerunt Petrus, Ferdinandus, Iohannes naturalis, & Alphonſus alter, qui tres magnas vrbes in Africa cepit, Zelcum, Tidem, & Alcazar, ſuamque ſororem Eleonoram in vxorem dedit Federico Auſtriaco tertio Imperatori: ex quo matrimonio natus eſt Imperator Maximilianus proauus Imperatoris Maximiliani ſecundi, & Regis Catholici Philippi Auſtriæ, qui in præſens regnat. Alphonſo quinto ſucceſſit Rex Iohannes, qui currente equo delapſus vitam amiſit, antequam filios generaret: ex quo eius frater Emanuel regni hæres remanſit multo maior, ob adeptionem regnorum Calecutani, Canariarum, & Orientalium inſularum. Ad quas primus nouo & inuſitato itinere nauigauit Henricus Infans filius Henrici quinti, & nauigauerunt deinde ſucceſſores, claſſeſque numeroſas illuc miſerunt, quibus antiquum imperium dilatauere. Multas gentes & regna ſibi tributaria fecere, multam vim auri, atque gemmarum quæſiuerunt, & aromata, margaritas, & pretioſos lapides ad occidentem reuehentes, publice, & priuatim magnas opes congregarunt, denique Indis ſanctum Euangelium prædicantes, innumerabilem, ac pene infinitam hominum multitudinem ad Chriſtianam fidem conuerterunt. Ex Emanuele filii duo nati ſunt: Ioannes Princeps, qui poſt patrem regnauit, & Infans Hericus Sanctæ Eccleſiæ Cardinalis, & Regni Luſitanici Legatus: qui multa cum laude gubernauit, dum eius nepos Sebaſtianus ad ferenda Imperii onera propter minorem ætatem minime foret idoneus.

Primus itaque Comes, & Reges Portugalliæ qui fuerint, ordine adſcribam.

Dux Henricus Lotharingius I. Comes.
Alphonſus Primus, Rex primus.
Sanctius Primus, Rex ſecundus.
Alphonſus Secundus, Rex tertius.

Sanctius Secundus, Rex quartus.
Alphonſus Tertius, Rex quintus.
Dionyſius Primus, Rex ſextus.
Alphonſus Quartus, Rex ſeptimus.
Petrus Primus, Rex octauus.
Ferdinandus Primus, Rex nonus.
Iohannes naturalis Primus, Rex decimus.
Eduardus Primus, Rex vndecimus.
Alphonſus Quintus, Rex duodecimus.
Iohannes Secundus, Rex decimus tertius.
Emanuel Primus, Rex decimus quartus.
Iohannes Tertius, Rex decimus quintus.
Sebeſtianus Primus, Rex decimus ſextus.
Philippus Auſtriæ, Rex decimus ſeptimus.

De dominiis, quæ poſſidet in præſens Hiſpaniæ Rex, & quo pacto ad eum peruenerint.

HISPANIÆ Regis Imperium vaſtum profecto, & ampliſſimum eſt, neque vllus Chriſtianorum Principum hoc tempore tam late, tam diuerſis, ac remotis regionibus, & populis tam variis, ac differentibus inter ſe dominatur: Etenim in Hiſpania regna Caſtiliæ, Aragoniæ, Nauarræ, Granatæ ſuum audiunt imperium. Indiæ occidentales, noua Hiſpania; ditiſſima regna Peruuiana ei ſubſunt: Tunetanum regnum tributum pendit: Regna Balearidum inſularum, Sardiniæ, Siciliæ, & Neapolis: Ducatus Mediolani, Burgundiæ, Brabantiæ, Gheldriæ, magnus Flandriæ Comitatus, cum tota inferiore Germania, eundem agnoſcunt Dominum. Genuenſium Reſpub. & Melitenſis Regio eius gaudet patrocinio: & Dux Florentiæ tanquam ſupremo domino Senarum ei paret: ipſiuſque potentia longe maior exiſtimanda foret, ſi regna, & ditiones eæ in vnum corpus redactæ, neque in tam varias, ac longinquas partes diſperſæ eſſent. Quandoquidem ex huiuſmodi diuiſione multa incommoda & diſcrimina emanant, illudq; potiſſimum emergit damnum, quod ſecum affert grauiſſimos ſumptus in detinendo peditatu, atque equitatu, vnde ab armis vicinorum Principum non modo, ſed etiam ab ipſorum populorum tumultibus, ac defectionibus defendatur: ſiquidem hi naturali inſtinctu, vt docuit ſæpe experientia, natiuos dominos diligunt, alienigenas oderunt, & res nouas magnopere cupiunt. Veruntamen etſi hæc potentia magna eſt, admirabilior tamen videbitur, ſi attendatur. Aragoniæ regnum ex infimo ſtatu, quo erat anno 1470. ad tantam amplitudinem prouectum fuiſſe, non armorum

Nunc tota Hiſpania [..]um adnexis regno Luſitani[..]o.

Matrimoniis creuit Hiſpanorum imperium.

ſtrepitu, aut populorum ſtrage, atque euerſione, ſed ope nuptiarum, ac matrimoniorum: etenim per nuptias Ferdinandi & Iſabellæ regna Caſtiliæ & Aragonum, poſt mortem Henrici Regis, coniuncta fuere: etſi enim Luſitaniæ Rex Beltramidam filiam Reginæ ſororis ſuæ, mortuique Regis hæredem defenderat: nihilominus Ferdinandus & Iſabella allegantes impotentiam Regis ad generandum, aduerſus Luſitanorum vires iura ſua, & autoritatem egregiæ ſuſtentatam retinuerunt. Poſt hæc Indiæ occidentales, regna Peruuiæ, nouæ Hiſpaniæ, multarumque maximarum & vberrimarum prouinciarum, benignitate cœleſti, & Genuenſis Columbi audacia, vigilantia, prudentia Hiſpanicæ Coronæ, & dominationi ſine vllo eiuſdem periculo atque moleſtia ſubiecta fuere. Similiter Ducatus Burgundiæ, Brabantiæ, Geldriæ: Comitatus Flandriæ, Arteſiæ, Friſiæ, Selandiæ, Hollandiæ, aliarumque regionum in inferiori Germania maximi momenti, ad idem imperium omnia adiecta ſunt, ob matrimonium initum à Maximiliano Auſtriæ primo Imperatore cum vnica Ducis Burgundiæ Caroli filia: nam defuncto ante patrem Principe Iohanne, multis relictis liberis, & defuncta Ferdinandi filia maiore natu, quæ Regi Portugalliæ nupſerat, regna Hiſpaniæ, Indiarum, Neapolis & Siciliæ deuoluta fuere ad Iohannam ſecundogenitam Ferdinandi, & ad Iſabellam vxorem Philippi Auſtriæ Caroli V. Imper. parentem. Qua in re quemadmodum Hiſpanis propitia fuit fortuna, ita virtus, ac ſagacitas maxime profuit in acquirendis regnis Nauarriæ, Neapolis, Granatæ, & Mediolano: quæ armis ſubiugauerunt, præſertim Granata, expulſis Mauris, & bello 10. annos continuos geſto: Regem vero Nauarriæ, tanquam Ludouici XII. Galliæ Regis potentiſſimi fautorem regno priuauerunt, occaſione ſumpta ex Bulla, quam Iulius II. contra Regem illum publicauerat. Is enim Pontifex Gallos odio proſequens, poteſtatem indulſerat vnicuique occupandi Gallorum Regis, & amicorum, ac fautorum ditiones: armis ſimiliter Ferdinandus regnum Neapolitanum abſtulit conſanguineo ſuo Federico Aragonio, quem ſecreto diuiſerat à Rege Galliæ, cui deinde portionem regni graui ac periculoſo bello ademit. Denique Carolus V. ſtatum Mediolani occupauit, allegans, ob mortem Franciſci Sforciæ vltimi Ducis Ducatum illum, tanquam imperii feudum, ex legum feudalium diſpoſitione ad ſuum dominiū rediuiſſe, eumque contulit in Philippum Auſtrium filium ſuum, eiuſque hæredes: quem Ducatum ab armis Franciſci I. Gallorum Regis potentiſſ. qui ſe legitimum hæredem, ac ſucceſſorem aſſerebat, acerrime vindicauit. Adeo vt reuera pronuntiandum ſit, Coronam Hiſpanicam breui tempore ad hanc, quam cernimus, magnitudinem amplificatam fuiſſe ob raram felicitatem, & pro-

Armis etiā quadam acquiſiuere Hiſpani.

Fortunata virtus Regū Hiſpan.

pter magnam, atque mirabilem Regum ſuorum conſtantiam, atque patientiam; qua Gallicorum exercituum potentes impetus ſuſtinentes, & bello cunctantes, fortunæq; viciſſitudines expectantes, neque ob diuerſitatem vllam animum deſpondentes, ſed quotidie magis inualeſcentes, dum omnes eos de tanto culmine deiectum iri cenſebāt, demum contra omnium hominum ſententiam, tot regnis debellatis, victores euaſerunt.

De titulis, quibus vtitur Catholicus Rex.

VTitur Rex Hiſpan. magnis & amplis titulis, quibus regna & dominia ſuæ Coronæ ſubiecta comprehendit, hoc pacto ſe inſcribens: Philippus Dei gratia Rex Hiſpaniæ, Caſtiliæ, Legionis, Aragoniæ, Nauarriæ, Hieruſalem, Neapolis, Siciliæ, Maioricæ, Minoricæ, Sardiniæ, & Inſularum, & continentis Indiæ, Oceani maris Rex: Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Luxemburgi, Gheldriæ, Mediolani, Comes Habſpurgi, Flandriæ, Arteſiæ, Hauault, Hollādiæ, Selandiæ, Namurii, Zuepeni, Marchio Sacri Imperii: Dominus Friſiæ, Salinarum, Molines, & Vtrechii, Oueriſceli, & Gracnicheni: Magnus Dominus Aſiæ atque Africæ.

Quæ forma ſit Reipublicæ gubernandæ in Hiſpania.

REx dominia ſua & regna ope Conſiliariorum gubernat: ſunt autem in Hiſpania plura Conſilia: primum ſecretum: alterum bellicum: tertium Italiæ: alia Indiarum, Aragoniæ, Nauarriæ, & Flandriæ: Quibuſcum Conſiliariis, & cum Præſidente, qui præcipuus eorum eſt, communicat Rex negotia, quæ ad imperium optime regendum, conſeruandum & augendum pertinēt, & ſingulorum intellectis reſponſis, iubet, eam ſententiam, quam potiorem putat, executioni demandari. Sacrum inquiſitionis tribunal maximam exercet autoritatem, quam non modo contra Principes, ſed contra ipſum Regem vſurpare poteſt. Ciuitates reguntur ab vno earundem ciue, cui Rex nomen & autoritatem Gubernatoris attribuit, & à Conſiliariis, quos ipſimet ciues eligunt: Cum vero magiſtratu ſuo functus eſt Gubernator, ſemper fere diligenti proceſſu in eius acta inquiritur: quo proceſſu viſo, Regale Conſilium de rebus male geſtis refert Regis Maieſt. quæ Gubernatorem caſtigat, ſi eum iniuſtum & ſceleratum fuiſſe intellexerit, at ſi animaduertat, eum iuſtitiæ ac diligentiæ debitas partes expleſſe, ad maiora eum, & nobiliora munera exaltat. Denique nemo eſt, qui pro Rege & Republica ſe honeſte, & ſecundum virtutem gerat, qui non largiſſime compenſetur,

quemadmodum ex aduerſo puniuntur, & caſtigantur ii, qui vel ob animi abiectionem, vel ob negligentiam, ſiue ob iniquitatem muneri ſuo deſunt: quæ profectò præcipua eſt cauſa & ratio, qua ſacratiſſima hæc Corona conſeruatur, & magis indies exaltatur.

De auctoritate & poteſtate Regis.

AD Regem pertinet ius omnium Archiepiſcopatuum, Epiſcopatuum, Prioratuum, Commendarum, trium ordinum equeſtrium, S. Iacobi Alcantari, & Calatrauæ nominandorum. Pacis ac belli decernendi facultas penes illum eſt. Omnes Præſidentes, Conſiliarios, Proreges, Locumtenentes, Gubernatores, & Capitaneos creat. A ſuis non amatur modo, & reuerentiam, & obſequia exigit; ſed in ſumma veneratione habetur, ac propemodum adoratur. Neque vlla inter Chriſtianos natio vſquam reperitur, quæ hanc ſuperet in rege ſuo excolendo omnibus officiis, ſiue intimum cordis affectum, ſiue cærimonias, & cultum extrinſecum, & admiranda veræ obſeruantiæ argumenta ſpectes. Veruntamen nequit Rex Beneficia conferre in quenquam, niſi exiſtat is indigena Hiſpaniæ, aut ei prius indigenatus priuilegiū conceſſerit: Neque Principes, ciuitates, & populi extraordinariis grauaminibus onerari ſe patiuntur, ſed mordicus retinent priuilegia, & indulta, voluntque ea ſibi ad vnguem ſeruari. Quamobrem Imperator Maximilianus primus Auſtriæ illud vſurpare ſolebat, ſe regem eſſe regum, Regem Hiſpaniæ hominum, & Galliæ regem aſinorum, quia ſuos ſubditos arbitratu ſuo onerare poterat, nemine repugnante: ipſe vero ab Alemanis nihil amplius, quam ipſi conceſſiſſent, exigere poterat: & Hiſpani ſuo regi negare ſolent ea, ad quæ pēdenda ex legibus, ſtatutis, ordinibus, & conſuetudinibus ſuis non obligantur.

Indigenatus Hiſpaniæ vtilis.

Maximiliani I. dictum.

De reditibus, & opibus, ac potentia Regis.

REgna Maieſtatis Catholicæ non amplius quam nouem milliones aureorum quotannis regi pendunt, hoc pacto.

Hiſpania vnum millionem, & quadringenta circiter aureorum millia.

Indiæ duos milliones, & trecenta millia aureorum circiter.

Flandria & Burgundia duos milliones, & circiter centum aureorum millia.

Maiorica & Minorica quinquaginta mille aureos.

Sardinia ſexaginta circiter mille aureos.

Sicilia ſexcenta circiter aureorum millia.

Regnum Neapolis vnum millionem, & quingenta circiter millia aureorum.

Ducatus Mediolani vnum fere millionem.

Horum redituum multo maximam partem expendit rex in aula ſua ſuſtentanda, in Salariis Proregum, Præſidentium, Conſiliariorum, Locumtenentium, Gubernatorum, Capitaneorum, Legatorum, in donariuis, in ſtipendiis remigum, peditum, equitumque, qui fines imperii, & arces cuſtodiunt. Ex clero etiam extra ordinem magnas opes colligit: ſolusque Hiſpanicus clerus propter decimas, aliasque Pontificum conceſſiones in præſens amplius ſubminiſtrat regi, quam vnum millionem aureorum ſingulis annis, & haud pridem obtulit, ſe centum quinquaginta triremes cum ſuis ſtipendiis ſuſtentaturum. De potentia regis id ſatis eſt dicere, ſolo illum verbo (placet) momento temporis abſque vllo ſuæ, vel cuiuſquam damno largiri quinquaginta, ſexaginta, centum, & vſque ad centum quinquaginta millia aureorum in reditibus annuis, quoties ſcilicet aliquem nominat Archiepiſcopum aut Toletanum, aut Hiſpalenſem, vel Vicarium Burgenſem, alteriusve ex præſtantioribus Eccleſiis, quam rem nullus Principum valet efficere. Præterea addendum eſt, præter tot Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, Abbatias, Ducatus, Marchionatus, & Comitatus, quos potentiſſimus hic Rex in cæteris regnis ſuis diſtribuit; in ſola Hiſpania pleraſque huiuſmodi dignitates reperiri. Etenim ſex numerantur Archiepiſcopatus.

Beneficentia Regis Hiſpan.

Archiepiſcopatus Toleti, qui Primas, & quotannis habet in reditibus centum quinquaginta millia aureorum.

Archiepiſcopatus Siuiliç vel Hiſpalenſis exigit octuaginta aureorum millia: Alliique recenſentur Archiepiſcopatus, qui ſinguli triginta millia aureorum, & nonnullus ſexaginta millia exigere poteſt.

Demum Regis huius opes, & auctoritas maxima eſt: habet enim in ſingulis regnis ſuis munitiſſimas arces, quę vndequaque validiſſimis præſidiis cuſtodiuntur: præter incolarum militiam, ſtipendiarios detinet cataphractos equites, velitesque, ac pedites: & facilius, quam cæteræ quilibet Chriſtianorum principes, numeroſas, & florentes equitum turmas colligere poteſt, veluti ex Neapolitano regno, Lombardia, Hiſpania, Burgundia, Friſia. Peditatum habet longe præſtantiſſimum ex ſuis ſubditis, Hiſpanum, Italicum, & Germanum, & quantumlibet numerum valet colligere.

De appa

De apparatu bellico regis Hiſpaniæ pro hoc anno 1588.

HAbet Catholica Maieſtas ad inferendum bellum Reginæ Angliæ, & rebellibus Flandriæ nauigia trecenta & quinquaginta, & nautarum nouem millia, hoc pacto. Triremes maiores, ſiue actuarias maiores naues quatuor. Nauilia maiora Hiſpalenſia viginti quinque. Cantabrica, & Gipuſcana totidem. Alemanicas Vrchas triginta. Catalonicas minores naues, item ex Valentia, aliiſque ciuitatibus quinquaginta. Ex littoribus Hiſpaniæ hoc eſt, Cialupo, & Barcho quinquaginta. Ex littore Luſitaniæ, ex quatuor villis littoralibus, ex Aſturia, Biſcalia, & Gipuſco centum naues nomine Zauarras. Viginti triremes Hiſpanicas; Neapolitanas quatuordecim, Siculas ſexdecim.

Peditatus, & equitatus.

EX Hiſpanis, Italis, & Germanis ſexaginta millia hominum habet, hoc modo. Hiſpani ſunt quinque, & viginti mille, computatis quinque millibus, quos ex Italicis cohortibus accepit, & ſex millibus ex Canariis, & Indiis, & præſidiis Luſitaniæ; nam reliquos ex Hiſpania deſumpſit: Italorum duodecim millia cum decem campiductoribus: vigintiquinque mille Germani, mille ducenti Hiſpani velites, ducenti alii littorales, ducenti finium terreſtrium, qui omnes ſunt mille & ſexcenti.

Commeatus.

Andaluſia prouincia panis bis cocti duodecim mille quintalios contribuit. Malugia vero, eiuſque territorium viginti ſeptem mille, & quingentos Carthago & Murcia quinque mille quintalios. Sicilia quinquaginta mille, Burgum, & Campenſis ciuitas ſex mille. Neapolis, & adiacentes Inſulæ quindecim mille. Omnes ſunt quintalii circiter centum ſexaginta ſeptem mille, & quingenti.

Salitæ carnis, Siuilia & extremadura contulerunt quintalios quatuor mille, Gallæcia ſex mille, Aſturiæ, cæteræque partes mille: & omnes fuere vndecim mille.

Suillæ carnis, Siuilia & extremadura contribuerunt quinque mille quintalios, Ronda duos mille, Gallæcia duos mille, Biſcalia totidem; & omnes vndecim ſunt mille.

Tinnorum piſcium, Algarbia contribuit dolia octo mille. Almandraua Ducis vndecim mille. Gades quater mille: omnia fuerunt tria & viginti millia.

Caſei, Maiorica contribuit duos mille quintalios: Siuilia & extremadura duos mille, Portugallia vigintiquinque mille: qui omnes ſunt 20000.

Oryzæ, Genua, & Valentia quatuordecim dedit mille quintalios.

Olei & aceti, Andaluſia, & Neapolis contribuerunt tria viginti millia ponderum, & quodlibet pondus refert viginti quinque libras, & libra quælibet vncias ſexdecim.

Vini, Malega, Marauella, & Cereſium, eorumque agri contribuerunt tredecim mille dolia, Neapolis ſex mille, Siuilia, eiuſque territorium ſeptem mille: quæ omnia ſunt viginti ſex millia.

Fabarum & piſorum Carthago contribuit quindecim mille anegas, quod ſimiliter eſt menſuræ genus: Neapolis & Sicilia anegas vndecim mille, quæ ſunt omnes 26000.

Collata quoque fuerunt alia genera frugum, ferramenta, lintea, & pleraque neceſſaria, quæ ſubminiſtrauerunt Andaluſia, Neapolis, & Cantabria.

Præterea ad tractanda, curandaque tormenta bellica quatuor mille, & ducenti homines conſcripti fuere: quorum quadringēti vaſtatores ſunt. Ex quibus omnibus facile intelligere eſt, huius magni regis opes ac potentiam maximam & incredibilem eſſe. Cui propter eius beneficentiam magnus prudentum, audacium, & terra marique conſummatiſſimorum ducum numerus deeſſe nunquam poteſt.

Inter Hiſpanos habet Don Federicum filium Ducis Albæ: Commendatorem maiorem: Marchionem Aiamonti: Marchionem ſanctæ Crucis, qui magnæ claſſi huic præfectus eſt: Don Ioannem de Cordnba, & alios. Ex Italis, in maritimis expeditionibus habet Principem Doriam. In terreſtribus, Ducem Parmæ ſuum in Belgio Generalem: Ducem Vrbini: Don Petrum Medices: Veſpaſianum Gonzagam: Ioannem Vincentium Vitellium; Marium & Paulum Sforciam, præter tot alios Principes & Dominos eius Vaſallos in Hiſpania, Neapoli, & Lombardia: quorum ſuperuacanea eſſet mentio: Proinde huic breui relationi finem imponam, ſi prius dixero.

De dotibus corporis & animi Philippi II. Regis Hiſpaniarum.

Hiſpaniæ Rex ordinariæ ſtaturæ corpus habet, temperamentum humidum, ac pingue, carnis albæ, membrorum proportione ſibi reſpondentium: frons illi ſpatioſa, facies oblonga, quæ egregium recipit ornamentum ex oculis micantibus, & canitiei venuſtate, qua circundatur: elegantibus veſtibus delectatur,

tur,ſed tamen ſimplicibus,& abſque vlla ſuperfluitate. In negotiis tractandis grauis eſt,& benignus i ſuos Conſiliarios libenter audit,cumque fidem ipſorum, atque virtutem plurimi faciat,libenter ipſis cuncta fere expedienda committit. Princeps eſt eximiæ humanitatis, pompoſo apparatu comedit: honeſtatem & iuſtitiam vehementer diligit;pius eſt,catholicus,religioſus,deuotus Dei cultor, vltra quam credibile eſt, in diuinis officiis audiendis plurimum delectatur: rex eſt promiſſi tenax, adeo vt malit occaſionem amplificandi imperii omittere, quam deeſſe promiſſæ fidei, vt plurimis experimentis compertum eſt. Regnant in hoc Principe pietas vehemens, religio ſingularis, Chriſtianæque Reipub.beneficium, quam ſuum pluris facit; Primis regni ſui annis cum Henrico Gallorum rege bellum geſſit non aliam ob cauſam, quam vt pacem cum illo ſanciret perpetuam, & honeſtam;& voti ſui compos factus nunquam aduerſus Catholicos Chriſtianos arma mouit, omnes reuoluens animi cogitationes aduerſus Turcas,& hæreticos. Galliæ ab Vgonottis vexatæ auxilia tulit, Pignonem Vallet in Africa cepit,ſuæ claſſis aduentu claſſem Turcicam fugauit,equites Melitenſes obſidione cinctos liberauit. Imperatorem Maximilianum contra Turcas in regno Hungariæ iuuit, expulit ex Flandria Principē Auraicum, alioſque hæreticos: Mauros Granatenſes ſubiugauit: miſit claſſem ſuam in auxilium Sereniſſimæ Reipub. Venetæ,cū qua coniunctus anno 1571. die tertia Octobris celeberrimam omnium conſecutus victoriam ad Echinadas Inſulas aduerſus Turcarum claſſem,quæ capta fuit,& ſubmerſa: & in præſens ingenti apparatu expeditionem ſuſcepit in Angliam, & rebelles ſuos in Hollandia, & Selandia:neq; enim vllo modo in animum ſuum inducere poteſt, vt eorum amicitiam colat, qui Chriſto aduerſantur, neque pati, vt ſui populi alios religionis ritus obſeruent, quam eos,quos præſcribit,docetque Sancta & vera mater Eccleſia Romana. Ex quarum actionum tenore perpetuo,intima cordis ſenſa eius Maieſtatis penetrari queunt, recteque intelligi, regem hunc rarum eſſe, ac ſingulare bonitatis,iuſtitiæ, pietatis, religionis & fidei exemplum diuinitus nobis immiſſum,vt columen ſit Chriſtianæ Reipublicæ, quæ ab hæreticis & infidelibus, veluti horrendo terræmotu, per hæc tempora vehementer conquaſſatur.

DE REGNO LVSITANIÆ,

DISCVRSVS DECIMVSTERTIVS.

PHILIPPVS Auſtriacus, tanquam Luſitaniæ rex, poſſidet in Europa vltimam Hiſpaniæ partem, ad occidentem ſitam in littore maris Oceani, quam veteres Luſitaniam dixere, noſtri Portugaliam.

In Africa penes Herculeum fretum tria tenet loca, hoc eſt, Seutam, Fanierum, & Marganum, & omnē fere Africi littoris orā extra anguſtias Iberici maris; vbi in regno Chinæ oppidum haber Minam, & promontorio Viridi ſuperato, verſus Aſiam poſſidet Cephalam, & Monſabique. In Aſia littora multa poſſidet, & orientem verſus vltra Gangem flumen in poteſtate habet Malaccam; Ormuz, Dicil, Bazaim, Diamum, Calicurum, Cinanot, Goam, Ceilanum, Lexam.

In America poſſidet illam partem Peruuianæ prouinciæ vltra æquinoctialem locatam, nomine Braſiliam, quæ ad orientem vergit, & imperio ſuo pro termino vtitur linea illa, quam animo finxit Alexander Pontifex: quæ prouincia longitudinem obtinet ad littus Oceani duum millium paſſuum, & per mediterranea loca quingentorum.

Linea Alex. Pont.

Præterea poſſidet Inſulas in littoribus Africæ Sancti Laurentii, Aſores, Sancti Thomæ, Cannarias, promonrorium Viride, Principis bonæ vitæ, Sancti Nicolai, Sanctæ Luciæ, Sancti Antonii, & Maderam: præter has dominatur Moluccis, quæ ditiſſimæ ſunt, & ſub æquatore ſitæ.

In Europa reges Porrugalliæ nunquam arces habuerunt, neque eas licuit exſtruere aut in finibus Gallæciæ, aut Caſtellæ, aut Andaluſiæ, fœdere cum Caſtellanis verante.

In Africa validiſſimas haber arces, & præter Fanierum, & Maraganum habet caſtella Minæ, & Monſabique.

In Aſia omnes, quas memorauimus, ciuitates arte munitæ ſunt. In Malaccam omnia mercimonia aduehuntur, quæ ex Iaponia, China, Maliuo, Peru, Lombaia, aliiſq; locis, ad quæ Luſitani nauigant, importantur, præſertim cinnamoma, garyophylla, nuces muſcatæ, aliaque aromata, alba ſerica, aliaque ſubtilis operis in magna copia. Ad cæteras decem arces cis Gangem piper affertur, quo vtimur in Europa.

Mili-

Militum per omnes regni partes diſtributio.

REGES Luſitaniæ in Europa à Regibus Hiſpaniæ tantummodo lædi poſſunt, à quibus præteriti Reges, durante bello Belgico, nihil ſibi timuerunt: nam potuiſſent Regi Galliæ, aut Angliæ ſuppetias ferendo Hiſpanorum conatus reprimere. Et in America propter eandem cauſam ſecure dominati ſunt. In Africa vero ſuas arces quã tutiſſimas exiſtimabant, præſertim eas, quæ vltra promontorium Bonæ ſpei ſitæ ſunt, & Minam oppidum, quod in Æthiopum partibus eſt, hominum, qui vix rationis humanæ munere vtuntur, ſemper intenti mutua diſſidia, vt ſe inuicem deuorent, prout moris eorum eſt, vel, vt inuicem ſe vendant Chriſtianis, Fornierii, Seutæ, & Maragani degentibus. quæ loca Regis Feſſæ, Æthiopum Regis potentiſſimi imperio adiacent. Habet Rex in præſidio Maragani 500. milites, equites 200. & 500. miniſtros, ac vaſtatores, qui ædificando occupantur. Fanierii 1000. detinet pedites, ducentos quinquaginta equites, & officiales ſexaginta. In Aſia ſibi Rege Luſitani non timuerunt, quia populorum animi ad ipſos inclinant, Turcis, & Mauris, ipſiſque Indis inimiciſſimi, adeo vt loca hæc pauciſſimis defendantur cuſtodibus. *Æthiopum mores.*

Militia in vniuerſum.

ANNO 1580. luſtro habito dimidiæ partis regni, qua frequentius eſt, intra ætatem duodeuiginti annorum vſque ad quinquageſimum, inuenta fuere hominum decem & octo millia, præter nobiles, qui equeſtrem militiam debent: vnde cognoſcimus, ex tanto numero iuſtum quidem poſſe ad ſua domi defendenda inſtrui exercitum, ſed non item vt ad externos ducatur; quia cum regnum infrequentiſſimum ſit, omnino incultum remaneret, neque ſine regni incommodo poſſent ad bellum amplius, quam ſex aut ſeptem millia hominum ſecerni. Ad præſens decem fere millia equitum congregari poſſent, non tamen ſine difficultate, cum regio equis careat, quos quærit ex Caſtilia, ſiue ex Andaluſia. *Portugallia ſolitudo.*

Singulis annis Rex Indias Orientales mille & amplius Luſitanos milites tranſmittit ad præſidia dictarum arcium, quibus militibus impendit victum, donec ad deputata loca perueniant: menſtrua vero ſtipendia ſunt quatuor aureorum: Verum in patriam iis reuerti ſine venia non licet; proinde maior illorum pars illic matrimonia ineunt, & mercando diteſcunt, regionemque paulatim, tanquam patriam, diligunt: & nihilominus confirmatur, per totas Orientis Indias non inueniri ſex millia Luſitanorum, idque fit ex itinerum diuturnitate, aeriſque diuerſitate. *Colonia Luſit.*

Nauigationes Luſitanorum.

SOLVVNT ex Portugallia menſe Martio quatuor vel ſex ingentes, validiſſimæque materiæ naues, militibus, multiſq; mercibus onuſtæ, quæ illo anno amplius non reuertuntur: adeo vt naues menſibus 18. peregrinentur, ſed quolibet Martio, & Septembre quolibet claſſis vna nauigationem aggreditur. Hæ vero naues ad onera excipienda per Africam, & per Aſiam diſpertiuntur. Quoniam vero in reditu nautis tantum, & mercatoribus repletæ ſunt, obuiam procedunt illis vſque ad promontorium Bonæ Spei ſex maiora actuaria nauigia optime inſtructa, vt redeuntem claſſem tueantur à piratis Gallis, atque Britannis, qui, ſi ex India reuerti naues animaduerterent, interciperent eas, prout alias fecerunt, inſulam quoque Maderam deprædantes.

Hæc Indiarum nauigatio tutiſſima facta eſt, & mercimonia pacto amittendi ſex aut ſeptem pro centenario, ab omni caſu per fideiuſſores vindicantur. A peritiſſimo quodam nauta ſexagenario, qui tria & viginti itinera in Indias fecerat, & quadrageſies ſexies caput Bonæ Spei pertranſiuerat, percepimus, ſuperato æquinoctiali, vbi poli noſtri adſpectus interpolatur, eadem pixide, qua nos vtimur, adhuc poſſe nauigari, neque pixidem immutari, niſi quod relicto verſus Occidentem meridiano inſulæ Canariæ, ſtella pixidis vacillat, & in oriente vltra meridianum ab inſula S. Laurentii ex quarta fere parte variatur: cuius rei cauſa incognita eſt, ideoque cum aſtrolabio nauigatur.

Situs Portugalliæ.

HÆC prouincia in extremitate Hiſpaniæ occidentem verſus ad Oceanum iacet, & ab oriente finitima eſt Caſtiliæ nouæ & Andaluſiæ, à ſeptentrionibus Gallæciæ, à meridie Algarbiæ, quæ prouincia cum ipſo fere Portugalliæ regno coniuncta videtur, cum eiuſdem Principis imperio ſubſit, paruæque magnitudinis exiſtat: ab occidente, vt diximus, Oceano terminatur. Regni longitudo eſt 200. milliarium, & ſingulum 4000. paſſuum conſtat, latitudo viginti octo, vel triginta, & ad ſummum 36. milliarium: regio magna ex parte montoſa, oleo abundans, lino, armentis, glaſto, herbiſque ad fullonicam facientibus.

Vinum non deeſt, imo exportatur, non quod exuperet, ſed quoniam pueri & mulieres abſtemiæ ſunt: tritico non adeo abundat, ſed facile adfertur per naues Gallicas, quæ ſale onuſtæ in Galliam remeant. Tredecim ſunt in toto regno vrbes; Epiſcopatus vero, Archiepiſcopatus, & Abbatiæ vigintiquinque, & triginta circiter aureorum millia reddunt quotannis.

Equeſtres Ordines.

TRIPLEX eſt genus ſiue ordo equitum in Luſitania. Primus ordo eſt Chriſti, quorum inſigne eſt crux rubea aureis laciniis, & in medio exornata filo argenteo. Alter S Iacobi figuram gerit, enſis rubei, qualis etiam Caſtellæ ordo: tertius S. Bernardi, qui cruce viridi, qualis eſt Calatrauæ inſignitur: Ex quibus Ordinibus Rex 500. Commendas diſtribuit.

Principes & Populi Regni.

DVCES duo ſunt: Primus Bragantiæ, quorum opes ad ſummam centum millium aureorum in reditibus annuis aſcendunt, præter ſepoſitos auri, atque argenti theſauros. Affinis fuit Sebaſtiani Regis, filius alterius ſororis Principiſſæ Parmenſis: Alter Dux Aueri, diues quotannis quinquaginta millium aureorum. Tres numerantur Marchiones, decem Comites: cætera Nobilitas bonis mobilibus, quam ſtabilibus opulentior eſt. Valde bellicoſi ſunt, ſed ad pugnam ſtatariam minus idonei, videlicet aſſuefacti iam in campo aduerſus Mauros nullo militiæ ordine dimicare. Hic Rex modo populos illos ad ſtatariam pugnam erudiri curat, ideoque ex Hiſpania, Francia, Germania, & Italia idoneos viros accerſiuit. Hiſpanorum imperium ægerrime ferunt, & externis inhumani ſunt. Egregiam fidem Regi ſuo ſeruant, ſed erga hunc non adeo bene animati; quod ab eo nimia patiantur onera, præterquam quod Hiſpanos naturali odio proſequuntur. Veſtibus vtuntur ſimplicibus non modo, ſed etiam ineptiſſimis, cumque ſumptuoſius incedere volunt, pileum holoſericum gemmis plurimis coronant: attractis pedibus equitant, in equis tamen pulcherrimis: ipſorum idioma turpiſſimum eſt.

Luſitani ſtatarij non ſunt.

Non conueniunt cum Hiſpanis.

Situs Vlyßipponis.

VLYSSIPPO vrbs eſt primaria ad trigeſimumnonum gradum locata, ſuper colle quodam quaſi caſu, & ſine ordine fabricata, proinde eius certa forma determinari non poteſt, neque probabiliter eius magnitudo afferri, quia plures extra mœnia, quam intra eorum circuitum domus ſunt: tot forte habet incolas, quod Venetiæ. Viæ lutoſæ ſunt, ſed pulchræ, quia quotannis domus dealbantur, vt mos eſt in toto regno, vnde viſum delectant. Fluit à meridie fluuius Tagus, qui mare magis, quam fluuius hoc loco æſtimandus eſt, quod eius aqua, etſi abſque refluxu, ſalſa eſt, & pleriſque in locis latitudinem habet trium milliarium, & eiuſmodi latitudinem retinet à parte vrbis ſuperiore per ſex milliaria. Pars ciuitatis,

quæ

quæ aquam proſpicit, in ſemicirculi formam curuatur. Oceanus ab vrbe diſtat circiter quinque millibus paſſuum, totoque hoc ſinu poſſunt naues vti, tanquam tutiſſimo portu: neque à veritate alienum eſt, in hoc ſpatio 300. diuerſi generis nauigia perpetuo cerni, quæ, vt ſalem, aliaſque merces accipiant, ex Belgio nauigant. In ciuitate tria ſunt armamentaria, quæ quindecim millibus peditum thorace, atque lorica, equitibuſque nonnullis armandis ſufficerent. Habent alia quoque armamentaria, in quibus viginti ſunt maiora tormenta bellica, quorum alterum admodum longum pilam admittit ponderis centum librarum, pulcherrimo artificio exſtructum, quod Indis Mauris ereptum fuit à Luſitanis in ciuitate Diu. Adeſt quoque integra armatura hominis & qui gemmata, quæ centum ſexaginta millibus aureis æſtimatur: nonnulla extant ſub palatio regio diuerſoria, quæ Indiæ Domus dicuntur, in quibus aromata, quæ inde aucta ſunt, collocantur. Abellem locus eſt milliari diſtans ab vrbe Oceanum verſus, vbi Monachorum S. Hieronymi monaſterium viſitur, à Regibus Portugalliæ ædificatum, in quo Reges, regiique ſanguinis omnes ſepulti ſunt. E regione huius monaſterii turris in aquis ipſis conſpicitur, in qua triginta ſunt tormenta bellica, non quidem propter belli tempus: cum enim vicino colli ſubiecta ſit, paucis tormentariis ictibus diueretur, ſed propter pacis tempora contra naues. Ad oſtia portus ædificatur arx, quæ, quia parua erit, parum valida eſſe poteſt.

Negotiationes & mercatura.

EX Creta vina, & maluatica afferuntur, quæ inde ad Orientis Indias tranſmittuntur, vbi propter diuturnam nauigationem excellentiſſima fiunt; & diſtrahitur pretio nonaginta & centum ducatorum ſingulum dolium. Ex Barbaria ſiue Mauritania per regionem Seutæ, & Fanerii multa coria, gemmæ, abbæ apportantur; item tapetia, & nonnihil aliud, ſed non in ea copia, vt antea ſolitum fuerat. Ex Anglia multæ naues mercimoniis, præſertim pannis onuſtæ, appellunt: ex Flandria linteæ, aliæque minutæ merces in Indias mittendæ: ex Francia triticum: ex Cantabria armaturæ. Ex Indis occiduis ſæpenumero appellunt quædam naues, quæ coriorum optimorum, atque ingentium magnam afferunt multitudinem.

Ex Inſula Hiſpana caſſia, & ſaccharum, & nonnihil auri, atque argenti, aliarumque illius regionis mercium: ex Braſilio ſaccharum multum infertur, & ſingulis annis eius augetur copia, nuces virgines, ambra nigra, xyla, & goſſipia, quæ quotidie magis creſcunt, adeoque illic tellus eſt huius materiæ ferax, vt plura educturi eſſent, ſi certi forent, diſtrahi poſſe, & nouiſſime in hoc loco argentifodina detecta eſt: ex inſula Madera afferuntur ſacchara plurima, quæ cum meliora omnibus, quæcunque illinc aduehuntur, exiſtant, cariori

pretio diuenduntur. Ex hac eadem inſula ſanguis Draconis affertur, aliæque res, ſed minoris momenti: ex inſulis S. Thomæ extrahitur ingens ſacchari quantitas, & Æthiopicæ ancillæ: paucis ab hinc annis introducti ſunt xyli, ſiue goſſipii frutices, quorum hoc anno pluſquam ſexaginta millia librarum allata ſunt, & auctitantur indies. Ex Paranis oryza, nuces virgines, ſimiæ ſine cauda, pſittaci coloris cinericii afferuntur.

Ex Inſula Principis ſaccharum, oryza, & nigra mancipia: ex inſula Capitis viridis nonnihil ſacchari, xyli, coria pelles caprinæ, oryza, cera, oleum, zabarus, & præſertim multitudo venalium Æthiopum.

Ex inſula Aſorum magna quanritas glaſti, & colorum ad fullonicam, qui diſtrahuntur per Angliam & Siciliam, tritici copia, & hordei: quæ res vrplurimum afferuntur in inſulam Maderam, & in loca Africæ, & nonnullæ Vlyſſipponem, Regique decimam pendunt. Præterea introducta eſt ars aluminis conficiendi, quod optimi generis habetur. Ex parte Minæ Chineæ nihil niſi aurum affertur ad ſummam ducentorum millium aureorum, præter illud, quod clam priuati extrahunt.

Ex Indiis orientalibus quotannis ingentes piperis acerui aduehuntur: qui, ſimul & cuncta aromata Regis eſſe ſolebant; conſueuerat enim certo pretio ea in Malacca, aliiſque inſulis coemere; quorum pretium in Domo Indiarum Vlyſſippone augetur adeo, vt quod aureis tribus emptum eſt, quadraginta diſtrahatur. Zinziberum, cinnamomum, maſtix, garyophylla, nuces muſcatæ ad ſummam ducentorum millium aureorum quolibet nauium appulſu apportantur. Ad fullonicam Eudolii aduehuntur pro ſumma circiter 100000. aureorum, & quoniam iis in Hiſpania haud ita pridem pro tingendis pannis vtuntur, cariori, & eodem atque aromata, diſtrahuntur pretio. Boraſſum, camphoram, ſandala, aloem, hebanum, condimenta, & aromata alia ſingulis annis pro quadraginta millibus ducatorum afferuntur. Goſſipiorum varii generis maſſæ à priuatis conducuntur ad pretium ſexaginta millium, ex quibus lucrum fit octuaginta pro quolibet centenario. Ambra, & muſcum affertur pro viginti millibus aureorum. Vnionum & gemmarum, vt amethyſtorum, & adamantum non mediocris copia affertur, ſed quanta, neſcitur, quoniam à priuatis clam habentur, ne Regi vectigal quod eſt quinque pro centenario, exſoluant. Ex China, Malacca, Maluio, Bengalla, Pegri, Lambaca, aliis illarum partium locis aduehuntur ſerica alba, fictilia porcellana, & reculæ multæ delicatiſſimæ, quæ Vlyſſippone, Brincos, appellantur, in magno numero. Adducuntur etiam vniones paruæ ex China, & delicioſiſſima, ac minutiſſima opificia, quæ Lisbonæ centum aureis, ſingula nonnunquam æſtimantur, & à Luſitanis tanquam ſuperiores veſtes feruntur, vt Itali

presby-

Chinenſes ingenioſiſſimi.

presbyteri ornantur ſuis rochetis, & Dalmaticis. Afferuntur ex China cubilia quædam, menſæ, cathedræ, ſcabella ex quodam ligno confecta nigro, & ſplendido, vt hebanum, affabre elaborato, & inaurato, aliæque res pulcherrimæ: vnde intelligimus, Chinenſes populos eſſe delitiis affluentes, acutiſſimique ingenii: Ex Perſia afferuntur operoſiſſima tapetia, ex ſerico, & auro & lana optima elaborata. Naues autem quæ veniunt ex Indiis, Saburræ vice gerunt conchylia quædam parua, & alba, quæ in littoribus quibuſdam reperiuntur, mox Lisbonæ mercatoribus quibuſdam in eo regno negotiantibus venduntur.

Hæ tot merces, quæ ex Indiis, & omnibus mundi partibus in hanc ciuitatem importantur, per totam Europam ingenti Luſitanorum lucro diſperguntur, multoque maior fuiſſet vtilitas Regi cum eius intuitu omnia emerentur, niſi à ſuis miniſtris fuiſſet deceptus: & reuera dici poteſt, nonnullis abhinc annis Regem potius pauperiorem effectum eſſe, quamuis mercatura vtiliſſima eſſe videatur: proinde priuatis conceſſit vt eam exerceant, ſibi quædam tantum vectigali reſeruando, ex quibus, quo ad merces, ſeptigenta aureorum millia citra omnem ſumptum collegit.

Proreges tres.

In præſens Indiarum Proreges tres ſunt: Alter in Malacca alter in Ormuz, tertius in Monſabique, quorum cura eſt, ne aromata per ſinum Perſicum aut in Syriam, vel per ſinum Arabicum Alexandriam tranſuehantur, quemadmodum antehac fiebat per malignitatem miniſtrorum, qui muneribus corrumpebantur.

Merces, quæ ex ciuitate Vlyſſyppone ad Indias exportantur, ſunt, vina Cretica, panni ſericei, & lintei, aliæque minutiores In Chinam, & Minam Æthiopum regionem quidam annuli ex orichalco magni & craſſi mittuntur, qui in Flandria minimo pretio coemuntur, ab Æthiopibus vero pe care emuntur.

Ad Braſiliam mittuntur vina, lanei panni, & veſtimenta pleraque iam elaborata: illic enim nulla penitus ars viget. Quæ res non ad vſum indigenarum, qui nudi incedunt, in ſyluis habitant, carnem humanam comedunt, apportantur, ſed propter ipſos Luſitanos, alioſque mercatores, qui in illis terris vitam degunt.

Salis copia.

In Angliam mittuntur vina, olea, ſacchara, & omnis generis aromata: in Belgium itidem, & ſalis magna copia, qui ex fodinis Luſitaniæ eruitur, aſſeruntque peritiores, in Flandriam, & in Galliam mitti quotannis ex regno Portugalliæ trecentas & amplius ſale oneratas naues, quę maiorum doliorum quadringentorum vt plurimum capaces exiſtunt.

Naues Italæ Lisbonæ aromata, ſacchara recipiunt: in ciuitate vero Lagos, & Algarbiæ piſces Thynni, qui per littora totius Hiſpaniæ diſtribuuntur: præter quæ ex Luſitania extrahuntur plurimæ merces, quas prætermitto. In illud autem regnum multa vtilitas eſt,

ſi mittantur opera ſericea,& holoſetica omnis generis, papyrus ſcri ptoria, libri impreſſi, ſolymata alba, argentum viuum, zinabrium, ambra, gallæ, oriza, vina cretica, puluis tormentarius, arma, ſclopeta,& alia.

Reditus.

ORDINARII Portugalliæ regum reditus, quos ex Indiis orientalibus colligunt, ex aromatum vectigalibus, aliiſque mercibus, quæ ſine ſumptu regio afferuntur ex Cephala, Monſabique, & Mina, ex regno Portugalliæ & Algarbiæ, ex Inſulis Sactæ Thomæ,& promonrorio Viridi, Zinzibero, Madera,& aliunde, aſcendunt ad ſummam ducatorum 3660000.

Sumptus.

SVMPTVS multos facit rex in ſtipendiis militum, ducum, præſidiorum, in arcibus, in claſſibus, quæ contra infideles comparantur, in ſuſtentandis Epiſcopis, Sacerdotibus, Proregibus, Gubernatoribus, miniſtris, Officialibus, multiſque aliis ſumptibus, qui in diem fiunt in Africa per regionem Tanger, Seutam, & Maraganum, in Cephala, Monſabique, Mina, & in adiacentibus Inſulis, in quibus vbique certus militum numerus detinendus eſt ad claſſes auferas communiendas, cum ex Indiis adueniunt: adeo enim tunc milites mari conquaſſati ſunt, vt iter cum difficultate confecturi eſſent In nauibus, quas in Indiam mittit obuiam cæteris aduenientibus, expendit in regno Portugalliæ, & Algarbiæ omnem reditum, quem diximus, ducatorum 3660000. neque aliquando ſatis eſt.

DE REGNO NEAPOLITANO RELATIO, SIVE

DISCVRSVS DECIMVSQVARTVS.

INTER cuncta imperiorum exempla, & admirandas eorum viciſſitudines, quæ paſſim hiſtoriis concelebrantur, ea, quæ regno Neapolitano contigerunt, dubio procul omnium frequentiſſima extiterunt, atque admiratione digniſſima. Nam populorum horum inquieta natura, qui remotioribus etiam temporibus bellorum ciuilium, atque inteſtinorum agitationes nunquam non innutriuere, dedit magna ex parte cauſam tot mutationibus, totque publicis incommodis, quot maior Europæ pars, ac miſera potiſſimum Italia recentibus adhuc cicatricibus ſuis miſerandum in modum teſtatur: præterquam quod in hoc regno, tanquam in corpore peſſimis affecto humoribus cum propriis tum accidentalibus, qui indies coaceruantur, morbus adeo contagioſus eſt effectus, vt eius curatio, ſi non penitus deſperata, at ſaltem periculoſiſſima effecta ſit. Per hæc autem tempora, cum poſt tot nationum dominationem demum ad Hiſpanos peruenerit, clariſſime conſpicitur, eoſdem etſi corpus hoc monſtruoſe extenuauerunt, tamen cum eiuſmodi ſuſpicione illud poſſidere, vt non contenti omnem ſpiritum eius retudiſſe, omniaque membra infregiſſe, nihil adhuc intentatum relinquant, ne recolligat vires, vnde poſtea à medicamentis abhorreat, & medicum ipſum magno incommodo, atque exiſtimationis iactura extrudat.

Regni inconſtantia.

Pleraque fuerunt regna & reſp. quæ ſuo imperii circulo abſoluto alteri regno, ſiue dominio principium extiterunt, & priore deleto nomine, in nouum ſeſe transformauere: pleraque alia longo temporis ſpatio inuaſionibus hoſtium vexata, tandem vel libertatem penitus amiſerunt, vel priſtinam amplitudinem egregie tutata ſunt. Verum nuſquam reperire eſt regnum, quale Neapolitanum cernimus, quod inter innumeras regum mutationes idem regnum permanſit, & hoſtium ſuorum incremento perpetuam ſeruitutem paſſum, ſibimet ipſi multoties inimicum, ſolo regis titulo libertatem conſeruauerint: quæ res etſi rerum nouarum cupidis, ac mobilibus populis attribuenda eſt, tamen cum hæc efficiens quidem cauſa ſit, ſed his reuolutionibus ira adiuncta, quemadmodum humano

Inconſtantia cauſa interna & externa.

corpori

corpori ſenſitiua pars obtemperat, illuc vergens, quo illam intelligentia inflectit, dirigitque: quædam proximiores cauſæ, atque efficaciores conſiderari queunt, vnde tot regni huius viciſſitudines ortum habuerint. Qua de re ſummatim, & quatenus inexperientia mea patitur, diſſerere mihi animus eſt, vt tibi ſatisfaciam, & facilius queas deprehendere, præteritorum exemplis quomodo futura ordinentur, & præſentibus quomodo ad prænoſcenda futura procedamus.

Hæc Italiæ pars, quæ Caroli Magni temporibus, dum Imperium cum Græcis diuideretur, iis adſcripta fuit, hodieque nonnullo terrarum additamento Regnum Neapolis nuncupatur, olim vocitata etiam fuit regnum Apuliæ, & regnum Siciliæ citra Farum, idque tunc præcipue, cum regnum erectum eſt circa annum 1125. Rugerio primo Rege inaugurato. Quam denominationem non aliunde profluxiſſe, mihi perſuadeo, niſi quia cum Rugerius tunc Siciliæ Comes indigitaretur, adductus deſiderio Statum ſuum hoc Regio titulo honorādi, voluit, vt hæc alia pars, quæ cæteri imperio addebatur, ab eo, qui eum inaugurauit, altera Sicilia in gratiam ſui vocaretur, tanto magis, qui vi eam ceperat, dum Guilielmus illius poſſeſſor titulo Ducis Apuliæ & Calabriæ. Conſtantinopolim ibat ducturus in vxorem filiam Alexii Imperatoris, vnde totum regnum duæ Siciliæ nūncupatum fuerit. Quod fortaſſe præter hanc veriſimilitudinem confirmari poteſt, quia, qui primus Rugerio inueſtituram conceſſit, is Anacletus fuit Antipapa, cui Rugerius fauebat aduerſus Innocentiū ſecundum, & Lotharium Tertium Imperatorem: qui Anacletus, vt huius amicitiam tueretur, credere fas eſt, facile eum, quæcunque Rugerius expetiſſet, conceſſiſſe ſimul cum iis conditionibus, quæ magis illi collibuiſſent. Verum vtcunque ſeſe res habeat, huius regni titulus Germanus eſt vtriuſque Siciliæ, tametſi hodie communiter Neapolitanum regnum dicatur, cum hęc denominatio inde prouenerit, quod reges in hac metropoli, & regni vrbe primaria Sedem fixerint, tum potiſſimum cum Petrus Aragonius Siciliam occupauit, vbi reges reſidere conſueuerant; cuius Siciliæ poſſeſſione reges Neapolis caruere, donec idem Neapolitanum regnum ad Ferdinandum Catholicum peruenit, ex quo rege Philippum hunc Catholicum deſcendere, non ignotas.

Primus rex violentus.

Cur regnū vtriuſque Siciliæ dicatur.

Primus, vt dixi, Rex ab Anacleto Pontifice creatus & inauguratus eſt: hic autem Rugerius fuit Norman. Siciliæ Comes illius Rugerii filius, qui Inſulam à Saracenis redemit, frater Roberti Guiſcardi, qui anno milleſimo quinquageſimo nono à Nicolao II. creatus fuit Apuliæ & Calabriæ Dux, & Eccleſiæ Confallouerius declaratus, cum ſe, & vniuerſam ditionem ſuā publico iure-

Rugerius titulos ab Antipapa accepit.

iurando eidem ſubiecerit. Ex quibus elicimus, primam huius regni creationem ab illegitimo homine, nempe ab Antipapa, factā fuiſſe, eiuſque poſſeſſionem fuiſſe conceſſam homini Sedis Apoſtolicæ aduerſario, qui Regem Italiæ ſe nuncupauit, poſtquam Apuliæ & Calabriæ Ducatum rapuiſſet, quem Ducatum memoratus Guilielmus Calixto Secundo commendauerat. Fouebant autem in Eccleſia Dei ſchiſma, atque diſcordiam illam, vt ambitionem ſuam quoquo modo ſuſtentarent: & quanquam ſecutis temporibus legitimi Pontifices eandem inueſtituram, vt Italiæ paci conſulerent, confirmauerunt, non obſtat nihilominus, quin ex ſe ipſo regnum illud infauſtum ceperit initium. Vnde credibile eſt, permittente Deo ortas illic eſſe tot ærumnas, atque calamitates, quot legimus maiori ex parte Pontificum auctoritate multiplicatas fuiſſe.

A Normānis ad Suenos tranſiit regnum.

Rugerii poſteri hoc regnum poſſedere, quouſq; mortuo Guilielmo, cognomine Probo, abſque liberis legitimis, cum Barones naturalem quendam eiuſdem nepotem nomine Tancredum regem cooptaſſent, Clemens III. ad Eccleſiam deuolutum eſſe regnum aſſerens, bellum mouit in Apulia. Poſt quem Cœleſtinus III. cum Henricum VI. Imperatorem coronaſſet, atque confirmaſſet, ei conditionem dedit regni huius, tanquam Eccleſiæ feudi, recuperandi, cuius etiam publice inueſtituram conceſſit, vtque actum hunc magis corroboraret, Cōſtantiam Abbatiſſam S. Mariæ Panormi eiuſdem Tancredi ſororem diſpenſauit ad matrimonium, deditque Cæſari in vxorem; quo facto regnum à Normannis ad Sueuos tranſiuit, qui ipſi quoque parum feliciter dominati ſunt: nam Imperator Federicus Secundus dicti Henrici filius Sedis Apoſtolicæ perſecutor acerrimus ab Innocentio Quarto Imperio, ac potiſſimum Neapolitano Regno priuatus eſt; quod Colimundo filio Henrici Regis Angliæ conceſſum fuit. Sed quanquam Alexander Quartus per Cardin. Fiſcum ei miſiſſet inueſtituram, cum ex Anglia illa obtineri auxilia non poſſent, quæ ſperabantur, iamque Federici filii regnum magna ex parte occupauiſſent, & denuo Saracenos induxiſſent, Vrbanus Quartus, qui Alexandro ſucceſſit, contulit illud in Carolum Andegauenſem Prouinciæ Comitem, & Ludouici Regis cognomento Sancti fratrem, qui à Clemente Quarto deinde inauguratus Rex, & coronatus eſt hac peculiari conditione, vt nemo Regum Neapolitanorum poſſet poſthac Imperatoriam dignitatem adipiſci, neque ſe quidquam immiſcere, vel procurare in dominiis Lombardiæ, atque Hetruriæ adiecto cenſu annuo quadraginta octo millium ducatorum, & equo vno albo: quæ ſumma penitus tota regi Ferdinando Catholico, eiuſque ſucceſſoribus remiſſa fuit à Iulio Secundo, ſolo equo in ſignum feudi

Diſpenſatio infauſta.

Carolus Andegauēſis, qua conditione rex Neapol.

Remiſſum tributum à Iul. II.

reſerua-

reſeruato: ſed Leo Decimus ob precium diſpenſationis Carolo Quinto conceſſæ ſuper incompatibilitate regni & imperii, ac Lombardiæ ditionum ſeptem millia aureorum ſimul cum equo pendi quotannis voluit. In domo igitur Andegauenſi recta linea continuauit regnum vſque ad Ioannam primam Ruberti Regis neptem: cui Reginæ iratus Vrbanus Sextus ipſum ad Carolum Dyrrhachii Principem tranſtulit, qui ex Ruberti Regis fratre oriundus erat, penitusque Reginam priuauit, tanquam excommunicationi addictam ideo, quia Clementis Septimi Antipapæ creationi Fundis ſecutæ fuiſſet, eumque pertinaciter defenderet. Poſt quem Carolum duo deinceps filii regnauere, Ladiſlaus, qui etiam, vt parer, Hungariæ rex fuit, & altera Ioanna, ſed non ſine bellorum ac defectionum tumultibus. Nam cum Ioanna prima Ludouicum Andegauenſem Secundo genitum regis Frãciæ adoptatum Clementis Antipapæ conſenſu hæredem ſuum in regno Neapolitano nuncupauiſſet, quanquam is victus fuit, & occiſus à militibus Caroli Dyrrhachii ad Barii mœnia, tamen filius ipſius item Ludouicus ab ipſo Clemente coronatus & inauguratus eſt: qui ipſe quoque Ladiſlao, mox Regina Ioanna Secunda regnante fruſtra poſſeſſionem regni ſibi vindicare conatus eſt. Filius autem huius eodem nomine Ludouicus à Martino Quinto euocatus, inueſtituram accepit, priuauitque Pontifex Ioannam, ei ſuccenſens, quod ipſum noluiſſet iuuare in bello, quod aduerſus Braccium Montonem Eccleſiæ rebellem gerebatur: qua de re anſam arripuit Regina offerendæ adoptionis & hæreditatis in Regno Alphonſo Aragoniæ regi, qui tunc temporis in Sardinia degebat, vt ſcilicet ferret ipſi ſuppetias aduerſus hoſtem hunc Ludouicum. Verum quia, cum Alphonſus Neapolim veniſſet, comperit, omnia regni negotia per ſolam Reginam adminiſtrari, iratus, tentauit ipſam in carcerem detrudere; illa ſecreto Neapoli profugit, vltionisque cauſa dictum Ludouicum hæredem ſuum declarauit, reuocata prima Alphonſi adoptione. Quamuis autem mortuo Ludouico Regina in hæreditatem regni Renatum Ludouici fratrem vocauiſſet, & paulo poſt Regina obiiſſet; tamen Ferdinandus prætendens regnum ad Eccleſiam recidiſſe, vt Neapolim cepit, ac liberum dominatum ſuſcepit, faciliterque ab Eugenio Pontifice inueſtituram impetrauit: ita regnum à Gallis ad Catalanos tranſlatum eſt; qui ſimiliter, cum naturali populorum inſtabilitati, ac tumultibus impares extitiſſent, eiecti fuere, quo tempore Ludouicus Duodecimus rex Galliæ, & Ferdinandus Hiſpaniæ Rex cognomento Catholicus poſt fugam Federici Regis inter ſe regnum partiti fuere: cumque Galli modeſtiæ limites egrederentur, denique ab Hiſpanis toto regno expulſi fuere, qui ad hæc vſque tem-

Fœminea inconſtantia.

A Gallis ad Catalanos regnum.

Nationes, quæ regnauere.

pora illud mordicus retinent poſt ſucceſſionum ſeriem hanc, videlicet, Normannorum, Germanorum, Gallorum, Catalanorũ, & Hiſpanorum: quarum gentium regna hactenus annos 454. abſoluerunt: quo tempore 27. notabiles Regnicolarum defectiones numerantur, quibus tot bella, vnde hæc regio vaſtata eſt, pabulum ſumpſerunt, totque riualium, & æmulorum conſilia, prætextus, conatus adiuti ſunt: neque enim ii tam facile Pontificis illecebris, aut ambitione ſua, vindictæve ſtimulo ad aggredienda bella inducti fuiſſent, niſi illorum leuitas ac flexibilitas populorum vnumquemque in ſpem regni conſequendi mirum in modum attraxiſſet.

Duæ cauſæ rebellionũ.

His tam crebris, ac tumultuoſis rebellionibus etſi diuerſæ fuiſſe cenſentur cauſæ, duæ tamen potiſſimæ fuerunt, altera, regni procerum nimia potentia atque auctoritas; altera, regis eligendi facultas, quæ propria non eſt, ſed ad peregrinum Principem ſpectat, & eiuſmodi Principem, vt nullus perinde ſit variabilis, ac Pontificatus, cum ob vitæ Pontificum breuitatem, tum ob ipſorum diuerſitatem. Nam cum magna regni pars ſemper in poteſtate procerum naturalium, atq; ob ius naturæ, opesq;, & populorum ſtudia præpotentium fuerit, vaſallorum ſuorum promptis animis hactenus vſi ſunt: populi enim illi in præſens quoque, etſi Baronibus aduerſantur, & inimici facti videntur, nullam nobilitatem, nullasque diuitias præ nobilitate, diuitiiſque Neapolitanorum magnifaciunt. Cui fiduciæ nixi Proceres illi, ſæpenumero conati, & auſi ſunt regibus ſuis obſiſtere, minas intentare, bellum mouere, ſuæq; vtilitatis ergo ſe ipſos, regnumq; totum peſſundare: Adhæc propenſionem Pontificis animaduertentes, ſi forte Regem aliquem deponere cuperet, cum potuerint rebus nouis aut vlciſci iniurias, aut deſideriorũ ſuorum compotes fieri, ſuo tantum affectui obſecundantes, eundem Pontificem ad præſentium rerum mutationem ſollicitauerunt, deſignato Regi, & Pontificiis conatibus opem ferentes, atque hominum Pontifici inuiſorum vel ſuſpectorum errata, & inobedientiam amplificantes. Reges quoque ipſi haud raro iuſtas Pontificum actiones falſe interpretando, cenſuras illorum promeriti ſunt, ac depoſitionem ſuam accelerauerunt: ex quo frequentes in regno turbæ atque mutationes contigere. Verum hinc intelligere poſſumus, quanto aſtu Hiſpani, vt huius imperii dominatum ſibi cõfirmarent, operã dederint, non ſolum vt cum Sede Apoſtolica contumaciter nunquam aliquid agant, ſed etiam vt animos Pontificũ ſibi deuinciant, ac præſertim omnes illos, qui in regno potentiæ famam obtinent, deprimant, atque extenuent. In quibus duabus rebus omnem politicæ artis lineam terminauerunt, præſertim cum Italiæ maiores ſibi Principes conciliauerint, alios quidem

Hiſpanorũ aſtutia.

ex debito, alios per amicitiam, plurimos per neutralitatem: quibus modis ab externo bello nihil ſibi extimeſcunt. Atque equidem ſi conſideretur diuerſitas eius, qui gubernat, ab eo, qui gubernatur, & ille imperioſus, & elatus, hic ſuperbus, & indomitus, ille ob repentinam potentiam, & intolerandam naturam pleriſque inuiſus, hic ad res nouas propenſus, ideoque aptus ad quaſuis turbas alieno nutu ciendas attendatur, mox ille in regimine ſuo atque poſſeſſione adeo firmatus, vt hic iugum abiicere, aut recalcitrare nequeat, perpendatur; profectò non ſine maxima ratione hac de re maxima admiratio ſuſcipienda eſt, ſiue hunc rerum ſtatum tempora pepererint, ſiue ſtudioſa imperantium ſagacitas induxerit. Quem ſtatum nihilominus ſicuti crediderim occaſionum opportunitate inuectum, ita gubernantium conſilio non mediocriter adiutum, atque directum fuiſſe, non abnuo. Etenim cum hoc regnum ad Regem Hiſpaniæ peruenerit, qui pacis præſertim Italicæ tantum ſtudioſus eſt, quantum parens ipſius ad bella propenſus, & iis nunquam defeſſus eſſet, hac pacis prætenſione, cuncta ea impedimenta ſummo artificio miniſtri ſuſtulerunt, quæ ipſam confundere poſſent: & regni poſſeſſionem cum Principis aſſenſu belli quoque quibuſuis temporibus tutam effecerunt. Nam ſpe Gallorum de Italiæ dominatu ſublata per pacem anno 1559. celebratam, cum Rex Pontificem habeat partibus ſuis addictum, Venetos ob priſcam eorum neutralitatem amicos, Ducem Sabaudiæ obligatum, cũ propter ſubalpinarum arcium reſtitutionem, tum quia ab omnibus ſibi cauendum eſt, Florentinos amicos cum ob ſtatus ſui conſeruationem, tum ob diſſidium cum Ferrarienſibus, hi vero cum ſint ex ſe ipſis inualidi; Mantua, Vrbinum, & Parma affinitate, & ſtipendii deuincti, Genuenſes morem gerentes, Lucenſes debiles; equidem nihil reliquum eſſe videbatur, occaſione vltimorum ciuilium tumultuum, quam vt Proceres ita debilitarentur, vt deſciſcere nequeant, & ipſorum auxilio externi hoſtes deſtituti, fruſtra aut difficile contra regnum noui aliquid attentare valeant. Ad quam rem plurimis mediis vſi ſunt; nam amico alicui ex Proceribus munera nonnulla, præſertim aulica, conceſſere; publicam vero aliquam adminiſtrationem nemini, aut perraro, & valde limitatam commiſere: aduerſarios & ſuſpectos acerrime perſecuti ſunt; demum aduerſus Officiales, & gubernatores nullam vel minimam Procerum contumaciam admiſerunt. Horum primo vaſallorum beneuolentia acquiritur, & maiorum dignitatum ſpe lactantur: altero, non permittitur, vt apud populum nominis exiſtimationem ſibi comparent: duabus ſubſequentibus rebus ob pœnæ ſeueritatem, & quia ſe purgare nequeunt aliunde, obuiam itur tumultib. Præ-

Pace abuſi ſunt in deprimendis ſubditis.

Artes quatuor in Neapolitanis affligendis.

terea prima arte vaſallus quotidie magis ſtudet Principis gratiā aucupari,& de illo magis mereri curat, effundens quicquid æris habet,vt titulum ſuum vel Domini, vel Equitis, vel Colonelli, ſimiliſve magnificet. Quare proprio ſtimulo fideliter ſe gerit, eodemq; tempore adeo ſumptibus extenuatur, vt deinde neque per ſe,neque per alios audeat, & ob ſpem, atque egeſtatem neſciat inſtitutam ſeruitutem deſerere. Secundo, quod diximus, remedio omnes clientes, atque aſſeclæ à Procerib.remouentur: cum cæteris duobus,cum eodem iure cenſeantur ii, qui palam aduerſantur,& qui ſuſpecti habentur, fit, vt omnes caute agant, adeoque ſe probatos eſſe velint, vt Princeps de eorum mente atque operibus nihil ſibi timere debeat. Cum autem vaſalli quilibet vel Nobiles ſint, vel Populares, neq; Nobiles horum ope deſtituti quidquā machinari ac perficere queant, dum Hiſpani palam fauent populo,præſertim in rebus ad iuſtitiam ptinentibus; hinc ſequitur, vt Nobiles,populuſq; patiēter ferant grauiſſimas illas,totque extorſiones,quib.quotidie premuntur & aggrauantur, vtq; populus abſq; regimine Nobilium, tumultū facere nequeat,ſed inter ipſos diſcordia adeo coaluerit, vt perpetuo diuiſi regnū vehementer debilitauerint: præterquam ꝙ Hiſpani inter ipſos etiam Nobiles acerrimam diſſenſionem, dum huic magis quam alteri fauent,&huius vel illius inimicum ſtudioſe exaltāt, diſſeminauerunt. Sicque animis diſcordantibus inuicem,regno quoque membratim diſgregatos, videtur Hiſpaniæ Rex nullum a vaſallis motum vereri debere, eoque magis,quia Proceres neminem habent,cui conatus ſuos commendent propter eum Italiæ ſtatum, quem ſuperius recenſuimus, omnibus nempe tranquillitatem,pacemque publicam anteponentib.præter imbecillitatem hoſtium peregrinorum, ac præſertim quia Hiſpani erga Sedem Apoſtolicam obſequentes ſunt, cum qua Rex tantam ſibi autoritatem conciliauit, vt hodiernis temporibus in Pontificibus eligendis plurimum ipſe polleat, cum pleroſque ibi Cardinales obſtrinxerit pēſionibus,quas in Hiſpania exigunt,multoſque ſibi origine ſubditos habeat, alios etiam ad eam dignitatē promouerit;præterea Pontificem peculiaribus beneficiis ſibi propenſum reddit,affines illius titulis,& honoribus augēs;quibus rebus huius Regni poſſeſſionem ſtabiliorem efficit: ne vero longe exempla petamus, quantum in eo euertendo valeat Papa, Clemens Septimus, & nuper Paulus Quartus patefecerunt.

ex Hiſpa- ...a pacem ...lit in Ita- ...e,cur. Coniunctio igitur Hiſpanorum cum Sede Apoſtol. cumque cæteris Italię Principibus,& ſubditorum fere omnium extenuatio fuerunt antidota,quibus hactenus regnū illud ſatis à veneno belli præſeruatum eſt. Bellicas enim turbas Rex Catholicus tāta prudentiæ laude ſemper euitauit,quantis gloriæ encomiis à pa-

rente Carolo ex proſecutæ fuerint. Nam Rex ſolam Hiſpanorũ fidem, eorumque conſilium, quo Italos, cæteraſque nationes ſuſpectas facere conati ſunt, ſequens, non poterat diſcordibus Ducibus & exercitibus bellando quidquam egregii ſperare, cum ex omnibus Imperii ſui partibus deligendi eſſent milites: at Carolus Quintus diuerſo more virtutem, non nationem reſpiciens, exercitum ſuis expeditionibus reſpondentem ſibi comparauit, potuitque egregia facinora aggredi: quæ quidem perficere, atq; abſoluere facilius potuiſſet, niſi regna ſua diuiſa fuiſſent, & ab hoſtibus ſuis vexata. Quam ob cauſam, quia nempe Rex militiam concordem non habet, credendum eſt, Regem quam longiſſime bella amouiſſe, pacem vero, tutius regnandi cauſa, libentius amplexatum fuiſſe.

Hiſpanis ſolis cur fidit.

Verum quoniam omnes Imperiorum boni exitus atque proſperitates præcipue reſultant ex conſiliorum proportione, aut ex occaſionum opportunitate, vel ex vigilantia atque dexteritate miniſtrorum, altera ex tribus hiſce conditionibus, quæ defecerit, proſperitatem felicemque regni exitum perturbare valet: quemadmodum fortaſſe in præſenti huius regni ſtatu animaduertere eſt. Nam tametſi ſaluberrimum fuit conſilium, Italiæ tranquillitatem omnino curare, regnumque extenuare, adeo vt nunquam amplius audeat deficere; qua in re Conſilium Regium occaſionibus ſapienter vſum eſt: tamen miniſtri adeo exorbitauerunt, vt vice ſecuritatis, quam Rex acquirere ſperabat, per hæc tempora in magna ſuſpicione iure optimo detineri debeat; propterea quod, dum nationi Hiſpanicæ rerum omnium regimen commendauit, neque cuiquam permiſſum eſt, de miniſtris conqueri, Hiſpanorum inſolentia atque licentia in tantum excreuit, vt abutentes Regio propoſito in deprimendis, atque in officio continendis Regnicolis, auaritiam ſuam atque ſuperbiam intolerandam non minus quam peſſimi exempli, tyrannice expleuerint. Cum enim omnia officia ac beneficia venalia facta ſint, & populis omnium rerum emendarum neceſſitas impoſita fuerit, hinc effectum eſt, vt famuli Proregum, Officiales & Gubernatores omnium Prouinciarum diuitias conſecuti ſint non minus, quam populi ad ſummam egeſtatem redacti; proinde cum ob Hiſpanorum militum, per eaſdem prouincias diſperſorum, barbariem, tum ob grauiſſimas impoſitiones, partim regias, partim à Baronibus impoſitas, caſtella, & ciuitates, ipſaſque prouincias deſertas reliquerunt. Quibus ex rebus non tantum extenuatum, ſed etiam funditus euerſum regnum videtur, Regnicolæque facti aduerſus ſe ipſos non minus, quam Hiſpani, auari & crudeles. Quocirca publicum hoc incommodum vicinis Principibus non incognitum, populiſque exemplo

Felicitas Imperii vnde.

Miniſtri regio propoſito abutentes.

Belgarum valde commiſerandum, equidem peculiari animi anxietate Regem afficere debet: nam etſi Galli, aliæve gentes, occupato in Belgio Rege Hiſpaniæ, difficulter hoc Regnum aggredi poſſent, quia Italiæ Principes iuncti fœdere eas facile repellerent: nihilominus quoniam difficultas poteſt quidem moram iniicere, ſed non aufert, quin opera ardua perfici queant; ſi concederemus, Gallos (exempli gratia) cernentes Regẽ in Flandria, Luſitania, aut Algerio occupatum, antiquo inter has duas nationes odio concitatos, vtque ſe ex ciuilibus bellis exonerarent, velle hanc expeditionem ſuſcipere, ſuaſque antiquas prætenſiones & iura reſuſcitare, equidem hæc aggreſſio valde fieret periculoſa; etenim homines ex rebus nouis aliquid ſibi vtilitatis ſemper eliciunt: quod ſi Galli in campo prædominarentur, regnumque inuenirent exhauſtum totum, ac debilitatum, tanto magis rerum exitus foret ambiguus. Et quanquam Gallorum nomen huic regno maxime inuiſum vehementem omni tempore repugnantiam experturum eſt; tamen impotentia, necnon neceſſitas, atque deſperatio ſolent vtplurimum, valentque obſtinatam quamlibet animorum, atq; opinionum conſtantiam infringere, ac debellare. Hæc conſideratio ex vna parte Regem vexare merito debet; ex altera, dum cernit, præter tituli dignitatem atque amplitudinem, ex hoc regno nihil fere vtilitatis accipi, niſi quod Hiſpanos aulicoſque ſuos ibi diteſcit, non mediocriter ſollicitus eſſe debet. Quamobrem in præſentibus neceſſitatibus, ne penitus regnum deſtruat, milites, aut pecuniam inde colligere extraordinarie non poſſe videtur.

Periculum regni ex prauo regimine.

Reditus Regni ſumptibus minores.

Colligit Rex ex hoc regno annuos reditus duos milliones, & quingenta millia aureorum, computato vno millione, & ducentis millibus aureorum, quod ſingulo biennio offertur titulo donatiui Regiæ Maieſtatis, quodque iam ad ordinarium reditum redactum eſt; computatis etiam granis vno & triginta, quæ ſinguli ignes, hoc eſt, familiæ ſingulæ ſoluunt pro militum ſtationibus, & quorundam Nobilium, qui Proregem comitantur, & continui dicuntur, ſalariis: accedunt grana ſeptem ob cuſtodiã turrium maritimarum: grana nouem pro viarum refectionibus, & grana quinque pro campeſtribus lictoribus. Ex quo reditu, detractis vno millione, & trecentis millibus aureorum, qui erogantur in penſiones, & pleraſque factas largitiones, quod reliquum eſt, non ſufficit ad præſidia, milites, equites, triremes, alioſque ſumptus ſuſtinendos.

Militia.

Hiſpani, quos detinet Rex præſidiarios ſub Ducibus diuerſis, & vno Campiductore, atque Auditore vno, vniuerſi ſunt quatuor mille. Quæ copiæ vernacule Tertium Neapolitanum dicitur: In arcibus Regni, ac turribus ad littorum cuſtodiam ex-

ſtru-

ſtructis mille ſexcenti Hiſpani milites ordinarii ſoluuntur, computatis Officialibus, qui in iiſdem arcibus habentur: mille cataphracti conſcripti ſunt, qui ſub diuerſis vexillis partiuntur, nam quinq; ſunt vexilla Hiſpanorum Ducum, & Italorum vndecim: quodlibet autem vexillum ſexaginta equites habet, exceptis Proregis, & M. Antonii Columnæ turmis, quæ ſingulæ centum cataphractis continentur. Adſunt quoque quadringenti, & quinquageni velites in quinque turmas diuiſi. In omnibus deinde prouinciis pro ſingulis centenis ignibus, ſiue familiis quinque pedites deſcripti ſunt: ignes autem ſunt 401454. ex quo numero ſi pro ſingulis centenariis quinque accipiantur, erunt pedites 240701. Hi vero conſcribendi pedites à viris in vno quoque oppido, aut loco deputatis nominantur: hac tamen conditione, vt ſi Ducibus non placuerint, alii nominentur, donec Duces ſibi ſatisfaciant. hi ſatis armati ſunt, & magis idonei ad patiendum, quam ad bellandum: & hæc militia, quia corpus aciei conſtituit (il battaglione) vocatur, & quanquam ſtipendia non meretur, niſi quo tempore Ducibus inſeruiunt, alii tamen Officiales ordinariis fruuntur ſtipendiis.

Triremes præterea triginta ſeptem inſtructæ ſub regimine Ioannis de Cardona, hoc eſt, triginta ſeptem Neapolitanæ, & quatuor, quas pretio concedunt Genuenſes. Et hæc ſunt pacis tempore totius Regni præſidia, quæ ex reditibus annuatim colligendis ſolui, & detineri vix queunt: cum reditus publici, ac vectigalia diuerſis aggrauata ſint penſionibus, quarum maximæ ſunt quadraginta millia aureorum, quæ ſoluuntur Imperatrici Mariæ Regis ſorori: quorum ſolutio ſuſpenſa fuit, ob iram, vt creditur, conceptam ex Principis Matthiæ profectione in Belgium: altera eſt, quæ penditur Reginæ Poloniæ, tanquam Sigiſmundi Auguſti Regis hæredi, videlicet ob fructus decem pro centenario quadringentorum ducatorum, quos ille Rex Carolo Quinto ad bellum Saxonicum mutuo dedit. Reſiduum maiori ex parte diſtributum eſt inter Hiſpanos, & quoſdam Italos de Rege benemeritos. *Claſſes.*

Neapolitani Regni circumferentia extenditur ſpatio milliarium 1461. nam inſtar peninſulæ à parte ortus, & meridiei vndequaque mari alluitur, excepto tractu centum quinquaginta milliarium, quæ in mediterraneis computantur à finibus Latii, ſiue Campaniæ Romæ, qui ſunt fluuius Aufidus, vel Ofente in Tyrrhenum influens mare, per Apenninum, & partem Vmbriæ, & Marchæ Anconitanæ vſque ad alios fines Tronti fluminis influentis in mare Adriaticum. Longitudinem habet milliarium quadringentorum, & quinquagenum à fluuio Tronto, qui ad ſeptentrionem labitur ad promontorium Herculeum, vbi pars eſt vltima vlterioris Calabriæ ad meridiem poſita. Latitudo maior eſt centum duodecim milliarium, à Caietę territorio vſque ad dicti fluuii fauces. Minor vero latitudo eſt *Situs Regni.*

viginti milliarium, à ſanctæ Euphemiæ ad mare Tyrrhenum verſus auſtrum vſquè Scyllaccum, quod ad Ionium mare, & ſolis ortum aſpicit.

Prouinciarum numerus.

Hoc Regnum has continet prouincias; à fluuio Ofenre partem Latii, quod antiquitus ad Lyrin vſque pertingebat; nunc vero in tres partes diuiditur, Latium, Romæ Campaniam, & littoralem, ſiue maritimam. Pars igitur, quæ ab Ofenre Terracinæ fluuio ad Lyrim vſque extenditur, ad regnum pertinet. Inter Lyrim vero & Sarnum fluuium includitur vetus Campania, quæ hodie terra laboris dicitur: poſt quam ſequitur Licentinorum ager à Sarno ad Silarum vſque, qui tractus hodie Principatus dicitur. Sequitur à Silaro ad Laum, hodie Saprium, Lucania, modo magna ex parte Baſilicata. Lucaniæ adiacet Bruttiorū regio à Lao per littora Tyrrheni vſq; ad promontorium Leucopetram in mari Siculo, vbi deſinit Apenninus, vltimum cuius cacumen à nautis dicitur (punta del tarlo) hæc autem Brutiorum pars hodie Calabria nuncupatur. Ab hoc promontorio verſus ſeptentriones per oram littoris vſque Tarentum magna Græcia ſita eſt pariter dicta Calabria, apud quam ſequitur regio Salentinorum ſupra ſinum Tarentinum vſq; ad Leucæ caput olim promontorium Salentinum.

Calabria & Apulia.

Hinc autem verſus aquilonem Brunduſium vſque habitatur illa regio, quæ ab antiquis Calabria Ionica dicta eſt: quæ ſimul cum Salentinorum regione coniuncta hodie terra Hydruntiſia dicitur. Inter Brunduſium & Aufidum collocatur Apulia Peucetia, nonnullis Ætolia, quæ dicitur hodie terra Barenſis, poſtquam ſequitur Apulia plana, quę Capitaneatus dicitur, olim Apulia Daunia, ſita inter Aufidum, & Finternum vſque ad Garganum montem. Hinc deinde vſque ad Trontum fluuium, vltimum regni limitem, iacent Frentani, Marucini, Velini, Præcutini, Marſi, qui vnam regionē conſtituunt, Aprutium dictam. In locis mediterraneis inter prædictos populos occupant planam & montoſam regionem ab vtraque parte Apennini Samnites, hodie Vallis Beneuentana, cuius longitudo per 80. milliaria extenditur vſque ad fontem Silari fluuii. Hi vero populi, quos diximus, ſimul cum Hiſpanis, qui cum Principatu & Baſilicata finitimi ſunt, à Scriptoribus indiſtincte Samnites appellantur, quæ natio, vt ſcis, antiquitus valde fuit bellicoſa. Hæ vero cunctæ prouinciæ ad ſeptem rediguntur, hoc eſt, Terra laboris, Baſilicata, Calabria, Tellus Hydruntina, Terra Barenſis, Apulia plana vel Capitaneatus, & Aprutium.

Moderna prouinciarum partitio.

Verum à Regiis Officialibus in duodecim prouincias facilioris regiminis cauſa partiuntur, hoc eſt, in Terram laboris, Comitatum Moliſſe, quæ Vallem Beneuentanam comprehendit, Aprutium citerius, Aprutium vlterius, Principatus citerior, Principatus vlterior, Capitaneatus, Baſilicata, Terra Barenſis, Terra Hydruntis, Calabria

citerior,& Calabria vlterior. In his Prouinciis continentur 1563. oppida, inter quæ 20. ſunt Archiepiſcopali dignitate inſignia. Epiſcopatus vero ſunt 107. maiori ex parte opibus deſtituti: ex oppidis autem quædam ad mare ſita ſunt, quæ munita ſunt, quæ munita ſatis exiſtunt, in quibus etiam præſidiarii milites, præſertim quando hoſtiles claſſes timentur, collocantur: hæc autem ſunt in Aprutio Peſcaria, In Baſilicata Beſticia, & Manfredonia, In Terra Barenſi, Barletta, Tranum, Biſclia, & Monopolis, In terra Hydruntina Brunduſium, Hydruntum, & Gallipolis. In Calabria Tarentum, Croto, & Rhegium, In terra laboris Neapolis, & Caieta: in mediterraneis Ciuitella in Aprutio.

Oppida & Epiſcopatus quot.

Arces regni.

In vnoquoque autem oppido, exceptis Peſcaria, Beſticia, & Ciuitella, ſunt arces antiquo more exſtructæ, Brunduſii duæ, Barii vna haud procul à Puteolis, Neapoli tres, Capuæ vero in mediterraneis vna, quam nuper exſtruxere: quę, ſimul & S. Hermi arx, Neapoli vrbi imminens, creduntur ſolæ hoſtibus reſtituræ noſtris temporibus.

Sex quoque adiacent regno Inſulæ, Tremithus Aprutio, Liparis Calabriæ, Capreæ, quæ maior eſt, Nicheta, Prochyta, & Iſchia Terræ Laboris. Flumina omnia nauigantur, & præcipua ſunt Iuntum. Peſcaria, Sangium in Aprutio, Forſorium, & Candelorum in Capitaneatu, Ofantum in terra Barenſi, Vaſentium, Acriſinum in Baſilicata, Lagnum, Vulturnus, & Lyris in Campania. Portus equidem haud multi ſunt, in tanto præſertim terrarum circuitu, etſi quidam ſinus in littorum illorum tortuoſis gyris quibuſdam temporibus vicem portuum exhibeant: ſed vt plurimum tuti ſunt, ſpeciatim Neapolitanus, qui tametſi molis obiectu defendatur, tamen ea magis pompæ, quam tutelæ nauigiorum, qui illam ſtationem deligunt, inſeruire videtur: ſolentque triremes, quoties mare nimis commotum eſt, Baias migrare, vnde haud procul adhuc vtuntur Neronianis reliquiis vice portus, diciturque mare mortuum. Sinus Caietæ portus habetur, ſed ventis Orientalibus obnoxius eſt: In terra Hydruntis Brunduſinus portus minime malus eſt: & in terra Barii dicitur, ſi Trani portus inſtauraretur, centum triremibus recipiendis ſuffecturum. Ille vero Tarentinus portus in Baſilicata longe capacior foret, niſi occluſus eſſet, crediturque ideo occluſus, ne ea commoditas Turcas ad inuadendum regnum alliciat; cum olim Cleonymus Spartanus; Alexander, & Pyrrhus ambo Reges Epiri ex Græcia in Italiam ad eum portum, qui vicinus eſt, & capax, atque tutiſſimus, traiecerint. Regnum hoc terra Pontifici, mari Venetis, quatenus Adriaticum ad ius Venetorum ſpectat, finitimum eſt: In reliquis ſuis partibus coniunctum cum fertiliſſimo ac nobiliſſimo Siciliæ regno mediterraneo mari alluitur, cuius propter cætera regna eidem Regi ſubiecta integer dominatus ad ſolos Hiſpanos iure merito ſpectare deberet.

Portus.

Proceres regni quam miſere habeantur.

Oppida ac ciuitates, quas memoraui ſuperius, diuerſis Proceribus ſub variis titulis obediunt: hi autem vt numero aucti, ſic auctoritate diminuti ſunt, cum quia dominia ad humiles homines peruenere vel emptionis iure, vel principis largitione, tum etiam quia ſumptibus patrimonia exhauſerunt, præterquam quod nullum iis vnquam munus iniunctum fuit, vnde maiorem ſibi exiſtimationem pararent. Quamobrem quatuordecim numerantur Principes, Duces viginti quinque, Marchiones triginta ſeptem, quinquaginta quatuor Comites: quatuor mille Barones: quibus defunctis, niſi conſanguinei ſuperſint proximi adeo, vt ex pragmaticæ diſpoſitione ad ſucceſſionem vocentur, eorum dominia ad regem reuertuntur. Quem obſeruatum eſt ſolere, ea mercatoribus vendere, qui maiori ex parte, cum tenuis ſortis homines exiſtant, carent generoſis ſpiritibus, inuiſique ſunt titulares cæteris Nobilibus. Quæ res præcipue conducit ad eam diſcordiam ſerendam, quæ, regnandi cauſa, vt ſit inter titulatos, exoptatur. Cætera oppida Baronibus minime ſubiecta poſſunt ex neceſſitate ad libitum regis diuendi: & in vniuerſum omnia adeo ſunt alieno ære obſtricta propter tabernaria vectigalia, ſiue hoſpitia militibus Hiſpanis debita, vt niſi vendantur, nunquam ſperent, ſe liberatum iri.

Fertilitas ſoli.

Hoc regnum omnia vitæ humanæ neceſſaria producit, pleraque ad vſum medicinæ, plurima ad delicias, tanto prouentu, vt cæteris regionibus ea poſſit abunde ſubminiſtrare: inter cætera præſtantiſſimos gignit equos, quorum rex quatuor habet equitia, & plerique Domini ſimiliter, neque eos licet ex regno educere iniuſſu Regiæ Maieſtatis, ac Proregis, idque raro: ſed ante omnia ingens eſt, & vberrima copia, tritici, vini, olei & ſerici non ſine ſpeciali Regis & regnicolarum vtilitate: qui profecto regnicolæ, niſi in tantum tyrannide opprimerentur ab officialibus, vt iis vix reſpirare detur, ſe præ cæteris quibuslibet nationibus fortunatos exiſtimare poſſent; etenim non modo hanc certiſſimam omnium rerum fertilitatem iis natura largita eſt, ſed etiam mira fruuntur commoditate cuncta facillime diſtrahendi per Eccleſiaſticum imperium, ac potiſſimum opportunitate nauigationis, & antiqui cum Venetis commercii: Erga quos credendum eſt hac de cauſa populos Apuliæ & Calabriæ beneuole affectos eſſe, ſiquidem cum iis negotiantur aſſidue, & abſque illo commercio plurimum incommodi experiuntur; quemadmodum annis præteritis, cum ob peſtem, interdicta eſſet mutua conſuetudo, compertum eſt.

Veneti à regnicolis dilecti.

Præterea cum Veneti in Apulia diuerſis occaſionibus olim ciuitates aliquas poſſederint, & Normanis etiam regnantibus vel tãquam amici reuerentiam, vel tanquam hoſtes timorem populorum meruerint, ob hanc memoriam, & cauſas vtilitatis peculiaria quædam apud illos erga Remp. Venetorum beneuolentia ſigna conſpiciuntur:

quam-

quamobrem dicendum videtur Regem propemodum compelli cum Republica bene conuenire, etſi non ceſſant miniſtri hanc principum concordiam, quoad poſſunt, diſturbare. Nam reuera eius Maieſtas à Venetis magis, quam à quolibet alio Principe occaſione belli res nouas timere debebit, cum propter hanc populorum diſpoſitionem, tum propter maritimas vires, imperiique ſui vicinitatem, opeſque & auxilia, quæ ab exteris Principibus obtinere poſſent, ſin minus ob amplificandam Rempublicam ſaltem vt ſe ipſos in Italiam intruderent. Quæ res etſi Venetis forſan periculum paritura videretur, tamen dubio procul maius Regi hinc, quam aliunde conſequeretur detrimentum. Nam duos hoſtes, præter Venetos, poteſt rex timere, Turcas, & Gallos. Turcæ quamquam Repub. potentiores magiſque timendi videntur, tamen quia aduerſus eos talia aggredientes Itali Principes neceſſario fœdere iungerentur, poſſent Hiſpani ab hoſtilium armorum progreſſu ſe defendere. Sic Gallorum expeditiones omnes in hoc regnum difficillimæ ſemper erunt, cum eos ærarium, claſſiumque commoditas deficiat, cumque præſertim populis hiſce inuiſi exiſtant: at Veneti, vt dixi, vicini ſunt, claſſe potentes, opibus affluentes, populis grati idonei ad auxilia accipienda, quibus auxiliis ſaltem eos hoſtes ad propriam defenſam occuparent, qui Forum Iulium, aut continentis loca & vrbes inuaderent. Cum Venetis igitur Rex humaniſſime agit, cum vt ab hac parte imperio ſuo, & populorum vtilitati conſulat, tum etiam vt Lombardię dominatu tranquilla cum pace perfruatur. Aduerſus Gallos autem, ac Turcas permuniuit ſe per pacem, ac perpetuam, quæ in Italia cuſtoditur, tranquillitatem, curatque vt maritimæ vires, quoad fieri poteſt, amplificentur; qua in re præcipuum regni huius refugium ac tutamen eſt: Nulla enim vnquam inuaſio profecta eſt, quin per mare ſubſidia habuerit. Itaque vt hoſtes impedirentur, vtque vſu exigente, ſuis auxilia non deforent, decreuerunt regii maritimas opes augere, cum præſertim eius Maieſtas abundet rebus iis, quæ huic rei conducunt, cum pane, lignis, cæteriſque neceſſariis materiis, tum remigibus & adminiſtris, quos ex regno hoc congregat, ex Sicilia, Sardinia, Maroco, Cantabria, Catalonia, & cætera Hiſpania, maritimæ vitæ aſſuefactos. Triremes ædificantur Neapoli & Tarenti, vnde à biennio, quinque ad hoc nauale adductæ fuerunt, decem annis exſtructæ. Hoc autem nauale, ſumpta occaſione ex triremibus, quæ in victoria anni 1575. acquiſitæ fuere, amplificatur modo opera & induſtria hominis cuiuſdam Veneti exulis, qui typum quendam obtulit, fruiturque ſingulis menſibus aureorum viginti ſtipendio: complectetur enim totam oram littoris, quæ incipit ab vltimo propugnaculo Caſtri noui vſque ad Sancti Vincentii turrim, extendeturque ad fanum vſque Luciæ. In eodem nauali duodeviginti conſpiciuntur naues inueteratæ, quæ parum valent, cum quia ſub dio habentur, pluuiiſque

Qui hoſtes magis timẽdi Neap

Hiſpanus pacem colit, & pacis artibus ſua tuetur.

Naualeminus inſtructum.

& maris

& maris reciprocationi expoſitæ ſunt, tum quia nonnullæ iam tranſeuntibus operariis in ipſo nauali pontes factæ ſunt. Modo hic Venetus Galeaſſam, ſiue actuarium maius nauigium extruendum curat, quod noſtratibus longe inferius erit, cum iam ille expertus olim fuerit, an poſſet eiuſdem magnitudinis nauim ædificare, ſed ſpe illa fruſtratus, dubitandum eſt, vt pleraque ad nauale hoc perficiendum ſpectantia aut difficulter, aut tarde præſtare poſſit. Etenim ſatis eſt regiis miniſtris nonnihil in ſpeciem præſeferre, quod in Aula Regia magnificetur, eoque pacto diligentiam oſtentantes Regi aliquatenus ſatisfaciunt, orbemque terrarum in eximia magnarum rerum detinet expectatione. Quæ res ad opes breui comparandas mirifice prodeſt, quibus mox ditionem aliquam in regno coemant, reditus coaceruent, & pretioſam accumulent ſupellectilem. Cum vero Prorex, eiuſque officiales Neapoli propter ſitus opportunitatem, vrbiſque pulchritudinem reſideant, cumque ea plena ſit ac frequentiſſima totius regni nobilitate, mercatorum, aduenarum, artificum magno numero, qui trecentis circiter hominum millibus conſtat; ex ipſa vrbe, tanquam regni epitome quadam, peculiaris, ac diſtincta rerum omnium relatio haberi poteſt: nam cum hinc Gubernatores ad duodecim dictas prouincias, qui Proreges dicuntur, & Neapolitano ſubordinantur, itemque ad ſingula regni oppida, quæ Baronibus non ſubiaceant, Capitanei mittantur, neque ab iis Capitaneis ac Iudicibus prouocare liceat, niſi ad Proregem Prouinciæ, vel ad Vicariam & Conſilium Neapolis, prout litigantes malunt, habent hæc tribunalia fluxum atque refluxum controuerſiarum, ac litium, quæ ab aduocatis ac notariis, quos actorum magiſtros vocant, & à procuratoribus immortalitate donantur: carceres autem Vicariæ incredibili hominum numero referti viſuntur, vnde facile coniicere eſt, quo pacto in ea ciuitate, ac regno iuſtitia administretur. Quæ certe vt plurimum dicitur ad induſtrium quoddam mercaturæ genus redacta: quod comprobatur, præter clamores ac querelas litigantium & carceratorum, ex publicis ac ſecretis venditionibus, quæ hodie contrahuntur, munerum atque officiorum pretiis extraordinariis: quæ profecto non adeo facile erogarentur, niſi cito, & cum fœnore illud exigendi certitudo & commoditas adeſſet: proinde mirum non eſt, ſi in cauſis tam ciuilibus, quam criminalibus infinitæ querimoniæ audiuntur, & pleraque forenſia quaſi monſtra viſuntur, quæ oriuntur præſertim ex appetitu quodam vindictæ, atque vſitato ambitionis ſtimulo, præter lucri auiditatem, quæ vniuſcuiuſque Gubernatoris dos eſt inſeparabilis. Nam quanto ſeueriorem ſe officialis profitetur, præſertim aduerſus Nobiles, tanto charior, & in maiori eſt exiſtimatione apud Hiſpanos, à quibus in Aula promouetur, & ad gradus, tituloſque ampliores exaltatur: Cum vero vt plurimum huiuſmodi tribunalia, & publica munera

Fraus miniſtrorum regiorum.

Multitudo Neapol.

Carcerati innumeri.

Tribunalium iniquitas.

homi-

hominibus delegentur, qui humili loco nati legum profeſſione nobilitati ſtudioſe proponuntur, cumque hi à nobilibus ſæpe lædantur, & natura iis æmulentur, inde fit, vt litigia nonnunquam perperam tractentur, quorum litigiorum pars maior inter Barones vertunt, atque vaſallos. Verum adhæc coniungenda eſt arrogantiſſima illorum tribunalium petulantia, dum ſe totius mundi iudicibus præferunt: nam ſi contigerit, vt coram illis peregrinæ cauſæ agitentur, ſicuti modo agitatur ea, quæ eſt inter Reginas Poloniæ ac Suetiæ ſorores, ob poſſeſſionem quorundam redituum, quos Sigiſmundus Auguſtus Poloniæ Rex earũ frater in hoc regno habuerat, itemq; alia cauſa Sereniſſ[illegible] Reipublicæ Venetæ, eas ſtudio protrahunt, nimirum delectantur ſonoris regum, ac Rerumpublicarum nominibus aures ſuas impleri. Præterea loca agreſtia, viæque publicæ exulibus & facinoroſis hominibus repletæ ſunt: quæ res etſi naturalis eſt, & incurabilis regni infirmitas, nihilominus fama eſt, magiſtros lictorum, & publicos alios homines latrociniorum, prædæque conſcios & participes eſſe: quod valde veriſimile eſt, quia licet præterito anno magna latronum edita fuerit ſtrages, tamen in Apulia atque Calabria adhuc viæ infeſtantur, & graſſatores, atque aſſaſini abundant: verum id quoque tolerari poſſet, cum viatores gregatim iter agere conſueſcant, niſi maritimum iter, & Romanum littus, nec non Terræ laboris, & Calabriæ littora continuo infeſtarentur à piratis, qui nuper duas triremes, quibus Neapolim vehebantur Donna Maria d' Aualos, & vxor ac filia Don Caroli eius fratris, prope Puteolos perſecuti ſunt. Quare facile eſt cognoſcere, qualis & quanta regni ſit cuſtodia, poſteaquam, populis ingentem pecuniarum ſummam ſoluentibus, ad detinendos Satellites aduerſus exules, & ad cuſtodiam turrium per littora exſtructarum, vt ab iis piratæ ſignificentur, cum in neutram partem ſatis prouideatur; terra marique manifeſto periculo rem & vitam obiiciunt, & fures ſine obſtaculo vllo prędatum veniunt. Commorantur vt plurimum Neapolitanæ triremes ad Molem portus ſine ſtipendiis, ſiue militibus ac ſæpe ſine remigum parte dimidia, qui à nauarchis perſæpe locantur mercatoribus, nobilibus, aliiſque ad exonerandas naues, aliaque domeſtica opera peragenda: adeo vt neceſſitatis tempore (veluti anno præterito, cum octo piraticæ triremes duas Siculas ad Capreas Inſulam cepiſſent, toto die quinque triremes inſtructæ fuere ad Turcas inſequendos, quippe & remi deerant, & milites deſiderabantur) dubitandum ſit, vt ex tanto diſpendio, quod Rex in hiſce triremibus patitur, minima colligatur vtilitas, eo magis, quod eædem triremes bellicis tormentis male inſtructæ, & nautis peritis deſtitutæ ſunt; remiges vero vel Turcica mancipia, vel damnati ſunt, quorum alteri coacte & cum periculo vtentium remigant, alteri inexperti ſunt, parumque idonei ad maris incommoda perferenda

Latrociniorum frequentia.

Pirata.

Ignauia triremium.

Milites

Milites quoque præſidiarii tam in tribus Neapolis caſtellis, quam in cæteris, quæ diuerſis in regni partibus eſſe diximus, multo minores numero ſunt, quàm Rex ſoluit; & bellica tormenta exquiſitiora non viſuntur, niſi in arcibus Neapolis, in Caſtello nouo, Sancto Hermo, in Caietana arce, & Capuana, cætera per regnum diſperſa vix vllius ſunt momenti: munitiones vero ſunt anguſtæ, ac diminutæ. Qua in re probe omnes nouerunt, quantum Regii miniſtri lucrentur, quemadmodum etiam in re annonaria per totum regnum: nam cum facultas extrahendi vina, olea, legumina, & carnes facillime magno precio concedatur, omnia ad victum neceſſaria quaſi duplo cariora facta ſunt, quam à decem annis eſſent, præſertim in ciuitate Neapoli: quæ & ob incolarum numerum, qui ſemper creſcit pleriſque patrias deſerentibus, & huc migrantibus, vt quondam immunitate grauaminum gaudeant, & hoſpitandis militibus eximantur, & propter commeatus, quos ad expeditionem breui ſuſcipiendam Regia Maieſtas imperauit, incredibiliter patitur, cum omnia, quod dixi, extraordinario precio ſoluantur, & ars Serica non adeo, vt ſolebat, modo in ſuis operibus proficiat; qua arte permulta huius populi pars ſuſtentabatur. Nam cum Prorex huic arti nouum grauamen impoſuerit, nempe vt ex libra Serici laborati, ſiue illaborati ex regno extrahendi vnus Carlinus ſoluatur, præter alia grauamina, quæ item pro Serico extrahendo impoſita ſunt, effecit, vt peregrini mercatores, cum aliunde leuiori impoſitione merces eiuſmodi accipere queant, Neapolitanum emporium deſeruerint; & Neapolitani mercatores tot Sericeos pannos, vt antea, non texant; ſiquidem an poſſint diſtrahi, dubitant: propter quam operum ſuſpenſionem cum pecuniæ minor quantitas inferatur, in re quoque nummaria detrimenti plurimum ciuitas patitur: quocirca anno tranſacto ſubſidium ducentorum millium aureorum, quod ad res Belgicas à Rege petebatur, denegatum fuiſſe cenſetur. Ex quibus omnibus concludere poſſumus, hos populos eo afflictiores viuere, quo Hiſpani ſecuriores exiſtunt ab omni defectione, & priuatim ditantur, & abſolute, ſuoque arbitratu dominantur. Atque equidem, ſi vnquam Neapolis tumultuum excitandorum cauſam habuit, ſub præſentis Proregis gubernatione tres habuit maximi momenti cauſas. Altera, cum iuſſerat, vt Neapolitani ex radicibus quibuſdam confectum panem, qui porcinus panis dicitur, comederent: quod edictum mox ſuſpenſum fuit, addito prætextu, id mandatum fuiſſe experiundi gratia, num tempore neceſſitatis id ſuffecturum fuiſſet. Altera, cum inuita Sede Nioli (qui ordo eſt nobilium) voluit, vt eandem in Sedem reciperetur Cottinatius, qui vir hac de cauſa modo in Hiſpania carceribus detinetur. Tertia, cum milites quoſdam ad Sebaſtiani Monaſterium miſit, vt filiam Principis Stiliani inde abducerent ſub prætextu, quod illius mentem circa matrimonium explorare vellet, ſed

Rapina miniſtrorum.

Petulantia miniſtrorum.

vetius

verius illam filio ſuo in vxorem deſtinauerat: In huiuſmodi igitur tam exorbitantibus iniuriis cùm hi populi nihil præ ſe tulerint, quam ſecretam quandam animorum afflictionem, ſatis firme credendum eſt, nihil aduerſus præſentes magiſtratus neque poſſe quenquam, neque audere tentare; cum haud ignoremus, alias ob longe leuiores cauſas populos eoſdem valde permotos fuiſſe; quin etiam opinantur plerique, ſi per hæc tempora vellet Rex Inquiſitionem (quæ res iis abominanda eſt) inducere, haud magnam repugnantiam expertum iri.

Cum nuper Maieſtati Regiæ ordinarium donatiuum factum fuiſſet, & Proceres Regnumque vniuerſum per certos ſuos homines illud mittere vellent, Prorex per ſuum hominem mittere voluit, idque, ne ſi mitterentur per alios, ad Regem, & aulam eius male geſta Proregis referrentur; idcirco vt donatiuum ſibi traderetur, eos coegit. Videtur nihilominus à Petri Toletani Magiſtratu ad hæc tempora non mediocriter diminuta Proregis autoritas, quæ olim formidabilis fuit, & abſoluta: nam ex occaſione quorundam procurationis inſtrumentorum, quæ allegabantur inualida à miniſtris Proregis, res tota ad Conſilium delata eſt, cui ſe ſubmiſiſſe videtur Prorex tanquam reus, & non dominus, vnde aperta eſſe videtur porta ad contendendum cum Proregibus. Sed ſi in hoc exiſtimationem amiſit, auxit ſaltem reditus Regios, impoſito vectigali ſerici, quod vectigal annuos aureos centum mille refert: aliud quoque vectigal ſoluunt chartæ luſoriæ, quod viginti millibus locatur, niſi tamen hoc redituum augmentum propter cauſas, quas ſuperius dixi, diminutio potius appellanda ſit.

De ſuperbia, & intractabili natura huius Proregis, & quo pacto pauper Prouinciam ingreſſus modo diuitiis affluat, & Proreginæ ſeptem millia aureorum in reditibus iam quæſiuerit, totidemque ex bonis Eccleſiaſticis Bernardino filio ſuo, & alios filios quotidie diteſcat; credo, te aliunde intellexiſſe, quia iam fama circumuolitat. Ideo famæ eidem, & ſcripturæ allegatæ, in qua nonnulla ſecretiora leges, me refero, vtque hoc memoriæ meæ, meæque erga te beneuolentiæ modicum argumentum equi conſulas rogo. Vale, Neapoli Calend. Aprilis 1579.

DE REGNO GALLICO SIVE FRANCISCO SAPIENTISSIMO, Relatio ſiue

DISCVRSVS DECIMVSQVINTVS.

QVOD in hominum vita cernimus, vt nunquam ſe quiſquam eodẽ valetudinis ſtatu ſe habeat, idem prorſus in imperiis ac regnis videre eſt: modo etiam proſperitate fruuntur, modo aduerſis affliguntur, alias debilitantur, aliquando conſeneſcunt, mox deficiunt: demum ſub lunæ orbe omnia inſtabilia, incertaque à Deo creata ſunt, vt ab ipſo omnia pendere noſcamus, omnemq; ſuperbiam abdicemus; quiſquis vero aliis regnaturus eſt, bonę fortunæ diſcat nõ ita credere, vt prudentiæ vſum minus putet neceſſariũ: huius enim virtutis proprium eſt, magnas res in ſuo ſtatu cõſeruare, & humiles ad magnitudinem attollere. Fortunæ autem variationis exempla nunquam defuerunt, quibus perſpectum ſit, antiquiſſima pleraq; regna, multasq; potentiſſimas Reſpublicas, quæ latiſſime imperitauerãt, eum in modum extinctas fuiſſe, vt earũ nihil reliquum præter inanem hiſtoriarum memoriam, habeatur: multorumq; imperiorum, quæ in præſens efflореſcunt, paulo antea nullũ nomen, nulla erat exiſtimatio. Verum humanæ felicitatis viciſſitudo quo magis appoſito exemplo oſtendi poteſt, quã regno Franciæ? hoc ſiquidẽ nuper amicis ſuis firma ſpes, ac ſubſidium, hoſtibus verò terror maximus fuerat, ob eius ſcilicet potentiã, atq; fortunam: nunc autem (vt verum fateamur) non modo alios ſuſtentare nõ poteſt, ſed ipſummet in tanto verſatur diſcrimine, vt minimo ſtrepitu paueſcat, totumq; in ſe ipſo concutiatur.

Cum igitur Gallici Regni ſtatus de more mihi referendus ſit, explicandaq; ea, quæcunq; mihi triennii ſpatio, quo in Aula illa me continui, explorare licuit; vtriuſq; fortunę illius regni imaginem, quam veriſſime potero, exprimere conabor, neque res tanquam hiſtorice tractabo, ſed eas in ſimpliecem commentariolum: aut diſcurſum redigam, eiuſq; magnitudinis cauſas, & cur in hęc inciderit pericula, perueſtigabo.

Hinc igitur exordiens, in memoriam reuoco, Galliæ regnum omnium conſenſu primum Chriſtianorum regnum ob dignitatem, potentiam, atque auctoritatem regis, à quo gubernatur, ha-

bitum

bitum ſemper fuiſſe: nam quo ad dignitatē, ſemper ab initio ſuo libertate gauiſum eſt, neq; vnquam Eccleſię ſeſe ſubiecit, vt olim Anglia, & modo regnum Neapolitanum, & alia regna Imperatoribus, vt Bohemia, & Polonia: præterea cæteris omnibus, quæ modo habeamus, antiquius eſt regnum: nam ante aduentum Chriſti quadringēteſimo fere anno incepit, primumq; omnium à Romanorum, quibus parebat, iugo ſeſe ſubtraxit: & ope atque conſilio Ferramundi regis leges ſuas habuit, & ex ſeipſo ſeſe rexit, atq; tutatum eſt: Fuit quoq; primum inter regna, quæ Chriſtianam fidem ſuſceperint, nempe ſub Clodoueo rege octuaginta circiter annos poſt Ferramundum: proinde iure merito Sanctæ Eccleſiæ primogenitum dicitur: nam poſt Pontificem, qui caput eſt vniuerſale noſtræ religionis, & Rempub. Venetam, quę ab ortu ſuo in Chriſti lege permanſit, nullus Princeps, Rexve aut Reſpublica gloriari poteſt, ſe ante Galliæ regnum Catholicam fidem cognouiſſe.

Francici regni libertas, & prærogatiua.

Chriſtiana fidei initiū.

Ad hanc prærogatiuam, qua nulla nobilior eſt, aut illuſtrior, alia ſuperadditur, quod cum regnum hoc viribus, & fortuna auctum fuiſſet, primum fuit, quod propter Caroli cognomēto Magni merita gradu, dignitateſq; Imperatoria cohoneſtatum fuit, ſtiuque maieſtatem hanc, & huc uſque nomen, ac titulum Chriſtianiſſimi retinuit. Neque prętermittendum mihi videtur, quod a pleriſque obſeruatum eſt, ritum vngendorum regum, diuinitus tempore Hebræorum regum inſtitutum (qui ritus à tribus, quatuorque Chriſtianorum regibus vſurpatur, ſignumq; eſt ingentis prærogatiuæ) cepiſſe in Gallia mille abhinc annis: & adhuc non ſine miraculo viſitur apud Rhemos ampulla ſacra, cuius liquore ſinguli reges inunguntur.

Imperatoria dignitas.

Vngendi mos paucorum regum.

His omnibus de cauſis inter Chriſtianorum reges Galliæ rex primum dignitatis locum nullo aduerſante ſemper obtinuit. Et quamquam ſibi perſuadet Hiſpaniæ rex, iure ſe de hac prærogatiua poſſe contendere: tamen nullum eſt illius Regnum, quod cum Galliæ regno aut nobilitatis ſplendore, aut antiquitatis fama, aut titulorum gloria comparari queat. De cuius potentia dubitandum non eſt, quia latiſſimum eſt, populis, armis, diuitiis ſupra cætera Europæ regna refertum, & magnas duodecim comprehendit prouincias, quaſi totidem membra, quæ ſimul iuncta, virium robur ſibi mutuo ſuppeditant. In meditullio, perinde atque in corde, iacet Prouincia Franciæ, quæ toti regno nomen præbet, & ab aliis decem circumdata, quaſi coronatur. Quarum duæ, Normandia & Britannia terminantur Oceano, Languædocia, & Guienna Pyreneis montibus, Prouincia mediterraneo, Delphinatus Allobrogibus, Lugdunum, & Auernia Heluetiis, & Germanis, Burgundia Lotharingiis, & inferiori

Præcedentia Galliæ.

Situs amplitudo, & ad iuuandū & nocendum opportunitas.

Germaniæ, Campania, & Picardia adiacet Languædociæ, at Bononia, & Caletum Angliam reſpicit. Harum prouinciarum ſingulæ quondam proprium dominum habuere, qui Regem Franciæ ſuperiorem cognoſcebant, ſed in præſentia omnes aut iure ſucceſſionis, aut belli iure Coronæ adiunctæ ſunt. Quæ res eius auctoritatem atque amplitudinem pedetentim adauxit.

Hæc omnia trans alpes poſſidet Corona Franciæ, ſed cis alpes tenet reliquias quaſdam Delphinatus, & Comitatus Prouinciæ, itemque Marchionatum Salutiarum: quæ eo fere modo quæſita fuere, quo aſſolent magni Principes, & dominationis cupidi, qui aliena occupandi libenter ſibi iura prætexunt. Habet etiam in nouis Indiis, Braſiliam verſus, loca quædam, ſed quia incerta, paruique momenti, nullo alio reſpectu conſideranda ſunt, niſi vt in eas partes nauigandi ius retineatur, quod tamen adeo intermiſſum eſt, vt penitus abolitum ac deſertum videatur.

Regnum Franciæ, vtpote in vmbilico Chriſtianarum regionum collocatum, percommodum eſt, ac peropportunum ad potentiores quoslibet Principes, populoſque bellicoſiores pro arbitratu ſuo vexandos, atque affligendos: nam ab anteriore parte Italiam habet, a tergo Britanniam Inſulam, dextrorſum Hiſpaniam, ſiniſtrorſum Germaniam, & hinc Heluetios, illinc Belgas; præterea inter duo maria ſitum eſt, mediterraneum, & Oceanũ: ac proinde nullo negotio terra marique poteſt omnia omnium regum ac Principum conſilia interturbare, iis ve fauere. Et quod pertinet ad ſe ipſum, vndequaque tutiſſimum videtur, à natura & ab arte: nam ab Italia atq; Hiſpania montibus diſterminatur, atque defenditur, ab Anglia, & remotioribus regnis mari diuiditur, à Belgio & Germania fluminibus; In omnibusque regionibus & limitibus regni arces muniriſſimas, atq; armorum, & tormentorum, rerumque omnium bellico vſui neceſſariarum toto regno vim ingentem habet, & ducibus, bellicæ ſcientiæ laude præclaris, abundat.

Francia munitur arte, & natura.

In arcibus exſtruendis id potiſſimum adnotari Gallorum moris eſſe, eas ceſpite, ac cementis libentius ædificare, non ſolum quia ædificium minori ſumptu erigitur, quam ſi murus fieret, citiusque parantur, meliusque bellicis tormentis reſiſtunt, & deſtructæ facilius inſtaurantur; ſed etiam quia cum hominum induſtria nouos offenſionis modos ſemper excogitet, quibus neceſſe eſt nouos defenſionis modos opponere, facilius eſt ceſpititiam machinam immutare aut augere quacunq; ex parte quam murum adaptare, cuius partem, niſi toto diruto, nemo reſarcire poteſt: vnde fit ſæpenumero, vt inutiles & imperfectæ relinquantur muratæ arces.

Arcium exſtruendarum mos notabilis.

Quoad

Quoad bellica tormenta, vnum ex multis mihi recenſendum videtur. In Gallia illud hactenus magnæ curæ fuit, vt omnia tormenta ad communem formam, neque admodum magnam redigerentur, ne ſcilicet ſint impedimento; rurſus ne in paruam formam conſtruerentur, quia inutilia euaderent, ſed eſſe ea mediocria voluerunt, iuſtæque menſuræ omnia, vt idem globus, eademque pulueris quantitas æque cunctis explodendis idonea ſit, iiſdemque inſtrumentis poſſint moueri, conduci, & tractari queant: quæ res vtiliſſima comperta eſt non minus in oppidis, quam in ipſis exercitibus, quia quoties globus idem cunctis tormentis accommodatur, tollitur omnis confuſio, quæ in iis præparandis, atque tractandis exoritur; & quoties tormentum aliquod corrumpitur, eius globi vſus non admittitur, & inſtrumenta, quæ vni tormento deſetuiunt, omnibus adaptantur, ꝙ æqualia ſint pondere, vel parum inter ſe differant, & eodem loco poſſint conduci & ſubſtitui. Aliud non contemnendum Gallorum inuentum fuit circa huiuſmodi tormenta, quod in eo foramine, vnde ignis immittitur, ferrum quadrilaterum apponũt, ne ea pars ab igne corrumpatur, quemadmodum ærea, quæ paucis ictibus facilius labefactatur, & quia cum foramen latius eſt, ignis exhalat, neque ictus fit validus, remanetque tormentum inutile: neque enim optimi generis tormentum habendum eſt, quod quotidie ad centum, vel ſaltem octuaginta ictus faciendos non ſufficit. Illud tamen notandum, huiuſmodi talum ferrum in iis tormentis, quæ mari feruntur, minus opportunam fore, quia rubigo illum exederet, quã ſalſedo marinæ aquæ pariura eſſet: ſed terra vtiliſſimus compertus eſt, quia paucis tormentis maior oppugnatio fieri poteſt. Quæ cuncta induſtriæ inuenta, addita ſitui Galliæ natura munito, regnum illud potentiſſimũ reddunt, tutumque cum in ſe tutando, tum in hoſte laceſſendo: cuius rei plurima domi foriſque extant indicia, quia nulla fere pars eſt orbis terrarum, quæ Gallicis armis quaſſata non fuerit. Vtque omittamus antiquiora, quo tempore natio illa vini appetitione allecta, in Italiam populariter irrupit, Romanorumque magnitudinem in ſummum adduxit periculum, totque alibi admiranda geſſit: recentioribus temporibus Carolus Magnus illius regni robore adeo potens extitit, vt Germaniam, Saxoniam, Bauariam ſubiugauerit, Hiſpaniam aduerſus Saracenos domuerit, Longobardorum regnum euerterit, maiorem, pulchrioremque Italiæ partem ſibi vindicauerit, & poſteris ſuis dimidiam pene Europam reliquerit. Memorabilis fuit Hieroſolymitana expeditio in Concilio Claramontano ſuſcepta, & à populis illis priuato ſumptu perfecta, tanto animorum conſenſu & conſtantia, tantaque virtute, vt omnium expeditionũ, quę

Gallorum res geſtæ præclaræ vbique.

cunque hiſtoriis celebrantur, gloriam ſuperauerit. Experta quoque eſt Græcia, itidemq; Aſia Gallorum arma, cum Byzantium captum fuit, quo in bello fœderata Reſpubl. Veneta plurimam & gloriam, & dominationem adepta eſt. Africa quoq; & Ægyptus Gallicam virtutem ſenſit, viuente Ludouico Sexto, qui etſi in eo conflictu captus eſt, tamen Tunetanus Rex tributi quadragenũ millium aureorum quotannis ſoluendi conditiones accepit: iiſdemque temporibus Rex Carolus Andegauenſis regna Siciliæ, & Neapolis, cum ea Italiæ parte, quę nunquam antea in poteſtate Gallorum fuerat, acquiſiuit, eiuſque ſucceſſores ad Hungariam tranſiuerunt, vbi multos annos regnauere: poſthæc auorũ noſtrorum memoria Carolus octauus terribili fortunæ curſu, paruoque temporis interuallo magna terrarum ſpatia cis alpes occupauit: ex quo principio ſucceſſores ipſius illecti fuere ad Italiam denuo ſubiugandam: quæ illecebra, atque cupiditas ad Regem Ludouicum, Regem Franciſcum, & ad Regem Henricum per tot victoriarum cladiumque cumulum peruaſit.

Bella paſſiua Galliæ.

Quod vero pertinet ad ſui tutelam, atque defenſam; nunquã, poſtquam Franciæ regni libertas viget, contigit, vt pręter quam ab Anglis, vinceretur a quoquam. Hi ſiquidem in regni viſceribus diuturnum, atque perpetuum bellum gerentes, magnam illius partem occupauere, ſed hæc victoria cito iis ablata eſt, non modo receptis iis, quæ vi ceperant, ſed etiam debellatis prouinciis Normandiæ, atque Guiennæ, antiquo regum Angliæ patrimonio, vnde odium indelebile inter illas nationes originem duxit. Verum quia præcipua regnorum amplitudo, atque potentia in ipſis hominibus collocata eſt, vtpote in quorum virtute, atq; induſtria magis conſiſtunt omnes imperii offenſæ, atque defenſę, quam in armis, atque tormentis bellicis; breuiter de moribus, numero, dotibus Gallorum, & cur ad tantam exiſtimationem deuenerint, enarrabo.

Populi, qui Franciam incolunt, numeroſiſſimi ſunt, quia ducentæ & forte plures ſunt ciuitates, quæ Epiſcopum ſuum habẽt, alia oppida, municipia, villæ innumeræ ſunt, omniaq; loca frequentantur mirandum in modum, & Pariſiis tantum communiter ſexies centena circiter hominum millia eſſe putantur.

Status Frãciæ tres.

Tres ſunt in Gallia potiſſimę hominum conditiones, vnde totidem ſtatus ordines reſultant. Alter Clero conſtat: alter Nobilibus: tertius peculiari nomine caret, quia ex diuerſis hominum generibus, ac profeſſionibus componitur, ideoque vocandus videtur generalis populi ſtatus.

Clerus etſi multos tertii ſtatus, multoſque aduenas, qui vel propter obſequia Coronæ præſtita, vel ex peculiari regis priuilegio ad regni beneficia admittuntur, comprehendit: tamẽ maior

vis

vis in Nobilibus conſiſtit;quia ſecundo & tertio geniti nihil Principum,& Dominorum,cum in patrimonio, ad maiorem natu vt plurimum ſpectat,minimam habeant facultatem, Eccleſiaſticam vitam ineunt, vt eodem momento diuitias & exiſtimationem acquirant. Nobiles autem ij intelliguntur,qui Regi nihil vectigalis pendunt, ſed tantummodo ſuo corpore ad bellum proficiſci tenentur. Inter quos ij Principes, qui regis conſanguinei ſunt,maioris momenti habentur, quam cæteri, etiamſi nonnemo illorum ob paupertatem ſplendorem tantæ fortunæ parem exhibere non poteſt. Hi conſanguinei Regis multi eſſe ſolebant ab annis octuaginta:etenim Aurelianenſis Domus, Angulenſis, Andegauenſis,Burgundiæ, Alanſonia, Borbonia, quæ Vandomiam,Mompelieri,& Surioni complectitur; omnes vel regiam Coronam obtinuere, vel iam defecere, ſolaque in præſens remanet domus Borbonia,quæ olim erat vltima, ſed modo bono ſuo fato prima, & ſucceſſioni proximior facta eſt: proinde in ſummam creuit amplitudinem. Domus huius in præſentia columen caputque eſt rex Nauarriæ, etſi eos habet defectus, de quibus dicemus, vbi ad Principes & Aulam deſcribendam peruenerimus.

Nobilium priuilegia, & ſtatus.

Popularis ſtatus comprehendit homines literatos, qui à longis veſtibus denominantur, mercatores, artifices, plebeios & ruſticos. Inter homines longarum veſtium, quicunque Præſidentis, vel Conſiliarii, vel ſimilem locum habet, is Nobilis in eligitur, & priuilegiis munitur, & quoad vixerit, nobilitate fruitur.

Popularis ſtatus.

Mercatores,quia pecuniam poſſident, hiſce temporibus plurimum gratia valent, verum nulla gaudent prærogatiua, ac dignitate:quoniam omnis lucri auida profeſſio nobilitatem in eo regno maculat;Ideo hic etiam hominum ordo cum plebe ac populo minuto copulatur, ſoluitque grauamina, ſicuti ignobiles ac ruſtici conſueuere:quorum ordo magis, quam cæteri, opprimitur non minus à Rege,quam à Nobilibus, ſolebatque Maximilianus Imperator dictitare, Franciæ Regem aſinorum eſſe Regem, quoniam populus eius omnia onera abſque vlla refragatione portaret. Omnes hi tres ſtatus ad varios vſus in regni beneficium applicantur.

Maximiliani dictum.

Vtque primum de ſtatu populi nõnihil dicamus: hic quatuor præcipua officia in manibus ſuis habet, vel quia lex, vel antiqua conſuetudo ita præſcribit, vel quia Nobilibus honeſtum non videtur in huiuſmodi immiſcere ſeſe negotiis. Primum officiũ eſt ſupremi Cancellarii, qui ad omnia Conſilia admittitur, penes quem magnum eſt ſigillum, & ſine cuius ſuffragio nihil ardui deliberatur, aut decernitur, quod ſi decernitur, execu-

Officia popularium præcipua.

tioni non demandatur. Alterum eſt Secretariorum, quibus, iuxta peculiare ipſorum munus, negotiorum expediendorum cura & cuſtodia ſcripturarum, rerumque arcanarum committitur. Tertium eſt Præſidentum; Conſiliatiorum, Iudicum, Aduocatorum, aliorumque, quibus cura per totum regnum iuſtitiæ rerumque tam ciuilium, quam criminalium iniuncta eſt.

Quartum eſt Theſaurariorum, exactorum, & recuperatorum generalium penes quos omnis eſt adminiſtratio redituum, aulæque expenſarum. Quamobrem cum in poteſtate populi hæc officia remaneant, quibuſcum exiſtimatio & diuitiæ parâtur, cumque horum duo ſemper obueniant hominibus literatis, hoc eſt, munera Magni Cancellarii, & Iuſtitiæ, quod ampliſſimum vbique eſt: omnes parentes ad literarum ſtudia filios ſuos alliciunt, & hinc tantus eſt ſcholaſticorum in Gallia numerus, quorum ſimilis in nullo regnorum Chriſtianorum reperitur, & ſolæ Lutetiæ Pariſiorum quindecim mille ſtudioſos habet. Quin etiam haud pridem Principes incepere filios ſuos in literis educare, præſertim ſecundo & tertio genitos, non vt ad hæc exercitia applicentur, ſed vt ad Eccleſiaſtica munia euadant idonei: quandoquidem iam aliqua modo ratio habetur, ne Epiſcopatus in rudes, & literatum imperitos homines conferantur. Quæ res vtinam antehac effecta fuiſſet; melius ſeſe Chriſtiana Reſpublica haberet.

Vnde ſtudioſorum numerus in Gallia.

Gubernatio Reipublicæ tota eſt in manu Nobilium, atque Prælatorum. Prælati conſilium ſuum ſolummodo interponunt, ſed oneribus immunes conſulta minime exequuntur; Nobiles vero in vtroque operam ſuam præſtant: Imo ſæpe conſenſerunt, Prælatis omnem conſultationis honorē cedere, gnari, ſibi executionis pondus ingruere. Id autem omnibus percommode cōtingit: quia Nobiles, qui vtplurimum non affluunt diuitiis, ſi in aula commorentur, vbi rerum omnium ſumma penuria eſt, per hanc occaſionem abſentes abſtinent à nimio ſumptu, quē alioquin facerent in equis, famulis, veſtibus, aliiſq; rebus, domumque ſuam reuertuntur: in ſuis autem caſtellis priuatam vitā ducentes, paruo contenti eſſe poſſunt, cū domi neq; famulitii ſplēdor, neque conuiuia, neque equorum precia magna, vel alia vitę aulicæ conſueta requirantur. Idcirco receptum eſt, vt quartā anni partem vnuſquiſque teneatur Regi obſequia præſtare: reliquum autem temporis quilibet domi ſuæ degere poteſt, & ſumptibus ita parcere, vt trium menſium futurorū ſplendorē pro dignitate tueri queat. Verum apud Prælatos hic reſpectus diſpendiorū non attēditur, quia, quo ad familiam ſuā, & veſtes eundē, vbicunq; degunt, ſumptū faciunt, & quamuis in aula carior eſt annona, tamen ſpes opū acquirendarū, & autoritatis augendæ,

Hactenus nobilitas neglexit ſtudia.

dum

Digitized by Google

dum penes Regem viuunt, non permittit, vt ad hoc minimum damnum animum aduertant: & pleriqueetiamſi in loco ſuæ prælaturæ reſidere vellent, vt ex vltimis decretis tenentur, euocantur cito, nempe quod Aula ipſorum præſentia egeat, ac præſertim eorum, qui apud Principem aliquem legatione functi ſint.

Proprium Nobilium exercitium, ac profeſſio, vnde præcipua eſt Regis, ac populi Maieſtas, eſt Militia, quæ duplicis eſt generis, maritima, terreſtris. Illius haud multa ratio habenda eſt, quia cum nauibus, nautis, nauticæque rei peritis hominibus deſtituatur, nunquam eas vires nacta eſt, vt offendendo hoſti egregie reſponſura eſſet, ideoque poſt Regem Franciſcum Primum inualuit conſuetudo, vt Turcicæ claſſis ope Galli Reges vtantur. Ad regni nihilominus defenſam nunquam peregrinis auxiliis opus fuit, quia nonnunquam in mari Oceano ducentæ naues in vnum corpus redigi potuere, & in mari Prouinciæ quadraginta triremes aliquando fuerunt inſtructæ: quæ in præſens ſolummodo ſex: hę vero triremes nonnunquam in Oceanum quoque tranſlatæ ſunt, ſed magis vt in Scotiam vectores traiicerentur, quam ad Principem aliquem in officio continendum, vel ſimili de cauſa. Verum potiſſimus Gallicæ militiæ neruus in terreſtribus copiis conſiſtit, magiſque in equitibus, quam in peditibus, quia commoditas conſcribendorum peditum Heluetiorum, ac Germanorum equitatui addidit exiſtimationem, præterquā quod plebi, ac ruſticis regni minus libenter arma tractanda committuntur. Equites vero ſicuti quondam omnes nobilitate inſigniebantur, ita audentiores, magnaque erant præditi virtute: verum in præſens omni hominum genere mixtus, & duplicis generis eſt equitatus, alter ſtipendiarius, alter ex debito. Hic communiter appellatur Arierbanda, & complectitur nobiles, qui ipſimet Regi debent militiam, ſtatuto equorum numero, iuxta feudi proportionem: quoniam vero nobilium frequens eſt multitudo, idcirco hi equites multi ſunt, eſſentque plures, ac meliores, niſi feudatariorum obſtaret auaritia, quibus ſatis eſt in luſtrationibus duos treſve equos oſtendere, ſiue ii boni ſint, ſiue non: nam meliores equi inter ſtipendiariorum collocantur, non inter feudatariorum equos. Verum tota vis militiæ conſiſtit in cataphractis & ſagittariis equitibus (vulgo Arcieri:) nam etſi omne genus hominum miſcetur, tamen milites egregii ſunt, armis & equis optime inſtructi: etſi enim regnum equitia ad bellum non alit, tamen aliunde vel maximo impendio petuntur. Cataphracti equites duos oſtendunt equos, qui non vt noſtrates ſtigmate notantur.

Militia Frācia qualis.

Cataphractorum copiæ aliæ conſtant numero quinquageno, aliæ centeno. Hæ à Marſchallo, ſiue à Principe aliquo ducuntur. Singulæ præter Ducem quatuor habent Officiales, Locumtenentem, Vexilliferum, Guidonem, Forerium: qui omnes, præter quam merent cataphractorum ſtipendium, qui ſoluitur quadringentis Fran-

Stipendia militum.

chis,ſeparatum habent ſtipendium,hoc eſt,Locumtenens Franchos octingentos,Vexillifer ſexcentos,Guido quadringentos: Duces vero,ſiue Foretii inæqualia ſtipendia exigunt, ſed nemo minus, quam 200.Franchos,præter ſuum cataphracti locum Vna cum cataphractis ſagittarii computantur, qui equites leuis armaturæ ſunt, vtunturque in anteriore ephippii parte ſclopeto; quæ quidem res maiori eſt impedimento,quam fructui. Hi duplo plures ſunt, quam cataphracti,dimidium ſtipendii,quod diximus,merentur, vnum equum oſtendunt,& cataphractorum Dux etiam hos ducit. Cataphractorum numerus nunquam maior fuit, quam trium millium: ſagittarii vero quater mille quingenti ſunt, etſi modo ob nimium ſumptum minor eſt numerus:neque in tota Gallia alius eſt equitatus,exceptis aulicis regiis,qui ſuum Ducem habent,& 500. fere ſunt, plurimique aduenæ.

Peditatus nullus Galliæ cur quare.

Quod ad peditatum,vaſtatores octo,vel nouem mille ſunt, gens apta laboribus, & ærumnis, & quæ naturam Hiſpanorum præ ſe fert,hæcque cæteris melior putatur: in aliis quoque regni partibus deligi poſſent optimi pedites, vtpote cum 30. abhinc annis continuo vexati fuerint. Et Rex Ludouicus X I.legiones conſcripſit,poſt quem etiam Franciſcus I.quadraginta vel quinquaginta millia militum erudire cogitabat,ne ſemper Heluetiorum quaſi tributarius foret: verum ex decreto trium ſtatuum cogitatio hæc retractata fuit, neque aliis permiſſum, vt in armorum tractatione ſeſe exerceant, quam nobilibus:cauſæ multæ redduntur, inter quas potiſſima ea eſt, quod ſi plebs armis ſe inſtructam cerneret,contra proceres inſurgeret,cum propter inuidiam,tum propter onera,quæ patitur, cumque à magiſtratibus compeſci nequeat,artes negligeret, & agriculturam omitteret maximo omnium detrimento,latrocinaretur, demum regnum totum confunderet:cum experientia doceat,quoties plebeius aliquis in militiam nomen dedit, protinus eum inſoleſcere, & domi ſuæ velle imperare, ac parentibus, fratribus, & cunctis dominari. Sed hæc ſtatuum decreta locum non haberent, ſi quis Regum ſibi vellet ſatisfacere.

Quo ad Duces,in regno Galliæ nunquam deſideratus eſt eorum numerus propter excellentem multorum & virtutem, & experientiam,atque fortunam: Inter hos modo præcipuus eſt Dux Guiſius, qui non ſolum virtute, ac fama cæteris anteit viuentibus, ſed pleriſque etiam præteritorum excellit: poſt quem inſigniores ſunt Dux Humenæ, Dux Humalæ, Marchio Boſii, qui omnes ipſum Ducem ſequuntur,vt etiam Dux Namur, Comes Saligni, Eques Humalæ, omnes eius conſanguinei, & iuuenes expectationis egregiæ: Inter priuatos Nobiles eminet Dominus de Sciatra, & Dominus Sancti Poli,& Dominus Vinſe;qui eundem vltimo bello ſecuti ſunt. Prolixum foret cæterorum quoque mentionem facere.

Ex

Ex illis,qui factionem potius, quam cauſam Regis Nauarriæ ſectantur, præcipuus eſt Vicecomes Turenæ diues vigintiquinque millium in reditibus, Dux Buleonis, Princeps Comitum, Comes Soeſſonii filius Principiſſæ Condenſis: qui ſpe ducendæ in vxorem ſororis Regis Nauarr.ę illas partes ſecutus eſt, nõ ſine maximo multorum dolore.Item Dominus de Sciatilone, & Domini de Aldigheria,audaces viri, ſed opibus deſtituti.

Inter eos,qui neutram partem adhuc ſequuntur, numerantur ſex Marſchalli,viri omnes ſummæ virtutis, & experientiæ: item dominus de Sciapella Vrſinus dux veteranus, magnique nominis ob ingenii ſui acumen,& diuturnam bellicæ rei experientiam: Dominus de Sauigny,Dominus de Mandelot, innumerique alii inter eximios Duces annumerandi.

Hoc militum genere præteriti Galliæ Reges non ſolum potuere dominationis ſuæ limites dilatare,atque defende-e à Principibus vicinis atque longinquis,ſed etiam armorum ſuorum vim transferre in Aſiam,& Africam,Germaniam oppugnare, Hungariam, Hiſpaniam,in Italiam deſcendere,totumque orbem concutere Nam Galli natura feri ſunt,atque ſuperbi,& in rebus tentandis animoſi, in proſperis inſolerandi, in ſuis commodis augendis aſſidui, in alienis negligentes, & in re bellica ſæpe promiſſa fallentes: quandoquidem hæc apud illos viguit opinio,vbi commodum adeſt, ibi quoque adeſſe honeſtatem atque maieſtatem: ſoletque prouerbio vſurpari, multiſque hiſtoriis traditum eſt; Habeas Gallum amicum,ſed vicinum nequaquam, ſi fieri poteſt: & veteres de moribus huius gentis ſcribentes, teſtatum reliquere, eos principio belli plus quam viros eſſe, in fine minus quam fœminas. Idcirco conſiderandum eſt, in bello principia proſpera tanti eſſe momẽti,vt ſæpe in iis totum conſiſtat, omniſque in principio aduerſitas magnas ſecum trahat calamitates: proinde Galli adeo feroces, ac terribiles habentur,vt ipſos laceſſere periculoſum ſit: admodum quoque difficile creditur eſſe, primum illum furorem, vnde ſuperbiunt, & audent, detinere, ac temperare.

Gallorum virtus.

Principia belli timenda magis.

Hæc ſunt,quæ de numero,ac moribus Gallorum, deque vtilitate,quam ex tribus Ordinibus Regni Corona ſentit,explicanda duxi. Porro donec concordes in vnum conſenſerunt, & ſinguli abſque inuidia commodum publicum pro virili curauerunt,Regem adiuuantes alii Conſilio, alii patrimoniis, alii corporibus ſuis, regnum illud inuictum, cunctiſque gentibus formidandum effecerunt. Verum poſteaquam peſtifera hæc ſectarum lues Clerum & Nobilitatem diſgregauit, nobileſque inter ſe diſtraxit in varias partes; populum vero vndique diſcordantem reddidit; cuncta euerſa fuere maximo Reipublicæ, ac præſertim Regis incommodo, vt ſuo loco dicetur.

Diſcordia magna res dilabuntur.

Hactenus

Hactenus de Regni Galliæ dotibus, deque populorum moribus diſſeruimus, reliquum modo eſt, vt de annona ac reditibus aliquid attingamus.

Fœcunditas Galliæ.

Gallia rebus omnibus vitæ hominum neceſſariis abundare, opumque ditiſſima ſemper habita eſt: nam cum in medio fere nobilioris partis totius orbis, Europæ ſcilicet, collocata ſit, cœlo fruitur valde temperato, benigno, frigoribus nimiis Germaniæ, itemque Hiſpaniæ caloribus expertæ: aer, etſi ventoſus, tamen ſaluber eſt, neque grauis eſt, & paluſtribus humoribus infectus, vicinus Belgicus: regio amœna eſt, iucunda aſpectu, fluminibus irrigua, iiſque naui gationi opportunis: aſperitate montium caret, niſi in extremitate finium regni; ſed mediotenus planicies, & colles fertilitate, atque cultura inſignes viſuntur, tantoque frugum, vini, lini, canabis, glaſti, aliarumque rerum prouentu felices, vt non modo regni vſui ſatisfaciant, ſed exportentur etiam in Hiſpaniam, in Portugalliam, in Flandriam, in Angliam, Syriam, Daniam, inque alias longinquiores etiam regiones. Idcirco quamuis auri atque argenti fodinis, ſecus atque Germania, & Hiſpania, careat; attamen in Gallia nunqam deeſt pecuniarum copia ex aliis regionibus aduecta: nam Portugallia nunquam ſuum aurum & argentum negauit Galliæ: ex Hiſpania quoque multum aduehitur, etſi edicta vetant, ſed vtilitas & vſura quindecim & viginti pro centenario efficit, vt afferatur; & memoria teneo, etſi cum Rege Catholico bellum gereretur, tamen commercium cum Gallis, itidemque cum Anglis, & Hiſpanis non ceſſauiſſe eorum populorum neceſſitatem, qua coguntur induſtria ſibi victum parare.

Quamobrem admirandum non eſt, ſi belli tempore non ſolum in Italia, ſed etiam in ipſo illo Regno militum ſtipendia non aliis, quam moneris Hiſpanicis exſoluta fuere. Ob hanc rerum omnium copiam credunt plerique, ex terræ fructibus colligi pretium circiter quindecim millionum aureorum: quorum ſex Eccleſiaſticorum ſunt, ſeſquialter Regii patrimonii, reliqui Principum, Baronum, aliorumque, qui poſſeſſiones & reditus habent: adeo vt clerus duas quintas partes regni habeat in ſuis reditibus: ſed Rex præter ſuum dominium, quod eſt ordinarius Coronæ reditus, qui modo magna ex parte diſtractus, aut oppignoratus eſt, ex portoriis, & impoſitionibus, quæ iam ordinariæ factæ ſunt, & ex cleri decimis, quæ bis ſaltem quotannis imponuntur, colligit quatuor milliones cum dimidio, ſicque in ſumma milliones ſex ordinarios accipit, longeque plus acciperet, ſi portoria locarentur, prout facimus in Italia: ſed ibi hæc non ſeruatur conſuetudo, quia indigenæ hanc rem negligunt, & aduenæ verentur id proponere, ne à populis male tractentur, ſicque omnia nomine regio exiguntur.

Regij reditus.

Quare præter omnium Theſaurariorum, & exactorum ſalaria, & præter fraudem eorum, qui vectigalibus non ſatisfaciunt, communis eſt opinio, Regem magna ex parte redituum ſuorum defraudari: reliqui expenduntur in rebus aulicis, & miniſtris Iuſtitiæ ſuſtentandis, nec non in ſtipendiis equitum, & ſagittariorum, item in præſidiis arcium, ac munitionibus, in triremibus, cæteriſque nauibus ad regni cuſtodiam armatis: & hæ ſunt Regni expenſæ ordinariæ, ſuntque aliæ innumeræ extraordinariæ, ſed continuæ. Adeo vt à Rege Franciſco Primo, qui vnum millionem auri reliquit, ad hæc vſque tempora nihil vnquam accumulari potuerit: ſed in extraordinariis belli, rerumve aliarum neceſſitatibus ſemper inuenta eſt pecunia vel augendo taleas, vel decimas cleri multiplicando, vel mutuo accipiendo à ciuitatibus, quæ cæteroquin libertate fruuntur: adeo vt Corona in præſens debeat quindecim auri milliones, computatis bonis Regii Dominii, quæ oppignorata ſunt: & hæc cauſa eſt, cur modo impenſæ, quoad fieri poteſt, ſubducantur, & pecunia congregetur, vt his oneribus Regnum eximatur: quæ res exitum ſortitura ſperatur, ſi pax perdurauerit. Et hæc, quoad dignitatem atque potentiam Regni Galliæ, dicta ſufficiant.

Verumenimuero, quod ſpectat ad eorum, qui regnum adminiſtrant, autoritatem (hoc autem tertium fuit diſſertationis noſtræ caput) ampliſſimum hoc, ac potentiſſimum, omnibuſque diuitiis, & opibus affluentiſſimum regnum totum ab vnius arbitrio Regis dependet, qui naturalis eſt Princeps, cui populi obtemperant, & cuius abſoluta ſuper omnes eſt autoritas.

Eſt autem Galliæ Rex naturalis Princeps, antiquo ex ſtirpe oriundus, & mille ab hinc annis in eo regno iura ſucceſſionis agnoſcens: in regnum non ſuccedit electione populorum, ideoque eorum fauorem non ambit, neque tyrannidem occupat, ſed naturæ ordine, quia filius eſt natu maior, vel quia conſanguineus eſt, gubernacula capit, excluſis ſemper extra matrimonium natis, & fœminis: ſuccedit enim primogenitus; ſin minus, ſanguine coniunctior, quia regnum diuiſionem non patitur, ſed vni debetur: & hic mos non ſolum in regno Galliæ, ſed in domibus magnatum receptus eſt, vt primogenitus totam capiat hæreditatem, cæteri vero tantum habeant, quantum vitæ ſuſtentandæ ſatis ſit, iuxta eorum merita: quæ res dignitatem Statuum, opeſq; conſeruat: alioquin ſi patrimonia in capita diuiderentur quod fit in Germania, cito ad nihilum redigerentur. Ideo dixit ſanctus Bernardus, ex tribus vitæ humanæ ſtatibus expedire, vt Principes & Domini per ſtirpes & per primogenituram ſibi ſuccedant; Ciues & ii, qui mechanicas non exercent, per capita: plebeii vero, & ruſtici vt in commune viuant.

Naturales tantum filii in Gallia nunquam ad paternam ſucceſſionem admittuntur, niſi ex gratia: imo lege vetitum eſt, baſtardorum

aliquam rationem haberi (de maribus intelligo) & nihili vnquam habiti ſunt, poſtquam Caroli Magni linea defecit, niſi in præſens, cum in viuis eſt baſtardus Aurelianenſis filius Henrici Regis ex fœmina Aurelianenſi, à qua denominatur, ætatis viginti annorum.

Salica lex.

Conſuetudines longo vſu legis habent vigorem: ſed & hæc, & lex etiam Salica omnino fœminas excludit ex regni ſucceſſione: ideo fit: vt Rex Galliæ ſemper Gallus ſit, neque alterius nationis eſſe poſſit; neque enim vnquam ibi accidit, quod ſæpe in regnis aliis, vt ſcilicet Rex creetur, qui ex natione ſit odio habita, atque peregrina, quemadmodum Hiſpaniæ regnum ad Belgas deuenit, Neapolis & Sicilia ad Hiſpanos: ex qua re accidit, vt nullum in toto mundo regnum ſit, in quo multi Principes ius non habeant quod bellis, & ſtudio partium ſuſtentare contendunt: adeo vt regna in ſe ipſis diuiſa ſæpe plurimorum præda fiant. Quæ ſola res effecit, vt in Italiam tot arma, totque morum varietates irrepſerint. Verum Francia ab huiuſmodi calamitate immunis exiſtit, quia, excluſis fœminis, omnia excluduntur iura, quæ ad illud regnum adipiſcendum peregrini poſſunt obtendere.

Hi reſpectus radices ſunt, & fundamentum amoris, atque obedientiæ populorum, quia regio imperio aſſuefacti nullam aliam eu rant formam Reipublicæ: cumque ſe in eiuſmodi fortuna ortos eſſe cognoſcant, vt omnino vni Regi parere debeant, libenter parent ei, qui ad imperandum natus nulla fraude, nullaque vi imperium occupauerit: proinde ſuſpicione aduerſus ſubditos ille nunquam ducitur, ſed eos ad ſui maiorem gloriam conſeruat, atque tuetur.

Rex familiaris cum ſubditis.

Hinc etiam fit, vt Rex Galliæ cum ſuis ſubditis adeo familiaris exiſtat, vt tanquam ſocios eos tractet, neque à ſua præſentia quiſquam repellatur: adeo vt etiam Lachæi, viliſſima gens, in intimum Regis cubiculum penetrare audeat, cunctaque intro ſpicere, & audire. Quod ſi aliquid ardui agendum eſt, inter multitudinem agendum, & ſubmiſſa voce loquendum eſt ne vulgus audiat: hæc autem familiaritas, etſi nationem inſolentem, atque arrogantem efficit, eam tamen fidelem etiam erga ſuum Principem facit, atque obſequentem. Sed quod magis fidem, amoremque populorum conſeruat, eſt vtilitatis ſpes: nam cum ad Regem Galliæ pertineat diſtributio tot graduum, officiorum, magiſtratuum, totque Eccleſiaſticorum bonorum, tot penſionum, tot munerum, tot denique honorum, & commodorum, qui in eo regno propemodum infiniti ſunt, omnia inter Gallos partitur: neque contingit in Gallia, quod in cæteris regnis, præſertim in Neapolitano accidit, vt populi male contenti, & in omnium rerum deſperatione viuant, quoniam munera, & honores, qui diſtribuendi erant inter Regnicolas, omnes in peregrinos homines conferantur. Et quanquam Rex Galliæ aliquem Italum, alteriuſque nationis hominem beneficiis afficit, ii tamen pauci ſunt,

Infelicitas regni Neap.

omniſque

omniſque fauor inde oritur, quod is de Corona benemeritus ſit. Idcireo in Gallia inaudita res eſt, populos ad alium Principem defeciſſe, & rariſſimi fuere tumultus, neque ſcitur alius quam hic poſtremo factus: pauci Galli proſcribuntur: pauci aliis Principibus ſeruiunt: verum omnes regem ſuum amant, & quaſi adorant, omnes rem, vitamque pro ipſo libenter paciſcuntur, omnes ſuas poſtponunt commoditates laboribus, voluptates periculis, quietem moleſtiis, alii vt partibus ſat ſfaciant ſuis, alii vt ſui laudabile præbeant exemplum, alii propter conſequenda præmia. Quocirca quemadmodum rex ab omnibus diligitur, coliturque, ita ſupremam & abſolutam in regno ſuo obtinet auctoritatem: Etenim ab eius arbitrio ſolo omnis & belli & pacis deliberatio, omnes grauaminum impoſitiones, ac tributa, beneficiorum indulta, munerum, magiſtratuum, gubernationum diſtributiones toto regno dependent, vtq; ſermonem meum in compendium redigam rex cognoſcitur tanquam verus Monarcha, ſoluſque omnium dominus, nulluſque eſt tantæ auctoritatis Conſilium, aut magiſtratus, qui eius actionibus modum queat præſcribere, neque in toto regno vllus eſt Princeps aut dominus, qui eiuſdem voluntati audeat obſiſtere: nam omnes conſanguinei regis, aliique proceres, ſi cum rege comparentur, pauperes adeo ſunt, paruæque auctoritatis, vt ſi contra ipſum inſultarent, nullos aſſeclas habituri eſſent: ſunt autem pauperes, qui omnes alicuius momenti ditiones, atque opes variis temporibus ad Coronam deuolutæ ſunt vel ob marium defectum, vt Prouincia, Andegauium, Beri, Alanſon, Pictauienna, Britannia, aliæque ditiones, vel quia ex domus ad regnum euocatæ ſunt, vt domus Aurelianenſis, Angolenſis, & ante has Valeſia, vel iure fiſci, vt d tio Borbonii tempore Ludouici Vndecimi, & Regis Franciſci primi. Habent autem parum auctoritatis, quia nemo Principum in regno iuriſdictionem habet in populos, excepto uno rege & quamquam audimus nomina Ducis Aurelianenſis, vel Ducis Andegauenſis: nihilominus titulo tantum, & reditibus fruuntur: cæterum ſolus rex imperat. Quod pertinet ad arcanum Conſilium, ad id pauci admittuntur, iique ex charioribus, magiſque intimis: aliquando etiam vnus tantum præficitur, vt tempore Regis Henrici Comes ſtabuli, & tempore Franciſci Primi Cardinalis Lotharingius. Hoc Conſilium à Rege Franciſco Primo inceptum eſt, quod is à pluribus Conſiliariis abhorreret, primuſque fuit Regum Galliæ, qui ex ſua ſententia Rempublicam adminiſtraret: hoc autem Conſilium tunc ab eo conuocabatur, cum aut mane ſurgeret, aliaue ad corpus facientia curaret, ſiquidem interim eum iis per otiosas illas horas de negotiis arduis deliberabat: quod Conſilium continuauere ſucceſſores, quamquam mutato ſtylo, & ordinarium Conſilium factum eſt, in quod præcipui tantum viri admittuntur: Ad primum autem Conſilium, in quo ardua tantū agitabantur, ea tantum

In Gallia vnicus hactenus tumultus.

Regis potentia.

Principes conſanguinei Regis.

Conſilia duo: & qua.

reiieiun-

reiiciuntur, quæ iuxta regni conſtitutiones modificanda ſunt, vel ea, quibus Rex vitandi tædii cauſa ſeſe exonerat. Illud igitur Conſilium (degli Affari dictum) auctoritatis eſt abſolutæ, hoc autem priuatum Conſilium ordinariæ: Idcirco accidit interdum, vt Parlamenta, quæ in rebus iuſtitiæ, atque legum ſupremam habent auctoritatem præſertim Pariſienſe, Conſilii priuati decreta moderentur, interpretentur, & nonnunquam penitus reprobent: at in altero arcaniore Conſilio nemo audet quidquam innouare.

Aſſemblea quid.

Quod ſi vlla in Gallia auctoritas poteſtati regiæ modum poteſt imponere, ea quidem eſt omnium trium ſtatuum Aſſemblea, quæ totum regni corpus repræſentat, vt eſt in Anglia, & in Scotia Generale Parlamentum, & in Germania Dieta: Solebat autem quotannis congregari, cum aliquid arduum tractandum foret, & hoc modo congregabatur.

Quælibet Prouincia atq; ciuitas certos deputabat homines, qui tres Regni ordines referrent, alii Clerum, alii Nobilitatem, alii Populum: Hi omnes coram Rege conueniebant, vbi tanquam in publico, ac libero auditorio, & in ſupremo quodam Conſilio populorum grauamina audiebantur, principum controuerſiæ, regni neceſſitates, & pro rerum occaſionibus decernebatur de pecunia paranda, de militibus conſcribendis, de augendis ſiue minuendis oneribus, ac grauaminibus, de militum abuſibus corrigendis, de iuſtitiæ & morum reformatione, fratribus ac filiis regis parte aſſignanda, defectibus Reipublicæ emendandis, de nouo rege deſignando, quando Rex eſt minor, demum de omnibus rebus neceſſariis ad regni conſeruationem, atque tranquillitatem: Et quidquid in eo Conuentu decernebatur, legis habebat vigorem, neque modo populos obligabat, ſed ipſum regem: hoc autem Conſilium (il fare de gli Stati) vocabatur. Quæ res ab antiquis Regibus facile tolerabatur, quo tempore nondum mundus in ambitione atque ſuperbia immerſus erat, æſtimabaturque rege dignius, artibus modeſtiæ, & æquitatis populos regere, quam vi, vt nunc, regnum amplificare. Verum vbi rara illa Regum virtus defecit, & cuique ſua libido imperauit, hæc conſuetudo congregandorum ſtatuum abolita eſt, vt paulatim hoc iugum ſemoueretur, & regnante Ludouico Vndecimo perduelliones reus habebatur, quiſquis de eo Conſilio reſtituendo verbum feciſſet: ſolebatque Rex ille vſurpare, ſe ex ephebis iam exceſſiſſe, neque tutoris egere: & ab eo tempore nunquam ſtatus congregati fuere ſecundum veterem modum, niſi bis: primo, cum anno milleſimo quadringenteſimo octuageſimo tertio Carolus Octauus in Coronam ſucceſſit, nam cum minor eſſet, regni gubernatio ordinanda erat: iterum quoque anno præterito milleſimo quingenteſimo ſexageſimo primo conuocati fuere ſtatus viuente Rege Franciſco Secundo ex Conſilio Cardinalis Lotharingii ob eas cauſas, quas deinde narrabo: mortuo

Aſſemblea deſuetudo.

Nota ſcriptura huius tempora.

autem

autem eo Rege, ſucceſſit hic, quẽ habemus, tenera ætate, & eiuſmodi Aſſemblea repetita eſt: Ex qua re, quoniam tanta confuſio emanauit, quantus olim ſolebat ordo, & commodum publicum induci, ideo credendum eſt, fore, vt omnino hic mos obſoleſcat, & Regis auctoritas quotidie adaugeatur.

Hæc ſunt fundamenta, & columnæ, quibus hactenus machina regni Franciæ incuouit, atque innixa eſt: nam imperii latitudo, vrbium frequentia, prouinciarum numerus, ſitus natura munitus, limitum ſecuritas, populorum, ac militum multitudo, ſuprema regum auctoritas, præcipuæ cauſæ ſunt, cur Regnum illud tamdiu perſtiterit, tot bella tanta ſua gloria perfecerit, tantam nominis exiſtimationem & imperiũ parauerit, amicos ſeruauerit, hoſtes perterruerit, & per hæc noſtra tempora habitum fuerit oppreſſorum hominum refugium: poſſet autẽ adhuc eiuſmodi res, ac maiora efficere, niſi ea contigiſſent incommoda, de quibus poſtmodum ſermo inſtituetur; quæ quidem incommoda eam virtutem debilitant, in qua omnis gloria, atque amplitudo imperii illius ſita atque ſtabilita erat.

Igitur de defectibus atque turbis Galliæ dicendum mihi eſt, de rebus, inquam, grauiſſimis, momentique maximi: Etenim ſi, quod ratio & experientia oſtendit, verum eſt, omnem mutationem in regnis atq; imperiis ſemper eſſe periculoſam, certe imperium illud nunquam in maiore verſatum eſt periculo, quam modo verſatur, cum eodem pene temporis momento mutatio conſpecta fuerit magna, non ſolum in capite, ſed etiam in membris præcipuis, inque toto corpore. In capite, quia Rex obiit, qui regiam obtinebat auctoritatem, cui ſucceſſit hic, qui nomine, ac titulotenus rex eſt: in membris autem, quia ad fœminas tãti regni gubernatio redacta eſt, & ad homines rerum parum peritos, atq; inter ſe minimum concordes: in toto deinde corpore, quia nouarum ſectarum peſtis inuaſit, quæ vndequaque religionem corrupit: conſtat autem, huius ope ſolius populos in pace, atque erga Principem ſuum bene affectos retineri. *Mutatio regnis periculoſa.*

Ne vero in hoc tractatu de religione relatio mea diutius deſideretur, de hac nonnihil dicendum erit, neque tamen de opinionibus atque dogmatibus diſputaturus ſum, importuna enim res eſſet, ſed mali originem, eiuſdem progreſſus, effectusque, quos peperit, peſſimos recitabo.

Omne mali publici principium debile eſt, obtegiturque ſpecie boni alicuius, quæ homines decipit, perinde vt veneno in delicatis cibis guſtus decipitur. Idcirco veriſſimum illud eſt, Principes vel maxime cuſtodiendos, & vigilanter obſeruandos eſſe; nã, cum malum ob ſuam imbecillitatem non attenditur, ſuperuenit periculum; quod cum creuit, nullus eſt remedio locus.

Quantum autem foret initio ſuo malum hoc imbecillum, minimo labore oſtendere queo: nemo ſiquidem ignorat, primum hæreſium ſuſcitatorem, & calamitatum noſtri temporis auctorē fuiſſe vnum hominem priuatiſſimæ fortunæ, qui nihilominus non ſolum in Germania, vt religio mutaretur, cauſam dedit, ſed etiam in Dania, in Suecia, in Pruſſia, in Polonia, deniq; in omnibus ad Septentriones poſitis regionibus: hic idem Scotiam, & Angliam corrupit. Franciam & Flandriam infecit, turbauit Italiam atque Hiſpaniam, & vſque in Indias penetrauit: adeo vt nulla Chriſtianorum pars ſit ab hac peſte immunis; & quamquā tres tantum videntur eſſe rami ab hac mala radice producti, alter Lutheranorum, alter Sacramentariorum, tertius Anabaptiſtarum; tamen triginta & plures numerantur ſectæ, quæ ab eadem origine manauerunt.

Duo prætextus hæreſium. Quod autem ſpectat ad cauſas huiuſmodi turbarum, quę quaſi laruæ ſunt, antiquam veritatem obſcurantes, omnes ad duo capita rediguntur, ad quæ nouatorum doctrina redigi poteſt: alterum eſt Euangelii puritatem docere, alterum Chriſtianam libertatem prædicare. Puritatis Euangelicæ prætextus in cauſa eſt, vt, cum vnuſquiſque ſuo modo illud interpretetur, ſcripturę germana intelligentia corrumpatur, ſanctorum Patrum doctrinæ auctoritas explodatur, decreta Pontificum, atque Conciliorum tollantur, quæ, vt illi aiunt, in ſcripturis nullam expreſſe obtinent auctoritatem. Libertatis autem nomine, quod popularibus auribus pergratum exiſtit, appetitus, ac ſenſus inualeſcit, licentia vitæ facile inducitur, vnde antiqui ciuitatum atque prouinciarum mores, & inſtituta corrumpuntur, legum auctoritas, & erga magiſtratus reuerentia debilitatur, primo quidem Eccleſiaſticorum, ſed conſequenter etiam ciuilium; & per hanc opinionis de rebus ſacris variandæ licentiam vnuſquiſque pro captu ſuo conſtruit, deſtruitque, itaque in mentibus hominum quædam rerum ambiguitas, atque miſeranda gignitur perplexitas. Dumq; fluctuantes ambigunt, quænam vera ſit religio, & nullam penitus probant, ſequitur, vt nulli credant; & hæc eſt ipſorum nouatorum puritas, hæc libertas Chriſtiana, quam ſe mundo prædicare iactitant. *Origo hæreſis.* In Galliam peſtis hæc inuaſit triginta ab hinc annis, quaſi per iocum quendam, nam per angulos platearum affixæ fuere ſchedulæ, ſiue monitoria potius cum excommunicatione Miſſæ: quæ res ita ioculariter acta, per totum regnum diſperſa eſt, cumque ob nouitatem placeret, diuerſis occaſionem libros ſcribendi præſtitit, quos clam legendos amicis mittitabant, donec paulatim totum iis regnum repletum fuit. *Bellum nutrix hæreſum.* Verum quod in hac re magis ac magis nocuit, fuit conuerſatio cum peregrinis nationibus, quas Franciſcus Primus conduxerat ad regnum de-

fendendum aduerſus Imperatorem Carolum V. à quo impetebatur. Hæ ſiquidem nationes ob libertatem, quam & in viuendo, & in loquendo vſurpant, totam fere prouinciam & vicinas regiones colloquiorum perſuaſione, vitæque exemplo contaminauerunt, neque modo militares homines, ſed etiam populos, integraſque ciuitates infecere: adeo vt Rex ille cum cerneret populorum ſuorum peruerſionem, coactus fuerit ſeueriſſimis edictis atque ſuppliciis eos reprimere, multiſque pœnam mortis indixit, alios, qui effugerant, patrimonio multauit, & quædam oppida funditus euertit, incolaſq; ad nouas ſedes quærendas abegit.

Hoc timore tranquillitas regno reſtituta videbatur vſque ad Henricum Regem, qui, cum bello quodã diſtringeretur, & præterea obtuſioris eſſet ingenii, & pluſquam tantum regem deceret, voluptatem ſequeretur, rem neglexit, neque eam, quam pater adhibuerat, diligẽtiam adhibuit, vt hoc morbo regnũm purgaretur: proinde factum eſt, vt ſerpente clam veneno, in aulam pariter graſſatum fuerit, multoſq; ex proceribus infecerit: adeo vt, cum deprehenſum fuit, iam altas egerit radices, ipſaſq; extirpare, opus arduum fuerit. *Quo pacto inualuerit hæreſes.*

Quamobrem Rex ille ſuum periculum, etſi tarde, tandem intelligens, eumque populus ille, qui olim obſequentiſſimus erat, ad eiuſmodi inſolentiam deueniſſet, vt non modo non obſeruaret decreta regia, neque minas extimeſceret, ſed vel inuito rege vndequaque nouatores populum docerent, & fierent Aſſembleæ & conuenticula, magno omnis fortunæ, ætatis & ſexus hominũ concurſu: coactus fuit rex, ne auctoritatem ſuam & populorum obedientiam penitus amitteret, cum rege Catholico pacem inire, etſi grauibus ab eo acceptis cõditionibus, vt omnes animi ſui cogitationes ad hunc cuncta deuoraturum, ignem extinguendum conuerteret. Verum hic Rex in ipſius executionis principio vitam cum morte commutauit. Succeſſit in regnum Franciſcus, qui ob puerilem ætatem, ingeniique imbecillitatem cum primo contemneretur, deinde odio haberetur, propterea quod ſui ipſius totiuſque regni gubernacula commiſiſſet familiæ Guiſiæ, excluſis magnatibus omnibus, cauſam dedit, vnde hic morbus pernicioſior fieret, quia præcipui proceres huic parti fauebant, alii ira, alii leuitate, plerique præmiorum ſpe adducti, demum omnes rerum nouarum cupidi illuc tendebant, credentes, hoc religionis prætextu, ſe validiores futuros, & in regno adminiſtrando partem aliquam habituros. Hinc ortum habuit coniuratio Amboſiana, hinc turbæ Aurelianẽſes, Lugduni, & Prouinciæ, Normandiæ, Guiennæ, Pictauiæ, aliarumq; regni partium: & qui nouas res concitauerant, inſolentes adeo euaſerant ob fauo- *Hugonottorum inſolentia.*

 rem,

rem,quem nacti erant,vt libere templa peterent, & loca publica, vbi ſuas Aſſembleas congregarent, & ſe vi ea occupaturos, minabantur,niſi ſponte concederentur: illudque addere non verebantur,regem minime impedire poſſe,quin vnuſquiſque eam fidem ac religionem, quam malit, ſequeretur, neq; ipſum ſuarum conſcientiarum dominum eſſe, quaſi rex ex cuiuslibet hominis appetitu regni iura atq; inſtituta mutare teneatur.

Ex his tot,ac tam inſolentibus turbis commotus rex, qui iracundus & natura ſeuerus erat,coactus fuit de vindicta cogitare, adhibitoq; intimorum conſilio rem decreuit, quam ſi effeciſſet, regnum ſuum talem in modum purgaſſet, vt orbi terrarum memorabile ſui exemplum fuiſſet in perpetuum relicturus. Nam decreuerat præcipuos tumultuum auctores aggredi, & abſque vllo reſpectu caſtigare: quæ ſola res præſentaneum eſt remedium ad totum incendium vno momento reſtinguendum.

Verumtamẽ duæ oriebantur difficultates;altera,quod auctores illi viri erant maximæ exiſtimationis, cum quia in regno plurimum poterant, & conſanguinitate regem attingebant, tum quia pleriſque in partibus non aderat neceſſaria militum copia: altera difficultas erat,quod eius Maieſtati vires deerant ad oppugnandum,nec pecunia ſuppetebat, neque conſtabat, cui ſibi fidendum eſſet,nempe aliquos ex ſuis magis intimis ſuſpectos habebat, quorum plerique Conſiliarii erant, veluti Ammiralius, Cardinalis de Sciatilione, Archiepiſcopus Viennenſis, Epiſcopus Valentiæ, & dominus Motiera pater Oratoris, qui Romæ reſidebat,aliique:ideo cogitauit,neceſſe eſſe, vt illa deliberatio ſilentio inuolueretur,donec milites conſcriberet,modumq; ac rationem inueniret, qua aduerſariorum vires diminuerentur, vt facilius profligari poſſent.

Conſilium regium ad diſperdendos rebelles.

Quoniam vero iſti,qui coniurauerant,duplici fine potiſſimũ ducebantur: altero mutandæ religionis, qui communior erat, magiſque vniuerſalis:alio Guiſiæ familiæ expellendæ, qui arcaniſſimus erat: idcirco ad vtrumque habito reſpectu,duo decreta fuere,fortaſſe non vt executioni demandarentur; ſed vt tumultuantes ſedarentur, & tota res differretur in longum: primum fuit,vt Aſſemblea trium Regni ſtatuum poſt vnum menſem fieret:alterum,vt poſt alium menſem Cõcilium nationale in regno celebraretur; & Concilii decretum factum fuit inconſulto, & inuito Pontifice. Quoniam vtriuſque rei arcanum latebat,ii,qui Fidei mutationem quærebãt,lactabantur: nam per Aſſembleam iniecta fuit ſpes mutandæ, atque emendandæ gubernationis publicæ, nam in huiuſmodi locis, vt dixi, vnuſquiſque ſua poteſt grauamina proponere,& remedia ſibi procurare, quæ vniuerſali conſenſu & maioris partis ſuffragiis deliberantur: Igitur ſpes

trium ſtatuum, & Concilii plurimum valuit, quia momento omnia pacata reddita fuere, & arma ab iis omnibus depoſita, qui tum ultuabantur, non modo religionis, quam Reipub. cauſa, & mirum in modum Regis conſilium ſolidatum eſt, eoque magis, quia, vt rei ſpecioſus color adderetur, rogatus fuit Comes ſtabuli (qui fons totius turbæ videbatur) vt in Aula remaneret, & in Conſilia ingrederetur, quaſi ad priſtinam magnitudinem reſtituendus eſſet: hæc autem omnia à Lotharingio Cardinali dirigebantur, quem in diſſimulando nemo facile adæquaueri∴.

Verum totus hic Comitis ſtabuli furor non diu durauit: etenim dum hęc tractarentur, Rex equites regni congregauit, quatuor mille Lanzichinech, & totidem Heluetios conſcripſit, vrbi Pariſienſi quinquaginta millia ſi anchorum commodato imperauit, ſuppetias promiſerant Hiſpania, Francia, Lotharingia, etſi iis non eſt vſus; cumq; armis, cæteriſq; rebus ſe inſtructum ſatis animaduertiſſet, ſuoſq; aduerſarios diuiſos, & inermes adeo, vt nihil ſibi timendum eſſet, latere amplius noluit, & vno cōrextu contra rebelles bellum publicauit, plurimorum nominibus tacitis, Dominum de Thermes Guiennam verſus cum validis copiis miſit, quod ab illa parte motum ſuſpicaretur, iuſſit retineri Vidamium de Chiartres, virum & ſanguine & autoritate inſignem, & Bailum Aurelıæ, virum in regno potentem, & in ea ciuitate nouarum rerum autorem. Malines capite plexit, qui autor fuerat Amboſianæ coniurationis, & Membrunium Prouinciæ primatem: citauit Nauarriæ Regem, & Principem Condenſem eius fratrem, primos ſuos conſanguineos, vt ſe coram purgarent ab iis criminibus, quæ illis obiiciebantur, & ſtatim atque comparuere, Princeps captus fuit, Rexque iuſſus, ne illinc diſcederet.

Hæc animoſa deliberatio omnes adeo perterruit, vt paucos illos dies, quibus poſthac vixit Rex, ſumma in regno, quod antea conquaſſatum erat, extiterit tranquillitas, neque amplius tumultus, & defectiones, non amplius Vgonotti audiebantur (hoc enim nomine appellantur hæretici, ſanctiſſimum Sacramentum negantes) non amplius concionatores, & innumeri miniſtri viſebantur, qui paulo ante in Franciam aduenerant ex Geneuenſi ciuitate, quæ minera eſt huiuſcemodi metalli, & nemo adeo ſecurus animis extitit, qui intra fines regni auderet ſeſe cōtinere. Rex autem Nauarriæ, qui ſimul cum Principe fratre, ſectæ illius fautor putabatur. Miſſam frequentabat, atque ſe vere Catholicum eſſe profiteretur, miſit legatum Romam ad obedientiam Pontifici præſtandam, & ad hunc finem pleraque exſecutus eſt, denique omnes mares, omnes fœminæ, omnes po- *Regis autoritas.*

puli, ac potiſſimum ij, qui ſuſpecti habebantur, omnia oſtentabant, vt ſe ab hiſce nouis opinionibus alienos teſtarentur: adeo permagni intereſt apud illos populos Regis reſpectus: qui profecto ſi paullo diutius vixiſſet, non ſolum minuiſſet, ſed penitus extinxiſſet totum illud incendium, quo Regnum in præſens conſumitur: eius enim eſſe naturæ incendium illud conſpicitur, vt maius, minuſve fiat, prout intenditur, aut remittitur fauor Principum, atque magnatum: ac proinde niti aliis argumentis nobis conſtaret, hanc doctrinam mendaciis inniti, neque à Deo eſſe, ex hoc vno deprehendi poteſt eius vanitas, quod hominum fauore creſcit, & ſine illo deficit. Hæc ſunt, quæ de huius morbi origine explicanda habui.

Gallia recidit in morbum deteriorem.

Verum maximos poſt mortem Franciſci Regis hæc ſecta progreſſus fecit: quia quæ remedia ipſe morte præuentus abſoluere nequiuit, Carolus Rex tentare non potuit, cum ob imbecillam ætatem alieno nutu regeretur; quamobrem maiores prioribus turbæ exortæ ſunt: Etenim dum diſputabatur, quis regno gubernando præficiendus eſſet, iam commotus rumor inualuit, quia nemo ipſum reprimebat: cum vero primus inter regios tutores, regnique gubernatores declaratus fuiſſet Rex Nauarriæ, adeo morbus creuit, vt nihil deterius: quandoquidem Rex ille propter arcana quædam ſua conſilia res nouas foret, & Regina mater Regis ſibi timens non audet obſiſtere; & Cancellarius, qui Reginæ Catholicæ aperte aduerſatur, ea media cuncta ingenio ſuo ſuppeditat, quæ ipſam perdere valent, aliique proceres, ſimul iuncti omnes, Nauarriæ Regis autoritati non æquiparantur. Hinc diuerſi manarunt errores, per quos quaſi gradatim Regnum ad haſce miſerias declinauit. Primus error fuit edictum quoddam, quo generaliter parcebatur omnibus, quicunque cauſa religionis imputabantur: quod quidem nunquam promulgandum fuerat, cum quia ad laicos id non pertinebat, quibus ſuper huiuſmodi rebus decernere non licet, tum etiam quia non conducebat Reipublicæ, vt quæ Reges præteriti ſanxerant, momento reuocarentur, eoque impunitatis argumento licentiam augere, anſamque præbere cunctis, vt pro libitu ſuo Regnum euertant, quemadmodum factum eſt: Nam hoc edictum publicatum fuerat, vt quicunque peregrini hac de cauſa profugerant, reuerterentur. Itaque vice vnius decem redierant, & quaſi indigenæ aut vicini non ſatis eſſent ad regnum corrumpendum, plerique huc aduenere ex Anglia, ex Flandria, ex Heluetiis, etiam ex Italia Lucenſes, & Florentini, & nonnemo ex ſubditis Serenitatis Veſtræ: & cuncti per diuerſas regni partes concionabantur. Quamquam autem literarum ignari erant, & per vicos & plateas prædicabant, tamen

Errores, unde regnũ iterum ægrotauit.

ſin-

ſinguli ſuos habebant aſſeclas. Alter fuit error, quia tolerabatur, vt contra Catholicam Religionem loqui vnicuique liceret, non ſolum in Aſſemblæis, & conuentibus publicis, ſed etiam coram Rege, & Conſiliariis. Equidem deterrimum fuit, autoritatem Eccleſiæ diminuere, ſed vt ea abuſum admiſerit, id vero longe deterius putandum eſt. Antea latebant, ſed poſtquam coram Rege & in aula quæcunque effutire licuit, in exteris locis maiori licentia diſſeminabantur: quare in ciuitate qualibet, in villis, in omni Regni parte ſacræ Domini noſtri Ieſu Chriſti & Sanctorum imagines dirui, Eccleſiæ ſpoliari, Sacerdotes, ac Prælati violari, publici carceres aperiri, & Regiis miniſtris, ac Locumtenentibus, demum Reginæ iniuriæ fieri cepere. Ex multis autem vnam referam inſolentiam, quæ ad D. Germanum coram multitudine nonnullis ab hinc menſibus patrata eſt. Cum Rothomagum mittendum fuiſſet edictum, quod ad Religionem pertinebat, vt publicaretur, quidam ex ſectariis præcipuus Reginam adiuit, ſuadens, ne edictum mitteret; & quia eius Maieſtas iſtius ſuaſionibus nihil mouebatur, in tantam conſcendit ille arrogantiam, vt enſem manu caperet, diceretque, Regina, ſi edictum publicandum fuerit, hic enſis publicationem impediet, addiditque plura: & nihilominus neminem latet, qui coram Principibus enſi manum admouerit, extēplo eum morte afficiendum eſſe: at ille non modo impune abiuit, ſed edictum minime publicatum fuit, & Regina illam deuorare iniuriam neceſſe duxit.

Hiſce erroribus addendum eſt, quod cum in Regno iam manifeſta diuiſio conſpiciatur, cumque publicis incommodis, quę quotidie multiplicabantur, aliquod remedium eſſet afferendū, diuerſa promulgata ſunt edicta, quæ tamen vtplurimum vel ob imprudentiam, vel ob malignitatem, ambiguis, ac perplexis verbis concepta, imo ſibi inuicem contraria fuerant. Quæ res ſeditioſis hominibus animos addidit, & ad eos puniendos magiſtratus redditi fuere negligentiores, cumque quotidie multiplicarentur edicta, neq; vllum executioni demandaretur, obedientia amittebatur, & regni augebatur confuſio: neq; ad vltimum exterminium requirebatur aliud, quā vt intra ipſas ciuitates conciones haberentur, quēadmodum paſſim petitio fiebat, quæ ſane obtēta fuiſſet, niſi reſpectus impediuiſſet Regis Catholici, & Reip. Venetæ, & fortaſſe magis huius, quā illius reſpectu, quia diuerſimode agebamus: nam Catholici officia ſimul cum minis erant, atque terriculamentis: ſed Veneta monita erant perſuaſionib. ac precibus mixta, & quo modus ille inuiſior fuerat, eo fuit hic acceptior. Id quoque compertum eſt, Reginam matrem ęgerrime tuliſſe aſperos ac ſiniſtros agendi modos, qui-

bus vtebatur Epiſcopus Viterbi Pontificis Nuntius, ſed contra laudabat vehementer officia Oratoris Veneti, eaq; multifaciebat, firmamq; animi ſententiam præ ſe ferebat, nolle, vt intra oppida publice prædicaretur. Illud autem Regnum Reip. Venetę id ſaltem beneficium acceptum referre debebit, quod eius autoritate præcipitium, quo penitus corruebat, amotum ſit. Verum etſi hoc ſucceſſu videtur Deus laborantibus rebus aliquatenus ſubuenire, tamen adhuc res male ſe habent, quia morbus hic multa habet alimenta, multaſq; difficultates, ac repugnantias: quas qui poteſt reprimere, ille non vult: qui vero libenter vellet, is poteſtate deſtituitur: hæcque ratio eſt, cur tam paruo tempore multos fecerit progreſſus, illoſq; pepērit effectus, quales peiores nuſquam alias in cęteris regnis vnquam produxit. De quibus effectibus, non tamen omnibus, vt tædium fugiatur, diſſeram, treſque præcipuos, magiſque exitioſos recenſebo.

Effectus peruerſæ religionis.

Primus malus effectus eſt, quia tollit timorem Dei, cuius reſpectus cunctis aliis præponendus eſſet: nam in eo conſiſtit regula vitæ, concordia hominum, conſeruatio Statuum, ac dominationum. Quomodo autem Dei timor adeſſe poterit, vbi non adeſt legum diuinarum & humanarum obſeruantia, vbi deſideratur obedientia erga magiſtratus & ciuiles, & eccleſiaſticos, vbi quilibet ſibi Deum ex capite ſuo fingere audet, nempe ſacram Scripturam interpretando non ſecundum antiquam Eccleſiæ, ſanctorumq; Patrum doctrinam, ſed ſecundum propriū vniuſcuiuſq; ſenſum, perinde, vt ſi qui vnam ſpitamam neq; amplius procul cernit, vellet ea metiri, quæ mille milliaribus abſunt.

Alter malus effectus, quem religionis hæc mutatio gignit, ille eſt, q̄ Politiam, & gubernationis ordinem deſtruit, vnde oritur morum, optimatumq; viuendi conſuetudinum variatio, hinc etiam legum & magiſtratuum autoritatis, denique Principis contemptus proficiſcitur. Iamq; in quibuſdam Franciæ partibus expulſi ſunt ex oppidis, qui iura nomine regio dicebant, inque eorum vicem ſuffecti alii ſeditioſorum arbitrio: alibi, edicta regia ne publicarentur, vetitum eſt. Præterea apud vulgus diſſeminatum eſt, Regem non poſſe grauamina imponere, aut tributa imperare abſque populorum conſenſu, neque teneri ſubditū obedire Principi, quoties rem iubet, quæ in Euangelio non exprimitur. Itaque paulatim ea prouincia ad ſtatum popularem, vt Heluetii, & ad nobilitatem, totumque regnum euertendum inclinare videtur.

Duobus hiſce incommodis tertium additur, quod eſt populorū diuiſio, ſeditiones, inteſtina bella, quæ ſemper ex fidei confuſione proficiſci ſolita ſunt: & poſſunt pleriq; adhuc meminiſſe illius temporis, quo in Germania ruſtici & plebeii aduerſus

Nobi-

Digitized by Google

Nobiles inſurrexere, quo tumultu pluſquam quinquaginta hominum millia trucidata fuere: non neſcitur etiam Anabaptiſtarum tumultus,& bellum Proteſtantium tot aliis adiunctum calamitatibus, quarum in ea prouincia recens eſt memoria. Non ignoramus, quomodo ſe habeat Anglia,& quantum in eo regno ſanguinis religionis cauſa effuſus fuerit: & in Scotia poſtremis temporibus Regina magnam paſſa eſt difficultatem in obtinendo à ſuis ſubditis, vt liceret ſibi Catholice viuere:tantum creuit ſeditioſorum inſolentia, vt naturæ ordinem inuertat, vt ſcilicet vbi caput membra regere conſueuit,ibi membra imperent capiti

Sed huiuſce rei effectus terribiles in Francia conſpecti fuere: nam quotidie audimus plerique vulneribus affecti,plurimi occiſi, aliæque eiuſcemodi violentiæ:in qualibet regni parte hæc ſecta conſpirat,& fœderatos habet plurimos in Belgio, in Anglia,in Scotia,apud Heluetios,& aliis in locis.

Scitur quoque,eandem ſectam multos ſumptus facere, neq; modo miniſtros,& concionatores ſuos ſalariis detinere, ſed etiam Principes,alioſque Proceres ſibi fauentes colere: Itaque in iis hominibus quotidie magis ac magis creſcit inſolentia.

Quoniam vero omnis commotio à plebe ſuſcitata eſt; quæ propterea quod inuidiæ ſubiacet,& inops eſt, ad opes atque delicias diuitum adſpirat, omnes viuunt in ſuſpicione, mercatura intermittitur,contractuum fides perit,& nemo eſt mercatorum aut Pariſiis,aut Lugduni, aliiſve regni partibus, qui domi ſuæ tutum ſe arbitretur. Quod ſi hactenus ex iis, quæ vidimus, decima regni pars corrupta non eſt, omnia certe adeo quaſſata ſunt, vt quod reliquum eſt, ex hoc incommodo à debiliſſimis principiis orto, & propter incuriam, & imbecillitatem gubernatorum aucto,ſimul periturum eſſe videatur,conſpirantibus tot malis affectibus,quos diximus, hoc eſt, læſa Diuina Maieſtate, detrimento autoritatis regiæ, diuiſione populorum,& communis tranquillitatis iactura.

Hactenus egi de religionis turbis,quæ totum regnum euerterunt, Loquar modo de diuerſis quibuſdam effectibus, qui non minoris ſunt momenti, eodemque tempore contigerunt: alter eſt in capite, quod Rex eſt,alter in membris præcipuis,cuiuſmodi ſunt ii, qui in regni adminiſtratione potiores habentur, perinde ac ſi ad deſtruendum Franciæ regnum omnia mala ſimul coniurauiſſent.

Quoad primum,omnes ſciunt,Regum mutationes in regnis plurimarum rerum viciſſitudines gignere ſolere: raro enim accidit, vt nouus Rex eaſdem habeat cogitationes, quas prior habebat, & in Francia compertum eſt, filium paternos mores ſecutum non eſſe, vnde publice fit confuſio,priuatim vero prauæ ſubditorum voluntates. Quoad publicum,nocet mutatio,quia facta fiunt infecta, incepta non abſoluuntur,& quæ vno momento decernuntur, anno per-

thor: & quoniam Regina conſentire noluit, ea de re nihil effectum eſt. At ſi aliquando ſimile quid eueniret, ſummum immineret periculum, ne Regia Maieſtas nouis inſtructa documentis, paucis diebus voluntatem immutaret. Hæc Regis acerbitas atque imperfectio, etſi regno plurimum nocet tamen excuſationem meretur, quoniam id culpæ ſuæ adſcribendum non eſt; verum non ea excuſatio tutoribus debetur, quia crimina ipſorum voluntaria ſunt, propriæque vtilitatis ergo patrantur. Veruntamen antequam eorum crimina atque defectus enarrem, neceſſe eſt, vt de more Gallorum ad hanc rem ediſſeram, expliceмque, ad quam vſque ætatem Rex in minori conſtitutus ætate intelligatur, & quo pacto regnum per id tempus gubernetur. Quo ad primum; legibus determinatum eſt, vt ſub octo virorum tutela viuat, donec ad decimumquintum annum peruenerit. Quo ad alterum: regnum ter ſolummodo legitur ſub minoribus Regibus fuiſſe, ex quo tempore Hugonis Capetæ poſteritas regnat: & hic Rex Quartus minor habetur. Primus minoris ætatis Rex Ludouicus fuit, cognomine Sanctus, qui propterea, quod conſanguineis in Francia carebat, vel quod à rege parente ſuo ita iuſſum fuerat, ſub Reginæ matris ſuæ tutela ad legitimam vſque ætatem permanſit. Alter fuit Carolus V I. qui ſub tutela patruorum ſuorum vixit, & quia tres erant, Regentis titulus Duci Andegauenſium tributus eſt, qui ſenior erat: Gubernatio vero Duci Burgundiæ, qui iunior, delata fuit: tertio, qui fuit Dux Beritum, nulla pars regiminis commiſſa eſt.

Reges minores quot in Gallia.

Tertius minor fuit Carolus Octauus, qui etſi conſanguineos habebat, gubernatio tamen regis ac regni duodecim Principibus commendata eſt, adhibito ſtatuum conſenſu. Et quanquam omnibus hiſce caſibus aliqua ineſt diuerſitas; nihilominus receptior opinio, quæ diſputationibus hominum ſapientiſſimorum fundatur, eſt, vt regni gubernatio ad conſanguineos Principes, & Coronæ proximiores pertineat, regis vero tutela ad matrem ſpectet. Quod vero in caſu Ludouici Sancti & Caroli Sexti factum eſt, id ex paterno teſtamento eueniſſe aiunt. Verum Nauarriæ Rex, qui tanquam primus conſanguineus ægro animo hac auctoritate carebat, hunc morem atque ordinem interrumpendum curauit, vtque procerum fauorem acquireret, omnes regni Principes, excepto Principe Condenſi, ad regimen admiſit, amicum ſe Comeſtabilis profeſſus eſt, neque minus Principum quam familiæ Guiſiorum: & quanquam ſibi primum locum reſeruauerat, id tamen vnanimi omnium conſenſu effecerat, ac proinde omnia tranquillè tranſigi poterant, ſi omnes ſua parte contenti aliena occupare noluiſſent. Verum quia humana ambitio nullis terminis circumſcribitur, & qui familiæ Guiſiæ auctoritatem ſuſtulerat, haud ſatis contentus erat, niſi eam penitus priuaret, neque priuare poterat, niſi Reginæ potentia deprimeretur,

Digitized by Google

tetur, in ſtatibus determinatum fuit, regni gubernationem, quæ ad primum conſanguineum regis Principem pertinebat, in manu fœminarum minus recte haberi: magnæque ſuper hac re turbationes factæ fuere, quibus territa Regina perſuaſa fuit, vt ſe totam Regi Nauarriæ committeret, præbuitque aſſenſum, vt Generalis Locumtenens crearetur, obligauitque ſeſe nihil tractaturam, aut geſturam illo inſcio, atque inuito. Et quamuis ab initio videretur admiſſus tantum in partem auctoritatis, tamen quotidie magis animaduertit, ſe omnia ceſſiſſe, & ab illo cuncta pendere: hæc autem in illo Rege tanta auctoritas paulatim omnes alios excluſit, iamque Dux Guiſius ſimul cum fratribus domum ſuam deceſſit, non quia in aula verſari non poſſet, in qua illius multa ratio habetur cum ob auctoritatem, tum ob virtutem, opeſque ſuas; ſed quod animaduerteret, ſalua dignitate, ibi ſe diutius eſſe non poſſe, & dixit quibuſdam, qui id poſtea renunciauere. Multa quæ in Conſilio decernebantur vno modo, contrario ſæpe publicata fuiſſe ex auctoritate regis Nauarriæ: ideo ſe maluiſſe abſentem eſſe, ne huiuſmodi erroribus adſtipulari videretur.

Duo Marſchalli Briſſach, & S. Andreæ idem effecerunt, ille quia ægrotabat, hic quia Regi Nauarriæ inuiſus: Cardinalis Turnonius aulam ſequitur, ſolus tamen & ſine auctoritate.

Comeſtabilis fortuna abiecta eſt, etſi domus Guiſiorum ei non amplius aduerſatur, videtque ob hanc regis Nauarriæ auctoritatem regnum peſſum ire; ideo ſorte ſua minime contentus, & in rerum omnium deſperatione viuit: ſicque Principum diſcordia ſalutem regni illius ad magnum redegit periculum.

Verum vt ad peculiares mores matris Reginæ, in cuius manu præcipua regis cura eſt, veniam, ſatis eſt dicere, eam fœminam eſſe: ſed huic rei additur, eam peregrinam, adhuc addam, eam Florentinam, & in domo priuata, admodumq; fortunæ regni Galliæ diſpare natam eſſe.

Ideo illam exiſtimationem & auctoritatem non habet, quam forte haberet, ſi aut in regno, aut ex illuſtriori ſanguine orta foret: non ibo inficias, eam maximæ virtutis, magnique ingenii fœminam eſſe, quod ſi Reipublicæ regendæ paulo maiorem haberet experientiam, magnis rebus agendis idoneam fore: at Henrici Regis viri ſui tempore humiliter habita eſt, & quamquam regnante Franciſco Rege videretur ſupremam ſortita auctoritatem, tamen ſuis ea viribus non nitebatur, quia Cardinalis Lotharingius ſolus omnia poterat.

Idcirco illæ Maieſtates Conſiliariis indigent, cumque ob has de religione diſcordias, ac Principum diffidia in ſuſpicionibus perpetuis viuant, vix habent, cui fidem adhibeant.

Cardinalem Turnonium in magna habent exiſtimatione, qui vir

pro-

probitate, rerumque experientia inſignis eſt, cæterum in rebus ad religionem pertinentibus, & ob diſſenſiones Principum, Pontificis partibus eum plus nimio addictum putant.

Plurimum credit Regina Magno Cancellario, qui vir pollet ingenio, & antiquitus ab ea diligitur, & forſan hic ille eſt, qui Reginæ ſuaſit, vt ſe concrederet Regi Nauarriæ, videlicet ſuo ipſius exemplo, qui etſi Domus Guiſiæ familiaris, tamen fortunæ amicus, eam deſeruit, vt Regi adhæreſceret.

Putat Regina, ſe plurimum debere Amiralio, & Cardinali de Sciatilione, quod ii apud Status effeciſſent, vt ea in regimine conſiſteret, neque penitus excluderetur, quamquam pleriqueautumant, diſſenſionum regni ipſos fuiſſe primos concitatores.

Ducis Guiſiæ multam rationem habet, vtque ille fertur dixiſſe, omnia literis ſua manuſcriptis ad illum, quoties abeſt ab aula, ſcribit, eiuſque de omnibus opinionem rimatur, etſi Dux ille hæc atte fieri, ſecum putat ob ſuſpicionem, quæ de ipſo habetur, poſtquam aulam dereliquit.

De animo illius Maieſtatis erga religionem diuerſimode loquuntur. Verſatur in aliquo ſuſpicionis genere apud homines propter magnam, quam penes ipſam habebat gratiam atq; auctoritatem Marſchallus Strozzius, vir, qui nulli ſe Fidei ac religioni addictum eſſe, profitebatur. Scitur etiam, quaſdam mulieres quibuſcum familiarius verſatur ſuſpectas eſſe hæreſis, earumque malam vitam notari: ſcitur præterea Cancellarium, cui plurimum fidit, Pontifici, Romanæque Eccleſiæ hoſtem eſſe: idcirco in fauorem Catholicorum non adeo propenſam ſeſe, quemadmodum oportuiſſet, exhibuit.

Verum tametſi ipſe ignoro, quid illius Maieſtas, quoad religionem, in animo foueat, poſſum pro re compertiſſima tamen aſſerere, hoſce tumultus ægerrimo animo ab ipſa ferri: quod ſi in iis reprimendis feruente non egit, id hac de cauſa factum eſt, ne in viſceribus regni, vi adhibita, bellum excitaretur.

Scio etiam Reginæ chariſſima fuiſſe officia, quæcunque in beneficium religionis fiebant, præſertim ea, quæ Reſpub. Veneta facienda curauit: filios quoque in fide Catholica, & in Chriſtianis moribus educat: qua de re efficacia ſæpe verba loquitur; ideo de ipſa omnia bona ſentienda puto: quod ſi re ipſa non cernuntur, id ex auctoritatis & experientiæ defectu procedere, cenſendum eſt. Et hæc de Regina matre.

Hic eſt igitur præſens Galliæ ſtatus; Rex adoleſcentulus, & abſq; experientia & auctoritate; Conſilium turbatum plenum: ſuprema poteſtas in manu Reginæ, quæ fœmina eſt, & quamquam ſapiens, tamen timida eſt, & perplexa: Rex Nauarriæ nobilis quidem Priceps & gratioſus; ſed parum conſtans, & in Repub gubernanda parum exercitatus: populus manifeſte diuiſus, ſeditionibus agitatus, &

infolens

inſolens religionis prætextu. Tranquillitatem igitur publicam Galli hoc tempore turbauerunt, mores, viuendique conſuetudines ac diſciplinam corruperunt, iuſtitiam oppreſſerunt, magiſtratus violauerunt, denique regis auctoritatem omniumque ſalutem in ambiguo poſuerunt: & quiſquis præſentem regni ſtatum præterito, qui maioribus totius orbis terrarum Regibus & Impp. formidandus erat, comparauerit, nunc ipſum adeo infirmum, ac imbecillum reperiet, vt nullam ſui partem incolumem ſeruet, ac tueatur.

DIVISÆ FRANCIÆ RELATIO, SIVE

DISCVRSVS DECIMVSSEXTVS.

Hac diuiſio fuit anno 1589. cum Henricus V. glorioſiſſimus Rex excluderetur à Regno ab Vnione Catholicorum.

FRANCIAM per hæc tempora in duas diſtractam cernimus factiones. Altera eſt popularium Catholicorum, qui cum aliqua portione nobilium aſſociantur, qui regem recognoſcunt Carolum Cardinalem Borbonium, Ducem vero Humenæ Locumtenentem Generalem Status Regalis, & Coronæ Franciæ, durante detentione, atque incarceratione ipſius Cardinalis. Altera eſt Regaliſtarum, quæ maiori ex parte Nobilibus Catholicis, & Vgonottis conſtat. cuius Dux eſt Henricus Borbonius, Nauarriæ Rex. In has duas factiones tota pene Gallia diuiſa eſt, tam generatim, quam per partes, Prouinciæ ſcilicet, ciuitates, caſtella, pagi, & villæ, totus clerus, tota nobilitas & populus; exceptis nihilominus nonnullis ciuitatibus, quæ neutram ſequentes partem, ſuam ſe conditionem meliorem effecturos putant, inquientes, ſe ei regi præſtituras obſequium, qui Catholicus erit, & quem ſtatus Catholicum declarauerint. Non deſunt Domini, nobileſque nonnulli, qui in generali hac reuolutione rerum futurarum ignari, domi ſe continent; neq; in detrimentum alterutrius partis quidquā intentant, expectantes, cui fauor fortunæ afflauerit, vt eo ipſi quoq; inclinare poſſint. Igitur vtriuſq; factionis vires, & amicitias deſcripturus, primo neceſſe eſt, vt eos omnes recenſeam Principes, Dominos, Nobiles, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Ciuitates, Communitates, Caſtella, Pagos, qui alterutram partem ſequuntur, cum præſertim huius rei declaratio ad totius Reip. Chriſtianæ ſalutem ſpectet.

Præmittam itaque peregrinos Principes, qui alterutram ſigillatim adiuuant factionem.

Primo

Primo cauſam Vnionis amplexi ſunt, atque tuentur Pontifex, Catholicus Rex, Dux Sabaudiæ, Dux Lotharingiæ, Dux Ferrariæ, Dux Parmæ, Dux Vrbini, Dux Bauariæ, Electores Colonienſis, Moguntinus, & Treuerenſis. Heluetiorum pagi Catholici. Qui Principes & Domini finitimi ſunt Franciæ, ipſamque protegunt, ac defendunt ab incurſione exterorum Principum. *Vnio Catholicorum, & Regaliſtarum factio.*

Nauarriæ Regis factioni fauet hominibus, & pecunia, Regina Angliæ, Rex Scotiæ, Dux Saxoniæ, Dux Caſimirus, Dux VVirtembergæ, Domus Bouilonia, pagi Heluetiorum proteſtantium, Reſpublica Veneta, vtque multi opinantur, Magnus Dux Etruriæ, & Dux Mantuæ.

Quod pertinet ad Principes Galliæ, bifariam diuiduntur: videlicet in eos, qui conſanguinei Principes vocantur, qui à Regibus originem ducunt, & continua aliqua neq; vnquam interrupta marium ſucceſſione ab aliquo Rege deſcendunt, & ſucceſſionis in Coronam Franciæ capaces exiſtunt, defunctis iis, qui ad ipſam proximiores accedunt.

Item in exteros Principes, hoc eſt, in eos, qui ex domo aliqua illuſtri Principis exteri oriundi, in Gallia ſedem ac domicilium fixere, & à Regibus tanquam indigenæ declarati, & in prærogatiuis tenent gradum familiæ, vnde ortum ducunt, veluti Domini de Vademonte & Guiſii: Qui etſi ex ſtirpe Lotharingiorum nati ſunt, tamen quia maiores eorum nati, & ipſi quoque nutriti fuerunt in Gallia ſemper in Regum obſequiis, quorum ſubditi habentur, quippe qui in regno bona & ditiones poſſident, creduntur, ac reputantur inter Galliæ Principes, gradumque retinent apud Principes conſanguineos. Dominus autem de Nemours etſi ex ſtirpe Sabaudiæ deſcendit, ob eaſdem cauſas Gallus exiſtimatur, & huius domus primogenitus apud primogenitum domus Lotharingiæ incepit, & ante omnes eiuſdem Domus. Dominus vero de Niuers tanquam is, qui Gonzagam domum repræſentat, ſuamque Niuernienſium Domum, propter quam inter Franciæ pares connumeratur, item Gallus habetur: nec non Domus Bulonia, quæ ad vnicam filiam hæredem redacta eſt, neque marem habet vllum, qui eam repræſentet excepto Comite de Monleurier, qui poſtea natus eſt.

Principes conſanguinei octo numero ſunt, Carolus Cardin. Borbonius, qui ab Vnione Rex acclamatur. Henricus Borbonius Rex Nauarriæ, qui Rex ſalutatur ab omnibus Principibus, & ab vniuerſa fere nobilitate. Princeps Condenſis, Franciſcus Borbonius Marchio de Conty, Carolus Card. Vandomi, Ludouicus Borbonius Comes Suiſſonſ, Franciſcus Borbonius Dux de Montpenſier, Carolus Borbon Princeps de Dumbs. Præter hos ſunt Duces Longauillæ, & Comes S. Pauli eorum frater, qui ex Regum linea deſcendunt, vt cognomen Aurelianenſium, quod præſeferunt, atteſtatur. *Reges acclamati.*

Com-

Domus Lotharingia.

Comprehenditur quoque tota Lotharingia domus, in qua viginti duo mares, viuebant, antequam Dux, & Cardinalis Guiſius Bleſii interficerentur, & Cardinalis Vaudemont paulo ante vita concederet: proinde ſuperſtites ſunt nouendecim, qui omnes eodem inſigni vtuntur, hoc eſt, Carolus Dux Lotharingiæ, Franciſcus Marchio Pontis, Carolus Epiſcopus Metenſis eius filii: Dominus de Vaudemont nomine Henricus, eiuſque filii Emanuel Dux Mercurii, qui bellum gerit in Britannia aduerſus Principem de Doumbs: Carolus Comes de Saligny, Franciſcus Marchio Sciolſini, Ludouicus, qui adoleſcentulus eſt, additurque Eccleſiæ, omnes ex Domo Vaudemont. Sequitur Dux Guiſiæ captiuus in ciuitate Tours: Dominus de Ianuilla, Dominus de Ceuteuſe, Ludouicus Eccleſiaſticæ vitæ deſignatus, Franciſcus poſthumus Ducis Guiſiæ patris ſui, Carolus Dux Humenæ, Henricus eius natu maior filius, & Emanuel ſecundo genitus: Carolus Dux Humalæ, Claudius eques Humalæ, Dux de Beuf. captiuus factus Bleſii, & Loccia detentus, Dux de Nemours, Marchio Sanct. Sotlini eius frater. Omnes hi Vnionem ſequuntur.

Ex parte regis Nauar. ſunt Principes Condenſis bimus, Marchio de Conty Card. Vandomus, Comes Sueſſonius, Dux Montpenſier, Princeps Dumbs eius filius, omnes conſanguinei Principes: Magnus Prior Caroli I X. naturalis filius, Dux Longauillæ, Comes S. Poli, Comes de Monleurier; Dux autem Niuernenſium etſi Vnioni nequaquam adhæret, tamen quia valde Catholicus eſt, nunquam inter exercitus Regis Nauarriæ viſus eſt: cui tamen neſcitur, quod vnquam aduerſatus fuerit, ſed tantum operam dediſſe, vt ſe declararet Catholicum.

Ex præcipuis Coronæ Officialibus, & adminiſtris, cuiuſmodi ſunt ſex Franciæ Marſchalli, hoc eſt, Dominus Memoranſius Gubernator Languedocciæ, Dominus de Iouioſa, Dux de Raitz, Dominus de Biron, Dominus de Matignon, Dominus de Aulimont, quatuor ſtant à partibus regis Nauarriæ. Vnus tantum fauet Vnioni, qui Dux eſt Ioioſa, Dux autem Raitz morbo grauiſſimo correptus domum repetiit, maximo animi ſui mœrore, quod hiſce temporibus virtutem ſuam, ingeniique ſui alacritatem exercere nequeat.

Amiralius Franciæ: Quo munere poſt obitum Ducis Ioioſæ Dux Epernonii honeſtatus fuit, qui deinde illud conceſſit Domino de Valletta fratri ſuo Gubernatori Prouinciæ: hic pro Rege Nauarriæ arma gerit: etſi dignitas hæc diſputatione non caret, cum Henricus Rex illam Domino de Beauuez Nangy conceſſerat, qui domi ſe continet, neutram ſequens factionem.

Cancellarius quoque neutralis eſſe mauult: hic autem à Coronæ officium habet, eſtque caput Iuſtitiæ, & Conſiliariorum primus, &

Dominus Huraltus Vicecomes de Sciauerny nuncupatur, rerumq; exitum expectat.

Ex octo Franciæ Parlamentis hæc ſunt Pariſienſe, Rothomagenſe, Diunenſe, Renenſe, Gratianopolitanum, Toloſanum, Arelatenſe, Burdegalenſe, ſex pro vnione palam ſe declarauerunt, & ſeptimum, quod eſt Burdegalenſe declarauit, ſe ei fauturum, qui à ſtatibus Catholicus recognoſcetur: octauum, quod Renenſe eſt, Nauarriæ fauet.

Superſunt prouinciæ, ipſarumque Gubernatores, quæ antiquitus 12. numero fuerunt, nunc vero multiplicatæ ſunt, quia vix vllus eſt vnius ciuitatis Capitaneus, qui ſibi nomen, titulum & prærogatiuas Gubernatorum non arroget, & immunitatem, ac iuriſdictionem propriam gubernatorum Prouinciarum non ſibi adſcribat. Hæ ſimiliter Prouinciæ diuerſas factiones ſequuntur; Nobiles vero, qui eas incolunt, miſerandum in modum diuiſi, alii Regem Nauarriæ, alii Vnionem ſequuntur. Quorum omnium diſtincta nomina cõſultius eſt, vt petas ab Italico: fatemur enim, non adeo nobis facile eſſe (& forte ſuperuacaneum eſt) illa Latina reddere.

L'Iſola di Francia.
La Normandia.
La Brettagna.
La Picardia.
La Ciampagna, & Bria.
La Borgogna.
Il Lioneſe, Beogioleſe, & Foreſte.
Il Niuerneſe.
Il Berry.
La Beoſſa, Turena, & il Bleſſin.
Il Paeſe du Mayne.
D'Angiù.
D'Angumois, & Santon.
Di Poitu.
Di Guienna.
Di Perigord.
Di Crecy.
Di Vergnia.
Di Guaſcona.
Delfinato.
Prouenza.
Linguadoca.

DEL' ISOLA DI FRANCIA.

Il gouerno di queſta Prouincia era prima commeſſo à Monſ. di Vil-

 lequier.

lequier. Hoggi à Monſ. di Nemours, & per la parte del Re di Nauarra à Monſ. Dò. Il Gouernatore è honoratiſſimo, ſi per la quantità delle Città, che comprende, & fra l'altre Parigi capo del regno di Francia, come per il numero de' Signori, che vi ſono. I principali de' quali che affettionano l'vno ò l'altro partito ſono.

SIGNORI.
DELL' VNIONE.

Monſ. di Ceureuſe della caſa di Guiſa.
il Conte de Belin.
il Conte di Cerny.
il Conte di Natueil.
il Signori di Migli.
Monſ. de Villequier.
Monſ. di Sauigni.

DEL RE.

Il Duca di Memorancy.
il Conte di Don Martin.
il Conte di Monleurier.
il Duca d' Eſpernon.
Monſ. di Torè, & Meru fratelli.
il Viconte d' Auſſy.
il Viconte di Scioſy.
il Baron di Paleſò.
il Baron de la Boua.
Li Signori d' Antragues.
Monſ. de la Sciapella Orſine.
Monſ. di Lamet.
Monſ di Surdy.
Li Signori di Ramboglietto.
Monſ. d' Egreuille Gouernator di Soeſſon.
Monſ. di Griboual.
Monſ. di Villarsò.
il Baron di Torcy.
monſ. di Roſtin.
Monſ. Dò. & di Manou ſuo fratel.
Monſ. di Semereò.
Monſ. di Mognauille.
Monſ. de Proiſſy.
Monſ. de Roſny Bettun.
il Signor de la Boua.

CITTA.

DELL' VNIONE.

Parigi.San-Dionigi.Pontoſa.
Beaumont.Creil Clermont.
Mante.Vernon.Sciartres.
Mentlery.Corbeil Melun.
Mecs.Soeſſon.Noyon.Velis.
Laon.

DEL RE.

Compiegno Sanlis.
Creppi.Valoys.
Coucy.Sctonny.
Eſtampes.
Meaulan.
Poyſſy.

NORMANDIA.

Queſta Prouincia è molto popolata, & di grande ſteſa, rimeſſa, ſot-o il Gouerno di Monſ. di Monpenſier. & ſi diuide nell'alta, & baſſa Normandia. I principali Signori della quale ſono.

SIGNORI.

DELL' VNIONE.

Il Duca d'Vmala.
il Duca Del-beuf.
Monſ. de la Maillezes.
Monſ. di Briſſac.
Monſ. de Vic.
il Marcheſe Daneual.
Monſ. de Villars.

DEL RE.

Il Duca di Monpenſier Gouern.
il Duca di Longauilla.
il Conte di San Polo ſuo fratello.
Conte di Mongomery.
Monſ. de Carioge.
il Conte di Torrigny.
Monſ. di Baqueuille.
Monſ. di Rubamprè.

CITTA.

DELL' VNIONE.

Roano Arciueſc. & Parlamento.
Hauro di Gratia porto di mare.
Fecan. Codibeq. Seres. Orance.
Coutan. San-leu. Dreux. Gournay.
Monte San Michel.
Liſieux.
Ponto de mer.

DEL RE.

Diepa porto di mare.
Can porto di mare.
Faleſa. Alenzon. il Ponto dell' Archo.
Eureux. Bayeux.
Verneul. Gizors.

PICARDIA.

Queſta Prouincia è molto grande, & ſi eſtende longo il Mare, che riguarda l'Inghilterra. Ha tre buoni porti di mare, & molte Città, Signori, & gentil'huomini, che vi habitano.

SIGNORI.

DELL' VNIONE.

il Duca d'Vmala Gouernatore.
Monſ. de Breſſe.
Monſ. de Saucour.
il Marcheſe de Magnalay Gouernatore della Fera figliuolo del Duca di Piena.
il Prencipe di Crequi.
Monſ. di Piquigny.
Monſ. de Saueuſe.
Monſ. de Balagny Gouernatore di Cambray.
Monſ. di Rambury.
Monſ. de Heudam.
Monſ. Deſtriomel Gouernatore di Perona.
Monſ. de Scioqueſſe.
Monſ. di Roncherolles.
Monſ. di Vignancourt.
Monſ. de Beaufort.
Monſ. di Bethaucourt.
Monſ. du Moulin Mareſcial de Boulonie.

il Baron

il Baron di Bouſcian.
Monſ. di Bornonuille.
Monſ. di Magnao.
Monſ di Courlay.
Monſ. d' Aplincourt.
Monſ. de Beranglíſe.
Monſ. di Verly.
Monſ. di Ottromancourt.

DEL RE.

Il Duca di Longauilla Gouernat.
il Duca di Piena.
il Conte di Sciona, & Monſ de Largerî à ſuo figliuolo.
Monſ. de Humiera.
Monſ de Creue cœur & di Boniuet ſuo figliuolo.
Monſ. d' Eſtrè.
Monſ. de Rumery, & de Mally ſuo fratello.
Monſ. de Mouy
Monſ. de Beranguenille.
Monſ de Gamaſce.
Monſ. du Barty.
Monſ de Barbaſon.
Monſ. de Canu.
Monſ. de Monotry.
Monſ. d' Harancourt.
Monſ. d' Aliancourt.
Monſ. de Rantigny.
Monſ. de Tretry.
il Baron de Giumelle.
il Baron di Courcy.
il Baron de Brouilly.
il Baron di Salancy.
il Baron di Morny.
il Baron de la Boua.
il Baron di Iriquan.
il Baron di Silly.
il Baron di Riantcourt.

CITTA.

DEL' VNIONE.

Amiens capo della Prouincia.
Abeuille. Sainct Vallery.

Montereò. Dourlan. Guiſa.
La Fera. Marle. Perona.
Sainƈte. Monouee. Cambray.

DEL RE.

Bologna porto di Mare.
San. Quintino.
la Capella.
il Sciatelet.
Calays porto de mare è neutro.

CIAMPAGNA, ET BRIA.

Queſta è vna Prouincia molto grande, & fornita di gran numero di Signori, & Gentil' huomini, & di buone Città. Per la parte dell' Vnione n' è Gouernatore il Duca di Guiſa prigioniero à Tours, & in ſua abſenza Monſ. di Ceureuſe ſuo fratello. Il defunto Re Henrico ne haueua dato il gouerno al Duca di Neuers, ne ſi è inteſo, che il Re preſente ne habbia fatta riuocatione alcuna.

SIGNORI.

DELL' VNIONE.

Monſ. de Ceureuſe.
Monſ. di San-Pol.
Monſ. di Vitry.
il Viconte d' Eſtauge.
Monſ di Marcianont.
Monſ. di Fontaine.
Monſ. de Flamere-court.
Monſ de Cangeay.
il Baron di Maupas.
il Baron di Tallemay.

DEL RE.

Monſ. di Luxembourg.
Monſ. di Tinteuille.
Monſ di Sautour.
Monſ. di Pranlin.
Monſ. de Giury.

Monſ. d' Eſternay.
Monſ. de Policy.
Monſ. d' Epruneòx.
Monſ. de Roſtin.
Monſ. de la Nue.
Monſ. de la Viuille.
Monſ. de Tourteron.
il Viconte Noſtradama.
Monſ. de Longeual.
Monſ. de San-Fale.
Monſ. de Granprè.

CITTA.

DELL' VNIONE.

Troya Prouin.
Nognan ſopra la Sena.
Montreò. Meos. Collumier. Reis.
Vitry. San Deſir. Verdun.

DEL RE.

Sciallon.
Sciatioterry.
Eſpernay.
Langres.

BORGOGNA.

Queſta Prouincia è abbondantiſſima di vini, & ben fornita di Città, & nobiltà, i principali de' quali ſono.

SIGNORI.

DELL' VNIONE.

il Duca d' Vmena Gouernatore.
il Viconte di Tauana.
il Baron di Seneſsè.
il Conte di Clermont.
il Baron di Liſtenet talard.
il Baron du Selle.

Monſ.de Scianuallon.
il Baron di Teneſo.
il Baron di Tiango.
il Baron de Brouillas.
il Baron di Lux.
Monſ.de Pleuan.
Monſ.de Granmont.
il Baron di Vitеò.
il Baron de la Claytte.
Monſ.di Sciaſſy.
Monſ.de Tremon.
il Commendator Dieu.

DEL RE.

Il Conte di Tauana.
Monſ.di Brion.
il Marcheſe de Mirabeò.
Monſ.di Rocefort la Croſetta.
Monſ.di Spier.
Monſ.de Villarnon.
Monſ.de la Fiſi.
Monſ.de Pouy.
il Conte de Sciarny.
Monſ.de Ragny.
Monſ.de Reuillon.

CITTA
DELL' VNIONE.

Digiun parlamento, & capto della Prou.
Maſcon. Stallon ſopra la Sona.
Beona. Sciattiglion ſopra la Sena.
Oſſena. Auttun. Turnus. Sans. Auſſerra.

DEL RE.

San Gio. de Lona.
Flauigny.
Seutre.

NINERNESE.

Queſta è vna Prouincia molto fertile, & aſſai grande, la

qual

qual è del Signor Duca di Niuers per occaſione della Ducheſſa ſua moglie. Queſta Prouincia è ſtata conſeruata intatta per molta prudenza del Signor Duca, il quale ha ſaputo non ſolo reprimere quelli che tendeuano à rebellione, ma acquiſtarſi gran credito, & ſeguito nelle Città circonuicine, che inſieme con la Nobilità del Paeſe ſi dicono eſſere nella protettione, & ſaluocondotto di ſua Eccellenza, & li principali ſono.

SIGNORI.

DELL' VNIONE.

Monſ. de Tiange.
Monſ. de Neuuy Barroys.
Monſ. de Ville menant.
Monſ. de Cheuenon.
Monſ de Meuble.

DEL RE.

Monſ. de Beauuoys la Node.
Monſ de Maligni ſuo figliuolo.
Monſ de Auantigni.
Monſ de Peſſeliere.
Monſ. de la Nocle.
Monſ. de Clampliuault.
Monſ. de Deſpeugle.

DIMONS. DINEVERS.

SIGNORI.

Monſ. di Scialemi.
Monſ di Lunay.
Monſ. di Sciattiglion.
Monſ. di Sciatelus.
Monſ. de la Riuiera.
Monſ. de Giry.
Monſ de Groſſure.
Monſ. Deſſigneux.
Monſ. de Poyſeus.
Monſ. de Bertri.
Monſ. de Pernas.
Monſ. de Dleneau Courtenai.

Monſ. de Boulnuillier.
Monſ. de la Grange.
Monſ. de Danlezi.
Monſ. de Mauto.

CITTA.

Niuers.
San Pier le Moutier.
Decize
Moliʒs Engilbers.
Entr'n.
Clamecy.
Douzi.
Coſne.
La Secarità.
Premeri.

BEOSSA. BLESSIN. TVRENA. PERSCE.

Sono quattro Prouincie, che ordinariamente ſogliono eſſere ſotto vn medeſimo Gouernatore, ma hoggi ſono molto diuiſe, ciaſcuno pigliando per forza quello che ne può hauere, & n'era Gouernatore il Vicente di Sceuerny Cancelliero di Francia, & ſono li principali.

SIGNORI.

DELL' VNIONE.

Il Conte Buſſage.
Monſ di Vieupont.
Monſ de Bordeſiera.
Monſ de ſant Ecan.
Monſ de Bills.
Sig. de Couruille.
Monſ de Lipneris.
Monſ de Cicogne.
Monſ. de Gillin.
Monſ. de Leuuille.
Monſ. de Niueroles.
Monſ. de Mognauille.
Monſ. de Gonnelieu.
Monſ. de Breſole.
Monſ. Deſpruneaux.

DEL

DEL RE.

Monſ. de Siatiglion Coligny.
Monſ. d'Andelot ſuo fratello.
Li Signori d'Antragues.
Monſ. de Sciatiglion en Beauce.
Monſ. de la Fertè Sig. d'Huiſſeau.
Monſ Dangean
Monſ. de Tignonuille.
Monſ. Dalliers.
Monſ. Dapuiſay.
Monſ. de Sauillars.
Monſ. de Ramplu.
Monſ. de la Boulay.
Monſ le Viconte de Tours.
Monſ. de ſaint Cierque.
Monſ. de Croy.
Monſ. de Montoiſon.
Monſ. de Fougeres.
Monſ. de ſaient Floier.
Monſ. de la Roche.

CITTA.

DELL'VNIONE.

Orliens.
Sciartres.
Durdan.
Nogen de Routrou.

DEL RE.

Gianuilla. Pluuiers Giorgio.
Meun. Bugiancy Clery.
Vandomo. Sciatiodum. Verneul.
Bles. Amboſa. Tours.

ANGIV. MAYNE.

Queſte due Prouincie anticamente erano anneſſe ad vn medeſimo Gouernatore, & hoggi ſeguendo la corruttione del tempo ſono diuiſe in due Gouerni. Della Prouincia du Mayne è Gouernat. Monſ. di Fargy della Caſa di Ramboglietto, & dell'Angiù è Gouernatore

Monſ.

Monſ de la Roche Pauſay. Nell'vna, & l'altra Prouincia ſono delle Città, & Signori di fattioni diuerſa.

SIGNORI.

Nell'Angiu.

DELL' VNIONE.

Monſ. de Scenille.
Monſ. Tiercelin Saueuſe.
il Baron di Sciateò.
Monſ. de la Foter.
Monſ. de la Roſcibaritault.
Monſ. de Veſins.
Monſ. de la Mote-ſerrant.
Monſ de Treues.

DEL RE.

Monſ. de la Roſce Pauſay.
Monſ. de Sciatobriant.
Monſ. de Beaumont.
Sig. du Pleſſis.
Monſ. Deſpault.
Monſ. du Bellay.
Monſ. de Sciambellè.
Monſ de la Mottefelon.
Monſ. de Goulaſme.
Monſ. de Mombron.
Monſ. de Paſſay.
Monſ de Clermont d'Amboiſe.

NEL MAYNE.

DELL'VNIONE.

Monſ. de la Roſce du Mayne.
Monſ. d'Harcourt.
Monſ. de Monteiam.
Monſ. de Beodauſin.
Monſ. de Lanſak.
Monſ. de Voſſè.
Monſ. de ſaint Mars.

Monſ.

Monſ. de Teualle.
Monſ. de Clincamp.

DEL RE.

Monſ. de Surray.
Il Viconte de la Huſſaye.
Monſ. de Mileſſe.
Monſ. de la Vardin.
Monſ. de Mery.

CITTA.

DELL' VNIONE.

Il Ponte di Say Rocefort.

DEL RE.

Il Monſ.
Angiers.
Ingrande.
Saumur.

BRETTAGNA.

Queſta è vna prouincia quaſi tutta marittima, nella quale ſono molti & buoni porti di mare, & infinite buone Città, & gran numero di Signori, & gentilhuomini, & li principali ſono.

SIGNORI.

DELL' VNIONE.

Il Duca di Mercurio Gouern.
Monſ. . . . . ſuo Logotenente.
Monſ. de Gue Viconte de . . .
Monſ. de Teyſlac.
Monſ. Rene de Brettagne.

DEL RE.

Il Prencipe de Dumbs Gouernatore.
Monſ. de Rohan.

Monſ.

Monſ. de la Val.
Monſ. Dauoncourt.
Monſ. de la Muſe.
Monſ. Daſſerae.
Monſ. de la Henodaye.
Monſ. de Monbarot
Il Conte di Monbaſon.

Vi è il Duca di Raitz, & il Marcheſe Beliſla ſuo figliuolo potentiſſimi Signori in queſta Prouincia, & che hanno diffeſi li loro ſtati contro chi ha voluto offenderli, & il ſimile ha fatto il Marcheſe d' Eſpinay, & il Prencipe di Gimnay.

CITTA.

DELL' VNIONE.

Nantes porto di mare. Vannes.
Cornuaille ſan Malò ſan Brieu.
Dol Le n. Treguer. Quimpercorantin.
Ploermel. Dinan Fugeres.
Redon. Morlay. Guygnan.

DEL RE.

Renes Parlamento, & Città principale della Prouincia.
Vitray con molte altre piccole terre.
Tutti queſti Gouerni ſono di là la Riuiera di quà ſono le ſeguenti.

BERRY. SOLOGNA.

Queſta Prouincia è contigua à la Beoſſa, & di aſſai gran circuito, & ſono li principali.

SIGNORI.

DELL' VNIONE.

Monſ. de la Sciatra.
Il Baron de la Sciatra ſuo figliuolo.
Monſ. de Vitry.
Monſ. de Nanſay.
Monſ. de Maupas.
Il Baron de Sciatòneuf.

Monſ de la Foreſt.
Monſ.de Beogy.
Monſ.de San-Fleuran.
Monſ.de Iars.
Monſ.de Ville-neue.

DEL RE.

Il Mareſciale d' Aumont.
Il Conte di Sancere.
Monſ.de Digny.
Monſ.de Gamaſſes.
Monſ de Montigny.
Monſ.de Perneray.
Monſ de Peſſeliere.
Monſ de Beoiueu.
Monſ de Tauenay.
Monſ.de la Louete.

CITTA.

DELL' VNIONE.

Burges. Duule-Roy. Remorandin.
Vierſon. Montriccard.

DEL RE.

Iſſedun.
Sancerre.
Argenton.

BORBONESE.

E vna Prouincia aſſai picciola. & ha poche Terre, & pochi Signori: per la parte dell' Vnione n' è Gouernatore Monſ. de Neuuy, & per il Re Monſ. de Sciaſeron, & ſono i principali.

SIGNORI.

DELL' VNIONE.

Monſ. de Neuuy.
Il Marcheſe d' Vrfay.

Monſ. de Sciatòneuf.
Monſ. de Sciarlus.
Monſ. de Poncena.

DEL RE.

Monſ. de Sciaſeron.
Monſ. de la Gbeſſe.
Monſ. de Sciatòmorant.
Monſ. de Gullan.
Monſ. de Gondras.
Monſ. de Fontanay.
Il Baron du Peau.
Monſ. de Genſac.
Monſ de la Curee.
Monſ. de San Giorgio.

CITTÀ.

DELL' VNIONE.

San Porſain.
Muluſſon.

DEL RE.

Molins Città principale de la Prouincia & altre Terre, & Caſtelli.

VVERNIA.

E vna Prouincia molto grande, montuoſa, & di difficile acceſſo: ha molte Città forti, & gran numero di Signori, & Gentil' huomini.

SIGNORI.

DELL' VNIONE.

Li Signori di Randano.
Monſ. de San Vidale.
il Marcheſe de Canigliac.
il Marcheſe de Stin.
Monſ. de Sciomont.
Monſ. de la Faiette.
Monſ. de Magnac.

Monſ. de ſan Suplice.
Monſ. de Montagnac.
Monſ. de Puyguillon.

DEL RE.

Il Viconte di Turena.
Monſ. de Sciaſſeron.
Monſ. de Curton.
Il Marcheſe d'Allegre.
Monſ. d'Allegre Millio.
Monſ. di ſan Germano.
Monſ. di Bellanaue.
Monſ. di Sciauagniac.

CITTA.
DELL' VNIONE.

Rion. Mont-ferran.
Cuſſay-Iſſoire.
Aurillac. San flour.

DEL RE.

Clermont.
Codeges.
Marenges.

LIONESE. BEOGIOLESE. FORESTE.

Queſte tre Prouincie ben che ſiano per ſe ſteſſe aſſai grandi, nondineno ſono ſempre ſtate anneſſe ad vn medeſimo gouerno, hoggidì poſſeduto dal Sign. Duca di Nemours, & ſono li principali.

SIGNORI.
DELL' VNIONE.

Il Duca di Nemours Gouernat.
Il Marcheſe S. Sorlin ſuo fratello.
Monſ. de Sceuriere.
Il Baron di Cuſan.
Monſ. di Roſcebone.
Il Baron de la Clayette.
Il Baron d'Epinac.

Monſ. de Sciaſeul.
Monſ. d'Auberieux.

DEL RE.

Monſ. de Boution Seneſcial.
Monſ. de Beoregard ſuo fratello.
Monſ. de ſan Forgeux.
Monſ. de ſan Marcel Deurfe.
Monſ. de ſant'Andre.
Monſ. de Rebes.
Monſ. de la Batye.
Monſ. de Genlys.

CITTA.

DELL' VNIONE.

Liene Arciueſcopato. Maccon.
Monbriſon. Villa-franca. Rouanne.

DEL RE.

Sciarly. Eſtizy.
Beogieù.

DELFINATO.

Queſta è vna picciola Prouincia che ha pochi Signori, & gentil' huomini, ma ha molte buone Città & Terre. Di eſſa ſi dice Gouernatore il Colonello Alfonſo Corſo, come quello che ne fu prouiſto dal defunto Re.

SIGNORI.

DELL' VNIONE.

Monſ. de Gordes.
Monſ. di Cholus.
Monſ. de Rebarac.

DEL RE.

Il Colonello Corſo Gouernatore.
Monſ. de Tournone.
Monſ. des Diguieres.
Monſ. de Mongiron.

CITTA.

CITTA.

DELL' VNIONE.

Granoble Città principale, & Parlamento.
Valenza. Romans.

DEL RE.

Liueron.
La Meuſe.
Tournon.

PROVENZA.

Queſta è vna gran Prouincia ben fornita di Signori, & buone Città, ma come l'altre diuiſa nell' vna, & l'altra fattione, & di più in vna terza fattione, che è quelle del Sig. Duca di Sauoia, che vi ha grandiſſima intelligenza.

SIGNORI.

DELL' VNIONE.

Il Marcheſe de Villars.
Monſ. di Cars.
Monſ. di Saus.
Monſ di Vins.
Monſ. di Mauleon.

DEL RE.

Monſ. de la Valetta Gouernator.
il Baron d' Ars.

CITTA.

DELL' VNIONE.

Aſt Città principale, & Parlamento.
Marſiglia. Ayx. Tolon.
Arles. Carpentras.

DEL RE.

Taraſcon.
La Raulme.

Ponte di ſan Spirito.
Beucarie.

LINGVADOCA, ET GVASCOGNA.

E vna Prouincia grandiſſima, & il Gouerno di eſſa è fruttuoſiſſimo, & molto ricco, coſi per eſſere il paeſe fertile, fornito di buone Città, & ben popolato, come perche il Gouernatore di eſſa, che è Monſ. di Memorancy, tira il profitto, & emolumento delle ſaline d'Eguemorte. Li principali Signori ſono.

SIGNORI.
DELL' VNIONE.

Il Mareſcial di Gioioſa.
il Duca, & Cardinal Gioioſa ſuoi figliuoli.
Monſ. de Monluc. Il Conte Clermont de Lodeue.
Monſ. de Fontenilles
Monſ. di Montberault.

DEL RE.

Monſ. de Memorancy Gouern.
Il Viconte Bourniquet.
Il Viconte Lauedan.

CITTA.
DELL' VNIONE.

Toloſa. Narbona.
Beſtiers. Caſtelnaudarry.
Rodes. Niſmes. Agen.

DEL RE.

Mont-pellier. Mont-auban.
Euguemorte. Carcaſſone. Taraſcon.
Peſenat. Alays Marſac.

GVIENNA.

Queſta è vn grandiſſima Prouincia, & il maggior gouerno di Fràcia, perche contiene ſotto di ſe quattro altri gouerni, cioè, Il Poitù. Santonges, Perigord, & Limoſin, della quale era Gouernatore il Re di

Nauarra,

Nauarra, & ſuo Luogotenente il Mareſcial di Matignon. In queſte quattro Prouincie, ſi troua gran numero di nobiltà, buone Città, ricche, & forti, il che rende il gouerno coſi honorato come è. In queſto gouerno ſono le fattioni come ne gl' altri. Il Viſconte Dobeterre pretende eſſer Gouernatore di Poitù contra monſ. di Malicorne, che pretende hauerlo dal Re Monſ. de Pompadon pretende il gouerno di Limoſin contra Monſ di Van tador. Il conte di Clermont di Lodeue pretende il gouerno di Quercy, che è in Perigord. Di queſte Prouincie ſono li principali.

SIGNORI.

DELL' VNIONE.

Il Viſconte Dobeterre.
il Viſconte la Fuierſce.
Monſ. de Roſcetouart.
Monſ de Piedufurt.
Monſ. de Sciatignere.
Monſ. de Pompadon.
Monſ de Senſac.
Monſ. de Seſſac.
Monſ. de Iours.
Monſ. de l' Isle.
Monſ. de Vigem.
il Viconte di Breſieul.
il Baron di Meſnac.

DEL RE.

Il Mareſcial di Matrignon Gou.
il Mareſcial di Biron.
il Beron di Biron ſuo figliuolo.
Monſ de la Tremoglia.
il Duca di Vantador.
il Conte de la Roſcefucè.
Monſ. de Nermotier.
Monſ. d' Eſcars Sig. de la Voghion.
Monſ. d' Abins.
Monſ. di Gernac.
il Marcheſe de Piſany della caſa di Duchi di Brettagna.
Monſ. della Ville-Dieu.
il Baron di Stuuerach.
il Baron de la Freneſt.

Monſ. de Saint-Solaines.
Monſ. de Saint Gelays.
Monſ de Duras.
Monſ de Forſ.
Monſ.de Preſſac.
Monſ.de Verac.
il Sig. de Perdiglian.

CITTA.

DELL' VNIONE.

Potiers.Sciatelleroy.
Port.de Pilles.
Luſignan.
Perigueur.
Liborne.

DEL RE.

Bordeos.La Roſcella.S. Gio.d' Angely.
Maran.Niort.
Fontenay.Partenay.
Lodun. Chinon.
Touars.
Angolemi.
Limoges.

Il Fine Della Relatione Delle Diuiſioni di Francia.

DE IMPERIO ET DITIONIBVS HISPANIARVM REGIS,

DISCVRSVS DECIMVS SEPTIMVS.

Magnitudo imperii Hiſpanici.

POST homines natos nulli vnquam maius obtigit Imperium eo quod Philippus II. olim, & Philippus III. Hiſpaniarum & Indiarum Rex iam tenet, maxime poſtquam regiæ Hiſpaniarum veſti illa Luſitaniæ ſeu Portugaliæ lacinia quoque eſt adtexta. Ampliſſimas enim & nobiliſſimas totius Europæ, Aſiæ atque Africæ regiones cõplectitur; Nouum denique & illum veluti alterum terrarum Orbem, in quo gentes inauditæ antea, natione barbaræ, multitudine innumerabiles, auro & diuitiis affluentes.

In Europa regiones.

In Europa *Hiſpaniam* tenet, quæ totis octingentis retro annis nemini tota q̃ ipſi paruit; *Belgium*, q̄ mille milliaribus ambitur; *Regnum Neapolitanum*, q̄ in circuitu mille & quadringenta milliaria compræhendit; *Inſubriam* (quæ *Mediolanenſis Ducatus* titulò deſignatur) cuius ambitus eſt trecentorũ milliarium; *Maioricam, Minoricam* & *Ophiuſam* inſulas, quarum prima 400. altera 150. tertia 8. milliaria in orbem porrigitur; *Siciliam*, cuius circuitus ſeptingentis milliaribus terminatur; *Sardiniam* cuius 562. milliaribus patet circũferentia.

In Africa.

In *Africa* habet idem Rex in ſua poteſtate magnum illum portum, quem *Maſalquiuir* appellant, quo nullum vniuerſum mare Mediterraneum inſigniorem, capaciorem ac ſecuriorem habet. Poſſidet idem *Oranum Melillam*, & rupem *Pegnonii Velez* dictam. Extra fretum Herculeum ſiue Gaditanum Inſulæ ſunt *Canariæ* (*Fortunatæ* olim, vt quidã putant) 12. numero inter quas præcipuè ſunt ſeptẽ, quarũ minima 90. milliaria in circuitu cõplectitur. Ad Luſitaniã ptinent *Septa* & *Tangera*; quæ claues ſunt Freti, imo toti⁹ Maris Mediterranei, & Oceani Atlantici. Extra fretum eiuſdẽ ditionis eſt *Mogazanũ* in dicto Oceano Luſitanici quoq; ſunt iuris 7. Inſulæ, quas *Flãdricas* vocãt vel *Aſores*. ſuntq; num. 7. quarũ prima *Tercera*; in qua Angra ciuitas 40. continent milliaria: *S. Michaelis* Inſula longitudinem habet 80. pene milliarium. His adiacent *Portus ſanctus*, nec procul inde *Madera*, vini præſtantiſſimi genitrix, quæ inſularum in Oceano Atlantico velut regina eſt. 160. milliaribus cingitur. Sequuntur *Inſulæ Capitis Viridis* (*Capo Verde*) quæ 7. ſunt. Sub ipſo Æquinoctiali *S. Thõ Inſula*, Madera aliquanto maior ſaccaro ad miraculũ abundans. Idem Rex vniuerſæ in Africa oræ maritimæ, q̃ à Promon-

torio *Aguero ad Guardafu*, extenditur; omnium deniq; commerciorum, negotiationis & nauigationis in illo Oceano, totq; Inſularum, quas natura ibi ſparſit, è regione Caprariæ *inter Promõtoria bonæ ſpei & Guardafuenſe*, dominium ſibi vindicat. Idem in Aſia potiorem Orientalis oræ partem, quæ ad Luſitaniam olim pertinuit, nempe *Ormuz, Dium, Goam, Malaccam* &c. poſſidet. *Ormuz* ob ſitus commoditatem tam potens eſt atque opulentum: vt Mahumetanorum ſiue Arabum dictum ſit.

In Aſia.

Si terrarum Orbis, quaquà patet, Annulus eſſet,
Illius Ormuzum gemma *decuſque foret*.

Ad Ormuzii regnũ magna ſpectat *Arabiæ felicis* pars, Perſico litori oppoſita, & quidquid inſularum eſt interiectũ, inter quas eſt *Baharẽ* omniũ in eo Sinu Inſularũ regina, quũ propter magnitudinẽ, cũ ſumma terræ fertilitate, & mira fructuũ varietate cõiunctã; tũ propter ditiſſimã Margaritarũ piſcationẽ. *Diu* Cambaiæ eſt clauis, & inæſtimabilis theſauri receptaculũ. Præter hæc poſſident Luſitani *Damanũ, Bazuinũ, Tauaam, Goã*, quę (vt interim *Coulan, Cananorẽ, Cochinũ*, &c. ſilentio prætereã) tanti momenti eſt ciuitas, vt Luſitanię Regi tantũ quantũ vnũ aliquod totũ Europæ regnũ pendat. Iidem Luſitani tenẽt omnẽ fere orã illã maritimã, q̃ *à Damano* vrbe *ad Malapurẽ* vſq; extenditur: q̃ quidem integra vel ipſis, vel eorũ Cõfederatis patet, excepto Calecutano regno. *Zeilon* Inſula merito totius Orbis deliciæ appellari poſſit: in qua Luſitani itidẽ Arcẽ habent & Portũ, *Colũbo* nuncupatum. Habent ẽt *Malaccã*, impii ſui iis in locis terminũ, clauẽ negociationis & cõmercii in Eoo ſiue Orientali Oceano, illarumq; Inſularũ: q̃ tot ac tãtæ ſũt, vt toti Europę magnitudine pares putẽtur. In *Macao* ẽt ad cõmercia cũ Chinis ſiue Sinis, & in *Tidore* inſula, cũ Molucis & Bãdanis exercẽda, domos potius q̃ Arces poſſidẽt. Ac ꝑfecto res admiratione digna, imò ſtupẽda eſt, à XII. Luſitanorũ millib. (nec n. plures in tãto, terræ mariſque tractu ſunt) tot potẽtiſſimos Aſiæ Reges & populos tãquã fræno coerceri. Quis nõ miretur tã paucos Luſitanos maris Atlãtici, Indici, & Eoi imperiũ ſibi aſſerere ac tueri? Iã nonaginta circiter effluxerũt anni, ex quo Luſitani oras illas à ſe occupatas munire cœperũt, cũ æterna nominis ſui & toti⁹ Chriſtiani Orbis laude, vtilitate ac fructu. Neque vero obiici põt, facile illis hoc factu fuiſſe, ꝙ res ipſis fuerit cũ populis inermib. & rei bellicæ imperitis. Ormuzanum enim regnũ eripuerũt Perſarũ Regis clienti. Ad Diũ Sultani Ægypti claſſem plenã Mamaluchis (quibus non minor q̃ Turcarũ Ianizaris, virtutis militaris opinio) ꝓfligarũt: Turcarum claſſes in mari rubro nõ ſemel in fugã verterũt. Iterũ deinde cõtra claſſem Turcicã cui Guſaratæ ſe coniunxerant, Dium fortiter defenderunt. Anno enim 1538. Turca ægre ferens Luſitanorum in Ori-

Luſitanorũ expeditio-nes admi-randa.

Diu obſeſſa à Luſitanis ſeruata.

ente

ente potentiam tantum inualeſcere; iuſſit claſſem inſtrui in ſinu Arabico ad vrbem *Sez*, impoſuitque illi 20. millia militum, præter nautas, aliosque qui commeatus curabant, hiſce omnibus præfecit Baſſam Solymannum qui Cairo præerat. Solymannus cum copiis ſuis primum *Adenam* appulit, vrbem in extremo oſtio Maris Rubri, conſilium quem ſuum per fecialem Regi expoſuit. Rex qui Luſitano tributum pendebat, lectis literis, ſe resque ſuas Turcæ offert, rogatque Præfectum, vt naui egreſſus, vrbem intret, excipiendus eo honore, qui talem virum, tanti Imperatoris vicarium, tanti exercitus ducem deceret. Solymannus fraudem ſubeſſe ratus, contra Regem inuitat in naues. Paret homo minime malus, ſeque cum aliquot proceribus in viam dat. Solymannus captum excruciatumque in antenna ſuſpendit, adiungitq; ei quatuor ex optimatibus, dicens, iure id à ſe fieri, quod & à Turca hoc in mandatis habeter, & Rex cum Luſitano pacis fœdera iniiſſet. Inde itum ad opulentiſſimæ vrbis pulcerrimęque direptionem. Expoſitis poſtea ad Dium copiis, cœpit eam valde oppugnare; ſed Luſitanorum & præſidiariorum virtute ita defenſa eſt, vt Turca coactus ſit obſidionem ſoluere, & ad ſua regna redire. Poſtea vero anno 1552. ad Ormuzum multo illuſtriorem victoriam de alia Turcica claſſe iidem reportarunt. Cum Regibus Decam, Cambaiæ, Calecuti, Achim (qui plerique Mahumetani ſunt, & armis Turcicis probe erant inſtructi) in Taprobana pugnarunt. Quocirca Luſitanorum in Cambaiam, Indiam, & vniuerſam illam Oceani oram maritimam Expeditiones non minus admirandæ ſunt, quam Macedonum & Alexandri Magni victoriæ: ac tanto magis, quod Luſitania tertiarum ſpacio Macedonia multo minor ſit, nec Luſitani Macedonibus numero fuerint pares. Iidem Sultani Ægyptii claſſem nauibus vndeuiginti profligarunt. Goam expugnarunt duobus virorum millibus, amiſſam mille & quingentis recuperarunt. Malaccam octingentis ſubiugarunt: ac paullo pluribus Ormuzum.

Altera ditionum Catholici Regis imperio parentium pars Nouo Orbe continentur, vnde quantum vult conſequitur, quum ſine riuali aut ſocio illic dominetur. Diuiditur autem nouus Orbis in Continentem & Inſulas. Harum in ſeptemtrionali Inditio Oceano tantus eſt (quum ſolæ *Lucaiæ* plures ſint 400) numerus, vt nondum cognitus ſit, nec ſi cognoſcatur, facile iniri poſſit. Ex his nonnullæ vel magno regno par ſint. *Boriquena* in longitudinem patet 300. milliaria, in latitudinem 60. *Iamaica* paullo minor eſt. *Cuba* longa eſt 300. lata 20. Leucas. *Hiſpaniola* ambitu 1600. milliaria comprehendit. Innumeratas alias omitto. Ad continentem quod attinet, Rex Catholicus vniuerſæ oræ maritimæ, qua Floridam, Nouam Hiſpaniam, Iacatam mare alluit; deinde totius Peninſulæ illius parti Meridionali ad *Caput* vſque *Calıfornia*, imo ad *Quiuiram* vſque imperat. Eo enim atq; etiam vlterius vſq; pertinent regiones, à Caſtilien-

De Hiſpaniarum Regis in Nouo Orbe imperio.

Inſulæ.

Continens.

ſibus detectæ. Ora Nouæ Hiſpaniæ, quæ initium ſumit à S. Helena oppido Panamã tranſiens & ad Quiuiram vſque protenſa, longa eſt quinquies mille & ducenta milliaria: quibus ſi coniungantur Mediterranea confinia Septemtriones verſus, non minus quam nouies mille milliaria efficientur, *Peru*, cuius initium à Panama ſumitur, habet ſecundum oram Maritimam duodecies mille & ſexcenta milliaria, è quibus tria quæ inter Maragnonem & Argenteum fluuios continentur, Braſiliam complectentia Luſitanorum Regem dominum agnoſcunt. Et quamuis Noui Orbis continens multa regna & ditiones per quam amplas contineat, duo tamen habet præcipua regna, vel Monarchias potius. Mexicanum nempe & Peruuianum: quorum Reges Potentiſſimi olim opulentiſſimique fuerunt. In Regem Mexicanum nemo auidi ſanguinis iure ſucceſſotio, ſed à ſex viris eligebatur qui iuuenis elegans, ſtrenuus, corpore bene compoto, militiæque aptus eſſet: ideoque Regem olim quemdam, quod ignauus, imbellis, ac timidus eſſet, veneno necarunt. Regi Senatus ſupremus aſſidebat, ex quatuor Nobilitatis & Officiariorum ordinibus conſtans, ſine cuius auctoritate & conſenſu nihil, quod eſſet alicuius momenti, ſtatui ac decerni poterat. Nihil æque illis curæ erat, atque bona & recta puerorum educatio. In præcipuo honore habebatur Religio & ſtudium Rei militaris. Celebratur inter eos heros *Flacaellel*, tantus in armis & robore, vt magnam regni Mexicani partem ſibi pararit; animi vero tam excelſi, vt oblatum ſibi regnum conſtanter recuſarit, dicens, ex vſu Reipublicæ eſſe vt alius quidem Rex ipſe vero eius ſit miniſter. Rex quidem Mexicanus olim ſummam Maieſtatem præſeferebat, habitabat ſplendide, & maximo clientum ſatellitio ſtipatus incedebat; Regni pomœria, religionem & linguam ab vno latere ad Teguantepecum vſque, quod Mexico 200 Leucis diſtat, propagauit; ab alio latere ad Guarimalam, quæ Mexico 300. Leucis abeſt: quin etiam regni fines ad mare Septemtrionale & Meridionale protulit; Mechacam vero, Thaſcalam & Terpeacam debellare non potuit Porro Hiſpanis inimicitiæ, quę Mexicanis cũ Tlaſcalanis erant, aditum in Mexicanum regnum aperuerunt, & ad id ſubiugandum plurimum attulerunt adiumenti: quod anno Chriſti 1518. contigit. Ipſi vero Mexicani in ſeptem tribus diuiſi, è plaga Septentrionali in has oras venerant: in qua ſuperioribus annis Hiſpani ditiſſimam populoſiſſimamque prouinciam detexere, quam Nouam Mexicum nuncuparunt. Præcipuus honos in armis (vnde & ipſis Nobilitas petebatur) erat poſitus. Motezuma vltimus Mexicanus Rex, aliquot equitum ordines inſtituit, quorum alii Principes, Leones, quidam Pardi, nonnulli Aquilæ dicebantur. Iis aurum argentumque geſtare, xylo vel goſſypio (quod Barbari & Arabes *Cotton & Bombacem* appellant) veſtiri, calceatis incedere, inaurata & picta habere vaſcula (quorum omnium vſus

De Regno Mexicano.

Flacaellel, herois virtus & continentia.

Quomodo aditus Hiſpanis ad Mexicum apertus.

plebi interdictus) licebat. *Peruuiani* Imperii cuius Rex Ingæ nomine indigetabatur, conditio ac ſtatus olim multo maior ampliorque fuit. Quum ſumme floreret, à Paſto ad Chile vſque ſe porrigebat, longitudine mille, latitudine vero centum leucarum; nempe ab Oceano Meridionali *Andi* vſque Orientem verſus. Immenſa ibi aquarum vis, partim decurrentium, partim ſtagnantium, obſtitit quo minus vlterius progrederentur.

Prætextus bellum aliis inferendi fuit, quod in diluuio in ipſis Ingis mundus eſſet ſeruatus, & quod ipſi ſoli vera imbuti eſſent Religione, quam alios quoque docere tenerentur. Præcipuus illorum Deus erat Viracoca, hoc eſt, vniuerſi creator: alter vero Deus illis Sol erat. Inga Pacacuri qui maiorem ſuperſtitionum, quibus populi illi addicti erant, partem commentus eſt, quum aliorum Deorum templis prædia reditusque aſſignaſſet, nullos Viracocæ attribuit: quod quum ille, inquiebat, creator omnium eſſet, nulla re indigeret. Inter alias res memorabiles ab ipſo in regionibus quas armis acquiſiuerat, inſtitutas, hæc quoque erat, quod terram in tres partes diuiſerat.

Religio & politia à Viracoca inſtituta.

Prima Religioni & Diis dedicabatur.

Altera addicebatur Ingæ, qua ſeipſum, Curiam, parentes, aulicos & præſidia ſuſtentabat; eratque ea pars ceteris maior.

Tertia pars populo cedebat. Nemo rem propriam habebat, ſed Ingæ beneficio; nec ea res ad hæredes tranſibat. Agri qui populi & Communitatis erant, quotannis diuidebantur: & vnicuique tantum terræ aſſignabatur, quantum ad ipſius & familiæ ſuſtentationem eſſet neceſſarium. erat ea portio interdum maior, aut minor, & à tributo immunis. Tributi vero loco terras deorum & Ingæ colebant: fructus recondebant in horrea ampliſſima, ad id deſtinata: vnde ingruente ſterilitate, annona depromebatur. Idem fiebat de animalibus & iumentis, quæ virium diſtribuebantur. Qua quidem in re multo ſapientius feciſſe mihi videntur, quam Lycurgus vel Romani in publicis agris diſtribuendis, &c.

Ex Noua Hiſpania porro & Peruuia, præter merces, opes inexhauſtæ auri & argenti afferuntur. Earum ordinarie duas partes Peruuia, tertiam Noua Hiſpania ſuppeditat, quæ quidem mercimoniorum abundantia Mexicum ſuperat. Inter alia dat Concinigliam, qua panni Cramoſini (loquimur vt intelligamur) tinguntur: maxime ſane precii mercem. Mittit etiam Anir, & boum tergora infinita. Ex inſulis vero vberrima coriorum, xyli, ſandarachæ, ſacchari, cannæ fiſtulæ, & margaritarum vis affertur. Inter Peruuiæ theſauros duo admirandi ſunt.

Merces quæ ex Peru & Noua Hiſpania afferuntur.

Vnus eſt fodinarum argenti, quæ Potoſii anno M D X L. detectæ fuerunt, vnde effoſſa eſt & adhuc effoditur tanta vis argenti, vt quin-

Argenti fodinæ Potoſiana.

ta pars

ta pars Regi debita XL. annorum ſpacio ad centum & vndecim Milliones Peſorum acceſſerit. Vnus autem Peſo tredecim nummos Regales (*Reales* vocant) & quartam vnius partem æquat. nec tamen duæ tertiæ partes quintum nummum Regi debitum penderunt. Argentum expurgatur in LV. machinis, ad vicinum flumen exſtructis; & XXII. quæ in Valle Tarapaia viſuntur. Præter has lauatrinas & organa, alia quoque ibi ſunt truſatilia, & quæ ab equis verſantur inque gyrum aguntur. Magna quoque diuitiarum vis eſt in fodinis Guancaualcanis, quæ argento viuo abundant, anno MDLXVII. detectæ: è quibus rex citra vllas expenſas quadringenta Peſorum millia percipit. At eadem quæ tam liberaliter auri argentique fodina Peruuiæ largita eſt, nihil eiuſmodi Braſiliæ contulit natura, ſed earum loco multas alias eximiaſque dotes.

Braſiliæ deſcriptio.

Regio tota imprimis amœna eſt: cœli iucundi admodum & ſalubris temperies, Lenium quippe à Pelago ventorum commodiſſimi flatus matutinos vapores ac nebulas tempeſtiue diſiciunt, ſoleſque putiſſimos & nitidiſſimos reddunt. Scatet ea tota ferme plaga fontibus ac ſyluis & amnibus inclytis: è quibus, vt reliquos taceam, is quem *Argenteum* vocant, leucarum quadraginta oſtio in Oceanum fertur, adeo violentus, vt nautæ dulces hauriant latices, priuſquam tellurem ex alto conſpiciant. Terra partim in planitiem ſoluta, partim in colles clementer aſſurgens, felix præpinguibus glebis, & riguo ſolo ſemperque vernante, credita ſemina multiplici reddit fœnore.

Saccharum quomodo conficiatur.

ſacchari præſertim eſt ferax, quod cœleſte donum Attico melli multis partibus præferendum, proceris arundinibus condidit natura: è quibus aquaria mola dulciſſimus humor expreſſus, in ahenis excoquitur, tum formis in panes cogitur, ad metæ figuram; dein rurſus, vbi libuerit, eliquatus, artifici manu pigmentis ad inſtar ceræ varias in effigies indiſcreta pœne veriſimilitudine trahitur. Cuius generis officinæ hodie, qua præſertim incolunt Luſitani, paſſim exſtructæ viſuntur; atque ex ea merce negociatores vel maximum capiunt emolumentum: ſiquidem nauibus quotannis in Europam euecta, certiſſimo compendio longe lateque diuenditur.

Philippinæ Inſulæ.

Noui Orbis velut appendices ſunt Inſulæ *Philippinæ*, Batuſſæ Ptolemæo dictæ. Quamuis enim, ſi cœli plagam ſpectes, in Aſia aut circa eam ſitæ ſint; per Nouam tamen Hiſpaniam primi earum inuentores ad eam penetrarunt. Præcipuæ ſunt *Luſſonia*, *Tandair*, *Mindanao*. Tandair cæteris omnibus præſtantior eſt & amœnior, & ſingulari nomine vocatur Philippina. ambitus eius eſt CLX. leucarum. *Luſſon* multo eſt maior, ſed minus culta. In hac Hiſpani vrbem condidere, cui nomen Manila, loco opportuno, ad mare. *Mindanao* plures habet vrbes, ***Cailon, Pauaodos, Subut, Rapito, Suriaco.***

Eſt autem harum omnium Inſularum ſolum temperatum,

aer ad calorem accedens, maxime in ora maritima. nam mediterranea frigidiora ſunt. Ager Oryzæ, ſaccari, leguminum feraciſſimus, mellis ingens vbique copia. Ficus ſemicubitales. Piſces, gallinæ anates ad vſum quotidianum abundantes. Sunt etiam auri & ferri metalla, quæ & ad vicina loca & in Hiſpaniam nauibus exportantur. In vniuerſum X L. ſunt. Quum itaque Catholici Regis imperium tam amplum ſit, adeoque pæne dicam infinitum: eius Tractationem quantum ad vires & Gubernandi formam in quatuor partes diuidemus. In prima diſſeremus de iis regionibus quę Europa continentur: in ſecunda Nouum Orbem explicabimus: tertia ditiones quæ in ora Occidentali, & Meridionali Africæ ſunt: in vltima dominia eius in India & Aſia recenſebimus.

Ac prima, ea Hiſpanici imperii pars quæ in Europa ſita eſt, omnium nobiliſſimas ac ditiſſimas regiones complectitur. Hiſpania quidem prima eſt Continentis terræ regio, tanti momenti, vt non minus acriter de eius quam ipſius Italiæ poſſeſſione Romani decertarint. Gothi ac Vandali, poſtquam maximam Romani imperii partem hoſtilibus armis peruaſere, tandem in Hiſpania exoptatiſſimos ibi lares fixerunt. Trebellius Pollio Hiſpaniam & Galliam robur & neruos Romani vocat imperii. Conſtantinus quum imperium diuideretur, prætulit Hiſpaniam (& nos Itali tantopere noſtra, ſi diis placet, admiramur) Italiæ. Quum enim ei pro ſua portione obtigiſſent Britannia, Gallia, Hiſpania, Italia: tribus illis primis contentus prouinciis, Italiam pæne neglexit, eamque collegæ vltro obtulit. Neapolitanum regnum pulcerrima eſt totius Italiæ gemma, atque ita vulgo audit. Natura enim ibidem velut in compendium id omne colleg ſſe videtur, quod per reliquam Europæ partem minutim diſſeminauit. Quid de Inſubria, ſeu Mediolanenſi Ducatu dicemus? Eſtne in toto terrarum Orbe alius annona, frugibus, oryza, pecudibus, lacticiniis, vino linoque opulentior? aut opificum & negociatorum multitudine, ædificiorum populique frequentia abundantior, ſitu loci commodior? Inter omnes Maris Mediterranei inſulas caput effert Sicilia, quum amplitudine tum fertilitate. Inter regiones vltramontanas ſiue terræ fecunditatem, ſiue oppidorum magnificentiam, ſiue politiam, ſiue locorum munitionem, ſiue gentis indolem & induſtriam ſpectemus (neque enim aliunde feliciora prodeunt ingenia, nec expreſſiora priſcæ virtutis exempla) Belgium ſiue inferior Germania citra omnem controuerſiam primas obtinet.

Hiſpania nobilitas, & præſtantia.

Regni Neapolitani.

Ducatus Mediolanenſis.

Belgij.

Adminiſtrandæ Hiſpaniæ forma Regia eſt & Principalis, duobus innixa fundamentis, Religione & iuſtitia: quarum illa protectionem & gratiam diuini numinis, hæc amorem beneuolentiamque populorũ conciliat. Illa animos frænat ac regit; hęc manus ligat & coercet: illa Reipublicæ bona ſpiritualia procurat; hæc pacem temporariam concordiamque tuetur. Hoc in regimine multa præclare inuenta &

Forma Imperij in Hiſpania.

conſti-

conſtituta ſunt. Deliberantur enim omnia in Conſiliis ad id deſtinatis; & potiorem heic locum habent conſilia lenta & grauia, & Fabii cunctatio, quam calida temeritas ac præceps feſtinatio Marcelli. Vitantur, quantum fieri poteſt, rerum nouandarum ſtudia, & conſuetudinum, ac veterum inſtitutorum mutationes. Quo reſpiciens, Cardinalis quidam ad Quatuor Sanctos appellatus (qui poſt Innocentius VIII. Pontifex fuit) dicere ſolebat, ad imperandum ſic ad amuſſim ac vnguem factos ac natos eſſe Hiſpanos, vt hae in re ne hilum quidem erroris committant. Hiſce modis Rex Catholicus ſuo ſub imperio (niſi vbi Principum aduerſariorum obſtat vicinitas) nationes moribus, inſtitutis & ingeniis oppido diſpares, Caſtellanos, Arragonenſes, Cantabros, Luſitanos, Italos, Germanos, Orbem noſtrum Nouumque, ſubditos naturales & acquiſitos, Chriſtianos & Gentiles, quiete placideq; in officio continet. Et ſane rationi omnino conſentaneum eſt, vt ditiones quas Auſtriaca familia modis quietis & pacificis, matrimoniis ſcilicet & affinitatibus, ſibi adiunxit, quiete et & pacifice regantur: quumq; initia adeo iuſta & honeſta fuerint, diutiſſime durent. Quod obiiciunt nonnulli, Imperium hoc diuturnum eſſe non poſſe, quum diu ſum & longe lateq; per totum terrarum Orbem diſperſum ſit, parui eſt momenti. Nam præter alia argumenta à nobis in Diſputatione de Statu adducta, adhuc vnum ſupereſt, quod ſcilicet magna imperia aduerſus externa mala, mediocria, aduerſus inteſtina melius & facilius conſeruentur. Ceterum in imperio hoc ita diuiſo, Amplitudo & Mediocritas coniunctę ſunt. Amplitudo in toto corpore ex diuerſis membris compoſito conſiſtit, Mediocritas autem in maiori membrorũ parte. Quum enim aliqua eius Imperii membra, (Hiſpaniam puta Peruuiam, Mexicũ, &c.) per ſe magna ſint; omnia illa bona habent, quæ tum Amplitudo tũ Mediocritas afferre poteſt, nempe magnas vires contra hoſtes externos, & ſecuritatem aduerſus domeſticas corruptelas & perturbationes. Adde quod interueniente nauigatione & rei maritimæ cura, omnia imperii huius, de quo loquimur, membra non difficillime vniri poſſint. Quemadmodum enim Auguſtus Cæſar vna claſſe, quæ Rauennæ habebat, & altera quæ ad Miſeni ſtabat promontorium, totius Romani imperii ſecuritatem tuebatur, ita & Rex Catholicus, ſi velit, duabus claſſibus, vna in noſtro Mari (Mediterraneo) altera in Oceano, omnia imperii ſui membra tam in Europa quam in Nouo Orbe, vnire poſſit. Qui ſi bonum myoparonum & bellicorum nauigiorum numerum in Mari haberet Atlantico, non ſolum oram maritimam Hiſpaniæ & Americæ defendere, & claſſium vltro citroque commeantium ſecuritati poſſet conſulere, ſed & Anglos ita rerum ſuarum incertos reddere, vt quietam Belgii poſſeſſionem ei non ſint inuiſuri. Quod ad claſſem in mari Mediterraneo attinet, eius beneficio ditiones ad id ſitæ facile coniungi poſſe videntur; ſicut videmus Luſitanos vaſtiſſimas quas

Hiſpani ad imperandũ nati.

Quibus modis rex diſtractas ſuas vires vnire poſſit.

Comparatio potentiæ naualis inter R. Catholicum & Turcam.

circa

circa Perſiam, Cambaiam, Decan, & ad reliqua Indiæ litora habent regiones, iam X C. annos & eo amplius glorioſe ſibi conſeruaſſe. In deliberationibus ſuper hac re habitis quidam cæteroqui prudentes viri, Turcæ riualitatem ſiue æmulationem oppoſuerunt, dicentes, Si Rex immodicis quas in Arces & Præſidia facit, expenſis parcat, & multo minori expenſa claſſem CL. nauium inſtruat (quod ei facile eſt factu) fore vt Turcam incitet (cuius claſſis CXX. triremium numerum non excedit) ad multo maiorem, ducentarum ſcilicet, inſtruendam: vnde ingentes poſtea Catholico Regi, faciundi ſint ſumptus, nec tamen quidquam ad eius potentiam acceſſurum. At profecto nimis hæc ſubtiliter, ne dicã verſute diſputantur. Et in rebus practicis, nihil infelicius fere, quam à nimio ingenii acumine profecta ſuccedunt. Neq; enim ſatis eſt dicere, futurum vt Turca maritimis viribus ſuperior eſſe velit; ſed id quoq; cogitandum eſt, vtrum hoc in ipſius futurum ſit poteſtate. Quamuis enim Turca plus oræ maritimæ poſſideat quam rex Catholicus; non tamen copiam nemorum habet, nec hominum conſtruendis & regendis nauibus idoneorum. In vniuerſo enim Africæ litore vix vllum habet locum, exceptis Algerio & Tripoli, vbi vnum triremium par inſtruere aut tenere poſſit. Idem de Ponto Euxino dicimus, vbi nihil magni ad rem naualem momenti eſt, præter Capham & Trapezuntum. Idem quoq; de tota quaſi ora Aſiæ eſt iudicium. Non enim ſatis eſt, oris maritimis longe lateque imperitare: ſed pluribus rebus opus eſt; hominibus, inquam, rerum maritimarum peritis, qui labores & incommoda maris tolerare poſſint, quibus cordi ſit nauigatio & negociatio maritima, quibus ligni, canabis, &c. ſit ſatis, qui vitã periculis exponere, & fortiter in iis verſari auſint, qui mortem inter Scyllam & charybdim conſtituti, prouocare non extimeſcant, qui ventorum & tempeſtatum minis non exanimentur. At in dimidiata Turcici imperii parte populus Mari aſſuetus non eſt, nec fere vllum earum rerum habet vſum. Inter omnes nullus eſt, qui Catalaunis, Cantabris, Luſitanis, Genuatibus, (hos nomino, propter multa officia quæ Regi Catholico in ſuis claſſibus præſtant) cõparari vel opponi queat. Duabus Deniq; rebus Rex Catholicus Turcæ præualet. Vna, ꝙ quamuis Turca plures ſub imperio in noſtro hoc Orbe contineat, eis tamen, quod magna ex parte Chriſtiani ſint, contra Chriſtianos fidere nõ multum audet, altera, quod oræ Maritimæ Catholici Regis magis continuæ & vnitæ ſunt quã eæ quas Turca poſſidet; eoq; cõiungi Regis vires facilius poſſint. Compertum ẽt eſt claſſes Orientales plerumq; ab Occidentalibus, Meridionales à Septemtrionalibus, vt Carthaginienſes ab Romanis, Aſiaticas à Græcis fuiſſe ſuperatas. Octauius Cæſar Italicis claſſibus fregit Ægyptiacas; noſtro tempore Chriſtiani Turcicas. Ipſi Turcæ fatentur ſuas triremes noſtris cedere; earumque impetus valde timent. Quoties Carolus V. claſſem inſtruxerat, tantas vires coniunxit

vt Turca

vt Turca loco ſe mouere vix auſus fuerit. Ad expeditionem enim Algerianam eduxit naues quingentas; ad Tunetanam plus quam ſexcentas, Andreas Auria tantas in Græcia expoſuit copias, vt Turca nihil mouere auſo, Patras ceperit & Coronem. Et hæc quidem hactenus.

Belgij maritima potentia.

De Maritimis viribus quas Rex ad Oceanum habet Germanicum, nihil dixi, propter Belgii motus. Verum enimuero quę Europæ regio magis abundat tam nauium quam hominum ad res maritimas inſtructiſſimorum incredibili copia quam Hollandia & Selandia? Ecqui portus magis frequentantur, quam Fliſſinga, Middelburgum, Antuerpia, Amſtelredamum? Nihil dicam de concurſu nauium omnis generis ad Hiſpalim, quo claſſes ex Noua Hiſpania & Peruuia appellunt, in quibus ſemper maximus Nauarchorum & Nautarum numerus exercetur. Cantabrorum in re maritima peritiam & virtutem commemorare nihil attinet, qui tum in arte militari, tum nautica ita excellunt, vt pari ferocia & hoſti armato & horribilibus Oceani fluctibus occurrere auſint. Sed in hac de Maritimis viribus diſputatione longius aliquando præter inſtitutum noſtrum prouecti ſumus. dicamus nunc aliquid de Terreſtribus.

Peditatus ſub Rege Catholico.

Terreſtres Catholiei Regis vires conſiſtunt in Equitatu & Peditatu. Ad hunc quod attinet, optimi ex omnibus Germaniæ populis milites pedeſtres ii habentur, qui vulgo *Walones* ſiue Gallobelgæ dicuntur. De Hiſpanis non eſt meum quidquam dicere; quum hanc nationem ab omni æuo bellicoſiſſimis totius Orbis gentibus annumeratam fuiſſe conſtet. Galli IX. annorum ſpacio à Romanis domiti & ſubiugati fuerunt; at Hiſpani bellum ad ducentos fere annos duxerunt. Ad *Cantabros* domandos Auguſtus ipſe proficiſci neceſſe habuit. Hiſpani patria à Mauris liberata, continuo arma in Africam conuerterunt, & præcipua eius loea occuparunt. *Luſitani* inuaſerunt Mauritaniam; oris maritimis Guineæ, Æthiopiæ & Cafrariæ frænum impoſuerunt; acquiſiuerunt Indiam, Malaccam, & inſulas Moluccas. *Caſtellani* Atlantico pernauigato Oceano, Noui Orbis dominium ſibi ſubiecerunt, in quo infinita ſunt regna, prouinciæ, populi, linguis, veſtitu, moribus differentes. Iidem Gallos Neapoli & Inſubria expulerunt. Hiſpanorum virtus *in ſagacitate* poſita eſt, nulla enim alia gens melius nouit quid in bello conducat, aut quid obſit. In *diligentia*. nihil per ſecordiam ſibi elabi ſinunt, omnibus rerum gerendarum occaſionibus vnice intenti. *In vnione & concordia.* nunquam enim extra patriam inter ſe infeſtis armis concurrerunt. In *tolerantia* denique famis, ſitus, æſtus, frigoris, laboris, omniumque incommodorum, qua omnes alias nationes fatigant & vincunt. His quidem virtutibus multas præclaras victorias ab hoſtibus reportarunt. Quamuis autem victi aliquando ſunt; eos ipſos nihilominus à quibus victi fuerant, rurſus vicerunt, ſicut accidit in memo-

Quibus in rebus poſita Hiſpaniarum virtus.

rabili illa ad Rauennam clade, nec vnquam inſigni aliqua clade affecti ſunt; etſi multos aduerſos fortunæ caſus ſubierunt, vt in Expeditione Algeriana & Tunetana. III. aut IV. Hiſpanorũ millia ſusque deque verſarunt nobiliorem Germaniæ partem, & per medios hoſtes vndique perruperunt. De peditatu Italico qui Catholico Regi paret, non eſt meum dicere. notum enim eſt militare robur Marſorum, Pelignorum, Hernicorum, Samnitum, Lucanorum. Quod ad *Equitatum* attinet, Hiſpaniæ quidem Rex omnium generoſiſſimas equorum totius Europę habet propagines, nempe Aſturcones Hiſpanicos, qui vulgo *Giannetti* dicuntur; maiores Neapolitanos, quos vulgus *Corſieri* (quaſi equos ad curſum, vt Varro loquitur, idoneos) appellat; *Sequanicos*, qui inter Gallicos excellunt; & Belgicos, præcipue Friſios, qui totius Germaniæ præſtantiſſimi cenſentur. Populos quidẽ ſub Catholici Regis imperio Natura ipſa quodammodo armaſſe videtur, ferrifodinis Biſcaiæ, Guipuſcoæ, & Molinæ; Temperatura quæ eſt Baionæ, Bilbili, Toloſettæ, Calataiur; Officinis armorũ, quæ ſunt Mediolani, Neapoli, Syluæ ducis; inſtruxiſſe eos annona, cõmeatu & horreis inexhauſtis Apuliæ, Siciliæ, Sardiniæ, Arteſiæ, Caſtiliæ, Andaluſiæ. Eadem largita eſt illis præſtantiſſimi vini copiam, nempe Somæ, Calabriæ, Sañ Martini, Aiomontis, & aliorum infinitorum locorum. Sed præcipuum quo Catholicus rex abundat, eſt ingens vis auri & argenti, quo quantũ vult equitatum ac peditatum ex Italia & Germania conducere poteſt, ne gens Hiſpanica tot in partibus diuerſiſq; expeditionibus intricata, nimiopere conſumatur.

Equitatus regis Catholici.

Ferrifodina & Armatura.

Annona.

Principes quorum regiones Catholici Regis ditionibus finitimæ ſunt, & reſpectu aliquo contemni non debent, ſunt, Veneti, Franciæ & Angliæ Reges, & Turca. Cum Venetis iam inde ab eo tempore quo ditio Mediolanenſis penes Hiſpanos eſt, altiſſima quies & pax Regi fuit; quod Veneti in id tantum intenti ſint, vt ditiones ſuas tueantur, & oppida & Arces habeant quam munitiſſimas, omnibus propagandi imperii ſpretis conſiliis. Quum enim tota eorum Reſpublica ad pacem collineet, non expedit vt res in vicinia turbent. Regi etiam Catholico tot regiones parent, vt eis contentus ſit. gens etiam Hiſpanica expeditionibus aduerſus Turcas, Mauros, aliosque hoſtes in Europa, Aſia, Africa & America, iisque tam neceſſariis & fructuoſis occupara eſt, vt alio vires ſuas conuertere vix poſſit. Quin etiam vidimus Hiſpanos promte alacriterque in Venetorum gratiam arma cepiſſe iam tum quum eorum Reſpublica maximis ac difficillimis bellis, ab Baiaſete, Solymanno, Selymo, Turcarum tyrannis, ad Cephaleniam, Preueſam, Lepantum, illatis verſaretur: quamuis Turcis multo ipſi quam Veneti ſint viciniores: quum ad latera haberent,

Principes finitimi. Veneti.

& etiamnum habeant, Algerium, Tunetum, Aphrodiſium, quæ ab Hiſpania, Sicilia, Sardinia, Balearibus inſulis & regno Neapolitano propius abſunt quam Cyprus & inſulæ maris Ionii. Franciæ Rex Catholicus defenſionem ſuſcepit, fecitque ſumtus inæſtimabiles in Occitania, Prouincia Narbonenſi, Delphinatu, Britannia, Lutetiæ Pariſiorum aliisque in locis. Quid autem diceremus, ſi Francia cum Hiſpania ſub vnum imperium redigeretur? Equidem optari id magis ab Hiſpanis, quam effectum dari poſſe arbitror, multas ob cauſſas, quas allegare non eſt huius loci. nec vero eſt vt Franci multas ſibi de Hiſpanis victorias promittant. Francorum enim vires in impetu & celeritate, Hiſpanorum autem in cunctatione conſiſtunt. Facilius autem in cunctādo impetum eludere, quam elidere impetu cunctātem & cedentem. Impetus enim facile præuideri, & conſtantia frangi poteſt. Conſaluus ille cognomento Magnus, Barlettam cum exercitu profectus, poſtea ad ripas Litis fluuii ſubſiſtēs, primo Gallis poſſeſſionem regni Neapolitani, altero omnē eius recuperandi ſpem eripuit. Iiſdem artibus Antonius Leua Franciſcum Gallorum regem defatigauit ad Ticinum: & Proſper Columna omnes eius Regis Præfectos è Ducatu Mediolanenſi eiecit. Fateor equidem, impetum multum in oppugnandis vrbibus valere; fateor etiam Francos hac in re aliquid præſtitiſſe ad Iuoſium, Momediū, Caletum; iidem tamen quotieſcunq; de ſumma rei decertatum fuit, vt plurimum victi fuerunt, vt prœliis ad Greuelingam, Fanum S. Quintini, & ad Senas. In his enim plus valet ordo & ars, quā furor; in illis vero, nempe vrbiū oppugnationibus, plus efficit impetus & furor, quam conſilium. Etſi autem Hiſpani cunctando præclaras aliquando rerum gerēdarum occaſiones elabi ſibi paſſi ſint, eaque ex cauſſa non leuia incommoda ſæpe ſubierint; illa tamen ipſa cunctatio, maxime quando cū Gallis eis res fuit, non ſolum in rebus bellicis, ſed aliorum etiam negociorum tractationibus, Hiſpanis feliciter ceſſit. Ad Anglos nunc veniamus: quorū Arma ad ſui & Inſulæ defenſionem quam aliorum offenſionem magis ſunt accommodata: eaque omnium eſt Inſularum natura, quæ quidem aliquam habent potentiam & momentum. In minoribus enim nec ad ſe tuendas, nec ad alios offendēdos ſatis eſt virium. Hinc Anglos nihil fere præclari in Continenti feciſſe videmus niſi aliorum ope adiutos. Franciam quidem diuexarunt, ſed auxilio Ducis Burgundiæ. Deſerti deinde ab aliis non ſolum quod in Francia acquiſiuerant, ſed & ditiones hereditarias amiſerunt, excepto Caleto & Comitatu Oyenſi; quibus etiam ſuperiori tempore paucorum dierum ſpacio à Franciſco Guiſio Duce ſunt exuti. Iidem Belgium nunc exagitant, ſed auxilio Belgarum inprimis; ſic vt Natura Angliam iis quibus ſemel eam circumſcri-

pſit

ſit limitibus continere voluiſſe videatur, & magis conſeruando quam propagando Imperio inuigilare.

Sunt itaque Angliæ vires diuexandis magis Catholici regis ditionibus quam occupãdis aut magno periculo inuoluendis idoneæ. Vt vero facilius diuexare eos poſſint & velint, regionum facit amplitudo & opulentia, latronum & piratarum iniuriis multis in locis opportuna atque expoſita. Sicut autem nemo miratur, Turcam tam potentem Principem mare à binis Melitenſium aut Florentinorum equitum triremibus, earumq; excurſionibus defendere ac ſecurum reddere non poſſe; ita nemini quoque mirum videri debet piratis Anglis in immenſo illo Oceano, qui Catholici Regis ditiones alluit, iter præcludi non poſſe.

Oceanum nunc traiiciamus. Ditiones quas Catholicus Rex in Nouo Orbe poſſidet, tam magnæ ac tam potentes ſunt, vt parum eis ab hoſte quocunq; ſit metuendum. Hiſpani enim omnibus in locis opportunis numeroſas fundarunt colonias: quibus occupant fauces fluminum, Portus Maris, & præcipuos tranſitus, omniaque loca ad continendas in officio & tuendas annonæ fertiles, aut metallorum venis ſcatentes regiones, aut ad feroces populos compeſcendos, vel ad frænandas validas ciuitates opportuna. A meridie omnes hæ Noui Orbis regiones nullum hoſtem habent, qui negocium aut moleſtiam eis faceſſat. Nulla enim ibi Inſula nec Continens ipſis ad aliquot Milliarium millia adiacet. A latere Septentrionali vexantur aliquando à Francis & Anglis, qui ad claſſes & portus deprædandos eo vſque excurrunt. Maximum iis in locis damnum paſſi ſunt Hiſpani anno MDLXXXVI. quando Franciſcus Dracus Anglus S. Dominici in Hiſpaniola inſula oppidum diripuit, & in Continenti Cartagenam. Sed ea Anglorum audacia in cauſſa fuit vt Hiſpani circumſpectiores facti ſint, meliusq; earum regionũ ſecuritati proſpexerint; quas quidem ipſa Natura ab illo Septentrionali latere mirabiliter communiiſſe videtur. Primo tot Inſulis, quæ velut ſeptum aut vallum Nouæ Hiſpaniæ prætẽduntur. deinde frequẽtia Breuium, vadorum & Arenarum, & mira fluxus & refluxus marini varietate. Fluxus hos *Currentes* ſiue *Salientes* vocant. Inter ceteros vnus eſt rapidiſſimus, qui per Sinũ Pariæ, vbi *Os Draconis* vocatur influens, deinde inter Iucatan & Cubam tranſiens, inter Cubam demum & Caput Floridæ tam rapide ſe retrorſum vertit, vt nec expanſis celox velis eum vllo modo ſuperare, aut contraniti valeat. Et ſane fluxus hæc & ventorum varietas, aliaque maris pericula merito terrori eſt iis quibus nullus ad certum aliquẽ portum receptus eſt. Hoc Naturæ beneficio Rex Catholicus vtẽdum ſibi exiſtimans, egregiã Arcem in quadã Inſula, Veræ Crucis oppido vicina, in plaga Mexicana, exſtruxit. Ædificauit etiam

Vires Regis Catholici in Nouo Orbe.

aliam munitionem Hauanæ, in Cuba, ex aduerſo Floridæ. Illa hoſtibus opportunitatem euitandi fluxus tollit; hæc facultatem eo vtendi. Excitauit denique validam Molem in S. Dominici oppido, quod, tam opportuno loco ſitum eſt, vt ad obtinẽdum eius Maris imperium factum eſſe videatur. Et vt concludam; ſicut Italiæ ſitus talis eſt, vt ad imperandum mari Mediterraneo nihil eo ſit commodius; ita & Hiſpaniæ ad Oceani dominium obtinẽdum. Ipſa denique teſtatur experientia, Hiſpanos ſuapte natura variis climatum regionumq; plagis earumque moleſtiis tolerandis magis quam ceteros mortales eſſe idoneos.

Philippinarum plenior deſcriptio.

De Philippinis etſi ſupra aliquid dictum eſt, tamen heic quoq; nonnulla ad earum cognitionem pertinentia, explicabimus. Accenſentur Nouæ Hiſpaniæ, non quod eius aut Noui Orbis finibus includantur, ſed quod anno MDLXIV. detectæ fuerint per Michaelem Lopeſium Legaſpium, qui à Ludouico Velaſco Nouæ Hiſpaniæ Prorege ad inquirendum incognitas terras miſſus fuit. Dictæ ſunt Philippinæ, in honorem gratiamque Philippi Hiſpaniarum Regis, cuius auſpiciis ea expeditio erat ſuſcepta. In illo Oceano qui eſt inter Taprobanam & Nouam Hiſpaniam, vndecim millia Inſularum diuerſæ magnitudinis & generis eſſe perhibentur. Quamuis autem Hiſpani eas omnes Philippinarum nomine comprehendant, id tamen nomen proprie iis conuenit quæ Septẽtrionibus ſunt propiores. Ex his plus quam quadraginta Hiſpani hactenus ſui iuris fecerunt, ducentis hominum millibus ſubactis. Præcipua dicitur Luſſon, quæ ducentas quidem leucas longa, ſed ſtricta admodum eſt. Ibidem ad ingentis

Manila oppidum.

fluuii oſtium, qui Manila vocatur, Hiſpani elegans eiuſdem nominis oppidum condiderunt, vtrimq; mari & flumine cinctum. Vbi fluuius in mare ſe exonerat, Turrim robuſtam exſtruxerunt; ab altera fluminis parte oppidulum, cui antemurale ex ligno & terra, murus ex lapide & calce. Inter alias quoque Inſulas ibi eſt Cebu, in quo celebris ille Ferdinandus Magellanus obiit. Ambitus eius eſt vndecim leucarum. ſita eſt ſub decimo gradu latitudinis. Tam hæc quã aliæ vicinæ inſulæ frugibus abundant, & auri venis; Mindinao etiã Cinnamomo, quod magna copia in Nouã, atq; inde etiam ad Veterem noſtrã Hiſpaniã exportatur. Mandato Regis Catholici ex Noua Hiſpania in has Inſulas, boues, equi & equæ ad propagandum genus ſunt delatæ. Hiſpani qui regiones illas acquiſiuerunt, & iam defendunt, numero ſunt circiter mille & ſexcenti. Milites inter hos nõ ſunt plures nongentis. Ædificarunt Arces locis opportunis, maxime in Luſſon, Pauai, & Cebu: & triremes aliquot & veloces ſemper habeant in promtu. In Manila ciuitate domicilium habet Epiſcopus, cum XVIII. viris Eccleſiaſticis. Pattib. Ordinis D. Auguſtini, & Societatis Ieſu:

Digitized by Google

quorum opera & ſtudio ad trecenta hominum millia conuerſa ſunt. Maximum impedimentum, quominus conuerti ſe patiantur, polygamia eſt, quæ apud cunctas illas gentes eſt vſitata. In his ſane inſulis plus momenti eſt poſitum, quam quis forſan exiſtimet. Vltra copiam enim alimentorum & auri quod ibi reperitur, per opportunè eædem ſitæ ſunt cum ad ceteras inſulas ſubiugandas, tum ad Molucas conſeruandas; ad promouendam deniq; in illo Archipelago nauigationem & commercia inter Chinenſes & Mexicanos. Quæ etſi magni ſunt ponderis, illud tamen multo eſt maioris, quod inde tamquam frænum tam ſuperſtitionibus & impiis dogmatis quam armis Mahumetanorum eſt iniectum; qui paullatim ſibi dominium tam Continentis illius in Aſia quam Inſularum parare incipiebant. Quin etiam Caſtellanis ex Noua Hiſpania Peruuiaque expeditio quam Arabibus ex ſua ditione facilior eſt. Præterquam enim quod illi hos viribus longe ſuperant, compertum fuit nauim bimeſtri ſpacio ex Peruuia ad Philippinas (quæ propius ab Apulcoa & Saliſco quam Peruuia abſunt) appuliſſe, quò nauis ex Arabia toto ſemeſtri non pertingat: non ob id modo quod Arabia à Philippinis longius diſſita ſit quam Peruuia, ſed quod venti communes Caſtellanorum nauigationi (hi enim rectum, illi obliquum tenent curſum) faueret impenſius. Conficiunt præterea Caſtellani inſtitutum iter vno tractu, ſine vlla quaſi interſtrigatione; Mauri vero pluribus. Vbi enim ad Comorinum promontoriũ peruenerũ fuerit, æſtiuũ eis tempus in hibernum mutatur. Idem fere eis accidit ad Malaccam, vbi venti anniuerſarii (quos vulgus *Monſons* appellat) exſpectandi ſunt. Quod amplius eſt, Caſtellani ſemper vento ſecundo & in mari tranquillo (vnde etiã *Pacifici* nomen inuenit) nauigãt; Arabibus aũt Archipelagus ſulcandus eſt, in quo varios improuiſoſq; ventos ac tẽpeſtates ſentiũt, & in piratas ſæpe incidunt & latrones. Adde, ꝙ ſicut exiſtimatio Caſtellanorũ Luſitanis opitulatur ob vicinitatem; ita Luſitanorum virtus Caſtellanis id beneficium abunde fenerat: ac ſi cõtingat, vt duo hi populi coniunganrur atq; vniantur, nihil non in illo mari efficient. Cuius rei non ignari Chinenſes proſpiciunt ſibi, ac cauent, Chriſtianorumque vicinitatem & arma ſuſpecta habent.

Dicamus nunc aliquid de ditionibus, quæ cũ regno Luſitaniæ ad Hiſpaniarum Regem ſunt deuolutæ. Regnum hoc CCCXX. milliaria longitudine, & LX. latitudine comprehendens, quamuis exiguis limitibus circumſcriptum, nec ſuo ac loci genio valde ſit opulẽtum, ſitum tamen habet tã opportunum, vt ad nauigationes & lucrum faciendum vix quidquam commodius excogitari poſſit. Incolæ tanto ſunt animo, vt expeditiones in Barbariam, Africam, Æthiopiam, Indiam, Braſiliamque ſuſce- *Luſitanici Regni Appendices,*

perint ac pertecerint. Iidemiam per XC. annos continuos dominium præcipuorum locorum & Portuum in dictis prouinciis ſibi vindicarunt atque vſurparunt, vt & Patronatum in Oceano Atlantico & Eoo nauigationis. Sed antequam ad cetera pergamus, de *Terceris* inſulis aliquid heic dicemus; quod ſpeciali iure ad Luſitanicum eæ pertineant regnum. Hæ inſulæ ob ſitum adeo opportunæ ac neceſſariæ ſunt, vt ſi non eſſent, vix in Æthiopiam, Indiam, Braſiliam & Nouum Orbem inſtitui ac perfici queat nauigatio. Claſſes enim quæ ex dictis illis regionibus ſoluentes, Hiſpalim, & Olyſſiponem petunt, vix vitare poſſunt, quin in eis exſcenſionem faciant. Et Claſſes, quidem Occidentales, vt ventos ſequantur; Orientales vero, vt ventos ſecundos exſpectent. Celebres non ita pridem factæ ſunt, primum propter incolarum pertinaciam contra Regem Catholicum, tum quum etiam Luſitaniæ regnum eſſet adeptus; deinde ob victorias, quas circa ipſas Hiſpani contra Francicas & Anglicanas claſſes obtinuerunt.

Tercera inſula, alias Aſores.

In Africæ Continenti præter Septam & Tanger oppida, quæ rex Catholicus Luſitanici regni iure poſſidet ad Fretum Gaditanum, & Magazanum extra Fretum, XX. ab Arzilla milliaribus, Meridiem verſus, à Capite Aguero ad illud quod Guardafu dicitur, idem duo ditionum (Status vocant) habet genera. Sunt enim regiones quædam, quæ immediate ipſi parent; aliæ Confederatis ipſius ſubſunt. Ad eiuſdem imperium pertinent Inſulæ Maderà, Portus Sanctus, Inſulæ Capitis Viridis, Arguini, Sancti Thomæ, & aliæ complures: quæ non modo ſufficientem ſibi producunt annonam, ſed magnam quoque eius partem ad vicinos, & in Europam etiam mittunt, ſaccarum imprimis, & arborum fructus, quibus maxime, vt & vino præſtantiſſimo, abundat Madera. Hæc vero loca à nemine alio quam ab Anglis & Francis piratis infeſtantur; ſed raro ii vltra Caput Viride prouehuntur. In inſulis Arguini & S. Georgii della Mina habent Luſitani duas inſtitorias (*Fattorias* vocant) eaſque ad exemplum & formam Arcium factas domos, in quibus variæ merces, quas cum vicinis Guineæ & Libyæ gentibus commutant, aurumque ex Narſinga locisque finitimis ad ſe trahunt.

Luſitanorũ poſſeſſiones in Africa.

Inter confederatos Catholico Regi iis in locis Principes ditiſſimus honoratiſſimuſque eſt *Rex Congi*. Eſt enim id regnum amplum, potens, opulentum. Mira aeris temperie rerumque copia ceteris Æthiopiæ plagis antecellit. Luſitani duas ibi habent colonias, vnam in *S. Saluatoris* ciuitate; alteram in inſula quam *Loandam* dicunt. Capiunt ex hoc regno alias quoque opes; ſed præcipuum eſt, quod quina mancipiorum millia quotannis inde in Inſulas & Nouum Orbem auehuntur. Pro vno quoque quod

Regnum Congi.

educitur

educitur inde Mancipio, amplum Luſitaniæ Regi vectigal pendi ſolet. Ex hoc regno ad ditiones Preteiani (quem *Presbyterum Ioannem* vulgus vocat) facile perueniri poſſit: non enim longiſſime abeſſe exiſtimatur. Congi vero regnum adeo Elephantis, annonæ copia, omnibusque aliis rebus neceſſariis affluit, vt ad eam Expeditionem magnum adferre poſſit adiumentum. Non procul inde abeſt regnum *Angola*, cum cuius Principe diu bellum geſſerunt Luſitani. Belli cauſſa primaria fuit Fodinæ quædam argenti; quæ Potoſianis neutiquam cedunt; immo tanto illis meliores ſunt quantum argentum purum miſto & impuro præſtat. Vt autem quod res eſt dicatur, ſi Luſitani res vicinas tanti quanti longinquas feciſſent, eaſq; vires, quibus Caput Bonę Spei ſuperarunt, penetraruntque in Indiam, Malaccam & Moluccas, in expeditionem Africanam contuliſſent; facilius ac multo minoribus expenſis maiores ſibi opes acquirere potuiſſent. Nulla enim in Orbe Regio auro argentoq; ditior eſt Narſinga, Æthiopia, Congo, Angola, Butua, Teroa, Maticuca, Boro, Quitieni, Monomatapa, Cafati, Monoemugi. *Angola Regnum.*

Humana ſed enim cupiditas plerumq; rem
Pluris alienam quam ſuam ipſius facit,
Remotiusq; res videtur diſſita
Propiore maior eſſe re.

Inter Promontoria Bonæ Spei & Guardafuenſe habent Luſitani Arces Ceſalæ & Moſambique. Illius beneficio negociationem cum vicinis regionibus (quæ omnes auro & ebore abundant) tuentur; huius autem Nauigationem Indiam verſus, faciliorem leuioremque reddunt: propterea quod hic claſſes ipſorũ interdum hibernant, & plerumque ad tempus aliquod, dum neceſſaria prouideantur, & tam victores quam nautæ recreentur, ſubſiſtunt. Habent in hac eadem plaga Luſitani Regem Melindæ, Quiloæ aliarumque vicinarum Inſularum ſibi tributarios. Vno verbo dicam: *Nihil Luſitanis hic quam viri deſunt.* Nam prę ter alias Inſulas quæ proſtituunt ſe quaſi & parent omnibus, ſita hic eſt *Inſula S. Laurentii*, maximis totius Orbis merito annumeranda. Longa enim eſt MC. lata autem CCCCLXXX. milliaria. Eſt autem omniũ rerum ad humanam vitam conducibilium abundans. profert enim, fere ſine cultura, oryzam, goſſypium, ſaccarum; limones, caryophylla, zingiber, crocum, ſantalum rubrum, aliaque permulta. Elephantorum etiam copiam habet ingentem & camelorum, quorum carnes habent in deliciis. Leones etiam, leopardos, ceruos, damas, capreas, gallinas nutrit. Incolæ partim Mahumetani ſunt, partim Gentiles, reguntur à quatuor ſenioribus. Vrbes non habent, ſed vicatim habitant. Loca præcipua ſunt Antipera, Manitenga, Manapatan, Manaiara, *Inſula S. Laurentii.*

Mamainto, ad quam ſylua ſunt ſantali, Antongil. Vilitas rerum maxima. Boues gibbum habent ex ſebo: oues caudas duodenûm, aut amplius librarum. His regionibus Luſitanicæ coronæ velut gemmis nobiliſſimis, vix quiſquam inſidiari poteſt, præter Turcam: quod mari tantum adiri poſſint. Sed perpetuus vltro citroque commeantium Hiſpanicarum claſſium curſus ſecuritatem eis parit. Anno quidem MDLXXXIX. quum Turcæ eo vſque penetraſſent, Luſitani quamprimum collectis aliquot nauibus ad Mombazam IV. triremes, & vnam Nauim longam eis eripuerunt.

Luſitanorũ poſſeſſiones in Aſia.

Ditiones quas in Aſiæ finibus Luſitani obtinent, circa Perſiam, Cambaiam, & in India tam citeriore quam vlteriore ſitæ ſunt. In Perſia habent ***Ormuz***, in Cambaia inſulam ***Diu***, ***Damanũ*** & ***Bazuin***. In India citeriore poſſident inſulam ***Chaul***, ***Goam***, cũ vicinis Arcibus, ***Cochim***, ***Colam*** & inſulam ***Mauar***, in Zeilon inſula Portum ***Columbi***. Sed harum omnium caput eſt Goa, Proregis & præcipuarum totius Indiæ virium, ſedes. Ormuz ſane & Goa magni non immerito æſtimantur, ꝙ his veluti habenis dominium maris, & negociatio in Sinu Perſidis & Cambaiæ à Luſitanis retineantur; ***Cochim*** & ***Colam*** propter copiam piperis, ꝙ nauibus impoſitum quotannis in Europam exportatur; Mauar, ob Margaritarum piſcationẽ, quæ in illo fit mari; Columbi portus, propter excellentiam & copiam Cinnamomi, quod ea inſula præbet; Damanum & Bazuin, ob fertilitatem regionum circumiacentium; quã motus Ioannes III. Luſitaniæ rex veteranis prædia in dictis regionibus aſſignauit. Goa inſuper maximi eſt momenti, propter ſitus opportunitatem, cum terræ vbertate cõiunctam. Omnes vero hæ citerioris Indiæ regiones Goſſypio, Palmis (quibus maxima incolarum pars ſe ſuſtentat) Oryza, Pipere, Zingibere aliiſque fructibus abundant. Habitant circumcirca multi Principes Catholico Regi partim amici & Cõfederati, partim tributarii. Inter illos ditiſſimus eſt Rex Cochinenſis, qui prius Calecutani regis fuerat beneficiarius, nec potens admodum; nunc vero ex Luſitanorum amicitia & commercio tantas opes vireſque acquiſiuit, vt inter vicinos reges multos habeat inuidos. In duobus his locis habet Rex Catholicus ciuitatulas quaſdam, quanti vis precii. Sunt & ibidem nonnulli Reguli Luſitanorum tributarii.

Luſitanorũ vires in India & quibus in rebus ſitæ.

Luſitanorũ in his ditionibus vires duabus in rebus ſitæ ſunt. Vna eſt ſitus locorum opportunus & munitus; altera numerus Claſſium, & precium earum ingens. Ad ſitum ꝙ attinet, Luſitani paucitati ſuarum diffiſi, quum in Mediterraneas regiones expeditionem ſuſcipere non audeant, vtpote Perſis, Guſuratis, Principibus Decan, Regi Narſingæ & aliis longe impares viribus;

bus;in id hactenus omni ſtudio incubuerunt,vt ea loca quorum com modus ad nauigationem promouendam & obtinendum maris imperium, ſitus videbatur, præcipue ea vbi pauci mulris frontem obuertere audetent,in ſuam redigerent poteſtatem. Vnde quum Portuum iam & Pelagi domini ſint, tantas matitimas cogere vires, vt nemo eis reſiſtere queat. Nauigia eorum ita inſtructa ſunt,vt vnum bina vel trina quaterna ve alterius generis non exrimeſcat. Sed operæpretium eſt exempla aliquot proponere, vt tanto melius ipſorum in Indiis potentia cognoſcatur. Franciſcus Almeida cum X X. aut paullo pluribus nauibus fudit Mamaluchos ad Diu. Alphonſus Albuquercius cum claſſe X X X. magnarum nauium oppugnauit Calecutum. Nauibus X X I. cepit Goam. Nauibus X X X I V. eandem recuperauit. Nauibus X X X I I I. expugnauit Malaccam. Nauibus X X V I. penetrauit in Mare Rubrum. Nauibus X X I I. recepit Ormuz. Deinde Luſitanorum potentia magis magiſque indies inualeſcente, Lupus Suarez iterum in Mare Rubrum expeditionem ſuſcepit X X X V I I. nauibus. Lupus Sequeira X X I V. nauibus, ſed maiore quam vmquam militum numero, tentauit Gniddam ad ad Mare Rubrum. Idem X L. duxit ad Diu oppidum oppugnandum. Henricus Meneſius L. nauibus vaſtauit Patani oppidum & emporium. Lupus Vazius Sampaius in Armamentario reliquit C X X X V I. Naues bellicas omnis generis apparatu probe inſtructas, Nonius Acunia,contra Diu expeditionem ſuſcepit C C C. nauibus,in quibus tria erant Luſitanorum,& Indorum quinque millia, excepto famulorum armatorum ſatellitio, quos ſecum magno numero ducere ſolent. Conſtantinus Braganza in Expeditione contra Onor L X. habuit naues veliferas,nec minore in ea quam contra Patane eſt aggreſſus.

Præter confœderatos & amicos Principes, itemque tributarios Luſitani in his ditionibus confines habent hoſtes potentiſſimos, nimirum Perſarum Regem,qui in Ormuz, quod ſub eius clientela olim fuit,ius ſibi vindicat; Regem Cambaiæ,qui Dium (quæ inſula ſub ipſius fuerat) imperio aliaque loca in toto illo littore ad ſe pertinere contendit: Nizzamaluccum & Idalcanum (ita vocantur duo potentiſſimi Principes regni Decan) Luſitanos nunquam bello impetiuerunt, quod eis ſemper cum aliis longe potentioribus hoſtibus res fuerit. Cæteri,quamuis ad recuperandam Diu, Chaul,Goam,aliaque loca omnes neruos intenderint, nihilque intentatum reliquerint,nullam tamen expeditionem feliciter vnquam confecerunt. Situs enim illorum locorum recipiendis auxiliis maritimis commodiſſimi ſunt. Et licet hoſtes nonnullas expeditiones hiberno tempore (vt ſuppetiis recipiendis Luſitanos prohiberent) ſuſceperint,nihil tamen profecerunt;ſiquidem nauium Luſitanicarum robur & apparatus, & ipſorum Luſitanorum feroces animi, maximis contemptis *Principes ibi finitim*

S 5 periculis

periculis omnia clauſtra perfregerunt. Dum itaque coniunctis viribus atque animis operam dant Luſitani, obſeſſi, vt perdurent,& patientia omnes moleſtias & difficultates vincant; alii vero qui extra periculum,quo obſeſſis ſociis ſuccurrant, omnia maris & ventorum pericula ſubire non recuſant: facile omnes omnium hoſtium conatus irritos reddiderunt. Nullus autem Luſitanis acrior ibi & formidabilior hoſtis, quam Turca, qui iis commoditatibus quas Adena vrbs ei præbet, fretus ex Mari Rubro eductis claſſibus ex India illa Luſitanos profligare atque eiicere conatus eſt, ad eiuſmodi expeditiones modo à Cambaiæ rege, modo ſuaipſius ambitione extimulatus.

Maxima claſſis quam Turca ibi inſtaurauit, LXIV. fuit nauium, quas ad Diu oppugnandum miſit: ſed ea Luſitanis ſic fuit excepta, vt turpi fuga, non ſine damno, vnde venerat, ſe receperit. Aliam deinde XXXII. magnarum nauium contra Ormuz miſit; quæ fere tota oppreſſa ac lacerata interiit, paucis nauibus domum reuerſis. In Zeilon Inſula Luſitani nihil poſſident, præter Arcem & Portum Columbi. Rex enim qui eorum fuerat tributarius, à Mauro Mahumetano, Singapandar nomine, regno exutus, nunc tanquam exſul viuit,& Luſitanorum opibus ſeſe ſuſtentat.

Luſitanorum vires in India vlteriori.

In India vlteriori poſſident Luſitani regnum *Malacca* & Inſulas *Moluccas*. Malaccæ regnum patet in longitudinem CCLXX milliaria, totumque oræ maritimæ obuerſum eſt. Ager humidus, lutoſus, neque vbique fertilis: profert tamen beatioribus locis triticum & ſantalum. arbores paucas habet; ſyluas raras, ſunt tamen & paſcua quædam lætiora, in quibus greges paſcuntur, vt in deſertis Elephanti. Ergo præter ſuburbana Malaccæ vrbis loca, cetera fere deſerta ſunt, ob ſoli & cœli inclementiam. Ipſa vrbs Malacca ad nobilem fluuium Gazam, ampla eſt, & incolarum frequentia celebris vrbs, eius circuitum olim fuiſſe XX. circiter milliarium, ſecundum maris litus in longum ad milliaria extenſæ. Sed Luſitani, vt eius defenſio tutior eſſet faciliorque, in Arcis formam oppidum redegerunt, quæ ſupra vnum milliare ambitu non comprehendit. Mira hic mercium omnis generis copia, quæ tum ex noſtro Orbe, tum ex vicinis locis eo deferuntur. argenti, auri, margaritarum tanta vis, vt fere nuſquam in Oriente maior. Eſt enim ſitus eius talis, vt non tantum commercia, ſed & itinera quæ per immenſum illum Oceanum à faucibus Maris Rubri ad Liambo vſque fiunt promontorium, coniungat & vniat: eoque importentur opes & Continentis, & omnium illarum Inſularum, quæ coniunctæ & ſimul copulatæ, amplitudine vix toti cedant Europæ. Duos potentes habet hoſtes, nempe in Sumatra inſula late imperantes Reges Ior & Achim; quorum ille terra potens eſt, hic mari potentiſſimus. ab his aliquando obſeſſa eſt, & non ſemel in magnum periculum adducta; ſed ſummiſſis Goa

& ex

& ex aliis citerioris Indiæ locis auxiliis, non ſine magna hoſtium ſtrage hactenus eſt conſeruata. Tandem etiam Paulus Lima, Regem Ior fudit, arcemque ab ipſo haud procul à Malacca conſtructam, expugnauit: in qua præter alia ſpolia nongenta tormenta bellica fuerunt reperta. Sed multo maius à Rege Achimen periculum imminebat, qui Malaccenſibus longe erat infeſtiſſimus, ac tanto magis metuendus, quanto maritimis viribus potentior. Ad hoc depellendum periculum Rex Catholicus Albuquercio (quem ſuperioribus annis cum ampliſſimis mandatis & magna militari manu eo miſit) Achimenſis Regis oppugnandi negocium dediſſe exiſtimatur. Reſtant *Molucca* inſulæ, toto orbe celebres, ob ingentem quam proferunt aromatum copiam, præſertim caryophyllorum; quæ inde petita, per alios regiones diſtribuuntur. Quum vero hæc aromatum negotiatio tanti ſit, vt præ cæteris omnibus rebus non Luſitaniam tantum, ſed Venetias quoque ditauerit, & præcipua Luſitanicarum opum & virium pars inde dependeat; paucis heic eas inſulas deſcribemus. Moluccarum nomine comprehenduntur præcipue quinque inſulæ, *Ternate, Tidor, Motir, Machiam & Bachian:* quarum maxima vix habet ambitum ſex milliarium paſſuum; omnes vero intra ſpacium vigintiquinque milliarium concluduntur. Iacent ſub Æquatore, inter *Celebes & Gilolo* Inſulas. Ager eſt aridus, ſpongioſus, quique cadentes è cœlo imbres confeſtim abſorbet antequam in mare dilabantur. Producit varia aromata, Nuces myriſticas, Maſtichen, lignum Aloes, Santalum, Cinnamomum, Zingiber, Piper, & Caryophyllum. Quæ quotidiano cibo inſeruiunt, rare & parce creſcunt; ſed ea commutatione ſuarum mercium abunde patant. In his inſulis auis interdum decidit *Manucodiata*, maxima pica non minor, nec maior ſemipede. Caput ei non rotundum, ſed preſſum eſt, quale hirundinis, cauda longiſſima, bifurcata, pedes nulli. itaque perpetuo volare, & auram ruminare creditur. Hanc ſi cadat, è cœlo aut ex paradiſo Mahumetano mitti, ſuperſtitioſe credunt. In inſula Ternate montes, ſunt Æthnæ inſtar ardentes. Sunt qui Moluccis quoque annumerent *Gilolum, Celebiam, Borneonem, Bandam & Timorem*. Timor ſantalum rubrum & album ſubminiſtrat Banda nuces myriſticas. Caryophylli arbor in rupibus prouenit: IV. anno quũ cœpit creſcere, profert fructum. Arbor foliorum forma & craſſitie lauro eſt ſimilima, flores vmbellæ inſtar prodeunt floribus mali aurei non abſimiles. collapſo flore fructus paullatim protuberant in formam claui; vnde etiam illis apud noſtrates nomen. Initio rubri ſunt, mox ſole toſti nigreſcunt. Arbores ita inter ſe denſantur vel ſoli felicitate, vel ſeminis aut ſtolonum fœcunditate, vt plerumque lucos faciant.

Moluccæ inſulæ & earum deſcriptio.

Hos inter ſe partiuntur indigenæ, fructuſque colligunt, & abdunt, vt mercatoribus diuendant. *Myriſtica* arbor procera & patula eſt,

noſtrati quercui perquam ſimilis. Nuci operimentum triplex. Primum craſſius eſt aduerſus iniurias aeris, ventorum & imbrium. alterum membranæ inſtar reticulato munimento: quod tertium, aliud ſcilicet putamen ligneum ambit, membranula illa eſt *muſcata flos*, qui ab Hiſpanis *Macis* dicitur. *Zingiber*, quod in hiſce omnibus Inſulis prouenit, duplex eſt, ſpontaneum & ſatiuum hoc illo melius eſt. herba crocum refert, radix odorata eſt, & mordax, inſtar piperis, & quidem pipere ipſo calidior. *Cinnamomum*, quod fabuloſa antiquitas auium nidis, & præcipue Phœnicis detrahi credidit, cortex eſt fruticis, malo Punico ſimillimi. Eum calore dehiſcentem à ligno auellunt, & ad ſolem exſiccant; qui in fiſtulas contractus, à canalium figura, vulgo *Canella* vocatur. Arbores ſemel decorticatæ poſt triennium nouum corticem recuperant, tanta creſcendi auiditate, vt ſyluas ac nemora repleant. Radix aquam mittit odore Camphoræ; ſed eam nefas eſt ſecare, vetitumque id publico Regum edicto, ne cum radice incidantur ipſæ arbores. Lignum quod *Xylocinnamomum* vocant, ob quandam origani acrimoniam, in faſtidio eſt. *Santali* tria ſunt genera, album, flauum, rubrum. In inſula Timor albi & flaui (vtriuſque autem ſumma eſt bonitas) ſyluæ creſcunt. Rubium prouenit in tractu Choromandel & Tanaſſarin. Sunt etiam in Moluccis tam vaſtæ arundines, vt ex iis dolia conficiant incolæ. Et hæc de fructibus Moluccarum: è quibus dici non poteſt, quantam vim extrahant negociatores. Porro has inſulas non omnes ſub imperio habent Luſitani Olim quidem in Vernate inſula Arcem exſtruxerant, ſed ea auxiliorum inopia, Mahumetanis dedere ſe coacta fuit. Hinc in Tidor ſe recipientes, aromaticam negociationem ſummo ſtudio retinere annixi ſunt. Quæ vero noſtro tempore eis cum Batauis de Moluccis certamina fuerint, ſuo à nobis loco dicetur. De incolis quidem illis, qui Mahumetani plerique, vere illud dici poſſit:

In Orbe terra quà patet nulla integro
Regio aut ditio eſt, gens cuius è ſit pluribus
Conflata nationibus; vel qua magis
Animiſq́, moribuſq́, ritibuſq́, vel
Sermonis inter varietate differat
Se, gente vel qua nulla conſtans ſit minus,
Contra; minus ſincera, fida & candida.
Hinc fit vt ibidem nulla pax vnquam, quies
Nec vlla, nec ſacri, vel hilum ſit boni.

Digitized by Google

DE REGNO GALLICO

DISCVRSVS ALIVS ET DIuerſus à priori & hic numero 18.

HABET Francia pro terminis Alpes, qui ipſam ab Italia diuidunt: Rhodanus ſeparat ipſam à Sabaudia: Ataris à Sebuſianis & Heduis: Moſella fluuius, à Lotharingia, & Ducatu Luxemburgenſi: Aa riuulus Flandriæ, à latere Occidentali eſt: Franciæ ad Meridiem mare Mediterraneum eſt & Pyrenæi montes: Ad Occaſum Oceanus: ad Septentriones mare Britannicum Extendit ſe in latere Meridionali Septentrionem verſus, à Lotharingia Caletum vſque, ſpacio quaſi C C. leucarum Francicarum, dilatatque ſe paulo minus inter Ortum & Occaſum, à flumine Vato, ad Paurum vſque: Reſtringit ſe tamen tanto magis, quanto plus Septentrioni accedit. Eius minima latitudo eſt inter Caletum & Britanniæ Promontorium. Figura eius inter quadratum & rotundum eſt, ideoque multo capacior, quam quiſpiam arbitretur. Continet Prouincias ampliſſimas, ſed præcipuæ ſunt Picardia, Normania, Britannia, Francia, Campania, Burgundia, Aruernia, Delphinatus, Prouincia. Nec ſunt tamen contemnendæ Bria, Beelſia, Turonia, Andegauenſis Ducatus, Santones, Biturigum Ducatus & aliæ. Initium eius eſt in X L I I. gradu, experiturque talem aeris diuerſitatem, vt pars quæ ad mare Mediterraneum eſt, (vbi ſunt Languedocia, & Prouincia) producat omne fructuum genus quod dat Italia. Ea autem quæ ad Mare Britannicum eſt (vbi ſunt Britannia, Normannia & Picardiæ pars) vinum non profert: reliquum regni abundat, plus quam credi poſſit, omni Europæ fructuum genere, exceptis oliuis, ficubus & ſimilibus. Aeris benignitas bonitati terræ & fluuiorum oportunitati coniuncta, adeo propitia commodaque eſt productioni frugum, omniſque generis animalium, vt ea in re Francia omnes alias Europæ partes ſuperet Inter montes enim Aruerniç, & Delphinatus, & noſtrum mare Aet adeo temperatus eſt, frigore montium, perpetua fere niue opertorum, & leni aura marina, vt ob oculos ponat cœli benignitatem, qua gaudet ora Genuenſis. Ab alia autem parte ſunt Montes Pyrenæi valli loco, aduerſus frigus, quod retunditur perditque ſuam rigiditatem. Ipſi montes abundant vndiq;

Franciæ fines.

Prouinciæ

Temperies

balneis

balneis & venis aquæ calidæ. Venti Septentrionales, qui, ſicut communis opinio fert, aerem refrigerare deberent, non ſunt ibi adeo gelidi, ſicut aliis locis: capiunt enim venti partē naturæ locorum per quæ tranſeunt. Si tranſeunt per montes niuoſos, adferunt ſecum frigus illorum montium; ſi per ſtagna, inficiuntur; ſi per ſyluas, corrumpuntur: ſi per regiones arena obſitas, incaleſcunt; ſi per lacus aut mare, refrigerantur. Accidit hinc, vt venti Panormi in Sicilia ſint extreme calidi: Antequā enim eo perueniant, verrunt campos Siciliæ, accipiunt eorum calorem, feruntq; eum in dictā ciuitatem. Notus eſt frigidus Genuæ, quod antequā eo pertingat, mare tranſit, nec attingit terram, recipitque maris frigiditatem. Aquilo autem, qui per Franciam ſpirat, venit à Mari, quod ſua ſalſitate caloris aliquid habet, nec impingens in montes glacie aut niue obductos, exerit ſe, curritq; per campos Normanniæ, Campaniæ Franciæ, aliarumq; Prouinciarum, ad montes Aruerniæ vſq;. Aptior itaq; eſt Aquilo temperandæ montium frigiditati, quam vt perdat ſuam temperiem. Ii montes itaque, à ventis Meridionalibus ab vno, & à ventis ab Septentrione flantibus, ab alio latere excalefacti, producunt vndique optima paſcua, aluntq; magnum Armentorum, & gregum numerum: herbas quoq; medicinę commodas, & ſimplicia perfectiſſima. Inter multos illorum montium ramos, eſt vnus, qui mons Aureus dicitur, propter herbarum copiam, & ſimplicium nobilitatem. Horum omnium nos Anglia certos reddit. Quamuis enim ipſa magis ad Septentriones vergat quam Francia, quod tamen nullos mōtes, Mare autem vndiq; habet, eſt ibi Aer ſatis temperatus. Multo autem temperatior eſt Francia, quod à polo longius abſit. Docent id vites, quæ in Anglia non matureſcunt. Reddunt autem Vites in Francia vina perfectiſſima, acciditque ſæpe, vt ventus marinus à Septentrione, aut ab Occaſu exortus, Hiemem in Ver mutet, vireantq; campi læti floribus, veſtiantur horti, renouetur tota fere natura, ita vt habitatores Turoniæ, Pictauiæ, Inſulæ Franciæ, Limaniæ (non ſolum Prouinciæ, vicinique populi) nec Lacui Benaco (qui nunc *Lago di Garda* dicitur) nec locis amœnioribus inuideant. Terra Franciæ tota fertilis & fructifera eſt. Apenninus autem occupat fere quartam Italiæ partem, eſtque vt plurimum aſper, redditq; paucos fructus, ſed fundus Franciæ vndiquaque omnis boni diues. Montes Auerniæ (qui tam multi non ſunt) habent multa bona oppida, multa opulenta fertiliaque loca, in quibus ars pecuaria exercetur, inſtruuntque carne, butyro, & caſeis excellentibus bonam regni partem. Regni fere reliquum explicatur in latos campos, feracibus collieulis, herboſiſque vallibus diſtinctos, Vndique copia cum varietate, fertilitas cum deliciis, ſitus vtilitas cum pulchritudine regionum contendit. In hoc abſque dubio cedit Franciæ Italia. Quamuis enim in aliquo eius angulo amœnitas ſingularis, & excellentia ſitus perſpiciatur, qualis eſt quæ vulgo *Pieue incini*

[F]ertilitas.

Riuiera

Riuiera di Salo, *Contado Vicentia*, appellantur, Campania felix, Territorium Crotonienſe, & Tarentinum, aliquarumque aliarum ciuitatum Calabriæ: ſunt tamen ea hic ſingularia, in Francia communia præcipue in Burgundia, Bria, Inſula Franciæ Turonia, Andegauo, Santonia, Languedocia, vbi apparet ſitus à natura diſtinctos eſſe, & diſpartitos ipſius manu, aliquos Cereri, aliquos Baccho, alios Pomonæ, alioſque Palladi dicatos. Sed alia res viſu & conſideratione dignior in Francia non eſt, quam multitudo & amœnitas fluuiorum nauigabilium, quorum pars eam cingit, ſicut Araris, Rhodanus, Moſella, Soma: pars mediam percurrunt eam, ſicut Sequana, Ligeris, Garumna In hæc tria flumina, influunt partim ex regni extremitatibus, partim ab eius meditullio, tot alia flumina, vt totum regnum ſupra modum mercaturæ, communicationiq; rerum aptum reddant: ita vt propter incredibilem commoditatem, quam præbent vecturę mercium, populorũ commercio, dici poſſit, populis illius regni omnia communia eſſe. In ſolo Ducatu Andegauenſi numerantur XL. flumina magna & parua. Vnde Catharina Medicæa regina Franciæ, ſolita erat dicere in eo regno plura nauigabilia flumina eſſe, quam in cætero Europæ. Hyperbole ſane, quæ à veritate non longe diſcedebat. Terrę fertilitas, & commoditas, q̃ flumina vehendis deuehendiſq; mercibus prębent, faciunt quod tot vrbes & oppida in Francia ſint, quę vt plurimũ in ripis fluuiorũ ſita ſunt. Quamuis Franciæ multi boniq; Portus non deſint, meliores tamen ciuitates non ad mare, ſed in locis Mediterraneis ſitum obtinent. Ex eo colligitur, ipſarum amplitudinem non extrinſecus venire, ſed quaſi domeſticam eſſe. Sunt n. ciuitates maritimæ ibi mediterraneis maiores, vbi plus auxilii ſuſtentaculiq; à mari quã à terra recipiunt, vt ſunt Genua, Venetię, Epidaurus, quę vulgo *Raguſa* dicitur. Sed vbi ciuitatum magnitudo & amplitudo eſſentialiter ſolumq; dependet à terra, ibi ciuitates Mediterraneę excedũt Maritimas. Talis eſt Mediolanũ; & alia Longobardiæ, Flandriæ, Germaniæ & Hungariæ oppida. Cum autem terræ opulentia, communis toti Franciæ, & fluuiorum opportunitas generalis ſit, accidit inde, vt (excipio illud veluti totius Orbis noſtri compendium, nempe Lutetiam Pariſiorum, cuius amplitudo procedit à Sede Regis, Curia, Academia, quibus accedit fluuiorũ vicinitas) ciuitates & oppida Franciæ, vt plurimũ mediocria aut parua ſint, opportuna tamen & pulcra frequentiſſimaque. Scribit Ioannes Bodinus, in deſcriptione tẽpore Regis Henrici ſecundi facta (in qua non cõprehenſa fuit Burgundia) numeratos fuiſſe XXVII. mille pagos campanalibus inſtructos: alia autem deſcriptione, quæ regnante Carolo Nono facta eſt, repertum fuiſſe, quod habitatorum numerus XV. milliones excederet. Sicut autem Franciæ ciuitates & oppida fauorem fluminum experiuntur, ita & Arcibus villiſq; nobilium priuatorum, parui lacus ſtagnaque fauent. Quamuis huius Prouinciæ Fluuij.

lacus,

lacus, Italiæ & Heluetiæ lacubus conferri non poſſint, ſunt tamen in ea tam multa ſtagna, optimis piſcibus plena, vt eorum frequentia ſuppleat magnitudinem. Idem de ſyluis dici poſſit, quæ non adeo ſpacioſæ, ſed frequentes ibi ſunt, ex quibus percipiebatur quondam bona cenſus Regii pars. ſunt autem nunc prorſus oppignoratæ. Habent quoque nobiles magnos Reditus, ex ſuis ſyluis, propter copiam lignorum pro focis, ſed multo maiores ex ligno ad fabricas faciendas: nam ob defectum calcis fit maxima ædificiorum pars ex ligno.

res & in ibus re- o ſita.

Regnum Franciæ tantum habet commeatuum copiam, vt qualemcumque exercitum in campis nutrire ſuſtentareque poſſit: commeatus enim propter fluminum commoditatem, facillime ex vno loco in alium conduci poſſunt. Quando Carolus Quintus ex Prouincia, & deinde ex Campania ingreſſus eſt Franciam, ſuſtinebat ea plus quam D L. militum millia, vltra Præſidiarios. Regnante Carolo Nono, & noſtris temporibus, fuerunt in eo regno, X X. equitum, & X X X. peditum extraneorum, X V. equitum, & centum peditum indigenarum aut naturalium millia, nec tamen annonæ caritate laborauit. Sunt deinde in Francia quatuor Magnetes, qui foris ad ſe pertrahunt pecuniam: Frumenta, quæ inde in Hiſpaniam & Portugalliam vehuntur: Vinum, quod in Flandriam & Angliam & ad Maris Balthici accolas mittitur: Sal, quo toti regno, & regionibus vicinis proſpicitur. Prouincia quoque ſal coquit in Mari Mediterraneo, idque conficit Santonia ad Brouagium, vbi Solis virtus generandi, faciendi & coquendi Sal ex aqua marina ceſſare, nec vltra Septentrionem verſus tranſire apparet. Ex aqua maris dico, quia vlterius reperitur Sal, ex aqua fontium, vt in Lotharingia; & ex Fontibus & Minetis, in diuerſis locis Poloniæ, Angliæ, Germaniæ, ex Minetis quoque effoſſum fuit in Suecia, quamuis nunc ceſſet, Tribus dictis Mineris additur quarta, Cannabis & Telæ, quæ quanti cenſus ſint vix credi queat. Is autem de eo iudicium facere poterit, qui ſcit quanta eius copia, inſtruendis claſſibus, Vlyſſiponenſibus & Hiſpalenſibus aduehatur, & quantum in vela & funes, qui ex cannabi conficiuntur, inſumatur. Sunt ibi quoque glaſtum, crocus, aliæque res minoris momenti, quæ quamuis ſingulæ res ſupradictas non æquent, aut rebus ſupradictis pares non ſint, omnes tamen ſimul iunctæ ad bonam (& quę regnum ditare poſſit) ſummam aſcendunt. Propter has omnium bonorum diuitias, dicebat Ludouicus vndecimus, Franciam prarum florens eſſe, quod ipſe metebat quoties lubebat. Maximilianus Imperator ſolebat dicere, Regem Franciæ eſſe paſtorem Ouium, cum velleribus aureis, quas tondebat, quoties ei opus eſſet. Certum profecto eſt, Reges Franciæ adeo potentes fuiſſe, vt ſi tantum ingenio, & prudentia, quantum viribus facultatibuſque valuiſſent, in ipſorum arbitrio res Europæ ſitæ fuiſſent. Sed raro accidit vt vires comitem

habent

habent prudentiam: eamque ob rem finxerunt poëtæ Herculem furioſum; Ludouicus Arioſtus, Rolandum fatuum; Virgilius Daretem inſolentem canunt. Græci autem barbaros dixerunt omnes populos, qui doctrina & artibus carerent. Homerus Achillem iracundum: Martem incautum, ipſumque reti Vulcani conſtringi canit. Quæ res enim plus metuenda, aut quæ potẽtia magis formidabilis eſſe poſſet, quam Regni quod intra ſuos limites abunde paſcit XV. Hominum Milliones, tantumq; adhuc commeatuum habet, quanto ad paſcendum, ſuſtentandumq; magnũ exercitum opus eſt? Abundantia enim populi, & commeatuum, ſunt maximæ cuiuſcumque regni vires. Romani Tribum ruſticam maximi fecere, ob hominum frequentiam, & alimentorum copiam. Quod ad Reditus attinet Ludouicus duodecimus percipiebat ex Regno Franciæ Millionem & ſemiſſem. Franciſcus primus peruenit ad tres Milliones; Henricus Secundus ad ſex: Carolus Nonus ad ſeptem: Henricus tertius ſuperauit decem Milliones: Ludouicus autem duodecimus reliquit regnum Auro Argentoque plenum, ideoque dictus fuit Pater populi. Franciſcus primus, quamuis maxima bella geſſerit, feceritque infinitas expenſas, reliquit tamẽ in Theſauro Octingenta aureorum millia: ſed Henricus Secundus eius filius, Carolum Imperatorem ſuperare volens, ſumensq; ab vnoquoque pecunias fœneratitias ad XVI. per centum, reliquit filios obligatos ære alieno, aureorum tricies centenum millium. Quare Carolus Nonus, & Henricus Tertius eius filii, magis tamen hic quam ille, non ſolum populum, ſed & Clerum grauare maximis impoſitionibus coacti fuere. Vnde videri poteſt, diuitias Principis non æſtimari debere, à magnitudine Redituum, ſed à bono regimine. Franciſcus enim primus, minoribus reditibus geſſit maiora bella, reliquitque fidem apud mercatores, & paratam pecuniam filio. E contrario Henricus longe minora bella geſſit reliquitque regno debita & calamitatem. Dictis reditibus alnere Reges prædeceſſores M D. Lancearios, 4500. ſagittarios, quamuis nomine fuerint IV. Lancearum & ſex ſagittariorum millia, perpetua ſtipendia merentium. Hic equitatus neruus inter Chriſtianos, pro vnico aut ſolo habendus eſt. Vna lancea trahebat ſecum ſagittarium, & ſic turma lancearum turmam ſagittariorum, quæ ſolo ſigno diſtinctæ erant. Eorum enim ſignum, vulgo *Guidon*, dicebatur, vnus enim Capitaneus, ambabus præerat. Conficiebant itaque centum lanceæ, CCL. ſagittarios, præter ipſas Lanceas. Impendebatur in hãc militiã vnus Millio & trecenta aureorũ millia annuatim. Lãcea enim recipiebat CCL. aureos, Sagittarius octoginta, Signifer tercentũ, Legatus CCCCLXXXX. Capitaneus DCCCXX. Hanc militiam ad perfectionem reduxit Carolus Septimus, qui

Reditus.

Copiæ militares ſtipẽdiariæ.

determinauit numerum, ſtabiliuit ſtipēdium, diſciplinauit eam exercitiis, diſpoſuitque eam in locis Limitaneis, ſub Capitaneis, Vicariis, Signiferis, Vexillariis, Diuiſi quoque eam militiam, in Cataphractos & ſagittarios: adiunxit ei ſcutiferos, Deſignatores diuerſoriorum, Diribitores, Solutores, Commiſſarios, eiuſque militiæ curam commiſit Conneſtabili, Mareſcallis, & præcipuis regni dynaſtis. Non multum vtebantur peditatu domeſtico, præ metu tumultuum & rebellionum. Carolus Octauus, cognoſcens quam neceſſarius eſſet peditatus, inſtruxit Phalangem quinquies mille peditum Francicorum. Eum numerum Franciſcus primus ad L. millia auxit; ſed ea inſtitutio in fumum abiit, propter malum regimen. Ludouicus Vndecimus, vt pro libitu populum Franciç tondere, imo excoriare poſſet, eum inermem reddidit, conduxitque ſtipendio Heluetios, quam rem imitati ſunt ipſius ſucceſſores Franciſcus & Henricus, vſque ſunt magno Germanorum numero. ſed fallit ſeipſum, qui ſuum populum imbellem fore ſperat, ſi milites extraneos in ſuam ditionem introducat. Vſu enim armorum, & periculorum belli paratur audacia. Vſus & experientia autem in ſuo regno militibus & populo communis erit, fientque illi pugnaces, ſi ſe milites eſſe profiteantur: hos defendendi neceſſitas bellatores faciet. Sicut enim conuerſatio cum bonis facit bonos, ita & frequentatio militum facit homines pugnaces. Sunt præterea multa negocia, quæ extraneis committi non poſſunt, quia non habent locorum notitiam. Multa quoque eiſdem, ob negocii pondus, credi non debēt. Quare neceſſe eſt, vt populi, in quorū patria diu manet bellum, partim per neceſſitatem, aut ſuam aut Principis, partim propter vſum & experientiam rerum belli, quæ ipſis quotidie accidunt, fiant bellatores, ſicut Franciæ accidit, quæ facta pace cum Hiſpanis (quamuis Heluetii & Germani abiuiſſent) remanſit plena militibus Francis, qui in ea omnia ſurſum deorſum voluerunt.

Munitiones. Quod ad munitiones attinet: Non alia eſt regio, in qua earum maior numerus ſit, quod ex pluribus cauſis fit. Vna eſt, quod cū regnum in plura dominia & Principatus diuiſum erat, nempe Burgundiam, Britanniam, Andegauenſem Ducatum, Normanniam: vnuſquiſque ſuos fines munierit. Creuit numerus munitionum bellis Anglorum, qui magnæ Franciæ parti imperarunt. Situs & natura locorum, fortificationi oportunorum, nec minus diligentia & aptitudo populi ad has res, reddit faciliorem locorum munitionem. Non alia natio eſt magis induſtria in muniendo, & quæ labori & ſumptibus minus parcat. Nec Francia minus fortis eſt intus, quam in extremis finibus. Bellouacum, Trecæ, Aurelia, Andegauum, Biturgium ciuitas, quæ vernacule Bourges dicitur, Limogia, San, Florum, Carcaſſona,

Sueſſio-

Sueſſionum, non cedunt fortitudine Caleto, Peronæ, Narbonæ, & aliis locis limitaneis. Aptaque eſt vnaquęque huius regni pars, vt reliquo regno pro limite ſit.

DE INSVLA ET REGNO ANGLIÆ,

DISCVRSVS DECIMVSNONVS.

INTER Europæ Inſulas, tam magnitudine, quã potentia, primum ſine dubio locum obtinet illa, quam antiqui Britanniam nuncuparũt. Eius ambitus mille & ſexcentis milliaribus patet, diuiſaq; eſt in duo regna, quorum vnum Scotia, alterũ Anglia dicitur. Cauſa diuiſionis, eſt fortitudo Scotiæ, quæ adeo aſpera, montoſa, impeditaq; multis lacubus, & ſyluis eſt, vt nec arma Romana eam vnquã plane domare potuerint. Imp. Seuerus amiſit in ea maximã ſui exercitus partẽ: Reges Angliæ (quamuis vires multo ſuperiores, & multis prœliis victores) numquã potuerunt eam ſui iuris facere. Lacus, ſyluæ & paludes, (quæ in planicie ſtagna efficiunt) ſunt ei pro vallo aggereque, quibus natura eã muniuit fortemq; reddidit. In verticibus montiũ, non deſunt planices herbidæ, paſcuis pecudũ cõmodæ, & denſæ ſyluæ, feris abundantes. Hæc regnum optime muniunt. Cum enim dicta loca ſcopuloſa montoſaq; ſint, & nihilominus paſcuis & ſyluis copioſa, nunquam timuẽrunt aut impreſſione cogi, aut ſi obſiderentur, fame premi. Defendit enim eos contra vim hoſtium aſperitas montium, & ſyluarum amplitudo. In obſidionibus ſuſtentant ſe armentis & venatione, quæ nunquam deficere poſſunt. His accedit frequentia populi, armorum vſu & animorum ferocia præſtantis. Poſſunt enim neceſſitate poſtulãte, colligere XXV. aut XXX. hominum millia, vt hoſtibus reſiſtant. Confiſi fortitudini ſitus locorum, & armorum vſu, nõ dant operam muniendis ciuitatibus, aut portubus, qui ſatis frequentes ſunt in hoc regno, cum mare ibi admodum ſinuoſum ſit, ita vt in tota Scotia, domus non exſtet à Salo plus quam XX. milliaribus diſtans. Scotiæ Rex imperat quoque Hebridibus, quarum XLII. & Orcadibus quarum XXXII. ſunt. Cum autem nec Scotia, nec dictæ Inſulæ, annonæ copiæ, quã eis ad victũ opus eſt, ſuperabundent, nec populi multũ artificiis addicti ſint, cõmeant eo

pauci mercatores, eſtq; populus pecuniarum indigens. Reditus Regii nõ ſunt centum aureorum millium. Anglia autem, de qua nunc incidit ſermo, diuiditur in tres magnas Prouincias, Angliã, Cornubiam, Walliam. Anglia extendit ſe ad mare Germanicum: Cornubia eſt in oppoſito Galliæ. Wallia contra Hiberniam. Capit hoc nobiliſſimum Regnum duos Archiepiſcopatus, Cantuarienſem & Eboracenſem, XX. Epiſcopatus, & CXXXVI. oppida. Tempore Henrici Regis, & Eduardi eius filii, fuiſſe recenſentur XL. Parochiarum millia, quæ occupatione bonorum Eccleſiaſticorum, ad eius numeri circiter dimidium redactæ ſunt. Cornubia & Wallia ſunt ſatis aſperæ, victitatque populus in partibus Mediterraneis, lacticiniis & auena, maxime in Wallia, quamuis natura ibi locarit inſulam *Monam*, quæ vulgo *Angleſeii* dicitur, eſtq; frugibus & pecudibus adeo fertilis, vt merito Walliæ mater dicatur. Cornubia, quam alii *Cornwalliam* dicunt, eſt abunde diues fodinis præcellentis ſtanni & plumbi quoque. Anglia amplitudine, diuitiis & fertilitate, multum dictas duas Prouincias ſuperat. Et quamuis aliquantulum ſeptrionalior ſit, nihilominus maris beneficio, aut occulta ſyderum virtute, Aër ibi benignus temperatusque eſt, vel potius denſus & humidus, quã rigidus & frigidus, quod demonſtrant Lauri & Roſmarini, qui virent florentque feliciter. Eſtque res certa, Flandriam & Brabantiam plus à frigore & glacie infeſtari, quam Angliam, in qua terra vtplurimum plana eſt, amœnis & fertilibus colliculis diſtincta, qui adeo placide & paulatim aſſurgunt, vt eos è longinquo intuentes, à planicie non diſtinguant. Præcipua huius regni, annona ſunt, frumenta, pecudes, & piſces, quorum abundãtia, bonitas perfectioque tanta eſt, vt Franciæ non inuideat, imo nulli regioni vicinæ. Inter alias res, caro maxime porcorum & boum, piſciumque Luciorum & Oſtrearum, eſt ibi magis ſapida, quam in aliqua alia Europæ parte. Anglia non producit mulos, nec aſinos; ſed equos infinitos. Opes Angliæ conſiſtunt in Venis nunquam deficientibus ſtanni & plumbi: ſunt in ea quoque Venæ Æris & Ferri: habet quoque maximam abundantiam Lanæ tenuiſſimæ. Fere in toto Regno, præcipue autem in Cornvvallia effoditur ſtannum tantæ excellentiæ, vt ipſi non multum ad qualitatem Argenti deeſſe videatur. Eius ſimiliter vt & plumbi, euehitur ex hoc Regno tanta vis, vt aliquot centena aureorũ millia precium æquet. Lanæ habent hic ſuam bonitatem, propter colles, quibus regnum plenum eſt. In iis creſcit herbula parua tenuisque quæ nec irrigatur fontibus aut riuulis, nec ſtercoratur, ſed ipſi hyeme Aëris vapor, æſtate Ros ſufficit, eſtq; Ouibus adeo grata, vt ferant vellera ſingularis tenuitatis & mollitiei. Cũ inſula non generet Lupos, nec aliud noxium animal, vagantur

Anglia fertilitas.

Opes.

greges interdiu noctuque per colles, valles & agros, tam priuatos quam publicos, ſine metu aut periculo. Ex lanis texuntur Panni delicatiſſimi, qui magno numero in Germaniam, Poloniam, Daniam, Sueciam & alias regiones euehuntur, vbi magno in precio ſunt. Quod in lanificio & Metallis euehitur ex regno, duobus Millionibus aureorum æſtimatur. Colliguntur in eo multa legumina, multum quoque Croci. Multum etiam cereuiſiæ ex hordeo coquitur, mittiturque copioſe in Belgium: ſicut & coria & lapides nigri, faciendo igni accommodi. Situs inſulæ commoditas facit, vt à mercatoribus, Luſitanis, Hiſpanis, Francis, Flandris, maris Balthici accolis apprime frequentetur. Negociatio, quam Angli cum Belgis faciunt, ad ſummam fere inæſtimabilem accedit. Scribit enim Ludouicus Guicciardinus, id commercium ante tumultum Belgicum, æſtimatum fuiſſe ad X I I. Milliones aureorum quotannis. Coronæ Angliæ ſubiacent quoque aliquæ aliæ inſulæ, præcipuæ autem ſunt Hibernia, Vectis, Monauia, Mona, Druydum olim ſedes, quam Angli Angleſei dicunt, Sorlingæ, Grenezaia & Gerzaia. Hibernia amplitudine non multum Angliæ cedit, longa eſt enim C C C. mill. lata X C. montoſa, ſyluoſa, paludoſa, paſcuorum quam frugum feracior, diues lacte & melle. Emittit magnam quantitatem butyri, coriorum & croci. Multa in ea flumina, piſcoſique lacus ſunt. Duos habet Archiepiſcopatus, Armacanum & Caſſelenſem. Locus Hiberniæ clarior celebriorque eſt Dublinum, portum habens munitum. Inſulæ pars, quæ ad Ortum & Meridiem ſpectat, frequentius inhabitatur. Prouinciæ autem Vltonia, Conachia, & Mononia, ad Occaſum & Septentriones ſitæ, ſunt ſatis aſperæ & ſylueſtres: vbi ſe aliqui domini, beneficio lacuum & ſyluarum, contra arma Anglica tuentur. Aliæ tres Inſulæ magnitudine fere pares ſunt. Mona habet optimum territorium diciturque *mater Cambriæ*, propter frugum pecudumque copiam, quam ei ſuppeditat. Menauia diſtat Anglia X X V. milliaria: Epiſcopatu & duobus Portubus gaudet, ſed eius territorium parum felix eſt. Vectis fere tota montibus aſperis occupatur. Eſt in ea Abrach ciuitas optime munita. hæc inſula claudit Portum, imo potius Sinum Antonnæ, qui contra eam eſt, interque meliores illius Canalis cenſetur. Anglia fortitudine ſui ſitus, ſuperat omne aliud regnum; habet enim per excellentiam duas illas proprietates quas Ariſtoteles in ſitu ciuitatis requirit. Vna eſt, quod hoſtibus acceſſu difficilis: altera, vt eius exitus facilis ſit, ad faciendum expeditiones. Eſt Anglia in Mari, cuius ea eſt natura, vt regnum fortificet. Mare Hibernicum enim, quod ei ad Occaſum eſt, adeo depreſſum, & ſcopulis periculiſque plenum eſt, vt magnis

Lana & Panni.

Negociatio cum Belgis.

Hibernia.

Inſulæ ad Angliam pertinentes.

Angliæ ſitus munitus.

by Google

nauibus non ſit peruium. Maris Britannici (quod Angliæ ad Meridiem eſt) Æſtus ibi cum tanto impetu reciprocatur, vt à XIV. ad XV. paſſus altum turgeat (horrenda profectò res eſt) & iterum tantum reſideat: poſſuntque naues difficulter appellere, niſi vento & æſtu adiutæ, ſed altero multo magis. Ora Maris vndequaque aſpera eſt, præterquam aliquot locis, qua optime munita ſunt, ſicut Baruicum, Douuera, Tornes, Dorceſtria, Dermont, Bleimutum, Falmut, Milfort, Brigſtouia. Vnde tota inſula pro vno Munimento & caſtro cenſeri poſſet. Fortitudini ſitus adiunguntur arma maritima & terreſtria. Quod ad Maritimas vires attinet, vltra Myoparones claſſis (quorum quondam centum eſſe ſolebant, non valde alti, ſed longi & denſi, nunc LXX. aut paulo amplius ſunt) habet regnum tot Portus, iique à mercatoribus adeo inuiſuntur, vt Angli dicant, numerum nauium, quæ ibi negociantur, accedere ad bis mille. Sed quidquid de eo ſit, certum eſt earum cum opus eſt, CCCC. aut plures colligi poſſe. Eduardus Tertius tranſmiſit ad expeditionum Caleſenſem, Henricus Octauus ad obſidionem Bononienſem cum mille nauigiis omnis generis. Itaque inſulam aggredi, cuius Portus, propter munitiones ibi factas, acceſſu, non tantum introitu difficiles & periculoſi ſunt: & quæ in ſua poteſtate tot naues habet, arduum erit, factuque haud facile. His difficultatibus accedit, quod Angliæ populus in rebus maritimis mire dexter eſt. Non enim alia gens audacior, nec mari promptior eſt. Ipſi nauibus leuiſſimis apprimeq; optimis tormentis bellicis inſtructis (quibus regnum maxime abundat) intrepide tam hyeme quam æſtate Oceanum ſulcant. Negociantur in Moſcouia, Cathaio, Alexandria Ægypti, Conſtantinopoli, in Liuonia, Barbaria, Guinea. Anno MDLXXXV. claſſe XXV. nauium (in qua erant 2500. milites) vela fecerunt in Indiam Occidentalem, ceperuntque San-Iacobi oppidum, Fanum Dominici in Hiſpaniola, Cartagenam in Continente, quæ portum habet commodiſſimum ad mercatuta inter Hiſpaniam & Peruuiam exercendam, Ciuitatem S. Auguſtini, ligneis ædibus conſtructam, quæ ab Anglis iniecto igne exuſta fuit. Infeſtant continuo Terceram & Capitis viridis inſulas, & Braſiliam. Duo ipſorum Capitanei, non minori audacia, quam fortuna, circumnauigarunt totum Orbem. Eſt præterea in Anglia militia terreſtris magni momenti, propter eius multitudinem. Cum enim regnum in LI. Comitatus partitum ſit, in eorum vno, qui vulgo Lancaſter dicitur, exercitum LXX. peditum millium conſcribi poſſe putatur. Sed vtcumque res ſe habet, in confeſſo eſt, Angliam in campos educere poſſe centum peditum, & XX. equi-

Vires Maritima.

Vires Terreſtres.

tum

cum millia. Vnicuique Comitatui præeſt Vicecomes.is cum opus eſt, delectum militum facit. In faciendo delectu, modo qui ſequitur vtuntur. Cogunt omnes habitatores Comitatus, qui annum ſextum ſupra decimum attigerunt, nec ſexageſimum exceſſerunt, ſe ſiſtere; ex quibus eos deligunt, quos armis magis putant egregios. In peditum numerum adſcribuntur maiores membrofioreſque. diuiditur peditatus in quatuor genera. Aliqui vtuntur Arcu & ſagittis, quæ arma Anglis propria ſunt. Olim enim iis ſibi acquiſiuerunt maximam Franciæ partem, retuleruntque victorias glorioſas: fecerunt que captiuum Regem Franciæ Iohannem: occuparunt Lutetiam Pariſiorum, quam XVI. annis retinuerunt. Romanis non tam fuerunt tremendæ ſagittæ Parthorum, quam Anglorum Francis. Alii vtuntur pro armis, haſtis ſparo ſimilibus, ſed ferro magis ſolido & grauiori, quibus percutiunt & ex equis detrahunt homines. hoc armorum genus diu vſitatum fuit militiæ Anglicanæ, & ſatis magni roboris. Duo alia addidit experientia vſuſque temporum præſentium. Vnius generis ſunt Sclopeta, quibus ipſos huc vſque aliquod experimentum alicuius magni exempli dediſſe neſcio. Alterius ſunt Sariſſæ, quæ ipſorum ſtaturæ quam optime conueniunt, ſunt enim vt plurimum ſtatura ſatis alti, neruoſi, pleni & firmi. Pro militia equeſtri ſeligunt homines ſtaturæ mediocris, ſed bene compactos: dexteros, agileſque. Eorum equi magnarum virium non ſunt, nec incurſione impulſuque boni, Flandriciſque aut Germanicis minime conferendi. Prætereaquam enim, quod pinguedo & amœnitas terræ id non fert (boni enim equi nec terram valde craſſam, nec prorſus ſiccam requirunt) nec ipſi arti equeſtri multum dediti ſunt. Angliæ equitatus duorum generum eſt. Aliqui equites ſe grauibus armis induunt. Hi maxima ex parte nobiles ſunt. Alii leuioribus armis vtuntur. horum duo ſunt genera: Vnum ſe Albenſium more armat; aliud equitibus leuis armaturæ Italicis ſimilius eſt. Induuntur thoracibus, ſquamis, & tela canabina farcitis, aut laminis & ſemigalea vtuntur, geſtantque lanceas graciles & longas. Quamuis autem Angli ad duo equitum cataphractorum millia, & magnum leuioris armaturæ equitum numerum in campos educere poſſint, haud tamen equitatus Anglicus ſe aliquo præclaro facinore nobilitauit, ſicut de peditatu dici poteſt. Rex Eduardus Quartus, qui tot expeditiones in Franciam ſuſcepit, totque victorias aſſecutus eſt, vt monſtraret, quo militiæ genere maxime fideret, relicto equo ſe in pedes inter peditatum coniiciebat. E contrario Franci quod nolint plebem armis aſſueſcere, ne opificia manuaria, & negociationem ſpernant relinquantque; ac inter arma

Equitatus Anglicanum.

inſoleſcant (in quod Franci proni ſunt) ponunt militiæ vim in equitatu, qui ex nobilibus fere conſtat. Cum autem equitatus multus eſſe non poſſit, quod Francia equorum egregiam progeniem non habeat, eoſque ſemper aliunde quærere non queant, & quod peditatus multo maiori vſui, quam equitatus in bello ſit, plerumque Franci ab Anglis ſuperati fuere. Sed vt doceamus quantas Rex Angliæ copias educere poſſit, ponemus hic exemplum. Rex Henricus Octauus, in expeditione Bononienſi, tranſmiſit mare, cum exercitu trifariam partito. In prima Acie erant XII. peditum millia, quingenti equites leuis armaturæ, & mille, equis minoribus merentes, lorica & lanceis tantum inſtructi. Rex omnes veſtiuerat panno cyaneo, limbis rubris. Poſtremam Aciem (ea enim acies, poſt primam mare traiecit) ducebat Norfolcius. eratque ea acies primæ, peditum equitumque numero par, veſtibuſque induta, ſicut primæ aciei milites. Inter eos erant mille Hiberni, induti camiſiis longis ſtrictiſque, ſuper quas erat pallium, cætera nudi, capite quoque aperto, capillis longis. Arma eorum erant tria iacula, enſis longus, & chirotheca ferrea, in ſiniſtro brachio, ad cubitum pertingens. In pugnis cingebant veſtes altè, erantque expeditiſſimi in curſu. Media Acies, in qua rex erat, ex XX. peditum, & II. equitum millibus conſtabat. eorum veſtes erant coloris rubri, laciniis coloris crocei diſtinctæ. Trahebant poſt ſe centum tormenta bellica maiora, præter minora. Super currus conuehebant centum molas, quarum vnaquæque ab vno equo rotabatur, faciebatque farinam. Clibanos quoque in curribus habebant, qui progrediendo panem coquebant. Curruum multitudo tanta erat, vt caſtra iis cingerentur tanquam vallo. Ad trahendum currus & tormenta, & vehenda impedimenta, tranſmiſerunt in Continentem plus quam XXV. equorum millia. Præter omne genus commeatuum, aderant XV. boum millia, & aliorum pecorum ad edulia facientium, numerus infinitus. Quanta fuerit copia ſcalarum, pontium, glandium, pulueris pyrii, munitionum, lignorum, aliarumque rerum, ad expeditiones militares pertinentium, non poſſem enumerare.

Opes Regni Anglicani.

Demonſtratis viribus Angliæ, videndum quibus neruis redituum & pecuniarum ea inſiſtant. Prætermittendum non eſt, Regimen regium Angliæ (in qua authoritas Parlamentorum multum potuit) nunc ad regimen Deſpoticum reductum eſſe. Maxima enim negociorum pars, quæ antea ad Parlamenta ſpectabant, (in quibus vnuſquiſque, quod ſibi videbatur eloqui, ſuaſque rationes adducere poterat) deciduntur nunc in Regis conſeſſu priuato. Parlamenta autem quæ ad moderan-

dum

dum & tanquam regula Regum appetitus coercendum, inſtituta ſunt, conuocantur nunc, vt authoritatem concilient, coloremque inducant Regum voluntati. In Francia peius ceſſit res. Cum enim in Anglia ſaltem forma & vſus Parlamentorum remanſerit; in Francia Rex Ludouicus Vndecimus, pro crimine læſæ maieſtatis habuit, mentionem facere conuocationis Statuum (ita vocant Dietas Regni Francici, quæ in Anglia *Parlamenta* dicuntur) inquiens: *Ego ex pediſſequis & pupillo exceſſi.* Reditus ordinarii regni Anglicani, antequam Henricus Octauus bona eccleſiaſtica occupaſſet, accedebant ad quingenta aureorum millia. Percipiuntur hi reditus, ex tutela pupillorum ad XXI. ætatis annum vſque: ii enim omnes quorum bonorum aliqua pars, quantumuis exigua, coronæ regni aliquo modo obnoxia eſt, ſunt durante pupillari ætate ſub tutela Regis, qui eis tenue ſuſtentaculum impertitur, ſeruatque ſibi reſiduos. Reditus donec pupilli XXI. ætatis annum attigerint: quem ingreſſi, Regi certi aliquid perſoluunt. Obligantur præterea ad Tributum, quod Regi pro nuptiis pendunt, qui ſe patronum matrimoniorum dicit. Percipit præterea rex, plus quam 80. aureorum millia, ex Ducatibus Lancaſtriæ & Cornubiæ, qui coronæ coniuncti ſunt. Præter hæc alia centum aureorum millia ex vectigalibus recipit Mirari non debes, quod ea ſumma adeo exigua ſit. ratio eſt, quod paucæ ciuitates vectigalia pendunt, & ciuitas Londinenſis (quæ veluti centrum commerciorum regni eſt) ab oneribus libera facta fuit, an. MLXXXIX. ob pecuniarium auxilium, Regi Ricardo Primo, cum in expeditionem terræ Sanctæ proficiſceretur ſubminiſtratum.

Reditus annui.

Dictis Reditibus, alios adiunxit Henricus Octauus: concidit enim Reditus Epiſcopatuum: adſcripſit Fiſco Abbatias, & Commendas Equitum Rodiorum, aliorumque Ordinum militarium: ſuppreſſit Curas (vt vocant) opulentiores, vendicauitque ſibi Annatas & decimas omnium beneficiorum. Pro his rebus ordinauit curiam augmentationum & decimarum, qui Reditus omnes important plus quam octingenta aureorum millia. Reditus itaque ordinarii accedunt ad ſummam vnius Millionis, & trecenta & amplius aureorum millia. Sunt præterea ſubſidia extraordinaria, quæ duorum generum ſunt. Aliquando enim toti regno imperantur, tunc conuocantur Parlamenta, in iis quid opus ſit determinatur, & modus ordoque qui ſequendus eſt. Ordinarie duorum menſium ſpacio, aut paulo amplius colligitur, quod determinatum eſt. Aliquando Rex petit à particularibus ſubſidium, quod ipſi *beneuolentiam* vocant. ea in re conatur vnuſquiſque ſuum obſequium Principi probare. Noſtris temporibus inuenta eſt alia via conflandi pecunias: nempe ex quinta parte, aut ſimili quæ coronæ penditur ab iis, qui licentiam habent prædas faciendi in oris Maritimis Hiſpaniæ & Noui Orbis. Soliti ſunt alii idem facere, facitque adhuc Prorex Algieræ, qui piratas re-

Subſidia extraordinaria.

cipit, cum pacto, vt partem mancipiorum, prædarum ſpoliorumque ei dent. Sed raro accidit, vt male parta, non male dilabantur. Eos quoque qui prædatum excurrunt, ſæpe manet damnum. Vendunt enim patrimonia, vt armenti naues; ſed lucrum incertum eſt. Hiſpani enim qui initio ex improuiſo obruti fuerunt, fortificant quotidie Acceſſus, ſecuraſque reddunt ſuas claſſes. Hæc de viribus & Reditibus Angliæ dixiſſe ſufficiat.

Nobilitatis Priuilegia. Addam hoc tantum, in Anglia nobiles loca munita non poſſidere, nec ædificia foſſis aut vallo clauſa, nec aliquam iuriſdictionem in populum habere. Dignitates Ducum, Marchionum, aliæque, nihil aliud quam puri tituli ſunt, quos Rex eis confert; nec tamen ii qui titulis gaudent, aliquid de locis vnde titulum ſumunt, poſſident, ſed ſe aliqua penſione ex ære Regio ſuſtentant. Econtrario gaudent nobiles in Francia, mero & mixto imperio, cum titulis Dominorum, Baronum, Comitum, Marchionum, Ducum, Principum: poſſident magnas & bonas ciuitates, non tantum pagos; clientes quoque habent, qui ipſis homagium & fidem præſtant, ſed Regem & Parlamenta ſuperiorem agnoſcunt.

DE REGNIS SCANDIÆ,

DISCVRSVS VICESIMVS.

QVAMVIS nulla Sueciæ mentio facienda videatur, quod quaſi extra noſtrum Orbem ſit (quibuſcum nobis nihil commercii eſt) tamen propter eius amplitudinem, Inter alia regna, de quibus in Relationibus agitur, poni merentur. Continetur illa Europæ parte, quum aliqui Scandiam, alii Scandinauiam, alii Balthiam dixerunt, vnde olim Gothi Vandaliq; Imperii Romani conculcatores egreſſi. Duabus coronis ſubdita eſt, Daniæ nempe & Sueciæ. *Dania.* Daniæ Rex, præter Cimbricam Cherſoneſum, vbi Holſatia, Teutomarſia, Ducatus Sleſuicenſis & Flensburgenſis, Frieſæ & Iuthia regiones herboſæ, ideoque pecoribus & feris abundantes ſunt, poſſidet præterea alias amplas inſulas, ſed præcipuæ ſunt eæ, quæ ad oſtium Maris Balthici iacent, quarum ibi quindecim numerantur, & comprehenduntur ſub Daniæ nomine. earum præcipua eſt Selandia, quæ in longitudinem ad L X. millia extenditur. latitudo eſt paulo minor: præſtat nobilitate, propter pagorum frequentiam, aeris clementiam, & Regis in ea habitationem. Is quoque Dominus eſt Gothlandiæ, quæ in regione Gothiæ ſita eſt. eius cognatorum vnus obtinet dominium Oſiliæ inſulæ mediocris, in

magno

magno Sinu Liuoniæ, & in fertiles regiones in ipſo continenti Liuoniæ. Regi Daniæ paret Scania, quæ è regione Cimbricæ Cherſoneſi eſt, extenditurque ab oppido Nihuſs Timalem vſq;. eius eſt magnũ regnum Noruuegię, quod ſe à confinijs Scaniæ, Septentriones verſus, ad arcem VVardhus extendit, cui adiacent Lappones, amplius quam per mille & CCC. milliaria. Regis Daniæ ſunt quoq; inſulæ adiacentes (inter quas cum amplitudine tũ vbertate primas tenet Sania) Scetlandiæ, & Fariatum inſulæ, quæ in alto mari ſunt. Noruuegiæ populi fuere olim valde potentes, afflixerunt diu Angliã, diuexarunt Franciam, obtinueruntque in ea dominium prouinciæ, quæ adhuc Normannia dicitur: in Italia parauerunt ſibi regna Siciliæ & Apuliæ: bello facto autem obtinuit Boemundus Normannorum Princeps, Antiochiæ Principatum. In Oceano Septentrionali obtinet Rex Daniæ dominium dictarum Scetlandicarum & Fariatum, præterea Friſlandiæ, & oræ maritimæ Islandiæ & Gronlandiæ. Orcades Inſulæ quamuis Regi Scotiæ obediant, Reges Noruuegiæ pro dominis agnouerunt. Regnum Noruuegiæ cum electioni obnoxium factum eſſet diſcordiis alijſq; turbis exagitatum, peruenit ad Regem Danię, qui vt de eo ſecurus ſit, tractat dure incolas, ſpoliatque eos facultatibus, nec miſeris hominibus ſpes eſt melioris fortunæ, quod Rex omnes aditus & portus Maris habeat. Diuitiæ Regis Daniæ conſiſtunt in copia pecudum & piſcium maris, quorum tanta copia eſt, vt ex halecum captura tantum, ingens pecuniæ vis conficiatur. Tanta piſcium omnis generis copia hic eſt, vt vix Fretum nauigari poſſit: circa id paſcua aliaque loca pecori grata ſunt. Scania frumento & paſcuis diues eſt & incolis frequens. Noruuegia nullas alicuius momenti diuitias habet, præter lignorum, fabricandis domibus & nauigiis aptorum (quæ in Hollandiam & Flandriam euehuntur) pecudum, caſei & lactis, magnam copiam. Percipit quoque emolumentum, ex piſce frigore indurato, quem Germani Stockfiſch vocant: capitur menſe Ianuario, exponiturque vento, donec tamquam lignum exſiccetur; atque arefactus ad remotiſſimas gentes magna copia euehitur. Eſt quoque aliud piſcium genus; qui à loco Bergenſes dicuntur. Et hic quidem præcipuus Noruuegis quæſtus eſt: ſed & non mediocris is qui è lignis, & præſertim admiranda proceritate malis; itemque ex reſina, pice, &c. percipitur. *Diuitiæ.*

Quamuis autem auri & argenti fodinis careat Dania; habet tamen multo certius Redituum genus, quodq; multo minoribus conſtat expenſis: vectigal ſcilicet ſiue Portorium, quod omnes naues per Freti Balthici anguſtias (vulgo den Sund vocant) commeantes ſoluere coguntur. Poſitæ enim ibi ſunt è regione duæ arces, Helſenoria & Cronburgum: quibus veluti compedes Freto illi iniiciuntur, & aditus vel clauditur, vel aperitur. Croneburgum arcem Fridericus Secundus Daniæ Rex maximis & innumerabilibus *Reditus Daniæ regis.*

demerſis

demerſis ſaxis, interque compacta & ſiſtucata robora conclusis, ac loco fundamenti ſtabilitis firmatiſque, ex ipſo maris fundo immani ſumtu eduxit, tanta operis firmitate, vt immanes pelagi fluctus magnis prouolutos procellis, atque ad vallum muroſque horrendo boatu illiſos, citra vllius periculi metum deſpiciat. Incredibile dictu eſt, quantus eo nauium numerus continuo appellat, quæ omnes Portorium ſoluunt. Conſtat certe nuper Duce Parmenſi Alexandro Farneſio bellum contra Belgas Confœderatos gerente, ob iniurioſe tractatum à militibus & ſpoliatum Daniæ Regis Legatum Caium Ranzouium, quingentas vna vice Hollandorum naues eo in freto regis iuſſu detentas, & magnam pecuniæ ſummam ab eis exactam. Licet autem non immerito dicere quis poſſit, naualis hoc Hollandorum magis quam Danorum potentiæ eſſe argumentum: negari tamen non poteſt, Daniæ Regis vires ob id quoque maximi faciendas, quippe qui talem locum in ſua poteſtate habeat, vt omnibus per mare Balticum nauigantibus imperare videatur. Maritimas ſane Daniæ Regis vires magnas eſſe ſuperiora cum Suecis geſta bella ſatis declararunt: in quo aliquando victi, aliquando victores Dani, quamuis ancipiti fortuna ſæpe dimicarint, tandem tamen ad æquas pacis conditiones Suecos adegerunt. Quid terra Daniæ Rex poſſit, nondum ſatis liquido conſtat. Quamquam bello Suecico ſatis magnus Danorum exercitus ductore Daniele Ranzonio, in Scaniam traiecerit, & Suecos vbique profligarit.

Iſlandia. Daniæ quoque regi ſubiecta eſt Islandia, quæ centum prope milliaria Germanica in longitudinem patet. Et licet inops fere ſit omnium rerum, Balthicis tamen mercatoribus frequentatur. Hollandi quidem & Daniam & Noruuegiam adeunt; & omne illud terrarum ſpacium, quod San. Nicolao vicinum eſt: cum Ruſſis ibi commercia exercent, reportantque inde Sebum, Cetam, Mel, Linum: eo quoque nauigant Bergenſes, Scoti, Franci. In Matis Sinu fere medio, eſt inſula & oppidum VVardhus, quod Rex Daniæ Fridericus Secundus egregie muniri curauit, mercatores hic pendunt vectigal ſuarum mercium.

DE REGNO SVECIÆ,

DISCVRSVS VIGESIMVSPRIMVS.

REx Sueciæ dominatur in Scandia, quę Dania amplior eſt: nam à finibus Scandiæ ad Lappiam vſq;, cōputatur iter XLV. dierū. Ora autem Sinus Bortici plus minus CCC. milliaria longa eſt, æſtimaturque hæc terrarum pars, Italia & Francia maior. Poſſidet hic Rex, in Liuonia Reualiam, Naruam, Parnouiam, aliaque magnæ æſtimationis loca: inſulam Olandiam, & Alandes quæ vix ſunt dignæ relatu, aliaſq; multas, ſed paruæ conſiderationis, in Mari Sueciæ & Finlandiæ ſitas. Diuiduntur hæ regiones, relinquendo Liuoniam, in tria regna Gothiæ, Sueciæ, Vandaliæ, quæ in vndecim Prouincias, & duodecim Comitatus partitæ ſunt, inter quos non comprehenduntur Lappi, quod hi populi (qui Prouinciam Suecia maiorem, ſed pauperem miſeramq; inhabitant, & per ſyluas valleſque vagantur) ſub alicuius certo dominio eſſe, dici non poſſunt: qui autem aliquo modo certas fixaſque ſedes, aut domos habent, vt plurimum coronę Sueciæ obediunt, penduntque pelles nobiles pro tributo. Trium regnorum quæ diximus, Gothia contermina eſt Scaniæ, diuiditurque in Orientalem & Occidentalem, terminanturque ambæ VVener lacu, in cuius medio eſt inſula, in quam, propter eius amœnitatem, ſe confert & manet ſepe Rex: lacum XXIV. fluuii influunt, ei vnus tantum exitus eſt, eum incolæ eorum lingua, propter exceſſiuum ſtrepitum, vocant caſpitionem diaboli. Gothiæ nomen, regionem diuinam ſignificat, id ei, propter annonæ copiam, optime quadrat. nulla enim alia regio, carne, piſcibus, frumento abundantior eſt. Hic ſunt Kalmar ad mare, Viburg, Suderkope, Norkope, Tilge, Ianacopia, Vaſten, Birka, Linkope, Ludhus, Seheanada, Malmoge, Verdenburg, Varne, Scara, Ledekopia, Timalen. Sequitur Suecia, quę Noruegia & Gothia ſimul, maior eſt. In Suecia eſt ciuitas Vpſalia Metropolis, & Stocholmia, in qua reſidet rex, Stringa, Ennecopia, Orogundia, Arboia, Aroſia. Sequitur Finlandia, ſita inter Sinum Boddicum, & Finnicum, vbi Abo Metropolis eſt, Ranginna, & Ange ambæ mercimoniis celebres, Vames, Viburg & Caſtelhoim in Alandis inſulis. Extra ciuitates habitant ruſtici, (qui hic commode viuunt) inter ſyluas, in vallibus aliiſque in locis, vbi à vento Septentrionali tuti ſunt, & ædificandi commo-

Gothia.

Suecia.

Finlandia.

ditas lignorumq; copia inuitat: habent ſuis in domibus greges pecudum inſtrumentaque conficiendo quidquid ad victum amictumque neceſſarium eſt, apta: inde accidit vt ciuitates iis in regionibus nec frequentes nec magnæ ſint, ſicut in Germania & in Anglia. Numerantur vltra ciuitates & oppida parœciæ 1433 in quarum aliquibus ſunt mille ruſtici, vel, vt ipſi loquuntur, mille familiæ aut foci, paucæque earum parœciarum ſunt, in quibus non ad minimum centum familiæ ſint: hinc de populi numero iudicium fieri poteſt, maxime ſi fœcunditas populi conſideretur Mulieres enim Finlandię propter qualitatem aeris(?) ut ſiæ (vt aliqui putant) eximie fœcundę æſtimantur. Diu hic viuunt homines, maxime in locis Septentrionibus expoſitis: nec mirum ipſis videtur, quod aliqui centeſimum ſupra quadrageſimum aut trigeſimum attingant. Ea longæuitas multum facit ad propagationem, vbi enim minus diu viuitur, ibi & generandi virtus citius deficit. Hanc ob cauſam, Deus Dominus noſter, vt in mundi initio, propagationem humani generis faciliorem redderet, dabat hominibus ſeptingentos & amplius vitæ annos: itaque generatio quæ nunc propter vitæ noſtræ breuitatem, intra quadraginta annorum ſpacium ceſſat, extendebatur tunc ab plura centenata annorum quam nunc ad decennaria.

Opes. Huius regni opes conſiſtunt in copia annonæ, qua ſumme abundat. id & Gothiæ nomen quod regionem diuinam (vt diximus) & Finlandiæ, quod regionem bonam ſignificat, ſicut & nomen Finmarchiæ indicat. Victus eorum ſunt carnes, piſces recentes, ſale conditi & fumo ſiccati, frumenta, cereuiſia: ea hic tanta copia ſunt, vt vix mendicus inter ipſos reperiatur & hoſpites fere gratis hoſpitio excipiantur Ex Mineris Sueciæ eruuntur theſauri: Minerarũ enim plumbi, æris, argenti, & aliquantuli auri adeo diues eſt, vt nulla Europæ regio illam ſuperare exiſtimetur. Mineræ vndequaque inueniuntur, quamuis ruſtici quantum in ipſis eſt, eas occultent tegantque, quod teneantur ligna ad eas vehere, operaſque præſtare. Argentum puriſſimum effoditur in Comitatu Veſtros Niſi incolæ induſtriæ exterorum adeo inuiderent, ipſi maiores diuitias conſequi poſſent: non enim parcere ligno, nec fumos Minerarum, ad colores parandos colligere norunt; nec ipſis gratum eſt, quod Venæ Minerarum deteguntur. Quod exteros auerſantur, non ex odio, quo eos proſequantur oritur, ſed à ſuſpicione, ne ab iis ludificentur, aut male habeantur. ſunt enim ipſi moribus ſimplices ſinceri que: ambitione non flagrant, nec ſtimulantur ab auaritia. Regis reditus conſiſtunt in quatuor rebus.

Reditus regij. In Fructibus beneficiorum eccleſiaſticorum, in Mineris, in Tributis, in Vectigalibus. fructus beneficiorum accedunt ad bonam pecuniæ ſummam. In his regnis erant vltra ſeptem Eccleſiæ cathedrales, ſexaginta monaſteria, partim virorum, partim mulierum, quæ ampliſſimis reditibus dotata erant: ſed miniſtri hæreſeos, qui

loco paupertatis in Eangelio prædicatæ, ad ſuam ſectam protrahunt Principes, eis monſtrando bona reditusque Eccleſiaſticos, induxerunt primo Guſtauum, deinde eius filium Erieum, vt Altaria ornatu, & Eccleſias maxima redituum parte ſpoliarint. Minerarum aliquæ effodiuntur expenſis Regis, aliquæ priuatarum perſonarum, illatum quidquid effoditur, habet: harum conſequitur partem decimam. Trium æris fodinarum decima pars, quæ Regis eſt, accedit ad ſummam triginta millium Dalerorum quotannis. Inde iudicium de argento & plumbo fieri poteſt, ſed plus quam omnia alia reddunt Tributa, percipit enim decimas ſiliginis, frumenti, hordei, piſcium, boum, pellium rerumque ſimilium: aliquando ex decima boum, eorum X VIII. millia habuit, iis alit aulam, Officiarios, claſſem exercitumq; ſuppeditat enim victum militibus, eum bellū eſt, geritq; id minima impenſa, tam offendendo, quā defendendo, cum Dano & Moſco: conſequitur enim à populo ſine magna difficultate, magnas contributiones & commeatus. Populus filias regis maritis colloeat, datque in dotem centum Dalerorum millia, vltra vaſa argentea, aliaque. A ruſticis aliiſque, qui Tributum annonarium non pendunt, ſolet Rex, ſecundum facultates bonorum quotannis, quinque aut plures Daleros viritim exigere. Portoria penduntur in Portubus, eorum præcipui ſunt Calmariæ, Lodhuſii, Stocholmiæ (vbi aliquando C C C. & plures naues onerariæ viſuntur) Ranchinæ, Abo, Augo, Reualiæ, paruouiæ, Naruæ. Æſtimatur regem quotannis ad ſexcenta aut ſeptingenta Dalerorum millia in theſauros recondere, vltra expenſas quas facit in Arces Reualiæ & VViburgi, quæ accedunt ad centum Dalerorum millia quotannis.

Vires Terreſtres.

Numerantur in Suecia & Gothia XXXII. Turmæ, quarum vnaquæque eſt quingentorum aut ſexcentorum militum, Sclopetos humeris geſtantium; ii quo occaſio vocat, eunt: raro haſtis aut lanceis vtuntur, propter ſyluarum frequentiam. Equitatus etiam Sclopetis meret. Peditatus optimus cenſetur, quod vnuſquiſque miles ea quibus opus habet conficit ad capſulam Sclopeti vſque, quod indicat ipſos facile contentari poſſe. Vulgus in Petuuia & regionibus vicinis, quod paruo contenti ſunt, faciebat, facitque adhuc, quidquid domui, ſuiſq; perſonis opus eſt: vnuſque fabricare, texere, veſtes conſuere, ſeminare, meſſem colligere, omniaque neceſſaria inſtrumenta conficere nouit. Ad res quæ non adeo communes, nec neceſſariæ ſunt, reperiuntur inter indigenas artifices, qui nulla re præterquam materia opus habent. Equitatus Suecicus in tredecim Turmas diuiditur: Suecia & Gothia earum vndecim, Finlandia duas ſuppeditat, neceſſitate autem vrgente, poſſent multo plures colligi: ſolus enim Ducatus Vermelandię poteſt (ſicut aliqui dicunt) plus quam decem virorum millibus equos ſubminiſtrare. In Marchia eſt tanta

equorum copia, vt fere nihilo venundentur. Ambæ hæ Prouinciæ, ſunt in Gothia. Ipſarum equi cedunt Friſiis magnitudine, ſed maxime ſtrenui, fortes, robuſtique ſunt, labori aſſueti, facileque paſcuntur. Nolo ſilentio præterire duas res præclaras, quas Rex Sueciæ in militum commodum facit: vna eſt, quod ſi miles ab hoſte ea capiatur, redimit eum Rex. Altera, quod ſi militis equus occidatur, Rex ei alium confert. Rex dat quotannis, Capitaneis, & iis, qui equis merent, in ſolutionem partis ſtipendii veſtem. quod itidem olim apud Romanos in vſu erat, qui militibus ſaga dabant. Quod ad res maritimas attinet, regna hæc, propter oræ maritimæ longitudinem, & Portus, abundant nauτis nauigiiſque, quibus rex vti poteſt, ſicut alii Principes in ſuis Dominiis. Habet ordinatiæ L. naues bellicas, quarum vnaquæque X L. tormentis, pluribus aut paucioribus inſtructa eſt. Rex Guſtauus inſtituit etiam Triremium vſum. In bello quod rex Ioannes cum rege Daniæ geſſit, antequam pax (quæ Stetini tractabatur) confecta eſſet habuit L X X. nauigia magna, vltra alia minora, in quibus erant duo de viginti hominum millia. Æſtate Mari, hyeme terra belligerant: quum glacie concreti ſunt lacus. Mare quoque per magnam longitudinem, ſecundum litus congelatur. Cum autem de tormentis aliquid dixerim, hoc adiungam. Æſtimatur regnum Sueciæ habere, circiter octo Tormentorum bellicorum millia, quorum maxima pars ex ære conflata eſt, ipſumque multa plura conficere poſſe, ſi maior ſtanni copia ſuppeteret. In ſola Arce Stocholmenſi numerantur CCCC. Tormenta bellica.

Principes finitimi.

Ad Occaſum conterminus eſt rex Sueciæ, Dano, Moſco ad Ortum, cum quibus ei longa bella fuere. A Danis multum damni paſſi ſunt Sueci; obſedit enim Rex Chriſtiernus ſecundus Stocholmiam, cogitque eam ad deditionem: exercuit in incolas inauditã crudelitatem, impleuitque ciuitatem ſanguine & cadaueribus. Odiorum cauſæ ſunt ius quod Danus in Sueciam ſibi competere putat. Opportunitatem, eam ad libitum diuexandi, ei tribuunt ſitus regionis, portuſq;, præcipue Gothlandia quæ Gothiæ membrum eſt: ideoque contendunt Sueci eam ſui iuris eſſe, actionemque in ea habent. Poſtquam Guſtauus, regnum recuperauit, ipſe eiuſque filii Ericus & Ioannes ſucceſſiue id texerunt. Quamuis autem ſatis multum ſanguinis bellis inter Guſtauum & Danum effuſum ſit; regno Sueciæ tamen ſuus honos manſit, ciuitaſque Lubecenſis (eo in mari potentiſſima) dum ſe modo huic, modo illi iungit, ita temperat æquatque ſuo pondere illorum duorum Regum vires, vt alterum illorum excreſcere non ſinat, ob periculum quod eo caſu ſibi impendere videt. Suecus cum Moſco belligerando primas habet, quod Finlandia (quę Ruſſiæ contermina eſt) ob lacuum & paludum frequentiam, aditus difficiles, periculoque plenos habet, acciditque plus quam ſemel, vt hoſtium exercitus, in illis glacie concretis aquis, ſubmerſi ſint perierintque.

Suecus

Suecus habet maximam ſuarum claſſium partem hyeme in eo mari, in quo (ſicut ante dictum eſt) tunc bellum geritur, ſicut mari æſtiuo tempore. Habet Arcem Viburgum, quam optime inſtructam, & in finibus Magni Ducis Moſcorum. Naruam, Reualiam aliaque loca & arces, quibus tanquam frænis ipſum cōſtringit. Vt dicam quod verum eſt. Illæ munitiones vtiliſſimæ habendæ ſunt, quæ in hoſtium ſolo iacent: faciunt enim duos effectus, defendunt quod ſuum eſt, & infeſtant hoſtium ditiones: ſuum tanto melius defendunt, quāto ab eo longius diſtant: dum enim hoſtis ſe circum ea torquet, ſunt tua tranquilla, poteſque extra ſtrepitum, damnumque tuorum populorum redituumque, procurare, quæ ad liberanda ea conſeruandaque pertinent. Hoſtem tanto maiori cum damno vexant, quanto ei viciniores ſunt: cuius generis erat Caletum, dum in poteſtate Anglorum eſſet. Sed vt ad regem Sueciæ reuertar, tantum is in defendendis ſuis ditionibus Moſco potior eſt, quantum vires maritimæ terreſtribus coniunctæ, præualent, aduerſus Principem terreſtribus tantum viribus inſtructum.

DE REGNO POLONIÆ,

DISCVRSVS VIGESIMVS SECVNDVS.

POLONIÆ regnum nunquam tam amplum fuit quam nunc eſt, quoad Magnus Ducatus Lituaniæ & Liuonia ei adiuncta ſint. Extendit ſe à flumine Notes & Obta, (quæ id à Marchia diuidunt) & à fluuio Odera (qui ipſum à Sileſia diſtinguit) ad Bereſaiam & Boryſthenem vſq;, qui ipſum à Moſcouia ſeparant. A Mari Balthico, ad flumen Neſter, quod id à Moldauia diſtinguit: & ad montes Carpathios, qui ipſum ab Hungaria ſeparant vſque. Occupat itaq; à finibus Sileſiæ, ad terminos Moſcouiæ vſque, inter Occaſum & Ortū CXX. milliaria Germanica. Nec minus ab vltima Liuoniæ parte, ad fines Hungariæ vſque. Cum itaque talis ſit eius forma, vt cum rotunditate participet, multo capacius eſt, quam quiſquam credere poſſet. Multas amplasq; Prouincias continet. Nempe Poloniā maiorem & minorem, Mazouiā, Pruſſiam, Ruſſiam, Volhiniam, Liuoniam, Lituaniam. Inter eas Prouinçias, Polonia à Polonis inhabitata inuenta fuit. Pruſſia cum parte Pomeraniæ, Podolia, Volhinia, Mazouia, Liuonia armis acquiſitę ſunt. Lituania cuius *Fines.*

pars erat Samogithia, & Ruſſiæ pars, patrimonialis familiæ Iagellonicæ fuit. Anno enim M C C C L X X X. Iagello, tunc dux Lituaniæ duxit in vxorem Heduigim Principem, quæ familiæ Regis Poloniæ vltima erat, factusq; fuit rex tribus cõditionibus. Vna fuit vt Chriſtianus fieret. Altera, vt ſuos ad idem faciendum induceret. Tertia vt ſuam ditionem Poloniæ vniret. Ea conditio noſtris temporibus (cum familia Iagellonica defeciſſet) adimpleta fuit. Cum enim Reges, ſe ditione hæreditaria, cuius merum habebant imperium, priuare nollent, eamque electioni ſubmittere: diſtulerunt ſemper adimpletionem conuentionis, allegantes Proceres & populum Lituaniæ id non paſſuros, ne illa admiſtione amitterent gradum & dignitatem. Tandem tamen Lituani cum ab vna parte viderent deficere ſtirpem ſuorum Principũ (quæ quod ad maſculos attinet defecit in Rege Sigiſmundo Auguſto.) Et ab altera parte ſibi metuentes à potentia Moſcorum, conſenſerunt, vt vnirentur. Liuonia fuit quõdam equitum Teutonicorum, qui in ea ſuum Præfectum ſpecialem, qui Magnus Magiſter dicebatur, habebant. Sed cum, Anno MDLVIII. à Magno Moſcorum Duce, maxima ditionis parte ſpoliati eſſent, cõfugerunt ad Sigiſmundum Regem Poloniæ, qui eos in ſuam tutelam ſuſcepit, ſed Liuonia ante liberata non fuit, quam cum Anno 1582. Rex Stephanus id fecit. Regni Poloniæ pars maxima plana eſt; exceptis enim aliquibus montibus, qui in minori Polonia viſuntur, & aliquibus potius collibus quam montibus, quibus à Pruſſia diſtinguitur, omne reliquum explicat ſe in latiſſimos campos. Verum quidem eſt, quod in eo regno ſatis multæ ſyluæ ſunt, præcipue in Lituania, quæ eis occupatur. Minor & maior Polonia frequentius inhabitantur, quam vlla alia huius regni Prouincia. Idem dicendum fere eſt de Ruſſia, Pruſſia & Liuonia, quæ propter opportunitatem maris, portuum, & fluminum, ibi concurrentium, aliis prouinciis, ciuitatibus, & fabricis ornatiores, Commerciis quoque & concurſu mercatorum ditiores ſunt. Cum enim ibi diu dominati ſint Equites Teutonici, ædificarunt ciuitates in morem Germanorum: Arces quoq; & loca præclara, quę ſe extendunt ſecundum litus maris, amplius quam per octingenta milliaria, habent multos & opportunos Portus dominanturque omni mercaturæ, inter Poloniam & mare Balthicum. Eſt

Fluuii. ea res magnæ conſequentiæ. Fluuius enim Viſtula, qui ortum habet in extremitate Sileſiæ, transfluit totam Poloniam minorem, & partem maioris, Mazouiam & Pruſſiam, conditq; ſe mari Balthico, infra Gedanum; quo conducitur, per pluſquam quadraginta miliaria (quo ſpacio recipit diuerſos alios fluuios) magna pars ſiliginis, frugum, mellis & ceræ. Ab alia parte Duina flumen nobiliſſimum, (quod oritur ex lacu Ruthenico) auctũ aquis, findensque

densque mediam Liuoniam, condit ſe mari ſub Riga: ad quam vrbem magnus concurſus eſt. Sunt prętereà in Pruſſia & Liuonia multi lacus, inter quos vnus eſt, qui *Mare nouum* dicitur, quia antiquus non eſt, ad centum milliaria in longitudinem extenſus. In Liuonia eſt lacus Peibas, plus, quam XL. milliaria longus. Ex eo flumina, quæ Pernouiam vrbem ad mare, & Naruam alluunt, fluunt, faciuntque duos Portus ſatis celebres. Inter dictas ciuitates ſita eſt Reualia vrbs, quæ duabus ſupra dictis ciuitatibus non cedit, Samogithia aliis Prouinciis incultior eſt, retinetque plus Barbarici. Podolia aliis magis deſerta eſt, non terrę vitio, (copioſiſſima enim eſt omnium rerum, quas fert clima, cui ſubiacet) ſed culpa Tartarorum, qui eam ſuis excurſionibus adeo infeſtant, vt præ ipſorum metu, aut fugiant incolæ, aut abducantur in captiuitatem à Turcis & Tartaris.

Poloniæ opes conſiſtunt in copia frumenti, frugumque omnis generis, quibus tanta copia abundat, vt anno elapſo, qui fuit MDXC. & anno præſenti, partim ſubuenerit neceſſitati Genuenſium, Tuſciæ & Romæ (non ſolum gentium, quæ viciniores erant) vbi fame, non caritate extrema tantum laborabatur. Abundat quoque Polonia, melle & cera infinita. Cum enim omnes hæ prouinciæ Septentrionales Polonia, Lituania, Ruſſia, Moſcouia, à natura vino donatæ non ſint, eius loco contulit illis mellis quantitatem incredibilem, ex quo hi populi conficiunt inter alia potionem delicatam & ſanam. Apes mellificant partim in ſyluis, vbi arbores aut carie, aut hominum induſtria excauatas reperiunt, aut in Aluеariis, quæ ruſtici in campis poſuerunt, aut in terræ puteolis, omnique in loco, vbi vel minimam oportunitatem reperiunt. Abundat quoque Polonia Lino & Cannabe, gregibus & armentis, equis quoque bonis & multis, ſylueſtres equi quoque ſatis frequentes ſunt. Inter ſylueſtria quoque animalia eſt Biſons, & magna beſtia, equi indomiti, boues colore nigri, qui extra ſyluam, quæ in Mazouia eſt, non viuunt. Theſauri regni cõſiſtunt in ſalinis Bacænæ & Teliſciæ, q̃ loca in territorio Cracouienſi ſunt. Diuitiæ Poloniæ vt plurimũ inter dominos & nobiles, ſatis bene diuiſæ ſunt: nemo enim ex patrimonio adeo diues eſt, vt alios præter modũ ſuperet, nec maximi reditus excedũt XXV. aureorũ millia. Soli Duces Curlãdiæ & Regii Mõtis excedũt mediocritatẽ. Quamuis enim hi tanquã regni feudatarii Reges in ſuperiorẽ agnoſcant, non ſunt tamen viua membra regni. Nõ veniunt ad Comitia regni, non habent ſuffragia in electione regis. Nec partẽ in regni gubernatione. Nec pro dominis naturalibus habentur, ſed pro extraneis, ſicut vere ſunt; Dux Curlãdiæ nẽpe ex familia Ketlerorũ; Dux Regii Montis autẽ ex familia Brãdeburgica. Omnis Pruſſia fuit olim Equitũ Teutonicorũ,

qui ibi habebant (ſicut ante diximus) Magiſtrum ſpecialem. Qui cum viribus Polonorum reſiſtere non poſſet, ſubmiſit ſe tanquā feudatarius, Regi Caſimiro. Cum dein de Magnus Magiſter Albertus Brandeburgicus Lutheraniſmum amplexus eſſet, factus eſt ex Magno Magiſtro Dux Pruſſiæ, quę tunc in duas partes fuit diuiſa: in regiam nempe, quæ immediate ſub corona permanſit. Et ducalem, quæ tanquam Feudum Alberto & eius ſucceſſoribus relicta eſt. In Regia parte ſunt Mariæburgum, Tornouia, Culma, Varmia, Gedanum: Ducalis partis (quæ reddit CXX. aureorum millia annui reditus) caput eſt Regius Mons ciuitas, quam Germani appellant Königsberg, vbi Dux Aulam habet.

Regimen. Poloniæ regimen potius Reipublicæ, quam regni eſt, quod nobiles (qui magnam autoritatem in Comitiis regni obtinent) Regem eligunt, dantque illi autoritatem, quam volunt, vt tamē ipſorum poteſtas maior ſit. De electione Regis non habent legem, nec Statutum aliquod, non certam aliquam formam ſcriptam nec traditam. Tantum hoc ſcitur apud Archiepiſcopum Gneſnenſem, Interregni tempore, ſupremam autoritatem eſſe: ipſe denunciat Dietas, præſidet in Senatu, proclamat nouum regem, ſic vt, cum Archiepiſcopo Leopolis, & ſuis Suffraganeis qui tredecim, Palatinis qui XXVIII. Caſtellanis maioribus, qui XXX. numero erant antequam Rex Stephanus inſtituiſſet nouos Epiſcopos, Palatinos & Caſtellanos in Liuonia, quam ipſe acquiſiuerat, pauci alii interſunt regis electioni. Habent ibi quoque quandam autoritatem Nuncii Terreſtres (ita appellant quoſdam quaſi Agentes Circulorum nobilitatis, qui in Prouinciis habentur) Comitiorum tempore conueniunt hi, in loco Senatui vicino, eligunt ibi duos Mareſcallos, per quos ſignificant Senatui, quid deſiderent, ſed cum autoritate fere Tribunitia. Creuit enim paruo abhinc tempore, eorum autoritas exiſtimatioque in tantum, vt autores, & capita potius, quam miniſtri, & participes deliberationum publicarum regni ſint, fuitque vnus, qui exemplo Clodii, renunciauit dignitati Senatoriæ, vt fieret Nuncius. Hi omnes ſimul, cum nouus rex eligendus eſt, reſtringunt magis magiſque potentiam regis, nec eam nimis excreſcere ſinunt. *Electio regis.* Quamuis autem corona Poloniæ à decreto nobilitatis dependet, non tamen legitur ipſos vnquam ſucceſſores Regno excluſiſſe, aut præteriiſſe, nec regnum in aliam familiam tranſtuliſſe, excepta vna vice, cum Ladiſlaum deponentes (qui tamen poſtea fuit reſtitutus) elegerunt Wenceeslaum Bohemum. Filiarum Regum quoq; ſemper ratio habita eſt, ſicut olim Hedwigis, quæ Iagelloni ab ipſis collocata fuit, & noſtra ætate Annæ, quæ Regi Stephano in vxorem data. Sigiſmundo tertio non parum profuit, natum fuiſſe Catharina, Sigiſmundi Augusti,

&

& Annæ ſorore, vt coronam Poloniæ adipiſceretur. Etſi autem Regis authoritas ita ab electione dependeat: eius authoritas tamen, cum electus eſt, in multis rebus abſoluta eſt. Ipſius muneris eſt conuocare dietas, aſſignare tempus & locum vt ipſi placet. Eligit conſiliarios laicos: nominatque Epiſcopos, qui deinde manent Conſiliarii. Eſt abſolute patronus redituum coronæ, & dominus eorum qui ei immediate ſubſunt In nobilum ſubditos nullum eſt ius. Eſt & abſolutus executor decretorum in Dietis factorum. Eſt ſupremus Iudex nobilium, in cauſis criminalibus. Habet in manu omnes modos remunerandi beneficioque afficiendi, quos ipſi placet. Vt finem faciam, tantum poteſt Rex, quantum ipſe dexteritate & prudentia valet. Propter rationes ſupra dictas, viuunt nobiles in Polonia in magna libertate, faciuntque quod ipſis placet. Decreta regis (ſicut ipſimet dicunt) non durant plus quam tres dies. Verſantur cum rege, non tantum tanquam cognati (quod faciunt Franci) ſed vt fratres. Sicut Rex cum plenaria authoritate, eos qui immediate ſubſunt regit; ita & nobiles diſponunt independenter de ſuis vaſallis, in quos ipſorum vnicuique imperium plus quam Regium eſt, habentq; ipſos fere pro mancipiis. Stabiliendo ſuo imperio, fecerunt Poloniæ reges, rem notatu admodum d gnam. Sicut enim Romani ſuas vires amplitudinemque auxerunt, communicando Ius Latii, & ciuitatis Romanæ aliis ciuitatibus, immo integris Prouinciis; ita & reges Poloniæ extenderunt, vnierunt, firmaruntque ſuum Statum, participes faciendo priuilegiorum nobilitati Polonicæ propriorum, Prouincias armis aut alia via acquiſitas: ipſarumque nobilitatem, Polonicæ nobilitati æqualem faciendo. Rex Ladiſlaus hoc modo aggregauit immo vniuit Poloniæ Ruſſiam & Podoliam: Sigiſmundus Auguſtus Lituaniam: Stephanus Liuoniam. Æqualitas enim in commoditatibus & honore, reddit animos vnitos in neceſſitatibus & periculis. *Nobiles.*

Huius regni vires, ſicut & aliorum, conſiſtunt in commeatu, pecuniis, peditatu, equitatu, armis & munitionibus. De commeatu diximus ſupra. Pecuniis quidem non admodum diues eſt. Excipiendo enim Portum Gedanenſem, non habet Emporium alicuius exiſtimationis. Merces autem quæ ex portubus Pruſſiæ & Liuoniæ euehuntur, non ditant regnum pecunia, Imo, vix pannis ex ſerico & lana, quæ ex Flandria & Anglia; Vino, Sacchato, Aromatibus, fructibus, quæ ex Hiſpania, & Luſitania aduehuntur, ſufficiunt. Eo vſque ab alia parte quoque defertur Vinum Maluaticum ſiue Creticum, cuius dolium LXX. aureis vænit. Cum denique regnum mercaturæ addictum non ſit, nec ciuitates mercimoniis deditæ ſint, nec populi induſtria polleant; Nobilitas autem magnanima ſit, profuſa in expendendo, quæque in victu & veſtitu plus quam in reditu habet, conſumit: cumque condimenta ciborum (aromata, *Opes.*

quorum Poloni plus abſumunt quam vlla natio) vinum, panni è ſerico, & potiſſima pars laneorum ipſis ab extraneis adferantur, fieri non poteſt, vt regnum auro & argento diues ſit. Opus enim vniuſcuiuſque regni conſiſtunt in eo vt multæ merces inde euehantur, paucæ inferantur. Vt exeuntia pecunias externas eo trahant, illata non efferant. Ea in re conſiſtunt opes regni Neapolitani & Ducatus Mediolanenſis. Illud emittit maximam frugum, vini, olei, ſerici, croci, equorum, fiuctuum, & aliarũ rerum quãtitatem, quæ maximam externarum pecuniarum vim eo pertrahunt. Hic ſuppeditat multis regionibus Frumẽta, Oryzam, Pannos, ferramenta & merces omnis generis, recipitq; parum rerum. Si regnum Neapolitanum & regnũ Siciliæ ita abundarent operis artificioſe factis, ſicut fructibus & bonis quæ natura largitur diuites ſunt, nulla alia regna eis poſſent comparari. Sed vt ad Poloniam reuertamur; eius Reditus non ſunt adeo tenues ſicut aliqui exiſtimant. Reditus enim regni, qui ex Mineris & Salis & argenti percipiuntur, accedunt ad ſexcenta aureorum millia quotannis. Verum quidem eſt, Sigiſmundum Auguſtum, redituum partem oppignoraſſe. Rex quoq; Henricus, vno ante fugam mẽſe, vt ſibi vnam nobilitatis partem obligaret, ex Reditibus plus quam pro trecentis aureorum millibus quoquo anno alienauit. Rex quoq; poteſt, applicando coronæ bona caduca, quæ Reges priuatis perſonis concedere ſolent, ſibi magnos Reditus parare. Dictorum Redituum magnam partem poteſt rex ſibi ſeruare parcereq; ſumptibus. Eos enim faciunt Lituani, quando rex eum Aula in Lituania degit, idem quoque fit in maxima Poloniæ parte. Hoc parui non faciet is, qui perpendet Scotiæ, Nauarræ, Sardiniæ regnorũ reditus, non excedere centum aureorum millia quotannis. Nec regna Aragoniç, quoquo triennio, plus quam C. millia aureorum pendere. Reditus regis Angliæ, antequam vſurpauit bona eccleſiaſticorum non excedebant ſexcenta aureorũ millia quotannis. Rex Poloniç multo plus redituum haberet, ſi erga ſuos Palatinos & Caſtellanos, tanta liberalitate non vteretur. Concedit n. eis vt plurimum duas partes tertias, & fere ſemper omnes reditus, quos in ipſorum gubernationibus habet. Sed in neceſſitatibus bellicis & arduis expeditionibus (facto decreto in Comitiis regni) grauat Rex populum magnis impoſitionibus, aut tributis, quæ ex territoriis percipiuntur, aut ex vectigali cereuiſiæ, aſcenduntq; ea tributa ad talem pecuniarum ſummam, vt ea Rex Stephanus ſuſtinuerit onera grauiſſimi trienualis belli, quod cum Magno Moſchorum duce geſſit. Sed illud maximum eſt, quod nobiles propriis expenſis, pro defenſione regni, regi inſeruire obligati ſunt. Seruiunt hi equis, armis inſtructi partim ſicut noſtri cataphracti equites, partim aliquanto leuioribus partim ſicut Tartari; dicuntur

Reditus regij.

tur hi Coſacchi, horum ars eſt furari, depopulari, omnia vaſtare peſſundareque. Eunt in bella pompoſe ornati ſagis & veſtibus, quæ auro, argento, milleq; variis coloribus diſcriminantur. Ornant ſe quoque pennis & alis Aquilarum, exuuiis Leopardorum & Vrſorum, vexillis, Labariſq; multis variiſq;. Hæc aliaq; ornamenta ipſos ſuis viſendos, hoſtibus terribiles faciunt, ipſoſq; animos ad feritatem ferociamque incitare poſſunt. Ipſorum equi mediocres ſunt, ſed agiles, & Germanicis longe animoſiores. Æſtimatur Poloniam neceſſitate exigente centũ, Lituaniam LXX. equitum millia colligere poſſe, ſed tantum circiter centum equitum millia educi poſſe exiſtimat aliqui. Verum quidem eſt, quod equi Lituanici Polonicis longe inferiores ſunt. Fidunt Poloni tantum magno numero ſui equitatus, vt non verentes vllius hoſtis vires, parũ de Munitionibus extruendis ſolliciti ſint, ſuumq; exercitum in locis apertis, aduerſus hoſtes, pro patria, liberis, libertate, omnibuſque ſuis bonis, magno animo pugnaturum credunt. Hoſtibus ſe nunquam, etiam in quacumq; fortuna, terga obuertere profitentur. Sigiſmundus Auguſtus tentauit, vt in Comitiis regni deliberaretur de muniẽda Cracouia, propter Cæſaris vicinitatem, ſed Polonis id perſuadere nunquam potuit, tum ꝙ nolint Regibus medio præſidiorum commoditatem dare inuadẽdi merum Imperium & abſolutam dominationem: tum quod dicunt, ſua pectora defendendo regno ſufficere, Pedeſtrem militiam non habent, quod omnis regni populus diuiſus ſit in mercatores, & artifices (qui oppida incolunt) ruſticos, & villicos, qui ruri in tali ſubiectione (ſicut dictum eſt) degunt. Sunt itaq; arma in manibus nobilium tantum, qui pedibus non militant. In neceſſitate peditibus Germanicis & Hungaricis vſi ſunt, habuitq; Rex Stephanus in expeditione Liuonica, ſub ſignis, plus minus XVI. peditum Germanotum & Hungarorum millia. Ducendis tormentis bellicis, cunicularioru & foſſorũ loco vtuntur Tartaris & ſuis ruſticis. Quod ad tormenta bellica, eorumq; apparatum ſpectat, regnum iis ſatis inſtructum eſt. Tum quod nobiles ſatis illorum in ſuis Arcibus habent. Tum quod illorum indigentiam pati nũ poſſit, ob Germaniæ vicinitatem, q̃ metallorum ferax eſt, habetq; multos magiſtros fundendi tractandiq; tormenta, atq; omne, quod ad vſum armorum facit. Tanto quoq; tormentis inſtructior eſt rex Poloniæ, quanto minorem Arcium numerum habet. Sunt tamen non paruæ conſiderationis Arces Leopolis, & Camnetzi in Ruſſia, Arx Cracouienſis in minori Polonia, Poloſcenſis in finib. Moſcouiæ, Mariemburgi & aliquorum oppidorũ in Pruſſia, & in Liuonia, q̃ oppida non à Polonis, ſed ab Equitib. Teutonicis (qui eorum domini erãt) munita ſunt. Poloniæ vires, quas commemorauimus, ſunt & numero & natura tales, vt pauca

ires qua-s eſſe de-veant.

Europæ regna eas æquent, non ſuperent. Vna res eis deeſt, nempe agilitas. Sed ad firmitatem cuiuſcunque Status quatuor res requiruntur, nempe vt vires ſibi propriæ, numeroſæ, validæ & agiles ſint. Propriæ, quia ægre ei eredi poteſt, quod alterius eſt. Numeroſæ, vt in rebus aduerſis, & incommodis, ſemper aliquæ ſuperſint. Validæ, quia numerus, abſque fortitudine parum iuuat, immo potius moleſtiam, quam auxilium adfert. Agiles, vt facile colligi poſſint, impellique quo exigit neceſſitas. Polonis deeſt dictarum quatuor qualitatum vltima, agilitas nempe: quæ à rebus duabus dependet. Vna eſt Principis authoritas. Altera, prompta pecunia. Rex poteſtatem non habet in Polonia aliquid decernendi, bellum indicendi, abſque conſenſu Comitiorum. Sed Comitia & conſultationes quibus multos intereſſe opus eſt, ſimiles ſunt Machinis ex pluribus partibus multiſque inſtrumentis conſtantibus, quæ progreſſum alicuius momenti non niſi longo tempore faciunt. Sed in rebus bellicis ſunt ii Principes expeditiſſimi, qui ſoli imperate poſſunt: qui pecunias in promptu habent. Alioquin, in indicendis diſponendiſque Comitiis, vt decreta propoſitioni reſpondeant, deinde exequendo, colligendoque pecunias, tanti temporis iactura fit, vt ad expeditionem parum ſuperſit, fugiatque occaſio. Barones & nobiles Poloni tam magnos ſumptus faciunt inuiſendo Comitia, hærentes degenteſque in iis, vt ad bellum vires non ſuperſint. Fieri poſſet vt ad defenſionem Status promptior expeditiorque reſolutio inueniretur (quod imminens periculum omnibus pauorem incutiat) ſed ad aliquid acquirendum credo ibi futuram magnam tarditatem. Spes enim boni non adeo afficit, quam timor mali. Vidimus tamen Moſchum abſtuliſſe Sigiſmundo Auguſto Statum Poloſcenſem & Smoloczenſcin, nec hi tamen perſenſit, aut vindicauit, ſicut tanto Regi regnoque conueniebat. Idem Moſchus abſque obſtaculo inuaſit Liuoniam, quæ ſe ſub vmbra & protectione Sigiſmundi Auguſti contulerat. Tempore quoque Henrici Andegauenſis Regis Poloniæ, Iohannes Moldauiæ Princeps (qui magno animo & claris victoriis, per aliquod tempus bella aduerſus Turcas geſſit) à Polonis præter alia facta fœderis, inter ipſum & Sigiſmundum Auguſtum, deſertor fuit. Dicamus tamen vires Poloniæ, per ſe numeroſas, independentes & validas, tantum agilitatis & promptitudinis habituras, quantum in rege valoris, roboris & efficaciæ erit. Eius rei fidem fecit Stephanus Bathoreus, cuius tempore Polonia non ſolum conſeruauit ſibi nomen & exiſtimationem regni, quod ſe à viribus extraneis defendere queat: ſed quod etiam magni momenti acquiſitiones de potentibus hoſtibus facere valeat. Cum autem dixerimus de agilitate, quæ res viribus cuiuſcumque Status neceſſaria eſt, non præter inſtitutum erit, cauſas ipſius agilitatis adiungere. Præcipuæ ſunt (ſicut diximus) authoritas Principis, qui motum dat, & vis pecuniæ

quæ ipſum conſeruat. Vidimus enim potentiſſimos exercitus, propter tarditatem torporemque capitis, tempus inutiliter triuiſſe: & præclariſſimas victorias, nullum fructum pepeiſſe aut feciſſe, propter pecuniarum penuriam, ſine qua mouere non potuere milites, Multum quoque ad rem facit militum qualitas. Negari enim non poteſt, peditum Germanum & Bohemum ab agilitate laudari non poſſe, quæ laus abſque dubio, Italo, Hiſpano, & Franco debetur, non ob id ſolum quod corpore melius conſtituti ſint, ſed quod plus eſt, quod in bello minori contenti ſint. Quamuis enim vinum non habeant, non pauent: nec cadunt animis ſi carnes deſunt; & quomodocunque cedat, ferunt diutius inopiam & incommoditates. Leuis equitatus magis agilis eſt, quam Cataphracti. Et tractatio Sclopetorum, quam lancearum. Id conſiderantes Franci, vltimis bellis lancearum vſum, in quibus ipſorum militaris gloria conſiſtebat, reliquerunt: vtunturque earum vice Sclopetis, ſicut Equites Germani enſe. Sed quo iudicio id fecerint excutiet alius. Hic non dico, equitem leuioris armaturæ in rebus bellicis abſolute cataphracto eſſe meliorem: id dico, quod expeditior, promptiorque ſit. Multum quoque facit genus equorum. Flandrici multum ſuperant Friſiacos & Germanicos: nec minus præſtant Hungarici Polonicis. Aſturco, Turcicus, Barbaricus prædictis ſunt velociores, inter vtroſque ſunt equi Neapolitani, qui vernacule *Corſieri* appellantur. Quamuis enim Aſturconi velocitate pares non ſint, perdurant in labore, feruntque melius pondus armorum, nec tardi ſunt. Vt quod verum eſt dicatur. Experientia docet, equitatum Germanicum propter eius tarditatem aptum non eſſe ad inſequendum fugientes, nec ad effugiendum hoſtes.

Si enim Valachici, Hungarici, Polonici, Turcici, Mauri, Arabici equites, Germanicos fuderint, non poſſunt effugere; ſi illi autem rupti ſunt, non poſſunt equi Germanici illos conſequi. Falconum enim inſtar aggrediuntur hoſtes, rurſuſque auolant longiſſime. In expeditionibus Maritimis, agilitate parum valent naues. deſtitutæ enim vento moueri non poſſunt neque verti. Aliquantulum, ſed parum amplius faciunt magnæ actuariæ naues, ſed velocitate præſtant maxime Triremes, quas Galeras vocant,

Vidimus itaque claſſes Chriſtianorum, quorum vires in nauibus ſitæ ſunt, bonam æſtatis partem, temporiſque expeditioni commodi, in progrediendo triuiſſe: Turcicas autem claſſes, cito inſtitutum curſum perfeciſſe. Nulla autem res Turcis in ſua agilitate plus commodi contra nos adfert, quam ipſorum parſimonia, & noſtra ingluuies. Vinum enim ſimileſque deliciæ ſunt noſtris exercitibus tanto impedimento, quanto Turcis commeatus ſimul. Mirum itaque non eſt, quod ipſi in expeditiones eant, quam optime inſtructi tormentis, globis, puluere ſulphureo, & omni commeatu: (iis enim

rebus carrus terra triremes mari onerant) non vino, pullis, ſimilibuſque non neceſſariis rebus. Eunt denique in bella vt pugnent, & non vt crapulæ indulgeant.

DE REGNO BRITANNICO,

DISCVRSVS VIGESIMVSTERTIVS.

BRITANNIA Inſula, Sereniſſime Princeps (vt quæ in vniuerſum ad illam pertinent, etiam eius rei peritos admoneam) omnium, quas antiqui cognouerint, ampliſſima, in mari Oceano, quod nemo neſcit, collocatur ad partem Occidentalis Europæ in gradu poli primo ſuprà quinquageſimum: ab Oriente littoribus inferioris Germaniæ obiecta: ab Occidente Inſulæ ac regno Hiberniæ: à Septentrionibus Inſulis Orchadibus: ab Auſtro Prouinciæ Normandiæ & Britanniæ, olim Armoricis ciuitatibus: variis nominibus vocitata, primo Albion, mox Britannia, demum Anglia, diuerſis tamen ethymis, & ſcriptorum ſententiis, quas neque tempus, neque locus permittunt, vt deſcribam. Ab auſtro ad aquilonem eius longitudo eſt octingenta millia paſſuum, latitudo verò maior, trecenta viginti millia paſſuum; cum ipſius forma triquetra ſit, & Scotiæ regno comprehenſo, mille ſeptingentis millibus paſſuum in circuitu contineatur, paucioribus, quam Cæſar computauerat, ducentis octuaginta: abundat fluuiis, ac portubus, aeris eſt temperatioris, ſolum non vbique planum, ſed leuiter aſſurgens collibus aſpectu periucundis, cunctis neceſſariis rebus inſtructa; & quamquam quædam magis ad commoditatem, ac delicias facientia à peregrinis comportantur, tamen longe plura ad alias nationes tranſmittit.

Quæ importantur, & quæ exportantur.

Exportantur inde, vt omnes ſcimus, lana, ac lanificia omnis generis, ſtanna, plumba, coria, carbones, carnes, & nonnunquã frugum omne genus, præter cereuiſiam. Inter ea, quibus importatis vtitur, numerantur præſertim aromata, ſacchara, fructuum omne gen⁹, quod aduehitur ex Gallia, & ex Hiſpania, vina, olea, & lupulorum flores, quibus ad parandum cereuiſiam vtuntur,

panni

panni aurei, & ſericei, telæ, & ſimilia, præter colores, & ſuccos pro infectoribus. Ob has, aliaſque precioſiores merces, & propter ſitus commoditatem ab omnibus Europæ nationibus frequentatur citra Poloniam, & poſtremis temporibus etiam à Moſcouia, & Ruſſia, & ab Indiis Occidentalibus, à Menico, à Braſilio, & à littoribus Guiennæ, proinde ſuper cæteras orbis Inſulas commoda creditur, & deliciis, opibuſque affluentiſſima. In duas partes diuiditur, quæ duo comprehendunt regna. Mons & flumina ſoluens, & Tuetus regnum Angliæ à regno Scotiæ diſcriminat, remanetque Scotis ſeptemtrionalis, pars in longitudine quadringentorum octuaginta milliarium, meridionalis vero Anglis ducentorum triginta Anglorum portio tripartita eſt, & ſecundum alios quadripartita: Quatuor autem ex prouinciæ in viginti duas ciuitates totidemque Epiſcopatus cum duobus Archiepiſcopatibus diſtribuuntur, quarum nomina & proprietates ad vitandam memoriæ oſtentationem multoque magis vt breuitati conſulam, hiſtoricis, ac geographiis, à quibus diuerſe ſcribuntur, remittam. Dicam ſolum, quemadmodum Prouinciæ inter ſe in moribus diſcrepant, ita lingua differre: nam Vallenſes aliter, quam Cornouallenſes loquuntur, & vtrique ab Anglorum idiomate diſſentiunt. Ad hæc duo linguarum genera, additur, quod in Scotia diuerſimode loquuntur agreſtes homines à cultis: hi ſiquidem Britannicæ, illi Hibernicæ linguæ ſimilem linguam in vſu habent: quæ profecto res mirabilis eſt, vna in Inſula quinque linguarum eſſe diuerſitatem. Foret quoque hiſtorici ac geographi munus, ſi de locis maritimis, ac mediterraneis referrem: ſed tantum id ſufficiet, vt nonnihil referam, de Vrbe Londino, regni metropoli, ac regia vere ciuitate, iure inter primaria Europæ vrbes celeberrima, vel ſi fertilitas, omniumque rerum ad vſum vitæ humanæ facientium commoditas, vel incolarum frequentia ſpectetur, nam ſuburbiis, & oppido Oſmeſtrio computatis, trecentis quinquaginta hominum millibus eam conſtare putant; Pulcherrima quidem eſt, cum ob vias & ædificia, tunc propter pontem, qui nouemdecim fornicibus ex ſolido marmore fabrefactis vtramque ripam Tameſis iungit, tum etiam ob Cathedralem Eccleſiam Sancto Paulo dicatam: verum longe pulchrior eſt ob ſitum ad ripam Tameſis, à quo fluuio præter iucunditatem maximum accipit emolumentum ex frequenti nauigiorum concurſu, quæ trecenta & quadringenta dolia ex noſtratibus ferre idonea eſſent: confluunt autem vndequaque, adiuuante fluxu maris atque refluxu, etſi ciuitas procul à mari ſexaginta & amplius diſtat milliaribus: ſed præ cæteris diues eſt non modo propter commercia & negotiationes, verum etiam ob multa priuilegia, quibus incolæ fruuntur ſine exceptione, an populares ſint, an mercatores, & artifices: à quorum vno, qui ex viginti quinque Aldermannis nuncupatis eligitur,

Inſulæ diuiſio.

Idiomata Inſulæ diuerſa.

Pulchritudo & Portus Londini.

ditiore,

ditiore, ac nummariore regnat, & quaſi in formam Reſpublica gubernatur, exempta ab omni regis, ac regiorum Dominatu. Populares nominaui, quia nobiles ſecundum morem Gallorum ac Germanorum omnes procul à ciuitatibus vitam degunt. Vtque de eorum diuitiis non nihil attingam, creduntur in duabus ſocietatibus eorum, qui vernacula Auenturieri appellantur (ſunt autem ii, qui ſpeciali priuilegio ſoli poſſunt ex Belgio in Angliam mercimonia inuehere, & viciſſim ex Anglia in Belgium: quibus vero lanificia exportare licet, ii Stapolieri dicuntur) multi eſſe diuites adeo, vt quinquaginta, & ſexaginta millia illarum librarum Sterlinorum poſſideant ſinguli, & maiori parte in numerata pecunia: hæc autem ſumma pluſquam du centa millia aureorum noſtræ monetæ tranſcendit; præter innumeros mercatores aliarum ſocietatum, vt ſunt mercatores Stanni, & aromatum, aliarumque mercium grauium, vnde Groſſieri dicuntur, quodque vix credibile videbitur, Salſamentorum mercatores ad eandem & maiorem ſummam pertingere ſolent: ſic, vt pro re explorata ſit habendum, eam vrbem cuilibet vbi Europæ recte comparari poſſe.

Opes mercatorum.

Verum hoc argumento, vti cunctis cognito, minuſque neceſſario prætermiſſo, ad alia veniam maiora, & cognitione huius Excellentiſſimi Senatus digniora, & antequam referam de natura principum, & eorum, qui regnum gubernant, præmittam in vniuerſum aliquid de natura regni, præſertim de eius opibus, ac viribus: vt noſcatur, an eius ſit validitatis, aut imbecillitatis, quam quiſpiam animo concepit: vtque tempore ne abutar, dico; etſi olim illius regni potentia, atque dominium duplo maius, latiuſque cenſebatur, cum ſpatio trecentorum annorum Normandiam, Britanniam, Guiennam, Guaſconiam, præcipuas Franciæ prouincias, poſſederit, & longo tẽpore ſibi tributariam Scotiam fecerit, & per annos ſexdecim, & amplius totum Galliæ regnum penitus ſubierit, cuius Coronam publice Pariſiis accepit Henricus Sextus, haud ita pridem, hoc eſt, anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo octauo, quę quidem omnia amiſſa ſunt, nihilque reliquum eſt præter titulos, & quædam vicina loca, inſulaſque parui momenti, & alteram partem inſulæ ac regni Hiberniæ: tamen regnum illud validum adeo remanſit adhuc, vt nullius egeat ad ſui tutelam: quinimo non modo difficile & arduum opus eſt, ſed etiam penitus impoſſibile (niſi regnum diſſidia nutriat) vi illud expugnare, quemadmodum ſeorſim Serenitas Veſtra ex relationis noſtræ progreſſu percipies. Nam prius de viribus maritimis ſermonem inſtituendo, eæ præcipue, cum Regnum inſulare ſit, conſiderandæ videntur, etſi hæ quoque valde diminutæ ſunt ab eo numero, quo olim fuerunt: quippe ducentæ aliquando naues maiores illi reges aduerſus hoſtes ſuos inſtruxerunt, præſertim Henricus Quintus aduerſus Carolum Sextum Regem Franciæ anno milleſi-

Britania antiquum imperium.

Maritima vires.

mo qua-

mo quadringenteſimo decimo octauo, ſed ne res longinquas nimium attendamus, loquemur de centenis, & amplius nauigiis, quæ Reges Henricus Septimus & Octauus armabant, inſtructa omnia cum ſuis adminiſtris perpetuo ſtipendio affectis, quo poſſent ad omnem occaſionem ex tempore præſto eſſe: modo, vix quadraginta ſuperſunt naues; ſiquidem vel ob negligentiam, & propter egeſtatem ad ſumptus contrahendos aliæ diuenditæ ſunt, aliæ factæ innauigabiles: & nihilominus ex paucæ, quæ reliquæ ſunt, cum aliæ iuris priuatorum exiſtunt, & quas numero ingenti Rex congregare poteſt, non modo ad regni defenſam ſufficiunt, ſed etiamſi coniungerentur, ad tantum numerum atque extraordinarium aſcendunt, vt multa centenaria, vtq; inquiunt Angli, quingentorum numerum expleant. Verum eas ad mediocrem quemlibet numerum redigamus, tot nihilominus eſſent, ſi eas militibus, tormentis, armis, omnique munitionum genere exornauerimus, certe ſi non aggrederentur, at ſaltem obſiſterent cuicunque aggreſſori: quandoquidem nullum regnum æque claſſes ſuas permunire valet, vt hoc Regnum Britanniæ. Et hæc ſpectant ad eius nauigia, opeſque maritimas.

Quod pertinet ad terreſtres copias, ac pedites, innumerabilis profecto eſſet hominum multitudo, ſi ad eos omnes reſpexerimus, qui in periculo publico armati conſiſtere tenentur: nam cum nouem & triginta ſint portiones, in quas regnum diſtribuitur nuncupatæ Porchshai, fama eſt, conſcriptos eſſe ad hanc rem ſeptuaginta mille homines, quamuis vulgus centum mille prædicet: verum his omiſſis, ſi milites voluntarios conſiderauerimus, hi quoque plurimi eſſent, quibuſcum reges illi ſæpe mare traiecere, & inter recentiores Henricus Octauus anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſexto traiecit propter Terracinenſem expeditionem, itemque propter Bononienſem anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quarto quo tempore quadraginta aut circiter quinquaginta millia Britannorum ſecum duxit, multoque plures conduxiſſet, niſi ſumptibus pateere, faciendis extra regnum ſuum: neceſſe habuiſſet: ex huiuſmodi hominum genere vſu poſtulante viginti aut viginti quinque millia præſto eſſent, omnes ferreis loricis induti: loquor de iis, quos rex inſtruere valet: nam ſi etiam ſubditi Baronibus ac Dominis connumerentur, longe plures eſſent; illorum enim nemo eſt, etſi tenuiſſimæ conditionis, qui ſuarum opum, facultatumque proportione plurimos armare nequeat, vſque ad millenum numerum, & amplius, cuiuſmodi ſunt Comites Arby, Cerosbery, VVeſtmerland & præ cæteris Comes de Pemburch: quorum milites etſi non omnes experientia inſignes, & exercitati eſſent, qui quidem pauci ſunt militaribus meditamentis aſſueti, tamen probis, & expertis millitibus mixti (multi ſiquidem externa bella frequentant) equidem egregium ſui ſpecimen præberent, plurimumque ad defenſam valerent, præſertim propter indo-

Militia terreſtris.

lem,

lem, atque aptitudinem ipſorum ad exercitamenta militaria, & propter diſciplinam, quam in certamine obſeruant: alii quoque, etſi inermes, & parum exercitati, nonnihil valerent, propterea quod nulla eſt, vt nemo ignorat, in toto orbe natio, quę mortis periculum magis, quam Britanni contemnat: Et hæc ſpectant ad peditatum. Ipſorum arma conſueta arcus, & ſagittę; quorum armorum tantus eſt numerus propter communem omnium in ſagittando exercitationem nulla gradus, ætatis, profeſſionis exceptione, vt incredibilis exiſtat: quod fit non modo eorum ſponte, ſed etiam Parlamenti lege, quæ iubet patribus familias, vt pueros etiam, cum ad nouem annos deuenerint, ea in arte exerceant, idque vt cætera otii mala remoueantur. Verum id meditamenti, in quo vires, & ſpes omnes Reipublicæ collocatæ eſſe videntur, ita promoueant, tantaque eſt eius exiſtimatio, vt cunctis armis, etiam ſclopettis arcum præponant, magiſque ſe hoc tutos putent, quam illis, equidem contra peritiſſimorum militum ducumque cæterarum nationum opinionem: tanta vi explodunt exonerantue ſagittas tantaque ſimul dexteritate, vt thoraces transfigere quidam poſſe dicantur, & nemo ipſorum eſt, qui vel recta, vel ſurſum ſagittans, longius, quam palmo vno aberret à ſcopo. Et in hoc præcipue conſiſtunt eorum arma offenſiua.

Arma Britannorum offenſiua.

In defenſiuis armis vix vllam adhibent diligentiam, vel ob incuriam, vel quia ea nihili faciunt, malunt ſiquidem leues, & expediti poſſe præuenire hoſtem, currere, retrogradi, & ſaltare, quam armis circumdati, etſi tutiores, impediri: nam communiter alio armorum genere non vtuntur, quam ad capitis defenſam quibuſdam leuibus galeis, quæ vix medium obtegunt caput: loricæ autem loco vtuntur annullato ferreo induſio, ſed frequentior eſt vſus thoracum quorundam ex tela craſſa multoties duplicata, qui aduerſus ſagittas vſitatus, & tutus eſt, & brachiis laminas quaſdam ferreas apponunt.

Defenſiua.

Quod pertinet ad velites, innumerabiles ſunt, ſed minus apti; nam prouincia nulla in tota Europa magis abundat equis: at cum imbecilles ſint, eo qui, vt cætera omnia animalia ob aeris temperiem, ſub dio viuunt, herbaque ſola nutriuntur, nihili fiunt, ſed cum audaces ſint, & generoſi; præſertim, ſi ex Prouincia Vallia ortum ducant, ad explorandos atq; infeſtandos hoſtes putantur ſatis valere, & longe plus valerent, ſi nutrirentur melius.

Equitatus.

Quo ad cataphractos, cum inſula equos non producat aptos, niſi forte aliquos in prouincia Vallia, aut ex equitiis Regiis, Regnum eorum copiam habere nequit. Cum tamen eorum neceſſitas in dies magis cognoſcatur, & propterea quia Domini, & Barones, & Prælati tenentur certum eorum numerum alere ad Regni & Regis defenſam, omnes, qui per hęc tempora poſſunt, curant, vt equitia nutriant. Equi igitur, qui illic conſpiciuntur, importati ſunt ex Flandria, cum

Sereniſ-

Sereniſſima Regina tulerit, vt omnes ſuæ ſatisfaciant obligationi, ne ob defectum equorum boni publici cura in deſuetudinem procederet.

Ex his igitur equis, additis etiam penſionariis, & aulicis, omnibuſque, quotquot ad militiam equeſtrem obligati ſunt, opinantur pleriique, ſi luſtratio generalis fieret, poſſe componi exercitum duorum circiter millium equorum excellentis bonitatis, qui aduerſus quemlibet hoſtilem impetum tuto obiicerentur.

Et hæ ſunt Anglicæ militiæ vires, aptæ quidem, modo in Regno adſit concordia, ad externos hoſtes repellendos: quibus viribus addi quoque poſſent auxiliares copiæ ex Hybernia, hominum ſylueſtrium, qui Coronæ parent. Hi ſiquidem vnius diei, & aliunde breuiori nauigatione, abſq; vllo impedimento in inſulam traiiciunt, vt quondam traieciſſe dicuntur non ſine regni plurimo fructu, atque adiumento.

Hyberni ſylueſtres.

Cum hactenus opes & multitudinem terreſtrium ac maritimorum militum explicauerim, non eſſet incongruum; vt, quo ordine, quove ſumptu in bello detineptur, enarrarem: vt illius Regni mos, diuerſus ab eo, quem terra marique ſeruat Serenitas Veſtra, diſpiciatur: verum quia hæc res nimium temporis abſumeret, & particulatim referenda eſſet, in aliam occaſionem reiiciam, vt Regni ſitum deſcribam, & quo pacto natura munitum habeatur: nam in inſula collocatum eſt Regnum, & eiuſmodi mari circumdatur, quod à cæteris maxime differt, cum in Oriente, & nuſquam mare fluxum atque refluxum tam ingentem habeat, quod ſub incremento ac decremento altitudinem, ac profunditatem duodecim, vſq; ad quindecim paſſuum expleat. Quamobrem cum totum Regnum quædam arx eſſe videatur, Reges illi peculiares arces, quaſi ſuperuacaneas non minus aduerſus domeſticos, quam externos, neglexerunt: nam aduerſus domeſticos, qui potior viribus eſt, & in campo victor conſiſtit, is Regni dominus eſt, ſemperque erit, hoſtemque, qui ſe in arce aliqua condiderit, acriter obſidebit, & fame abſque vllo remedio conſumet. Aduerſus externos vero tutum eſt regnum, quia, cum inſulare ſit, claſſibus eo migrandum eſt: itaque Reges curauere, vt hoſtes portubus carerent, neque ad eos appellere abſque ſummis difficultatibus, ac periculis liceret: idcirco quoties aduenturus hoſtis creditur, circum littora manent excubitores in locis eminentioribus, vt more in Orientalibus, partibus aſſueto diu fumis, noctu ignibus indicent nauium aduentum, quo indicio inſulares ſtatim accurrant quemadmodum ſub pœna vitæ omnes patresfamilias, cum ſtatuto nautarum armatorum numero, & commeatu pro quatriduo ſaltem tenentur accurrere ad ea loca defendenda, vbi maius eſt inuaſionis periculum. Hoc igitur pacto

Situs Inſulæ, & natura maris.

Arces nullæ ſed littora cuſtodiuntur.

littora defenduntur ab externi hoſtis impetu: nunquam enim defenſores tam pauci eſſe poſſunt, vt, cum recentia ſubſidia adfutura ſint, neq; arma, & tormenta deſint, claſſem quamcunq; arcere nequeant, præſertim cum hoſtes maris viciſſitudines extimeſcere debeant: neque facile ſit reperire Cæſares, aut alios Duces, qui putent, in nudis littoribus naues exponendas ventorum arbitrio, qui creberrime mutantur, & periculoſiſſimas cient tempeſtates. Igitur Regnum hoc mari nunquam ex tempore offendi poteſt; Terra vero nulla pars eſt, niſi quæ ſeptentrionalis, nempe Scotia: à qua parte præſidiarii milites detinendi ſunt, alioquin Scoti excurſiones facere poſſent, non ſolum prædæ ſpe adducti, cum in ſyluis habitent, & pauperrimam vitam degant; ſed etiam incitati odio, quo natura Anglos proſequuntur, aucto ex continuis bellis, præter querimonias veteres, & de finibus controuerſias. Hic Regni limes præſidio mille quingentorum militum, qui in quatuor loca diſtribuitur, defenditur: altera militum pars inſidet Baruichii, quod oppidum ad Orientem ſitum eſt in faucibus fluuii Medi, frequens mercimoniis, piſcium præſertim Salmonum, vſurpatum olim bello, neque vnquam redditum Scotis. Aliud propugnaculum à parte Occaſus Carleolum dicitur: reliqua militia in duobus aliis locis detinetur: quanquā vrbs duramentis celeberrima inter Anglos præcipuum aduerſus Scotos propugnaculum habetur, & quia frequentiſſima eſt, militibus ſtipendia exſoluit. De ſtudiis Scotorum erga Reginam erit ſuus dicendi locus, cum de cæteris Principibus fiet mentio.

Cæſaris temeritas.

Scotiæ limites.

Reditus & vectigalia.

Ex his igitur arcibus, atque præſidiis Regnum tutum eſt: verum hæc fruſtranea eſſe poſſunt, ſi commeatus & pecunia deſint, ſine quibus Regna ab hoſtium inuaſionibus, & à ſubditorum defectionibus, quæ in eo Regno haud raræ ſunt, ægre ſe tueri poſſunt: ideo de his etiam breuiter dicam aliquid: dupliciter igitur res pecuniaria conſideratur, vel cum iam accumulata eſt, vel cum indies exigitur, & paulatim coaceruatur.

Quo ad ordinarios reditus, vt audiui, colliguntur quinque aut ſex modis regno illi peculiaribus, & nemini Regum, Principumque cognitis, & vſitatis. Ideo quaſdam declarabo. Inter hos præcipua eſt rutela pupillorum: quæ eſt huius regni, & Scotiæ ſpecialis prærogatiua, cum à cæteris Principibus vel Chriſtianis, vel infidelibus nullo in vſu habeatur: equidem grauamen eſt maximum: nam omnes ſiue mares, ſiue fœminæ parenti ſuo ſuperſtites minores vno & viginti annis ſub tutela Regis viuunt, qui Rex omnia illorum bona, quæ Coronam recognoſcunt quantumcunque exili tributo (ſunt autem infinita) ſimulque alia, quæ libera ſunt, occupat, fruiturq; iis, ac diſtrahit, largitur, vel ſibi, prout libet, retinere poteſt, quoadusque pupilli vnum & vigeſimum attigerint annum. Hi reditus maximi eſſent, niſi Regis conſuetudo eſſet illa bona paſſim aliis concedere: quotum

Rex pupillorum & matrimonoirū dominus.

plurima

plurima huic obligationi ſubiacent, vt Regi aliquid pendant. Quod niſi me tempus deficeret, oſtenderem incommoda, quæ ex huiuſmodi tutelis emanant, cum quia bona pupillorum negliguntur, tum quia ipſi quoq; pupilli male tractantur, cum vt plurimum tutores mercenarii ſint, qui tutelas lucri cauſa emunt, ſuamque tantum vtilitatem reſpiciunt, affinitatesque quaſi vi contrahunt, filios ſuos filiasve, aut nepotes, aut proximos cum pupillis matrimonio fraude coniungentes; neque obſtat, quod à parte tutorum nulla ſit ad pupillos proportio vel in diuitiis, vel in nobilitate: vnde coniunctis nobilibus atque ignobilibus, præterquam ſtirpes degenerant, grauiſſima proficiſcuntur odia, ac diuortia frequentiſſima.

Simul cum tutelis etiam matrimonia intelliguntur non modo pupillorum, ſed omnium eorum, qui bona poſſident aliquo modo obligata Coronæ, etſi maiores ſint: hoc autem priuilegiũ regni huius, & Scotiæ ſpeciale eſt: neque quiſquam eiuſmodi bonorum poſſeſſor poteſt matrimonium contrahere, atq; concludere, niſi prius Regis beneplacitum impetrauerit, vtpote qui matrimoniorum dominus, hoc eſt, dotis tradendæ eſt: ſed in hac quoque re liberalitatem ſolet exercere. Ex huiuſmodi reditu antea decem, aut duodecim millia librarum ſterlinorum colligebantur, aut in præſens propter occupata eccleſiaſtica bona laicis bonis aggregata, ex quibus priuati reditus adaucti ſunt, intellexi, præter largitiones, quas Regina facit, inde paulo minus, quã librarum 30000. deduci.

Præterea aliud redituum genus eſt, quod, cum pupilli, ex minori ætate egreſſi, hæreditatem adeunt, Coronæ ſoluunt, quod vnius anni fructus exhaurit: aliud quoque, quod Reluſſum vocant, quod in recognoſcendis feudis conſiſtit: feudorum autem tanta eſt multitudo, vt qui tantummodo militares vocantur, ii numero ſint vltra ſexaginta millia: & recognoſcuntur maiori minorive Regis vtilitate, vt feudorum dignitas requirit: hi autẽ reditus tanquam extraordinarii computantur, ſi compararentur ordinariis, qui ex patrimonio Coronæ accipiuntur, & antiqui reditus nuncupantur, qui explent ſexaginta millia librarum: Cui patrimonio nunc additus eſt Ducatus Lincaſtriæ, ex quo triginta millia librarum colliguntur, cumque onera quædam amota fuerint, ſumma hæc plurimum augebitur. Verum ante omnia regius eſt prouentus dignus conſideratione ex portoriis rerum omnium, quæ exportantur, & importantur tam ab Anglis, quam à peregrinis: ſed non ſine aliqua differentia, nam in aliquibus quadruplo magis aggrauantur peregrini, quam Britanni: in quibuſdam aliis omnis exceditur proportio. Hic vero prouentus magnus eſſet, quia plurima exportantur, & importantur, ſi pecu-

Feudorum multitudo.

Publicanorum fraus. liares publicani iuxta cæterorum Principum morem adminiſtrarent, ſed cum Principis nomine exigatur, maior pars conſumitur in largitionibus, & furtis: nam ex ducentis & amplius millibus librarum, qui putantur inde prouenire, vix quarta pars Coronæ ſupereſt; cætera miniſtrorum, & exactorum ſumptibus abſumuntur.

Hi fuerunt antiquitus, & in præſens habentur Coronæ reditus: præter quos computandum eſt emolumentum, quod ex ferri, plumbi, & ſtanni præcipue fodinis extrahitur, cum vix vlla inſulæ pars hoc naturæ munere careat, potiſſimum vero Prouincia Cornoualliæ mineris abundat. Sunt quoque reditus Epiſcopatuum, & Abbatiarum vacantium: & quo tempore Abbatiæ ſuo iure fruebantur (erant autem innumeræ) plurimus erat prouentus, earumque diſtributio, quemadmodum & Epiſcopatuum, ad Reges pertinet, qui dum plus minusve differunt eas conferre, ita ipſarum fructus ſibi acquirunt. Habent etiam ex regno 20000. librarum. Adſcribunt ſibi rebellium bona, præter pœnas pecuniarias, quas ex multis exigit tribunalibus, cum ſcilicet delicta aut Nobilium, aut Eccleſiaſticorum, aut publicorum officialium, aut quorumcunq; hominum indies puniuntur. Omnes huiuſmodi reditus tam ordinarii quàm extraordinarii credebantur tēpore ſchiſmatis quotannis aſcendere ad ſummam librarum centum quinquaginta millium, quæ ſunt ſexies centena millia aureorum ducatorum. *Summa redituum.* Hi ſimul cum bonis Eccleſiaſticis, quæ Rex Henricus ingenti omnium ſcandalo occupauit, cū ab Eccleſia ſeſe alienauit, duplo auctiores facti ſunt, quamuis data opera ſummam adhibuerit in ea re negligentiā, nempe permittens, vt vnuſquiſq; ex iis occupationibus fieret opulentior. Cum hoc igitur incremēto credebatur Coronæ reditum annuum eſſe trecentarū decem milliū librarum, hoc eſt, per ea tempora milionē vnum, & 20000. aureorum. *Sumptus.* Nemo ambigit, eum regnum occaſione diſpendiorum careat, videlicet in detinendis ad ſui tutelam claſſibus, peditatu, equitatu, quia ex ſeipſo ſecurum eſt, quin poſſit regiis neceſſitatibus non modo cuncta ſuppetere, ſed etiam ea ſatis ſuperque ſubminiſtrare, quæ Regum libido poſtulat: nam exceptis, quæ diximus, Scotiæ præſidiis, quæ remoto belli periculo pro dimidio ſtipendio a ciuibus cuſtodiuntur, itemq; excepta trecentorum ſagittariorum cohorte, & quinquaginta Nobilium, qui ſtipendia merent vtriq; quotannis libras viginti quinque, item exceptis portuum, & nauium illarum præſidiariarum, quas diminutas eſſe diximus, reparatione, tormentorum, armorum, omniumq; munitionū renouatione, palatiorū, domuumq; regiarum inſtauratione, quarum numerus toto regno magnus eſt, præter ſalaria oratorum, iudicum, aliorumque publicorum

miniſtro-

miniſtrorum,quæ omnes expenſæ proculdubio ordinariæ ſunt, conſeruandoque regno neceſſariæ: detractis his ſumptibus,qui non nimii ſunt,reliqua pecunia tota ingēti ſuperfluitate, ac prodigentia conſumitur in aula,menſis ſcilicet, ſtabulis,armamentariis,capellis,penuariis, aliiſque muneribus ad Reginæ ſeruitia deſtinatis, maximo, ac valde ſuperfluo officiariorum numero, quos Clerchi vocant:ſiquidem nulla toto orbe gens eſt,quæ Britannos exſuperet in ſplendore domeſtico, famulitii multitudine,officiorum,ac graduum diſtinctione. *Luxus Britannorum.* Adeo vt, ne id reticeā, vnde cætera coniici poſſunt, ſola ciborum, atque potionum expenſa ſexaginta librarum ſterlinorum millia abſumat ſingulis annis,hoc eſt,ducentos quinquaginta mille aureos: res quidem admirabilis, cuicunq; contingit aſpicere cupediarum, quæ ſingulis diebus parantur,multitudinem: & nihilominus vix quarta pars ſumptuum fit,qui regnantibus Henrico, & Odoardo huius Reginæ prædeceſſoribus fiebant, cum ipſa multos abuſus,multaſq; ſuperfluitates ſuſtulerit,non ſolum moderando, ſed penitus tollendo menſas pleraſque.

Ex his igitur colliguntur,& in hæc inſumuntur regii reditus: *Regni pauca ſunt grauamina.* Pro extraordinariis autem occaſionibus, vt belli, æris alieni, & ſimilium, ſuperſunt extraordinarii modi prouidendæ pecuniæ: qui profecto modi plurimi eſſent, ac Principi perutiles, ſi modo vellet partem aliquam illorum grauaminum, quæ in aliis regnis vſurpantur,factaque ſunt ordinaria,introducere: verum hac parte re vera mirabilis eſt,& perrara illius regni libertas, quo nullum regnum minus oneratum eſt. Igitur Regnum illud extraordinarios reditus nullos habet, quam ſola ſubſidia, quæ Parlamentorum interuentu in publicis neceſſitatibus decernuntur:ad quæ ſubſidia indifferenter contribuunt Britanni, ac peregrini: ſed tamen plurimis dilationibus penduntur ad portionem bonorum, quæ quiſque poſſidet,quę bona minus rigide æſtimantur,& exactionum tempora diuiduntur, ac plus minusve differuntur, prout vrget neceſſitudo.

Cum ſatis de viribus,ac munimentis regni dixerim,reliquum foret, vt de Politia nonnihil referam, vt quam ſit a cæteris diuerſum appareat:ſed breuitatis cauſa ſufficiet, vt ſignificem, iuſtitiā ibi nō, vt in cæteris regnis, & Chriſtianis prouinciis adminiſtrari:nō enim ciuilibus & imperialibus legibus gubernatur,ſed municipalibus,vt hæc Reſpub. *Politia regni.* quæ cum a Gulielmo Normando Baſtardo,qui Conqueſtor,quod perinde eſt ac tyrannus, vtpote qui vi totum regnum occupauit, inſtitutæ fuerint: *Conqueſtor quid in Anglia.* admirandum nō eſt,quod ſolam Principis vtilitatem reſpiciant, ſubditorum vero bonum deſertū eſſe videatur, plenæq; ſint tricarum, ambiguitatum,ſibiq; contrariæ: fuerunt ſiquidem excogitatæ, ac ſancitæ a

Normannicum ius quale.

Normandis, quibus nulla gens magis litigioſa, atque in controuerſiis machinandis, & proferendis fallacior reperiri poteſt. Hæ leges in illis iudiciis inuiolabiliter, ac rigide obſeruantur, & in Gymnaſiis Londini publice idiomate Normanno prælegun tur, quo idiomate paucis ante annis litigia agitabantur, & omnes iudiciarii actus, & publicæ ſcripturæ conſcribebantur; quodque nouum videbitur, confertur gradus Doctoris in ea facultate, vt in Italiæ, aliisque ciuitatibus conferri ſolet gradus in Iure Ciuili & Canonico. Quod ſi temporis anguſtia concederet, poſſem diuerſitates quaſdam, & vere notabiles abuſus, qui in forma iudiciorum frequentantur, referre, præſertim in iis iudiciis, quæ Inqueſtæ dicuntur, in quibus tam ciuilibus, quam criminalibus magna ſubſequuntur incommoda. Hoc iudicium conſtat ex duodecim viris, qui à iudice congregantur, vt ab iis ſententiam ſuam exquirat, ſuper re, de qua controuertitur: & omnes conueniant, neceſſe eſt, alias nequit iudex ad ſententiam procedere. Sed ne tædium afferam, hoc totum argumentum poſtpono, addens tantum, in toto regno, atque in omnibus conſultationibus regiam ſolam voluntatem attendi, cum Reges abſoluti Domini ſint, atque Monarchæ. Quamobrem ne ſoli eſſe videantur in regimine, aut propter inertiam, & maiorem commoditatem, vel ob ſuperbiam, ac pompam, inſtar Turcici imperii, induxere Conſilium præcipuorum officialium, ac miniſtrorum, qui inſtar Baſſarum congregantur, & Principem vbique ſequentes, habent ad hunc effectum & menſam, & proprium in aula diuerſorium, ac famulitia ſplendida, magnaque dignitate regios labores minuunt, ſiquidem ad eos confugiunt plerique ſubditi, ac miniſtri publici, & Principum quoque Oratores. Adeo vt ii Principis aures, & perſona dici poſſint, cum per totum Regnum potentiam exerceant, & imperium in miniſtros, quos magna autoritate tractant, illique viciſſim obedientiam præſtant, denique vt Rex, ita ipſi, quæcunque libet, iubere, ac decernere queunt. In huiuſmodi Conſilium, quod regium dicitur, vtplurimum admittuntur tria vel quatuor præcipua Regni officia, hoc eſt, Cancellarius, Theſaurarius, & quem vocant Brouizellum (cuſtos priuati ſigilli) & Amiralium, præter præſtantiores Aulæ, domusque Regię officiales, veluti Stuardum, qui ſimillimus eſt Magno Magiſtro in Gallia, & in Aula Cæſarea Maior Domus maior; omnes vtplurimum Dominos, nobileſque & eximios viros. Quo loco non erit abs re, vt V. Serenitas non ignoret, qui ii ſint, qui hodie Conſilium hoc Regium explent ſub Eliſabeth præſente Regina.

Conſilium regium.

Archiepiſcopus Cantuarienſis Metropolita.

Magnus Cancellarius. Chriſtophorus Hatton eques.

Magnus Theſaurarius. Baro Bourgley.
Magnus Magiſter. Comes Leyceſtre.
Magnus Amiralius. Baro Carolus Harrade.
Marſchallus. Comes Cerosbery.
Comes Darby.
Baro Huſduni Gubernator Baruichii in finibus Scotiæ.
Baro Cobham Gubernator quinque portuum.
Baro Bucherſt.
Dominus Franciſcus Knollis Theſaurarius Reginæ.
Dom. Iacobus Croſtels eques.
Dom. Thomas Honigge eques, Vicecamerarius Reginæ.
Dom. Gualterius Mylney eques.
Dom. Franciſcus Pauletus Gubernator inſulæ Garſeq.
Secretarii vero ſtatus ſunt hi, videlicet
Dom. Franciſcus VValſingbam eques.
Dom. Gulielmus Dauiſon.
Dom. Thomas VVolley.

Inter hos, vt aſſolet fieri inter principum Conſiliarios vigent factiones, & priuatæ ſimultates, de quibus nonnihil attingam breuiter.

Magnus Theſaurarius, vir grauis, & doctiſſimus antiquam fouet, amplectiturq; nobilitatem, aliosque nobiles Catholicos: antiquos nobiles, quia per filium ſuum cum illis affinitatem contraxit: alios Catholicos, quia dominationis id intereſſe putat, & hinc gloriam hoc tempore aucupari ſperat. Fruitur Reginæ fauore intimo, interq; cæteros eius factionem ſequuntur, Epiſcopus Cantuarienſis, Barones Cobham, & Bucherſt.

Comes autem Leyceſtre genio penitus contrario antiquos nobiles deprimit, fouetque deteſtabilem Caluini opinionem, quodq; magis intereſt, alias plurimas ſectas promouet, quæ ibi vigent, vt amoris familiam, Puritanos, qui tanto numero aucti ſunt, vt res incredibilis videatur, qui ab illo tantum ſuſtinentur, vt aliquando eorum opera vtatur, quemadmodum cenſent plerique. Hi antiquis & præſentibus regni legibus, maximeque Catholicis aduerſantur, augentur autem propter gratiam, quam apud Comitem hunc habent. Ipſi quoque in Conſilio adhæret Secretarius VValſingham vir Reip. ſcientiſſimus, Paulettus, Knollis, Mylmey, aliique nonnulli Puritanæ Sectæ addictiſſimi. Cæteri magis ornamento ſunt, quam ſeriis rebus tractandis, cum aduerſus illos ne hiſcere quidem audeant. *Factiones miniſtrorũ.*

Ab his igitur regnum omnino gubernatur. Verum quoniam aliquando materiæ quædam publicæ accidunt, quæ ad bonum, ſiue etiam detrimentum regni ac ſubditorum ſpectãt, verbi gratia, legem nouam conſtituere, alias examinare, vel reprobare,

pecuniam ad bellum aliquod iam ſtatutum impetare, vel ſimilia ad Remp. pertinentia prouidere, tunc & in ſimilibus caſibus conſueuerunt Reges modeſtiæ gratia antiquam conſuetudinem ſeruare, vt ſcilicet Parlamenta conuocent; in quibus Regni ſtatus & ordines tres congregantur, hoc eſt, clerus, nobiles, & populares, vt ab hiſce examinato negotio, quo de agitur, à Regibus deinde eorum decreta confirmentur, aut reprobentur. Et quanquam antiquitus hæc Parlamenta auctoritate ac libertate potiebantur, vt Reges potius politica, & ciuilia capita fuerint, quam Domini, & Monarchæ; tamen ab Eduardo Tertio ad hæc vſque tempora Regum auctoritas adeo munita eſt, vt hodie Parlamenta regiarum magis cupiditatum laruæ quædam ſint, quibus in rerum dubiarum conſultationibus laborem, & incommoda, in periculoſis autem rebus damnum ſubterfugiunt, quam vt per ea poteſtatem ſuam moderari velint: nam in iis quicquid conſulitur, aut decernitur, nihil validum eſt, niſi regia accedat cõfirmatio: Quin etiam non modo quicquam decernere, aut quemcunque actum facere nequeunt, ſed ne congregari quidem poſſunt, niſi nutu regio, ſolentq; Reges ad ea quoslibet admittere, atq; ab iiſdem remouere, nempe ita formidabiles cunctis facti ſunt, vt nemo in Parlamentis, aut extra ipſa, audeat ſeſe ne minimo quidem verbo regiæ voluntati opponere, niſi tamen ſibi damnum, ac ruinam velit acerſere. Adeo vt quemadmodum ſerui & ſubditi ſunt ii, qui Parlamentis interſunt, ita actiones & conſilia inde prodeuntia ſeruilia eſſe, neceſſe ſit.

Parlamentorum qualis auctoritas.

Seruitus Conſiliariorum.

Poſſem hic formam antiquarum veſtium equidem pulcherrimam deſcribere, quibus Reges & Barones tantummodo vtuntur, aulas delineare, quas Conſiliorum cauſa frequentant, alteram ſiquidem pro nobilibus, ac Prælatis domum altam vocant, alteram pro Burgenſibus, etſi re ipſa maiori ex parte equites ſunt, eximiæque conditionis & ingenii viri, quam domum humilem vocant: poſſem quoque afferre in medium morem conſultandi, & ſuffragia ferendi, in quo Romanorum priſcam conſuetudinem retinent, denique formam verborum, quæ in Parlamentis Regina iubet adhiberi in approbandis, aut reprobandis rebus, quæ proponuntur, prout in dictis domibus ante decretæ fuerant,

Partes quoque meæ eſſent, vt, poſtquam regni politiam declaraui, morem ſeruitiorum Reginæ, eiuſdemq; Aulæ tam in publicis, quam in priuatis vſibus referrem, cum potiſſimum à ſeruitiis, moribusque omnium Principum differant, itidemque referrem ſpeciale priuilegium, quo Reges illi ſimul cum Rege Galliæ, & Rege Romanorum vtuntur in ſe ipſis conſecrandis, atque vngendis, cum coronantur: ſimul explicarem cauſas titulorum,

Vnctio Regum.

cur

cur vocentur Galliæ, Hiberniæ, & poſtea & Angliæ Reges: denique vt loquere de equitibus Garteriæ,qui ordo regni illius peculiaris eſt, vt S.Michaelis ordo Franciæ eſt, & S.Andreæ,qui alias dicitur Aurei velleris,Burgundicæ Domus. Verum quia hæc, etſi ſpecioſa,nimium curioſa,ac forſitan non incognita ſunt, ideo tædii amouendi cauſa poſthabebo omnia, & ad vltimam partem deueniam, qua fœdera & amicitias Reginæ cum cæteris Principibus enarrabo.

Primum conſiderabo Scotiæ regem tanquam viciniorem:qui etſi cum Regina Angliæ implacabilem exerceat inimicitiam, ex matris ſuæ nece profectam, quæ quidem nec cunctis Principibus diſplicuit; tamen neceſſe eſt, vt Princeps ille adhuc iuuenis, etſi eximiæ expectationis, ſuorum ſubditorum ſtudiis ſeſe accommodet:qui præterquam quod cum Anglis propter ipſorum religionem optime conueniunt,primates illius regni ſtipendiarii ſunt Reginæ,apud quam Scotiæ Rex Oratorem habet.

Cum Daniæ Rege colit Regina optimam amicitiam, ſuper qua articulos nuper quoſdam ad mutuas opportunitates concluſere.

Cum Proteſtantibus Principibus Regina amicitiam, imo auctoritatem retinet: quam muneribus crebriſque legationibus excolit,& inter illos Dux Caſimirus ipſius eſt ſtipendiarius.

Apud Moſchum occaſione mercium habet procuratorem ſuum, itidemque eadem de cauſa, & forte quia Reip. intereſt apud Turcam.

Cum Rege Galliæ optimam ſemper voluntatem profeſſa eſt, & ambo in mutuo fœdere magnam ſpem collocauerant; & Regina per Regem Galliæ commercium cum Hiſpanis continuat, aliaque tractat negotia.

Cum Rege Nauarriæ, cæteriſque Franciæ Proteſtantibus egregie conſentit.

Quod attinet ad bellum cum Rege Hiſpaniæ in Belgio, præterquam quod in ea Prouincia arces aliquot poſſidet, in Hollandia & Selandia tria ſuſtentat munitiſſima loca, & eiuſmodi, vt nunquam ex Prouinciæ Catholico Regi ſeſe dedere poſſint abſque Reginæ conſenſu.

Apud ſe moratur honeſtæ penſionis largitione Don Antonius Portugalliæ,cuius ope Luſitanorum ſtudia ſibi conciliat.

Dicam modo breuibus de ſucceſſoribus ad eam Coronam.Ad quam primo conſideratur Scotiæ Rex,vt qui natus eſt ex filio natu maiore Henrici VII. quæ Scotiæ Regi nupta fuerat; verum duo illi obiiciuntur,primum,quod in regno natus non ſit,& conſequẽter excludatur iuxta leges à ſucceſſione:alterum,quod eius mater nuper in Parlamẽto incapax declarata fuerit ad ſucceſſionẽ *De ſucceſſ[ione] re diſcurſ[us]*

& conſequenter ipſe quoque. Verum ille prudenter ſeſe gerit, & bona opinio ac fama, quæ de ipſius virtute cunctis innotuit, eius cauſam egregie promouebit.

Poſt ipſum recenſetur adoleſcentula quædam duodecim annorum, ſpei eximiæ, & nata eſt ex eadem filia Henrici Septimi, ſed in ſecundo matrimonio, & Arabella vocatur. Ambo igitur ex eadem matre proueniunt. ſed eo differunt, quod Scotiæ Rex extra regnum in primo matrimonio natus eſt, illa in regno, ſed in ſecundo matrimonio.

Sequitur Domus Suffolk, in qua altera eiuſdem Henrici Septimi filia nupta eſt ; ex quo matrimonio duæ filiæ ortæ ſunt, quarum prima Marchioni Dorceſtri nupſit, cuius familiæ cauſa duæ filiæ Comitis Hariſordii regnum ambiunt. Alia nuptui conceſſa fuit Comiti de Cambrige, ex quo Domus Comitis Arby deriuatur, nec non petitio, quam ad Coronam inſtituerunt eius filii, qui tres ſunt. Obiicitur autem his, quod natales eorum dubii ſunt : quo caſu Domus Lincaſtra, & Iorik proximiores habentur: ex hac modo viget Comes de Huntingnon: ex alia vero Portugallenſes omnes, vt Rex Hiſpaniæ, & filii Ducis Parmenſis cum aliis plurimis. Verum communis eſt opinio, ſi caſus hic contigerit, Comitem de Huntingnon Coronam occupaturum, quod is cum regni primoribus plurimas contraxerit affinitates, tum etiam propter eius virtutem, Principumque amicitias. Et de Britannia Inſula tot dicta ſufficiant.

DE INTERREGNO POLONIÆ,

DISCVRSVS VIGESIMVS QVARTVS.

REGVM vitam & mortem, cum in manu Dei vtraque ſit, & à Diuina prouidentia, quæ nunquam errare poteſt, proficiſcatur, quin ſemper opportune accidat, dubitandum non eſt. Humanus tamen intellectus, quin ex rerum effectibus eliciat argumenta, ac ratiocinetur, fieri nequaquam poteſt.

Equidem mors Stephani Battorii, qui vltimus Poloniæ fuit Rex, illi regno plurimum detrimenti attulit, ideo quia Princeps

ceps ille virtutibus excellebat, Chriſti religionem mirifice iuuabat, externa pericula amouebat, inteſtinis bellis occurrebat.

Moſchus iampridem Ducatum Pollocii Polonis in finibus Moſchouiæ conſtitutum, & Liuoniam, ac Seueriæ Ducatum, item Smolenskum Lithuaniæ membra eripuerat: quas prouincias Rex Stephanus magno ſtudio vindicare conatus eſt, recepitque Ducatum Seueriæ, ac Smolenskum, dumque pro cæteris vrgebat, pax anno 1582. concluſa eſt per P. Poſſeuinum ad nouennium, quæ deinde ad quadriennium à Rege Stephano limitata eſt; quod equidem belli proſequendi erat argumentum. Huius autem morte Moſchus non tantum deſignatum bellum amplius non extimeſcit, verum etiam niſi in locum defuncti Rex alter ſubſtituatur paris virtutis, Ducatus illos, qui ad Lithuaniam, Coronæ Polonicæ iam coniunctam, ſpectant, denuo recuperaturus eſt: adiutus præſertim à ſchiſmaticis, qui Podoliam, & Ruſſiam incolunt, & Polonicum dominatum à ceruicibus ſuis cupiunt depellere. Sola Stephani Regis virtus Tartaros, perpetuis excurſionibus Ruſſiam, traiecto Boriſthene, infeſtare, & Leopolim vſque depopulari cuncta ſolitos, refrenauit; & aliquando inuadere auſos profligauit. Turcarum Imperator anno 1584. ab eodem Stephano petierat, vt iuxta veterem conſuetudinem certum militum numerum ſibi concederet profecturo ad bellum Perſicum, quod Rex negauit, inquiens, Albam aquilam Polonicam nuper deplumatam, atque inertem iam pennas ſuas recepiſſe, iamque iuueneſcere, & vngues, roſtrumque exacuiſſe, adeo vt ſeditionemque ſuam egregie defenſura ſit. Turcæ conſuetas in Poloniam incurſiones valde remiſere, poſtquam anno 1584. Poloni multa caſtella diripuerunt, & præſidiarii milites, Coſaſci nuncupati, Seiguam Turcarum arcem deprædati ſunt: quo facto hoſtes parum commoti, quædam tantum capita factionis illius petiuere, & Polledaſtrum quendam Polonum, qui equorum coemendorum gratia Conſtantinopoli degebat, interfici iuſſere: qua in re modeſtius egere dubio procul propter eximiam Stephani Regis apud ipſos exiſtimationem. Rex Sueciæ Ducatum Lithuaniæ, ac Liuoniæ, nec non dotem Eliſabethæ Reginæ vxoris ſuæ, cum ingenti pecuniæ ſumma, quam Regi Sigiſmundo Auguſto commodatam fuiſſe conſtat, prætendit, neque tamen regnante Stephano quidquam attentauit. Idcirco caueat ſibi Polonorum Reſpublica à tot Principum diuerſorum, ac ſibi finitimorum iuribus, ac prætenſionibus, nunc præſertim, cum deſtituta eſt Rege, cuius fortitudo, atque charitas conditionem mortalium cæterorum excedebat.

Vnus homo ſæpe plus quam tota valet Reſp.

Dictum Stephani.

Regni diſſenſiones multæ ſunt. Prima religionis cauſa non

Diſſenſio ex

religione quanta mala pariat.

mediocris habenda eſt,& mala plurima parere ſolet. Primo etenim diſcordes fiunt ſecularis,atque Eccleſiaſticus ordo, vnde aliæ proficiſcuntur calamitates,cuiuſmodi eſt diminutio authoritatis Epiſcoporum,& Metropolitarum, Eccleſiarum profanatio,ſacrorum bonorum vſurpatio; ſacerdotibus alimenta denegantur, decimarum exactio impeditur, ſacrorum hominum perſecutio admittitur, iniuriæ denique aduerſus proximum, & ſe ipſum,imo & Deum commiſſæ non caſtigantur. Alterum incommodum ex turbata religione eſt, quia ſectarum diuerſitas inter populos rixas,& inimicitias diſſeminat, quæ non modo in prouincias,in ciuitates, in domos penetrant: ſed etiam patrem, & filium, virum & vxorem inter ſe inimicant, abſque vllo honeſtatis,& politiæ,necdum pietatis, & Chriſtianæ charitatis reſpectu. Tertium eſt, quia ſectæ huiuſmodi libertatem conſcientiæ adſtruunt,quæ profecto libertas legibus diuinis, naturæ humanæ, iuribuſque ipſius regni obſiſtit, cum enim libidine ſua ducantur, nullamque legem aut conſuetudinem obſeruent, regia quoque edicta floccifaciunt,

Diſſenſio ex ſtudiis partium.

Altera diſcordia eſt ex animorum propenſionibus,quibus Poloni in diuerſas partes diſtrahuntur;nam cum Corona illa electitia ſit, plerique Principum ad eam adſpirantes, illorum animos ſibi deuincire curant;quod pluribus efficiunt modis, ſed præſertim occaſione peregrinantium:nam cum iuuentus Polonica mirum in modum peregrinationibus delectetur, ad diuerſorum Principum imperia aduehuntur, vbi ſummam experti humanitatem, mox in patriam reduces coguntur,ob beneficiorum memoriam Principis benemeriti partes fouere:quod ſtudium, gratique animi ſignificationē nullo aptius tempore, quam in interregno,exhibere queunt,cū ſcilicet ſingulorū vires,& authoritas adæquatur:vnde fit, vt animorum fiat diſcretio,quæ viuente Rege Rempublicam nequit offendere, propterea quod natio hæc Principi ſuo fideliſſima putatur:ſed nihilominus hæc animorum diſſidia, & exterorum amicitiæ inter eos aliquam forte ſimultatem parit.

Diſſenſio procerum & nobiliū.

Tertia in regno diſſenſio eſt ordinum Senatorii, & Equeſtris: ad quam rem melius percipiendam ignorandum non eſt: etſi Nobilium ſingulorum ea eſt mens atque cura, vt libertas communis ſit, omnibuſque æqualis, tamen politiæ neceſſitatem introduxiſſe, vt ii, qui in regiminis adminiſtratione conſtituti ſunt,maiori floreant authoritate;ac nominis exiſtimatione: ideoque horum ſuperior dignitas duobus gradibus inſignitur, videlicet Palatinatu,& Caſtellanatu: alter prouinciis præeſt, alter ciuitatibus. Quoniam vero Reges, qui anteactis temporibus illud ſceptrum tenuere, hos dignitate eminentiores paullatim ad

publicas

publicas conſultationes conuocarunt, & ſi iis inconſultis iubere, ac diſponere, præmia diſtribuere, ac punire pro arbitratu ſuo poterant: paruo temporis progreſſu inualuit mos, & conſuetudo, vt viri dignitibus hiſce conſpicui vnum corpus conſtituant, quod Senatorius ordo nuncupatur: reliqua nobilitas magnum quoddam eſt chaos ob regni amplitudinem. Quoties autem conſtitutiones ac decreta aliqua publice ſtatuenda ſunt, tenentur Palatini ſuos prouinciales nobiles congregare in ciuitatem aliquam, vbi tractandis rebus propoſitis ſuam ſinguli authoritatem, arbitriumque & conſenſum, aut diſſenſum rei decernendæ adhibeant: & iuxta maiorem nobilitatis partem ſtabilito decreto, eliguntur procuratores terreſtres, Nuncii nuncupati: qui ſimul cum aliis ab aliis prouinciis pariter deputati ad locum, vbi Regis arbitrio comitia generalia celebrantur, conueniunt, & conuentus ille Equeſter ordo dicitur, primo ordini inferior dignitate, ſed autoritate æqualis: quocirca fere ſemper Senatorii ordinis opinionibus atq; approbationibus contradicere, atq; reſiſtere conſueuit. Cauſa diſcordiæ inde proficiſcitur, quoniam Senatores id vnum reſpiciunt, vt regiæ voluntati obſecundent, nam à Rege honores & opes conſequuntur: at Equeſtris ordo bonum publicum reſpicit, ſibi perſuadentes, niſi obſiſtant Senatoribus, libertatem ſuam perditum iri, & inualituram tyrannidem, hincque ordini Senatorio, quoad poſſunt, aduerſantur.

Quartum diſſidium eſt familiarum nobiliſſimarum, ac minus nobilium, inter quas familias parum conuenit: proinde ſi ad aliquem ex ſe ipſis eligendum veniretur, magnæ in interregno turbæ cieri, atque errores committi poſſent. *Nobilium familiarum diſſenſio.*

Poſtrema diſcordia eſt prouinciarum, veluti Lithuaniæ, Ruſſiæ, & Liuoniæ, nobilibus illis ægre ferentibus, cum ipſi potentiores eſſe ſibi videantur, regi à Polonis. Rex autem Stephanus omnes haſce diſcordias egregie callens, curabat, vt eas omnes conſopiret. Nam ad primum Religionis incommodum amouendum, omnes hæretícos ex regiis ciuitatibus eiigebat, aulam ſuam abominabili hac peſte purgabat, ædificabat Eccleſias, Collegia erigebat, piis locis reditus aſſignabat, benemeritos homines ad gradus Eccleſiaſticos prouehebat, decimarum exactionem concedebat, denique in generalibus Comitiis punctum Religionis ante omnia determinari curabat: futuris quoque electionibus formam præſcribere conatus eſt, quo Nobilium diuerſæ inclinationes irritæ fierent, multiſque ideo incommodis obuiam iretur, quæ ex hiſce diſcordiis, atque ad exteros propenſionibus emanare poſſent; quemadmodum paullo antea acciderat, vt acceſſito in regnum Maximiliano Imper. & ex altera parte ipſo Bathoreo parum abfuerit, quin ad cruentum prælium deſcenderetur: Senatorum diſcordias ſedare, atque componere ſumma ope nitebatur, etſi maleuoli in ſiniſtram *Prouinciarum diſſenſio.* *Has omnes diſſenſiones Stephanus quomodo pacauerit.*

partem

partem id interpretantur: Nobilium diſſidia tollebat, omnibus ſe eundem æqualiter præbens, in eos æqualiter dignitates conferens, publicos reditus diſtribuens, aduerſus turbidos ſeuerus, pacis ſtudioſos quoslibet protegens, atque defendens. Differentiæ vero, atq; diſſidia prouinciarum pene extinctæ erant, præſertim cum Grodnam ciuitatem, in finibus Lithuaniæ, atque Poloniæ ſitam perpetuam ferè ſibi Regiam prælegiſſet: proinde videbatur vtrique prouinciæ gratificari, & ad iuſtitiam adminiſtrandam, & ad auxilia ferenda æque commode ſe habebat, vtramque indifferenter fouebat. In monetis, quas poſt pacem initam cum Moſcho excudi iuſſerat, aſſeruit, vtriq; Reipublicę ab ſe reſtitutam eſſe Liuoniam, & Polocium: quibus moribus vtrique parti mirum in modum ſatisfaciebat.

Cădidatus à Pontifice promotus cur gratioſior.

Quicunque Candidatorum à Pontifice promouebitur, is dubio procul omnibus anteponendus erit, ob eam potiſſimum cauſam, quia nemo timere debet, à ſummo Pontifice propoſitum iri virum regio culmine illo indignum, partim quia Sanctæ Sedis Apoſtolicæ opera, vtpote à Spiritu Sancto profecta, & citra humanos reſpectus ſuſcepta digna exiſtimantur patrocinio bonorum Chriſti fidelium, imo & ab inimicis S. Eccleſiæ nonnunquam adiuuantur. partim quia vel hinc argumentum deſumeretur, eum virum eſſe reuera Catholicum: quandoquidem veriſimile eſt, Rempub. illam ad hoc præcipue reſpecturam, vt Catholicus eligatur, non modo propter antiquam regni conſuetudinem, cui hactenus derogatum non fuit, verum etiam quia ipſimet hæretici curaturi ſunt, vt in talem Principem cadat electio, qui ſe Catholicum expreſſe profiteatur, quemadmodum in prętertio interregno clariſſime determinatum eſt, antequam Stephanus Battoreus de Glormenir eligeretur: nam cum inter ipſos ambigeretur num conducibilius eſſet, hæreticum hominem eligere, & vererentur omnes, vt ope hæreticorum nomen nobilitatis extincturus eſſet; Palatinus Vilnenſis, qui tunc hæreticus erat, & pertinax, qui ob grauem ætatem, rerumque publicarum experientiam cunctis venerandus videbatur, conſuluit, longe magis Reip. expedire, vt Catholicus præferretur, inquiens, ſi ſecus fieret, cum primum hæreticus regnum adeptus fuiſſet, & iuſtitiam ſiniſtre adminiſtrare, vel tyrannidem occupare vellet, neminem fore, qui ipſum à propoſito dimouere poſſet: nihil enim ille vereretur miniſtros, quin eos etiam occideret, nedum aſpernaretur: at ſi in Catholicum hominem conſentiretur, præter conſcientiam iuriſiurandi, contra quod nihil efficeret, manſurum in officio ob cenſuras Eccleſiaſticas à Pontifice, cui præterea obedientiam præſtiturus, & tanquam ſuperiori auditurus eſſet.

Hæretici quoque Catholicum Regem cur optent.

Pontificii candidati plurimum etiam adiuuabuntur à Senatoribus Eccleſiaſticis, qui autoritate pollent, & quorum ſuffragia maioris æſtimanda ſunt, non modo quia viri doctrina præſtantes ſunt, &

virtu-

virtutum ſuarum cauſa ad eos gradus peruenere, vnde ad cæteros perſuadendos plurimum valebunt; ſed etiam quia primi ſunt ſuffragatores, & quia Regis locum tenet Archiepiſcopus Gneſnenſis, cuius in interregno prærogatiua eſt, vt in ſolio regio reſideat, tanquam legatus natus, & primas, præſertim hodiernus Archiepiſcopus Karanozki, vir innocentia clarus, & erga Pontificem Sixtum V. egregie animatus, quemadmodum promptitudine congratulationis, quam per legatum ſignificauit, ſtatim atque Pontificatum idem Sixtus adeptus eſt, teſtatum eſſe voluit.

Archiepiſcopus Gneſnenſis.

Præterea plerique Senatores & capita nobilitatis libenter omnem mundanum reſpectum, & amicitiam poſthabebunt, vt Sedis Apoſtolicæ parti adhæreant, cum quia eidem addicti ſunt, atque deuotiſſimi, tum etiam quia in re tanti momenti videbuntur cõſcientiam ſuam in tuto loco habere, fauentes Eccleſiæ candidatis, alioquin ſi electio infeliciter ſuccederet, merito ſibi ipſis, ſuæque pertinaciæ atque impietati omne damnum imputare debebunt: verum etiam ſuæ vtilitatis cauſa Eccleſiaſticos candidatos prouehent, quandoquidem eo caſu Miniſtri Apoſtolici tenebuntur eos Regi commendare, vt ad Senatorias dignitates euehantur, & publicos reditus, quorum collatio ad ſolum Regem ſpectat, obtineant. Apud Regem enim nemo efficacior videtur eſſe debere deprecator, quam Apoſtolicus miniſter vtpote qui facillimum habet ad Regem aditum, ac proinde quem mauult, aut dignum putat, minimo negotio iuuare poteſt. His igitur ita ſe habentibus, nunquam mihi venit in mentem dubitare, quin Summus Pontifex miniſtris ac procuratoribus ſuis mandaturus ſit, vt ad eam Coronam Principem commendent beneuolum ac fidum partibus ſuis, vitæ integerrimæ, religionis amantem, charitatis, iuſtitiæ & ſanctitatis laude eximium, cum vt ab illo omnes boni ſub illo cœlo degentes virtutum exemplum capiant, & in bonitate ſua perſeuerent, aſpicientes, pacem ipſorum, atque politiam Pontifici vehementer cordi eſſe, tum etiam quia is, qui fauore Pontificis prouectus fuerit, ad eius partes maxime inclinabit; qua de re negotia Sedis Apoſtolicæ ex voto eius miniſtrorum tractabuntur: alioquin ſi aliunde ſceptrum obuenerit, quotieſcunque in vſum cleri & Eccleſiæ agitandum aliquid fuerit, vel raro, vel ſumma cum difficultate regem inflectent, ad ea pro ratione temporum concedenda, quæ ſacerdotes, vel pias cauſas adiuuare poſſunt, præſertim quoniam grauiſſimæ ſunt ex ſe ipſis controuerſiæ, quę intercedunt, illic inter ordines Eccleſiaſticum, ac ſecularem: ſed præter hæc Summus Pontifex obuiam ibit, ne regnum illud ad Principem aliquem hæreticum perueniat, quod fieri non poſſe, nobis omnino polliceri non debemus, non obſtantibus regni conſtitutionibus, & numero Catholicorum maximo, cum in præteritis interregnis conſpexerimus, hæreticos validis præſidiis munitos nulla vi detineri potuiſſe, quin pernicioſiſſimũ

Pontif partes valida in regno Polon.

iuſiurandum offerrent Regi, quo obligaretur conſcientiæ libertatem defendere, quemadmodum & iuratum eſt. Quæ res tantum hactenus detrimentum peperit, vt paulo deterius eſſe videretur, ſi Regem profeſſione hæreticum coronarent. Quapropter, ne Rex eligatur, qui tam nefarium ſcelus admiſſurus ſit, libertatem conſcientiæ admittendo, Summus Pontifex operam omnem nauare debebet, vt regnum illud ab huiuſmodi Principe gubernetur, qui religionem ſartam tectam conſeruet, & priſtino ſuo candori reſtituat. Sed vt ad inſtitutum reuertamur, principem ad hoc regnum Pontificis ope promouendum conſideremus; multis enim cum dotibus inſignitum eſſe oportere, minime dubium eſt, quæ ſcilicet regno, ac nobilibus, nec non occaſionibus, quæ indies ſeſe offerunt, reſponſuræ ſunt. Verum credendum eſt, Pontificem ab initio nihil tentaturum, & auctoritatem ſuam minime interpoſiturum eſſe: prius enim explorandum videtur, ad quem Poloni propendeant, & candidatorum natura, virtus, pietas attendenda eſt, tumque Pontifex in fauorem eius, quem ob ſua merita eligendum, & quem facilius Polonis placiturum, atque electum iri putauerit, inclinabit. Idcirco ego cum Sedis Apoſtolicæ patrocinium, quod præualidum futurum eſt, huic d ſſertioni applicare nequeam, de iis ſermonem inſtituam, quos in generalibus Comitiis nominatum iri veriſimile eſt. Veruntamen animaduertendum (ſicuti in Polonia degens obſeruaui, & nunc in Italia à Polonis quibuſdam, poſtquam Regem mortuum eſſe, allatum eſt, audio) fieri poſſe, vt antiquis ſeculis vſitatus mos repetatur, vt ſcilicet regia auctoritas deferatur omnibus, vel nonnullis ipſorum Senatoribus, aut Palatinis, amoto regis nomine pleriſque exoſo, aut ſaltem ne peregrinum quemquam Principem Regem cooptent, ſed Piaſtum aliquem aſſumant: hoc autem vocabulo indigenam Regni voco, ducto etymo ab antiquo Piaſto, qui etſi indigena, & vilis homo foret, veluti legitur in Chronicis Poloniæ, tamen mirandum in modum Rex fuit electus cuius poſteri ſexcentis annis regnum perpetuo retinuere: proinde non ab re fuerit, quid hiſce de rebus cenſendum ſit, paulisper conſiderare. Quamuis enim Senatores, qui cæteris præſtant, libenter huiuſmodi propoſitionem audituros, credendum ſit nihilominus cum imperiorum diuiſiones ex ſe ipſis pernicioſiſſimæ exiſtant, putandum eſt, id difficulter effici poſſe ob factiones, quæ diuerſæ inter ipſos vigent: quæ profecto ob ipſorum affinitates & clientelas reliquam etiam nobilitatem inficiunt: exemplo quoque deterrebuntur, quod hiſtoriarum monumenta teſtantur: nam hæc diuiſio quondam ipſos adeo attriuit, ac debilitauit, vt finitimarum prouinciarum hoſtilibus armis reſiſtere non tantum impares eſſent, ſed etiam priuatas inimicitias exercerent per ciuilia bella, & proprii ſanguinis effuſionem: quæ res noſtris temporibus magis timeri poſ-

Piaſtus quid.

ſent,

ſent, cum propter magnam hoſtium fidei Chriſtianæ potentiam, à quibus regnum illud circumdatur, cuiuſmodi ſunt Turcæ, Scythæ, hæretici, ſchiſmatici; tum etiam propter ſimultates, quæ inter primarios viros regnant, præterquam quod Zamoſcius Cancellarius, vir olim apud Stephanum gratioſus, & diuitiis affluens, potenſque, omneſque eius amici, cum ipſe non tanquam Senator, ſed tanquam Senatus ipſius miniſter inter Senatores conſideat, ab omni prærogatiua facile excluderentur. Adduntur præterea inter cæteros Senatores aliæ differentiæ ob religionem prius, deinde ob nobilitatem, aliaque, vnde bella ciuilia cuiuſmodi nunquam inter Polonos geſta fuerunt, timenda eſſe videntur. Quod pertinet ad electionem Piaſti, ſiue indigenæ alicuius, dubitandum non eſt quin maior pars conſenſura eſſet, ſi modo quis eligendus ſit, concordate inter ſe poſſent: nam audiuntur ſæpenumero priuati nobiles pleri que lamentantes, quod exteros aduocent ad eos reditus conſumendos, qui ex ipſorum Polonorum crumenis exiguntur, eoque magis, quia ſæpe cernunt, eos in beneficium pariter exterorum hominum conuerti, quos in vniuerſum minime diligunt: nam tametſi ex nobilioribus quiſpiam externum aliquem illuc vel curioſitate, vel habitandi cauſa aduectum ſuo patrocinio fouendum ſuſcipit, vt ſunt natura humani, vel ab aliis nationibus laudabilem hunc morem mutuati fuerunt; tamen compertum eſt, eoſdem peregrinos à populo ægris oculis aſpici, odio haberi, ac ſæpe male tractari; quemadmodum maleuolentiæ huius aduerſus alienigenas ſpecimen dederunt, cum in penultimis comitiis nobilitas contra Regem exclamabat, & querebatur, propterea quod in bello Moſchouitico aliis, quam natiuis militibus vteretur, iiſque munera, & maiora ſtipendia, quam indigenis nobilibus, conceſſiſſet, nonnullos etiam Italos præmiis affeciſſet opimis & ſtipendiis eos detineret, & dimiſſo exercitu cætero, eoſdem in hyberna deduceret. Quod tamen in paucis verum comperiebatur: hi vero inſignis fuerant viri, vt Rodulphinus, qui deinde in Tranſyluania vitam depoſuit, & Dominicus Mora, qui nunc quoque in eo regno ſtipendia meret. Ægre ferunt præterea, cum vident Regem vtentem peregrinis, & nobiles Polonos poſt habentem in aulicis officiis, eoque magis, cum ad grauia negotia peragenda inſinuantur, ſicuti potiſſimum conqueſti fuere, cum Stephanus Rex poſt pacem cum Moſcho ſtabilitam Alamanium Curię Magiſtrum, & nobilem Florentinum legatum ſuum miſit ad Regem Suecorum Liuonicarum rerum gratia: Dicunt alii, dum exterus princeps accerſitur, quodammodo dehoneſtari virtutem ac nobilitatem tot Polonorum, qui regendæ patriæ idonei ſunt: ad quam rem eo prius animantur, quia priſcæ ipſorum hiſtoriæ tradunt, etiam ante primam electionem Plaſti, indigenam ſemper ad regnum vocatum

Peregrini inuiſi Polonis.

fuiſſe:

fuiſſe: & quamquam exempla illa magna ex parte ridenda ac fabuloſa videntur, tamen familiæ Plaſtæ, & poſtea Iaiellonicæ documenta animos addunt ad Plaſtrum promouendum: præterquam quod putant ideo regnicolam eligendum, quia Henrici Regis fuga deluſi ſunt, regnumque Stephani infortunatum fuit cum ob imperii eius breuitatem, cum propter difficultatem in perdomandis Dantiſcanis, qui dum oppugnaretur Liuonia, à Moſcho paulo ante capta, defecerant; tum propterea, quia minus gratus fuerat ſubditis, ac forſan ab ipſis petitus inſidiis ſed præſertim, quia ſine liberis deceſſiſſet, arguentes inde, diſplicere Deo, vt hic nouus ordo exteros Reges alendi continuetur. Neque illud admittunt, in bene conſtituta Republica, in qua omnes nobiles pari iure cenſeri, & æquali auctoritate perfrui deberent, non conuenire, vt vnus cæteros ſupereemineat, eique omnes obtemperare teneantur: nam reſpondent, quemadmodum toleratur, vt inter ipſos nonnulli dignitate atque auctoritate, diſcreti ordinibus, præſtent, idq; ob neceſſitatem, quam ſecum affert iuſtitiæ adminiſtratio, tanto magis hanc eminentiorem regiam dignitatem alteri ipſorum concedendam eſſe, cum iuſtitiæ adminiſtrandæ ſupremam reſpiciat ſolummodo auctoritatem, præſertim quia publicarum rerum conſulta, & decreta omnia, quæ prius ad Regem ſpectabant, iam ad comitiorum generalium communem poteſtatem abſolute redacta eſſe videntur: quod ſi Rex in aliquo cæteris excellit, id potiſſimum conſiſtit in conferendis arbitratu ſuo omnibus dignitatibus, officiis, gubernationibus, ac reditibus publicis. Ecquis autem non videt, ad honorem indigenam, quam exterum aptiorem eſſe? cum hæc omnia illis Nobilibus Polonis diſtribuenda ſint, qui vere digniores exiſtunt: hi vero difficile cognoſcentur ab eo, qui in regno diutiſſime non ſit verſatus, quemadmodum ab incola, qui ſeeprio illo non haberetur indignus, optime cognoſcerentur. Quæ argumenta dubio procul ab illis, qui primatem aliquem euehere cupiuerint, explicabuntur non minus in conuocatione Louicienſi, quæ ab Archiepiſcopo Gneſnenſi intimabitur, quam in aliis prouincialibus conuentibus; quin etiam in ipſis Varſouienſibus Comitiis, ad quæ omnes pro nouo Rege eligendo conuenient.

Conſultatio de indigena ad regnum optando.

Verum hiſce, quæ hactenus diſſertata ſunt, licet vehementer, & oratorie, atque efficaciter à quocunque proponantur, duæ conſiderationes obſtant adeo, vt huius rei effectus nullo pacto obtineri queat. Prima eſt, quoniam inter Lithuaniam & Poloniam acerrimæ ontentur contentiones: quæ prouinciæ quamquam in vnum corpus Reipublicæ concurrunt; tamen ſtudia partium adeo diſcrepant, vt nunquam altera prouincia natiuo alterius Regi ſe ſubiecturaeſſet, experientia demonſtrante, etſi Sigiſmundus Auguſtus Rex eas prouincias in cunctis æquiparauit, tamen in omni decreto publico Lithuanos vel diſſentire, vel petere conditionem apponi, qua dignoſcatur,

Poloni-

olonicam Rempublicam nihil iuris in eos habere. Quod mani-
ſeſte deprehenſum eſt, præter cætera exempla, cum ſexto abhinc
nno tribunal ſupremum erectum fuit ob iudicia in tertia inſtā-
ia, cui tribunali noluerunt Lithuani ſubeſſe, vt maiorem liber-
atem ſibi retinerent. Altera conſideratio eſt factionum, quæ vi-
ent hodie in regno, quarum ſuperius mentio facta eſt: nam Ec-
leſiaſtici & Catholici nunquam conſentirent, vt eligeretur, niſi
ui Catholicæ, veræque religionis acerrimus eſſet defenſor, in
uem ſchiſmatici & hæretici nunquam conſentirent, ne eum
egem haberent, à quo non niſi perſecutiones & depreſſiones
xpectare poſſent: hæreticum vero ſui ſimilem vel non auderent
roponere, vel ſi proponerent, ob regni conſtitutiones, & ob iam
ictas rationes, ab ipſis hæreticis, nedum à Catholicis, reproba-
etur: verum contrariæ factiones, quæ aliis de cauſis inter nobiles
llos fouentur, conſilio huic de eligendo Piaſto obniterentur, v-
raque enim pars merito ſuſpicaretur, ne eiuſmodi Piaſtus Rex
lteri faueret, alteram deprimeret: quod ſi neutralis aliquis repe-
iretur, qui regimini aptus alias eſſet, hic difficilius adhuc appro-
aretur, quia cum neutra pars illum in vita priuata fauentem ha-
uerit, timerent ſinguli, illum aduerſarium experiri, cum ſceptro
otiretur.

Denique ſi omnes hi reſpectus ceſſarent, & Piaſtum nihilomi-
us vellent eligere, etſi veriſimile eſt, Poloniam plurimos habere
nperio dignos ciues, tamen non video, quo pacto aliquis inue-
iri poſſet, qui communi deſiderio reſponſurus, & Rex eligēdus
ſſet, maxime cum Palatinus Podoliæ Mieleztey, in quo ſingu-
ares, vereque regiæ dotes conſpiciebantur, vita functus ſit. Ve-
um ſi forte ea Reſpublica Piaſtum optare omnino vellet, infra-
cripti, vt puto, præcipui erunt candidati.

Dux Conſtantinus Oſtrochii Palatinus Kiouienſis, vel Ioan-
es filius eius natu maior Voliniæ Palatinus.

Dux Simon, ſiue Dux Alexander Slutzenſis.

Alter fratrum Cardinalis Radziuili, qui Duces ſunt Olicæ.

Sagurcius Palatinus Poſnaniæ.

Latſchi Palatinus Siradiæ.

Tencinius Palatinus Cracouienſis.

Zamoſcius Caſtellanus Becenſis.

Andreas Sboroſchi Curiæ Marſcallus, & Zamoſcius Regni
Cancellarius: vt minoris famæ alios prætermittam, & in regno
minus potentes, quemadmodum ibi degens obſeruaui.

Quod pertinet ad Ducem Conſtantinum Oſtrocochii, duo
illum iuuant: primo, quia nemo illum in toto regno opibus ac
diuitiis exuperat: deinde quia prudentia, ſinceritate, ingenuita-
te, liberalitate, gratia, ſummaque probitate inſignis habetur. Ve-

rum duo illi obſtitura videntur: quod Lithuanus ſit, vnde Poloni minus ei fauebunt, ſicuti neque ii Lithuani annuent, qui ad eandem dignitatem adſpirabunt: deinde quod Ruthenicæ religioni addictus, & præcipuus ſchiſmaticorum fautor ſit, etſi annis præteritis pollicitus eſt, velle ſe ſchiſma relinquere, ſed tamen Græcam religionem Catholicam ſequi: qua de re literas dederat Gregorio Decimo tertio ſanctæ memoriæ Pontifici, quem obnixe rogabat, vt miniſtros ad illum mitteret, qui præeſſent Seminario, quod ipſe in ſuis ditionibus erigere inceperat.

Quam rem quamuis effecerit, poſſent Catholici Latini dubitare, vt in Senatu vellet Archimandritis ſuis locum dare, vt religionem illam per totum regnum æqualiter propagaret, veluti modo in Ruſſia & Lithuania.

In Ioanne eius filio hæc exceptio non procedit, nam multis ab hinc annis non modo paternum ſchiſma abiurauit, ſed ad Catholicam fidem latinam transfugit, in qua ſe zelantem ac feruentem oſtendit; præterquam quod Princeps eſt egregiis animi dotibus perornatus, multarum linguarum peritus, ab omni nobilitate ſummopere dilectus: verum hunc, patre ſuperſtite, Regem electum iri, nequaquam veriſimile eſt. Duces Slutzenſes adhuc valde iuuenes ſunt, & quamquam ex Iagellona familia ortum ducunt, tamen ſperandum non eſt, regiam dignitatem in eos collatum iri, quia prodigalitatis immenſæ notantur, & nimium iuuenilibus actionibus oblectari creduntur: præterea cum Lithuani ſint, credendum eſt, Palatinum Vilnenſem omnem lapidem moturum, ne ad tantam euehantur amplitudinem, quia matrem ipſorum, iiſdem inuitis, vxorem duxit: quamobrem maximas lites inter ſe exercuerunt, quæ etſi tranſactæ ſunt, tamen Palatinus ſemper verebitur, vt prauæ in eum voluntatis aliquod adhuc ſemen retineant.

Radziuilii Duces Olicenſes pariter Lithuani, etſi Principes ſunt probitate, ac virtutum meritis inſignes, nihilominus aduerſarii eorum inde obſiſtendi anſam capient, quia neſcitur, an Reipublicæ gerendæ idonei exiſtant, maxime cum omnes ſciant, maiorem natu, in cuius fauorem electio tradenda foret, ne ex Republica negotium ſibi aſſumeret, ſponte ſua, & palam ante triennium Vilnenſem Palatinatum propemodum renunciaſſe, permiſiſſeque contra omnium opinionem, & fratris ſui Cardinalis prec s, vt ea dignitas ad hæreticum, qui modo viuit, deferretur: quæ res non parum nominis illius exiſtimationem denigrauit. Cæteri, quos ſuperius nominauimus, Poloni ſunt, in quorum ſingulos haud libenter Lithuani conſenſuri videntur.

Palatini

Palatini Poſnaniæ & Cracouiæ, & Caſtellanus Sendomirienſis ex tribus toto regno præſtantiſſimis, & nobilitate, atque antiquitate claris familiis præcipui habentur. In alterum illorum tamen magis, quam in alios communis hominum fauor propendere videtur: tamen in ſingulis quædam aduerſatura creduntur. Ac primum in Palatino Poſnaniæ vituperatur hæreſis, propter quam Caluiniſmo fauet, & maximam præ ſe fert animi peruicaciam: in controuerſiis etiam, quæ præteritis annis agitabantur, manifeſtum ſe Sboroskorum fautorem aduerſus Cancellarium & Regem ipſum exhibuit, eoque magis, quia nouæ coniurationis reus circumferebatur, fuitque, vt audiui, ad comitia citatus ob hanc cauſam à Rege Stephano. Hic igitur, ſi nominaretur, abſque dubio nullos habebit adiutores, præter clientes & aſſeclas ſuos, idemque accidet Marſchallo Sboroski: nam hiſce duabus nominationibus nemo patrocinabitur, niſi qui aduerſus Cancellarium eos pariter tutati ſunt. Horum autem ſtudia & conatus contrariis ſtudiis atque conatibus euertentur; & Cancellarii partes viribus, & pecunia validiores fore non eſt dubitandum; muneribus enim, artibusque diuerſis aduerſariorum amicos debilitare, & in ſuas partes trahere non erit difficile, cum præſertim hi nominandi ab opibus deſtituti ſint, erogato fere toto patrimonio, quod quidem ampliſſimum erat, in Rege Stephano ad regnum euocando (neminem enim potentius ei fauiſſe non ignoramus) & in perſecutionibus, quas paſſi ſunt poſt Samuelis mortem, & de læſa Maieſtate citationes: adeo vt credendum non ſit, ſupradictos poſſe regale ſolium adipiſci. Verum Teucinius, & Tarnonius regno impares videntur: ille, quia reipublicæ gubernandæ imperitus exiſtimatur, hic, quia in prædictis Zamoſcii controuerſiis ei nimium fauit, etſi cum Sboroskis affinitate iunctus eſſet: ex quibus Nobilium animos ſe abalienaſſe videtur. Multo minus credendum eſt, hanc electionem in Palatinum Laski cadere poſſe: puſilli enim animi vir habitus eſt, cum æquo animo tulerit, vt Capitaneatus Lacernenſis ſibi eriperetur, & Ferues Veſſelino homini Hungaro, humili loco nato, ſed Regi Stephano perchar o, conceſſus fuerit, cum tamen, omnem Polonicam nobilitatem moleſte ferre, quod alienigena præcipuæ arci præfectus eſſet, non ignoraret: putatur quoque hic Palatinus in ſumptibus faciendis profuſus nimium, omniumque animos aduerſum ſe ipſum concitauit, propter immenſum æs alienum, quod vbicunque peregrinatus eſt, contraxit, aſſerentibus nõnullis, eum decies centena aureorum millia profudiſſe: verum quod magis obſtabit, illud eſt, quod ſe in cauſa Sboroskorum examinari voluit contra D. Chriſtophorum: quæ res profecto non parum magno nomini, quod ſibi in toto

regno patauerat, detraxiſſe videtur: Alioquin hic Coronæ illi par eſſet ob egregias, quæ ad illum exornandum concurrunt, dotes, ſanguinis claritatem, ſpeciem dignam imperio, religionem, fortitudinem, in tractandis negotiis peritiam, linguarum notitiam, & in quorumcunque hominum conuerſatione motum ſuauitatem ſingularem. Quod pertinet ad Firleium Caſtellanum Biecenſem, omnia de eo bona ſperari poſſe videtur, ob virtutes eius titulis & honoribus quibuslibet digniſſimas: vir hic quadragenarius vel circiter eſt, nobilitate clarus, religione cõſpicuus, virtute nemini ſecundus, vitę integritate ſingularis, morum humanitate laudabilis, demum ſuis meritis nemini, qui ipſum nouerit, non charus. Quod ſi nonnihil eidem viderut obſiſtere, illud tantum eſt, quia ab opibus, & reditibus non ita munitus eſt, vt in conuentibus prouincialibus aſſeclas multos ſuſtinere queat, qui nominationi ſuæ faueant: attamen ſi Reſpublica illa Piaſtum decreuerit eligere, neque Lithuani, quod ille Polonus ſit, difficultatem interponant, neminem video, qui Firleum hunc regni referendarium antecellat.

Denique quod attinet ad Zamoſcium, multa non contemnẽda animaduerti queunt. Quiſquis enim ipſum promouere voluerit, ad illud reſpiciet, quod hic per ſe ipſum, quouſque regnauit Stephanus, regnum adminiſtrauerit; quandoquidem omnia negotia maxima, ad Reipublicæ regimen pertinentia, cum illo conſultabantur, & Stephanus incredibiliter eius iudicio, atque conſilio cuncta deferebat: proinde apud omnes tantam conſecutus erat authoritatem, vt etiamſi Rex fuiſſet, maiorem adipiſci vix potuiſſet, tantum vnuſquiſque fauorem, gratiamque ipſius ambiebat: quinimo iam videbatur Rex neminem ad publicas dignitates, publicosve reditus nominare, niſi quos ipſe promoueret, & proponeret: neque minore, quam Rex, ſtipatus erat comitatu, ſub prætextu tamen, quod generalis Dux foret exercituum, inque omnibus ſuis actionibus Maieſtatem, moresq; regales ſeruabat, adeo vt in toto illius Reipub. corpore alius quidẽ eligi non poſſet, qui ob negotiorum experientiam, in cõſiliis capiendis promptitudinem, apud milites beneuolentiam, animiq; fortitudinem aptior eſſet. Verum obſtabit illi forſitan, quod ſui regiminis tempore in vniuerſum nobilibus non ſatisfecerit, ſed potius viros generis antiquitate, opum ſplendore, & Reip. peritia præſtantes deprimere curauerit, exaltauerit vero homines viles, incognitos, minimæq; virtutis, ſed qui ab ipſius nutu immediate penderent. Quibus artibus etſi illud tantummodo curare poterat, vt ſe in præſenti ſtatu conſeruaret; tamen ad altiora quoq; eum reſpexiſſe veriſimile eſt, vt ſcil. clientes ſibi multos adſciſceret, quibus in interregno vteretur: quocirca dubitandũ non eſt,

quin in conuentibus prouincialibus, cũ de Piaſto eligendo agetur, quin Zamoſcii fautores & numero, & ſtudio cæteris ſuperiores futuri ſint. At vero credendum etiã eſt, validiores nonnullos huic obnixe repugnaturos, cum, ne maiorẽ nobilium partẽ proſtratam videant, tum etiam quia Zamoſcius hic parum feruens Catholicus in quibuſdã occaſionibus agnitus eſt, præſertim cum Rege coram publice cõſuluit, Arrianum poſſe legitime iuxta antiquam regni formã præſcriptam, & typis impreſſam, neq; vnquã mutatam iurare; quæ res profecto adeo peruerſi exempli fuit, vt magnam religionis inobſeruantiam indicauerit. Poterunt etiam præter hos plerique Duces, & Domini vel Poloni, vel Lithuani nominari: verum quia de omnibus diſſerere longum, & forte ſuperuacaneum foret, præſertim cum haud certa ſpes affulgeat, rempublicam illam id cõſilii capturã, vt ex ſuis nobilibus quempiam Regem creet, ſatis erit de his me locutum eſſe, eoq; magis, quia ex iis, quæ diximus, facile eſt cauſas intelligere, cur ſinguli ſuas patiuntur difficultates, ſiue vni, ſiue alteri parti in præteritis controuertiis adhæſerint.

Reliquum modo eſt, vt de externis Principibus, qui nominãdi putantur, nõnihil diſſeramus. Primo autem induci non poſſum, vt credam Imperatorem non nominatum iri, ſin minus aliis de cauſis, ſaltem vt ſe ipſos honorent, hoc pacto oſtendentes, ipſum Imperatorem curare, vt ad eam Coronam eligatur: quod profecto toti tractationi exiſtimationem addet, eumque, qui eligetur, honeſtiorem faciet. Verum ita fruſtra, & abſque ſpe vlla adipiſcendi regni eum nominandum eſſe, veriſimile non eſt: nam cum Maximilianum Imp. in præterito interregno nominauiſſent, ſimul decreuerunt, vt mihi relatum eſt, vt ipſo defuncto non intelligeretur interregnum eſſe, ſed abſolute ſuccederet Rodulphus eius filius, qui electus eſt Rex Romanorum: proinde cum regnum morte Stephani vacet, qui regni eiuſdem poſſeſſionem cepit, cum tamen ab vniuerſis ordinibus vocatus non fuiſſet (quemadmodum aperte declarauerunt, quo tempore miſerunt in Tranſyluaniam Roronieſcum Epiſcopum Chioricenſem cum monitis, ne Imperatori impedimento vellet eſſe, quin pacificam regni caperet poſſeſſionem) dicent, qui partes Auſtriacas tuebuntur, nullum præ Rodulpho Principem vocandum eſſe, vt illum, qui verus eſſet Rex, niſi Maximilianus præuẽtus fuiſſet in capienda poſſeſſione à Battoreo: & hæc ab iis quoque fauorabiliter circumferentur, qui parẽti illius minime fauerunt, cum quia hic ſincerus eſt, verusq; Catholicus, tum quia familia Sboroſca olim Auſtriacis aduerſa, modo ei vehementer fauebit, cum eius Maieſtas Chriſtophorum, eiuſque familiam in ſuis turbulentiis, quas regnante Stephano paſſus eſt, maxime protexerit,

ceberi Coronas ampliores, quam hæc eſt cæteris inferior. Nam ſi Poloni Principem quærunt fortis atque inuicti animi, Colonienſia bella nuper geſta, & ob zelum Chriſti ſuſcepta omnibus patefecerunt, Ducem hunc fortiſſimum atque inuictiſſimum eſſe: ſi eſſe Catholicum Regem, ſanctæque Eccleſiæ deuotum cupiunt, nuſquam profecto apud Chriſtianos abſolutiorem Principem inuenient, cum imperium ſuum vndequaque omni hæreſium genere expurgatiſſimum habere velit, dum reliqua Germania cuilibet peſtiferæ ſectæ iampridem inſana ſinum ſuum expandit: Si denique iuſtum, vigilantem, ſagacem malunt, vt iuſte, prudenter, pacifice regnum gubernetur; equidem fides incontaminata, & obedientia, quam Duci huic vaſalli ſui exhibent, ſapientia, qua hoſtilia arma procul amouet, & tranquillitas: qua eius populi inter ſe fruuntur, ſatis declarant, à Polonis præ iſto iuſtiorem, prudentiorem, ſagaciorem Regem eligi poſſe neminem: quem præterea tot aliæ dotes animi ac fortunæ exornant generoſitas, affabilitas, nobilitas, generis antiquitas, vti neminem latet. Prætermiſſis igitur Germaniæ Principibus, ad filium Sueciæ Regis natu maiorem deuenio, quem aiunt ad hanc Coronam facili negotio electum iri, equidem rationibus ducti probabilibus, quemadmodum anno præterito peculiari ſcriptura Ruſticuccio Cardinali tradita, in qua ſtatum Eccleſiæ Polonicæ referebam, demonſtraui. Potiſſima ratio videtur eſſe, quia vnicus ramus videtur ille eſſe, ſuperſtes ex ſtirpe Iaiellonica: mater enim ipſius filia fuit Sigiſmundi Auguſti, & Annæ præſentis Reginæ Poloniæ, imo intuitu aui materni, atque auunculi ipſe quoque Sigiſmundus nuncupatur, videturque tota Polonorum Nobilitas erga Sereniſſimam illam familiam beneuole affecta eſſe, cum ex hac paucorum annorum curriculo fortiſſimi, ac celeberrimi Principes prodierint, huncque Regis Suecorum filium propenſis & pronis in eum animis nunquam non commemorat? quandoquidem ſicuti ſexcentorum annorum ſpatio Piaſtæ familiæ ſuperſtiti ſceptrum perpetuo delatum eſt, etſi aliquando minus idonei Principes ſucceſſerint; ſic arguunt, Principem hunc vocandum eſſe, tanquam Regum Iaielloniorum veram propaginem, à quibus quouſque linea Regno habilis durauit, maluerunt ſemper gubernari, etſi hic materna tantum linea ex illo trunco deſcendit: ideoque magis amplectendus eſt, quia præter ſpem, quæ de ipſius egregia indole, & ad regendos populos aptitudine animis hominum inſedit, certo ſcimus, etſi ortum ex parente hæretico, educatumque, vbi multo plures hæretici, quam Catholici degunt, tamen ipſum maternam Religionem ſemper coluiſſe, & primis ab annis patre inuito Catholicos ritus prætuliſſe, & creſcente ætate,

in virtute pietatis, & Chriſtianæ Religionis ſtudio flagrantiorem fuiſſe;& apud ſe viros diuino ſpiritu, & ſanctitate claros ſemper habere voluiſſe: quæ profecto res miraculoſæ cuiuſdam illuminationis argumentum præbet.

Quocirca ſperandum eſt, Deum gratia ſua ſubtraxiſſe illum, & integrum ſeruaſſe ex tot ſuggeſtionum ſtimulis, quibus quotidie ad veritatem deſerendam impellebatur, ob magna Reipub. Chriſtianæ momenta, magnamque Septentrionalium illarum gentium vtilitatem: ſed vltra religionem affulget etiam certa ſpes, eum Regno, licet ampliſſimo, gubernando non imparem futurum, quod auditur in hac prima iuuenta, contemptus ætati conſuetis omnibus voluptatibus, multam regni paterni portionem ab ſe regi, & libere gubernari, tanta cum Maieſtate, ac prouidentia, vt omnium admirationem, & beneuolentiam ſibi conciliauerit: quocirca mirandum non erit, ſi Poloni ſimiliter illum Regno ſuo moderando aptum arbitrabuntur, eoque magis, quia cum in primæuo flore adoleſcentiæ conſtitutus ſit, libenter occaſionem arripient, qua certus Senatorum numerus illi aſſiſtat, vt dicetur inferius.

Ad haſce conſiderationes plurimæ aliæ adduntur, quæ regni conſtitutionibus efficaciores ſunt: quarum prima in mentionem antea incidit; nempe Regem Sueciæ ſæpe dixiſſe, Magnum Ducatum Lithuaniæ, itemque Liuoniam magis ad ſe ipſum, quam ad quemquam alium Principem, qui ad illud Regnum eligi poſſit & magis etiam quam ad ipſam Rempublicam pertinere: nam Lithuania, inquit ipſe, familiæ Iaiellioniæ hæreditaria eſt, ex qua familia hodie nemo ſuperſtes eſt præter eius filium Sigiſmundum: Liuonia autem Sigiſmundo Iaiellonio reſignata, & conceſſa fuit non vt Poloniæ regi, ſed vt Magno Duci Lithuaniæ, hacque de cauſa præteritis annis, inquit, Moſcho ſe bellum mouiſſe, quo tempore in Liuonia portum Naricenſem, & quaſdam præcipuas arces occupauit, quas Stephano Regi nunquam cedere voluerat, etſi Moſchus in conditionibus pacis omnia iura, quę in ea prouincia habebat, renuntiauit: adeo vt etiamſi Suecorum Rex à Polonis hactenus has ditiones vindicare diſtulit, non ideo aſſerendum eſt, ei defuiſſe voluntatem, ſed imo opportunum tempus expectauiſſe, ac fortaſſe, quouſque Anna Regina Poloniæ, quam concedit iiſdem iuribus niti, vita excedat: vel credi magis poteſt, noluiſſe Polonorum animos exacerbare, vt interregno ſuperueniente, quemadmodum nunc inſtat, libentius ad filium corona munerandum inclinent, & hoc pacto omnes differentiæ, ſiue controuerſiæ tranſigerentur, vtque eos quodammodo in metu contineat, ne, ſi alium optauerint Regem, bellum grauiſſimum, atque acerrimum ſubituri ſint; neque fortaſſe

taſſe alio ſcopo partem illam Liuoniæ occupauit, quam vt reliquam aliquando vindicaturus videatur, niſi picta electio ſucceſſerit: ex quibus facile credendum eſt, Rempublicam illam Principem Sigiſmundum aduocaturam: tantoque magis, quia diſſoluetur æs, quo Reſp. Regi obſtricta eſt, cum ob dotem Eliſabethæ eius vxoris, tum ob aliam pecuniam Sigiſmundo Auguſto, vt innui ſuperius, mutuo conceſſam.

Altera conſideratio, quam attendent Poloni in hoc Principe eligendo, ea erit, quod ſuis prouinciis magnum illud Sueciæ regnum adiungent: eius enim Sigiſmundus iam deſignatus, & à populis iuratus Rex eſt, & cum eodem regno per mare Balticum finitimi quodammodo ſibi videntur eſſe: ſicque olim magnum Ducatum Lithuaniæ iidem Poloni acquiſiuerunt: verum etſi hæc incorporatio, ſiue regnorum vnio effici non poſſet, ſaltem hoc Sigiſmundo, & natis ipſius regnantibus, poterunt vires communi defenſioni, hoſtiumque offenſæ conſociare, quemadmodum per multos annos cum eodem magno Duce Lithuaniæ effectum eſſe conſtat.

Tertia conſideratio erit, quia Polonicum regnum, licet equitatu polleat, nunquam ex ſe ipſo claſſes inſtruxit, aut ad illas inſtruendas accommodatum eſt: at Sueciæ regnum ingentem nauium numerum armare poteſt, ſicuti in bello Moſchouitico perſpectum eſt. Quapropter ſi vnus Princeps duobus adeo potentibus regnis imperitauerit, nulla tam difficilis eſſet expeditio, quam recte ſuſcipere, ac feliciter perficere non poſſet, maritimis viribus terreſtres copias adiungendo. Et hæc conſideratio tanti videtur eſſe momenti, vt non ſolum Poloni in hanc electionem conſenſuri, ſed etiam omnes Chriſtiani Principes, quorum non intereſt, eam deſideraturi ſint: nam ſi fœdus iciendum fuerit, vel bellum aliquod Turcis communibus hoſtibus inferendum, illius regis opes maximo eſſent auxilio, & ex ſe ipſis fortaſſe hoſtem repellere, imo oppugnare poſſent, ſicuti ex iis, quæ in allegata Relatione memoraui, perſuaderi poſſumus.

Adhæc adnectendum, quod, cum Poloni aduerſus Moſchos innatum quoddam gerant odium, pergrata ſibi accidet hæc virium coniunctio, vt ſimul illam potentiam debellent, quæ iam titulo magni Draconis Septentrionalis appellabatur, eoque magis, quia Suecia ſimiliter aduerſus eam nationem barbaram flagrat odio: proinde ſperabunt Poloni ſua non modo recuperare, ſed omnem fere Septentrionis oram ſubiugare.

Quarta & vltima conſideratio erit, vt minoris cæteras momenti prætermittam, quod vnam magis, quam alteram factionum partem depreſſurus, vel exaltaturus ſit: nam quod ſpectat ad religionem, omnino operam dabunt, vt Battorei Regis ſucceſſor

ceſſor Catholicus ſit, ac præterea ne contrariæ ſectæ homines deprimat: quod hic multo minus, quam cæteri efficiet: patrem enim adhuc habet hæreticum, aſſuetuſque iam eſt hæreticos populos regere, in quibus exterminandis non elaborat: Catholici vero, qui paucis exceptis in propaganda religione non admodum efferueſcunt, gaudebunt, eum eſſe vere Catholicum, ſimulque oblectabuntur, quod religionis gratia ciuile bellum non ſit excitaturus: ad quam rem, tanquam ad ſcopum, reſpiciunt Senatores, atque etiam Eccleſiaſtici ipſi. Quod pertinet ad præſentes nobilium factiones, anteactis temporibus Suetiæ Rex eiuſmodi ſagacitatem præſerulit, vt nunquam alterutri parti magis fauere voluerit, multoque minus id effecit Princeps Sigiſmundus: adeo vt vtrique ipſum propitium habituri ſint. Quamobrem ſi vnanimes ipſum elegerint, ac ſtudiorum promptitudinem exhibuerint, duæ tantummodo res nonnullam parituræ ſunt difficultatem, ac forſitan negotii totius effectũ impeditura.

Prima difficultas erit ipſius iuuenilis ætas, quę, vt refertur, annum vigeſimum non excedit: proinde vix conuenire videtur, vt in regio, tantæque maieſtatis, & eminentiæ ſolio, iudicaturus criminalia atque ciuilia negotia, conſideratis, qui ſaltem propter grauiorem ætatem, magnaque rerum tam priuatarum quam publicarum experientia non polleat. Quæ difficultas augebitur, quia adhuc ſub patria poteſtate degit. Qua de cauſa oborietur ſuſpicio, vt pater ipſe Reipublicæ clauum teneat, aut ſaltem in animis nobilium iniiciet id ſcrupuli, vt nolint ab eo, qui ſui iuris non eſt gubernari. Ex altera parte veriſimile eſt, hanc ætatis exceptionem huic promotioni profuturam: nam inde anſam accipient legem illam exequendi, quam tempore Henrici Regis conſtituerunt; vt ſcilicet in aula regia ſex ad minus Senatores Regi adſiſtant, qui, nunquam ipſis inconſultis, regiam poſſit auctoritatem exercere. Et hæc eadem lex regnante Stephano obſeruanda fuerat, ſed ipſe tanta calliditate vti ſciuit, vt nunquam ſuo tempore fuerit in vſu; qua de re non iniucundus accedet fortaſſe prætextus hic adoleſcentiæ, vt eandem legem inſtaurent & exequantur: hoc enim pacto ab omni tyrannidis & iniuſtitiæ ſuſpicione ſibi exempti videbuntur: præterquam quod ipſius fautores exaggerabunt, non dedecere adoleſcentem Regem & ſub patria poteſtare conſtitutum adſciſcere, quoties in ipſo regiarum virtutum, & robuſti ingenij ſemina atque argumenta apparent, & eluceſcunt, ad quam rem confirmandam exemplorum & rationum cumulus facile ſuppeditabitur.

Altera difficultas eaque maior erit, quod maior illorum Senatorum Nobiliumque pars, quæ alios Principes externos protegendos & nominandos ſuſceperint, iiſdemque ſeſe iam addixerint,

rint, obſerabit aures, reiicietque hunc & alios huiuſmodi, addito ſimul cumulo earũ obiectionũ, quæ tempus & occaſio ſuppetet.

Tertia cæteris omnibus vehementior eſt, quod illa nobilitas non admodum libenter Principem, cui magnum imperium ſubiacet, ad regimen ſui vocare conſueuit: ſiquidem timet, ne aliquando ad ſubiugandos illos populos animum intendat omnemque illis eripiat libertatem: adeo vt reſpectus ille, quem profuturum conſiderabamus, poſſit in contrarium non inutiliter adduci: verum ſi, quæ ſuperius narrauimus, præualuerint, ea ſpe ducor, vt hæc electio fauſtum atque honeſtiſſimum exitum ſortitura ſit.

Iam de Nepotibus mortui regis nonnihil dicendum eſt; de quibus profecto mentio primo loco facienda videbatur, eo quod ipſi de more patrimonialium regnorum veri ſucceſſores exiſtant: quoniam vero haud ſcio, quonam pacto inter ipſos concordes futuri ſint, vt eorum vnus tantum nominetur, ne ſe inuicem prępediant, cogor in vniuerſum de iiſdem primo agere, mox nominatim ipſos in medium afferam. Igitur ſi Sarmatæ maiorum conſuetudinem reſpicere voluerint, vt reſpecturos, probabile eſt, neminem debebunt familiæ Batoreæ in electione præponere, primum vt morem hunc non modo Sarmatiæ, ſed cuilibet genti Chriſtianæ aut barbaræ ſalutarem ſartum tectum conſeruent, vt ſcilicet ad regnorum ſucceſſionem ii vocentur, qui bonorum patrimonialium ex legibus nõ ſolum municipalibus, ſed naturæ & Chriſtianis etiã inſtitutis legitimi ſucceſſores exiſtũt.

Secundo hos eligere debebunt propter merita Stephani Regis, qui regnum illud citra omnem reprehenſionem gubernauit, & in omni actione, præſertim in bello, prouinciis deuictis & publicis priuatiſque negotiis recte adminiſtratis, Polonici nominis amplificandi ſummam pręſetulit cupiditatem; quocirca cum exiſtimandum ſit, eiuſdem voluntatis fore illos, quoſcunq; ex illa familia aduocabunt, par eſt, occaſionem hanc à Polonis prætermiſſum non iri, vt eam beneficiorum memoriam, quæ ciuilem & Chriſtianam Rempublicam decet, ſe retinere demonſtrent.

Tertio valde credibile eſt, Senatores Nobileſque illius regni, quos maiori ex parte Stephanus opibus & publicis dignitatibus auxit, ne ſe beneficiorum immemores oſtendant, propenſis animis fauturos regis benefactoris ſui conſanguineis.

Quarto Nepotẽ Stephani facile promoturi videntur, timentes, ne ſi alter ſuccederet, ipſi gradibus & prærogatiuis ſuis priuentur, aſſumptis ad regni miniſterium nouis hominibus. Quæ quidem res maximi erit momenti; hoc enim numero præſtantiores proceres ac Senatores comprehenduntur, veluti Gineſnenſis Archiepiſcopus, qui ad illam dignitatem à Stephano euectus fuit

cum

cum prius Epiſcopus Cuiauienſis eſſet, etſi Archiepiſcopatui illi deſignatus eſſet à duobus anteceſſoribus Regibus coadiutor Kiernkoſtius, quocum poſtea litigia acerrima agitata fuere, ex quibus regio fauore ſeſe ille ſemper extricauit. Epiſcopus Cracouienſis, qui antea Epiſcopatum Plocenſem obtinebat, à Stephano pariter euectus eſt: demum quis neſcit omnes fere dignitates Senatorias nouem annorum ſpatio, quibus regnauit Stephanus, vacauiſſe, & ab eo diſtributas fuiſſe? proinde eas arbitratu ſuo conferendo atque diſtribuendo multorum ſtudia ſibi conciliare, & quaſi clientes ſuos efficere potuit, qui tanquam optimum patrimonium ſuperſtites nepotibus in hæreditatem venient: verum inter cæteros Zamoſcius Cancellarius, quomodo tantas conſecutus eſt diuitias & nominis exiſtimationem, niſi propter ſingularem beneuolentiam atque gratiam, qua apud illum glorioſæ memoriæ Regem fruebatur? idcirco iniquitatis notam ſubiret vel maximæ, & vix homo appellari mereretur, niſi ad Battoreum aliquem eligendum anteſignanum præcipuumque fautorem ſeſe præſtaret, neque modo auctoritatem ſuam & amicorum, ſed etiam rem totam, & ſanguinem, vitamque ipſam exponeret, ſin minus vt grati animi ſignificationem repræſentet, at ſaltem vt fortunas ſuas, omnemque ſtatum in tuto collocet, & quia vxorem habet ex familia Batorea Tranſſyluani Principis ſororem.

Quinto, communiter putant omnes, Stephanum variis temporibus ingentem auri vim accumulauiſſe, eamque in Tranſſyluaniam tranſmiſiſſe: cuius ope modo qui regnum capere procurabit, amicos & fautores ſibi conciliabit, qui in conuentibus prouincialibus nomen eius prouehent, omnemque artem & induſtriam adhibebunt, quo eligatur: quæ res negotium maxime iuuabit, quippe in Generalibus Comitiis cuilibet nominationi aduerſabuntur, vt candidatum ſuum intrudant.

Sexto multum feret momenti illud, quod hæc ſola familia Turcarum Imperatoris patrocinium habitura eſt, qui ſuos ad Comitia legatos mittet non ſolum ob eaſdem cauſas, quibus Stephani electioni fauit, ſed etiam, quia dum ipſe regnauit, bonam amicitiam eiuſdem expertus eſt: ſalua enim exiſtimatione & Maieſtate Regis Chriſtiani & Catholici Stephanus omnibus Turcam officiis proſecutus eſt. Quantum autem huic familiæ id profuturum ſit, vnuſquiſque diſpicere poteſt, cum ex iis, quæ duobus præteritis interregnis cognita ſunt, tum quia compertum eſt, Rempublicam illam nihil poſthabere, quo tyranni illius amicitiam colat, vtpote cuius vires adeo ipſi formidabiles ſunt, vt Turcico mandato capite plexus fuerit Palatinus Podolienſis, vir animi fortitudine, ingeniique perſpicacia celebris, eodemq;

modo

modo ſecuti percuſſi fuere triginta præcipui Coſachi, vtque ne hoſtilia arma exſuſcitarent, patienter habita eſt occiſio Podlodeſchii, & trium ſupra triginta eius familiarium, qui omnes nobiles erant Poloni, quemadmodum in regno tunc circumferebatur: Verum ſi Reſpublica illa hoſtem, qui Perſico bello diſtinebatur, verita, omnibuſque obſequiis pacatum habere conata eſt, quid per hæc tempora, cum pax ſtabilita eſt, effecturam putabimus? Denique ex Batoreis vnum electum iri, opinor, quia Regem Corona illa prorſus dignum futurum ſibi augurari poſſunt. Ad quam rem probandam neceſſe eſt, de ſingulis, qui huic dignitati pares, differere.

Præcipue tota Italia ſatis edocta eſt, quibus meritis præcellat Andreas Battoreus Cardinalis S. Hadriani; & quo pacto ſe titulis ac ſceptris dignum præſtiterit, non ignorat Polonia, vbi à teneris vnguiculis educatus fuit. Sed ſi forte huic placuerit vocationem ſuam proſequi, Deique Eccleſiæ adiumento eſſe, vitam ſeruando Eccleſiaſticam & ſalutem quærendo miſerarum atque infelicium illarum animarum, quæ in Tranſyluania patria ſua degunt, in qua Rex Stephanus illius patruus Epiſcopatum erigere, eiuſque adminiſtrationem tradere nepoti cupiebat: poſſent ad regnum vocare Baldaſſarem fratrem, cuius virtus & probitas multis terrarum partibus innotuit; ad illas enim peregrinatus eſt, vt mores variarum gentium, atque idiomata apprehenderet: ſed ipſius virtus ſatis etiam claruit, cum bello Moſchouitico, etſi adoleſcens valde, ita fortiter ſe geſſit, vt poſt mortem Becheſii Dux Generalis Hungarorum militum delectus fuerit. Poſt hos ſequitur Stephanus patruelis ipſorum, qui cum nomine patrui virtutes etiam refert, eiq; ſeſe quam ſimillimum exhibet. Verum ſi duo hi minime reſponderent oneri regio, quod priuatam ſemper vitam vixerint, neque decere videtur, principes tam parui imperii ad tantum regnum accerſere, reliquus eſt præſens Tranſyluaniæ princeps trium, quos nominaui, dominorum patruelis, & frater vxoris Zamoſcii Cancellaria, & Polonicorum exercituum Generalis. Hic in publicis negotiis, arduiſque rebus indolem excelſam adeo præſefert, vt in puerili ætate mira ſit tanta ſapientia, & ad grauiſſimas quaſque tractationes tam habilis diſpoſitio, ſicuti omnium bonorum, qui ex illis partibus adueniunt, voces conſentiunt: ætas vero adhuc acerba, quæ obiicietur, ex iis, quæ attuli ſuperius de Principe Sueciæ, illum fortaſſe tanto magis adiuuabit.

Obiectiones vero, ſiue exceptiones, quæ Principibus hiſce ex familia Battorea obſtituræ creduntur, duæ præcipuæ ſunt. Prima eaq; omnium grauiſſima eſt, quia Hungarica natio Polonorum animos adeo irritauit, ſibique infeſtos reddidit, vt omnia emolumenta, quæ ex quolibet dictorum principum colligi queunt, contempturi eſſe videantur potius, quam Hungaros in poſterum admittere: nam iuſtum Stephani regimen, vt putant, abunde compenſabatur à iactura,

quam

quam in toleranda Hungaricæ militiæ inſolentia perpeſſi ſunt: proinde multum ſibi lucrifacere videbuntur, ſi hoc in commodo ſubleuentur. Altera erit, quia Sboroſca familia extrema pati malet, quam in eodem ſolio ſedentem videre vnum ex ea gente, à qua modis ingratiſſimis ſe perculſam, atque proſtratam putat, cum ne recenti flagello ſe exponat, tum ne in eadem auctoritate atque amplitudine perſeuerantem videat Cancellarium Zamoſcium, quem Vatiniano odio proſequitur, & profitetur, fontem ac principium fuiſſe omnium calamitatum, & ab eo Samuelem ſecuri percuſſum abſque auctoritate ſufficiente, cum ille ſe obtulerit ſub fide publica, quod in carcerem detruſus non fuiſſet. Putant nonnulli, non ab re eſſe, vt Dux Guiſius nominetur, non ſine ſpe felicis euentus: alii Ducem Humenæ, vel alium Galliæ principem ſubſtituunt. Hos duo adiuuare poſſent: ſi modo Rex Chriſtianiſſimus aſſentiretur. Primum, quod Turcarum opem facile impetrarent, vtpote qui Gallicæ Coronæ amicitiam plurimi faciunt. Alterum eſt, quia ſi Poloni aliquem Chriſtianiſſimo Regi gratum Principem eligerent, deponeret ille titulum regis Poloniæ, quem adhuc vſurpat: qua de re libenter electuri videntur, quemcumque ipſe proponet, eoque magis, quia Poloni cum Gallis naturæ inſtinctu recte inuicem conueniunt, vt coniicere eſt ex genere veſtium, & moribus quos libenter à Gallis mutuantur; præterea dux Guiſius habetur princeps regnandi gnarus, & belli expertiens, quas virtutes in eo, qui Rempublicam illam recturus ſit, Poloni maxime requirunt. Verum difficultas, quam forte Chriſtianiſſimus Rex interponet, huius rei tractationem moratura videtur, præſertim in tanto locorum interuallo, & quia celeritas electionis plurima remouebit diſcrimina, quæ moram allatura eſſent. Non deſunt, qui plurimam habitum iri rationem putant Ducis Ferrariæ, tum quia nationis Polonæ ſtudioſiſſimus eſt, eique cuncta humanitatis officia cunctis temporibus præſtitit, tum quia in plurimis vigebit adhuc memoria, in prætèrito interregno de ipſo actitatum fuiſſe: verum rem aliò caſuram verendum eſt, quia princeps hic caret liberis, cumque alias magno applauſu nominatus fuerit, tantam apud æmulos ſuſpicionem forte excitauit, vt hanc etiam nominationem infringere craturi ſint. Demum Dux Parmenſis Generalis exercituum Catholicorum in Flandria tantam nominis celebritatem conſecutus eſt, vt omnino quibuſdam honorificentiſſime nominandus videatur, maximamque adeſſe ſpem felicis electionis, quandoquidem in eo bello tam clarus euaſit, vt nullam Regis virtutem Poloni deſideraturi ſint, qui in hoc Principe abunde conſpiciatur, de quo pauca dicenda mihi ſunt, quia nimis manifeſta exiſtunt orbi terrarum ipſius merita: ſed eam Rempubl. huic electioni conſenſuram ſperandum eſt etiam propter eximia beneficia, & quotidianæ benignitatis officia, quæ nobilitas Polonorum à Cardinale Farneſio ipſo-

rum

rum Prorectore ampliſſimo conſecuta eſt: Hæc autem à plurimis Senatoribus, cæteriſq; primoribus, qui ob priuatas cauſas, atq; etiam propter legationum munera in Italiam deſcenderunt, & beneficiis affecti ſunt, exponentur iuſta ferie, & abſq; dubio celebrabuntur. Adeo vt & propter hæc officia, & propter præclaras principis illius virtutes, dicendum eſſe videatur, omnino ipſum electum iri, niſi tamen æmulatores impediant, vtpote qui liuidis oculis alienam virtutem, ſanctoſq; labores debito præmio affici patiuntur, vel niſi exiſtimetur princeps ille longe vtilior iis bellis retinendis, in quibus agitur de totius Chriſtiani populi tranquillitate, deque ſanctæ Eccleſiæ laude & gloria. Reliquum modo eſſet de Principibus illis hæreticis referre, qui aliquo argumento eligendi videntur. Quod auertat diuina miſeratio, ne populi illi tanto afficiantur; neque profecto perſuaderi queo, fore vnquam, vt Reſpub. illa turpiter adeo à diuina obedientia ſe ſubtractura ſit, cum propter memorata argumenta, tum quia de Religione alio loco ſatis relatum eſt. Nihilominus, vt huic diſſertationi finem imponam illud adiungam, non deforе, qui ſuggeſtione diabolica regem cupient eiuſmodi, qui religionem Catholicam ad nihilum redigat, ideo potiſſimum veriſimile eſſe nominatum iri ducem Saxoniæ adoleſcentem ſex & viginti circiter annos agentem, vtque audimus, propenſum valde ad Caluiniſmum amplectandum. Lutheranos vero contra patris decreta manifeſte proſequentem, curabuntque ipſius fautores gratiam & auctoritatem ipſi conciliare ob duas auri, vnam argenti fodinam, quas poſſidet, & quia armis, viriſque, & congeſtis theſauris plurimum valet, inualuitque rumor centum hominum millia vno momento eum poſſe armis inſtruere, iiſque annuum ſtipendium erogare: certum tamen eſt, eum moribus inſtabilem eſſe, vt ex mutatione ſectarum & ex ſuo à Lutheraniſmo ad Caluiniſmum transfugio liquido conſtat, multoque clarius ex pollicitatione, quam Ducibus Bauariæ fecit. quo tempore in vltimis Auguſtanis Comitiis profeſſus eſt velle ſe hæreſes abiurare, & Catholicos ritus ſuſcipere. Sed cum iidem Duces peterent, vt promiſſa præſtaret, excuſauit ſe non poſſe populos ſuos contriſtari, & nihilominus cum ipſis contendit, quia Caluini inſtituta ſequi recuſant. Alii forte Regem Daniæ proponent, vt imperium illud finitimum regno vniatur, vtque tumultus, qui inter ipſum & Rempublicam ob ditionem, quæ in Liuonia ad Ducem Magnum Regis fratrem ſpectabat, excitati fuerant, componantur. Aliqui Marchionem Brandeburgenſem in medium afferent, qui ſemper ſe amicum profeſſus eſt, & arbitrum ſe voluit conſtituere inter Rempublicam, & Regem Daniæ, itemque inter Ducem Brunſuicenſem ob gemmas quaſdam, quæ ad Regnum pertinent, quas ipſe cum proteſtationibus quibuſdam poſſidet: Alii fortaſſe prætenſum Ducem Pruſſiæ nominabunt: ſed parua ſpe, cum mente captus ab omnibus

habeatur.

habeatur. Alii Palatinum Rheni Electorem, alioſque ſimiliter hæreticos Principes. Verum deuotæ preces, quas Catholica Eccleſia effundet ad Deum, vt huis electionis exitum fortunet, proſperetque, non permittent, vt tanto cum detrimento Chriſtianę pietatis aliquid ſcandali in populis illis innouetur, imo efficient, vt eiuſmodi Princeps eligatur, cuius charitate Religio Catholica ad priſtinum illum candorem reſtituatur, in quo plurimis ſeculis conſeruata eſt. Idque Omnipotens Deus annuere, & ſecundare non dedignetur.

DE NOVO IN POLONIA REGE ELIGENDO,

DISCVRSVS VIGESIMVSQVINTVS, anno 1587. habitus.

NATIONIS Polonicæ, ſtudia, & voluntates adeo mobiles ſunt, & priuatis vtilitatib us ducuntur, vt futurarum eius actionum difficile iudicium exiſtat: nihilominus tamen, vt Amplitudinis Veſtr. mandatis obtemperem, dum iubet, vt de nouo eligendo Rege Polonorum quid ego ſentiam, in ſcriptis referam, libenter ea, quæ ingenii mei imbecillitas, & nonnulla earum partium, in quibus aliquot me annis detinui, cognitio ſupperent, communicabo. Regnum Poloniæ, vt nemo neſcit, electiuum eſt, non hæreditarium, & Reges eliguntur, non vt tanquam regnum, & abſolutam exerceant authoritatem, ſed tanquam ciuilia Reipublicæ capita, cum ſimul cum Senatu de pace, de bello, de rebus arduis, ac delictis nobilium coniunctim decernant. Senatus abſque nobilium interuentu atque conſenſu eligere non poteſt: Nobiles vero, cum aliquis ex noua ſtirpe Rex inducendus eſt, ad Comitia in armis conſiſtunt, perinde vt conſueuerant prætoriæ cohortes in acclamandis Imperatoribus Romanis: Eo loco ius in armis, & iuxta libitum ipſorum Rex eligitur, & quiſquis eligi cupit ei nobilitatis magis, quam Senatorum fauor, & gratia aucupanda eſt. Plerique ſunt candidati Principes, qui in præſenti interregno proponuntur: verum quia celebriores ſunt Dux Parmenſis, Archidux Erneſtus Auſtriæ, Vaiuoda Tranſyluaniæ, vel eius cognatus Cardinalis Battoreus, & Princeps Succiæ; de his meam ſententiam declarabo, omittamque indigenas Nobiles, quos Piaſtos nuncupant, ſiquidem inaniter credi

uto,fore, vt Polonica capita conſenſura ſint ad vnum ex ſe ipſis promouendum,cui cætera omnia natura ęqualia ſubſint, & obedi ant:quod à ſexcentis annis nunquam accidit, poſt electum ſcilicet Piaſtum illum primum, hominem ſordido genere natum, quo tempore Reſpublica nondum leges,quibus vtitur,conſtabiliuerat,& populorum ingenia,moresq; plurimum à præſentibus diſcrepabant.

Si ætatem,prudentiam,virtutem militarem Ducis Parmenſis reſpexerimus,nulla aduerſus illum exceptio timenda videtur, um iam prouectæ ætatis,rerum humanarum experientiſſimus, & noſtro ſeculo præclarus exiſtat Imperator, materno genere Auſtriacam ſtirpem referens,quæ in eo Senatu plurimum pollet, ex domo Farneſia, & Farneſii Cardinalis Polonici Regni apud ſedem Apoſtolicam Protectoris nepos: à quo Cardinale Poloni publice & priuatim in Italia eximios honores, & plurima beneuolentiæ argumenta retulerunt: neque deficit illum pecunia,cuius ope apud Nobilitatem gratioſus fiat, ſi tamen homines habuerit virtute atque eloquentia inſignes, qui in Polonia cauſam eam tueantur: hæ quidem omnes dotes ſunt,quæ magnum rei momentum ad eam Coronam conſequendam afferre deberent.

Verum plurima, neque minoris conſiderationis eidem obſtitura eſſe videntur: primo quidem origo Italica nihil ipſum adiuuabit:nam tametſi proceres Poloni, qui Italiam aliquando inuiſerunt,moresque Italicos obſeruarunt, noſtram videntur nationem diligere;tamen in vniuerſum nihil minus conuenit, imo ille noſtra gens abhorretur, eſtq; in abominatione, ſcilicet Italos aſtutos, & fraudulenti ingenii homines putant: Mallent ipſi Regem,qui natura, & aſſuetudine mores regionis amplecteretur, & ſecum familiaritate quadam verſaretur,quam in Principe Italo minime ſperarent ſe comperturos, multo minus in Duce Parmenſi,qui inter Hiſpanos in exercitibus educatus eſt, in quibus ſuprema ſemper authoritate imperauit: quocirca propter eius magnitudinem animi dubitarent ſemper, vt contemptis ipſorum legibus, animum ad opprimendam Rempub. conuerteret: cum etiam Stephani Regis exemplum, qui ſuperbius imperitauit,eoſque ad humilitatem animorum coëgit, circumſpectiores ipſos efficiet in futura electione. Præterea cum Reſpub. illa Turcicum bellum valde abhorrenter euitet, rebus præteritis edocta, cauebit inpoſterum, iuſtamque timoris occaſionem habere ſibi videbitur,ne Dux Parmæ ob affinitatem atque clientelam, quæ ſibi eſt cum Rege Hiſpaniarum, ipſius intuitu bellum excitet aduerſus Turcas, quod poſtea extinguere opus arduum ſit. Et quanquam Reges vigore legum,abſque Senatu, & nobilitatis aſſenſu in publicis Comitiis, neque de pace, neque de bello quid-

quam poſſunt decernere: tamen prudens aliquis Rex occaſionem aperire facile poteſt, qua ſe extra culpam poneret, ſuamque libidinem ſimul exequeretur: & profecto ſi Coſaccis frenum paulíſper laxaret, nedum eos inſtigaret, cum ii naturales ſint Turcarũ hoſtes, ſaltem cauſa finium incredibiles motus excitent. Neque hanc ob cauſam electio Parmẽſis Ducis Turcæ Imperatori quicquam placeret; proinde veriſimile eſt operam daturum, & omni ope enixurum, vt omnino excludatur. Strages etiam, quam aduerſus hæreticos in Belgio admodum cruentam edidit, meo quidem iudicio eius cauſam remoraretur: nam Poloni hæretici, qui numero valent, ab eo ſemper abhorrebunt, neque iniuſte ſuſpicabuntur, ſi Rex foret, ville, etſi aduerſantibus regni ſtatutis, ipſos perſequeretur, vel ſaltem commodis publicis, & honoribus, qui omnes abſque interuentu Senatus per meram vnius Regis autoritatem diſtribuuntur, eos nunquam cohoneſtaret.

Archidux Erneſtus Auſtriacus fauentem habiturus eſt in eo Senatu Auſtriacam factionem, quæ ad hæc vſque tempora Principibus illis plurimum addicta eſt: Princeps eſt ſingulari virtute præditus, generoſus, & natura affabilis, demum Polonorum genio moribus reſponſurum videtur: duo tamen illi, niſi me animus fallit, aduerſabuntur: primum quia Germanus eſt, nam miram Poloni cum Germanis antipathiam habent; & quanquam Archidux ille, qui benigniſſimum gerit animum, fortè gratiæ plurimum collecturus videtur, tamen dum conſiderabitur, ſub illius vmbra, & patrocinio in Poloniam Germanos, gentem inuiſam, ingreſſuros, & hic authoritatem habituros, id certe priuatim & publice conſultantium mentes valde turbaret. Alterum impedimentum videtur eſſe, quia, cum Polonica Nobilitas nihil potius, & optatius habeat, quam antiquæ libertatis ſuæ iura tueri, quæ hactenus illibata ſeruauerunt, inprimis cauerent, ne vicinum Principem tot viribus, & amicitiis validum eligerent, qui Regno frenum inicere queat, quemadmodum ab aliquo Auſtriaco ſibi timere poſſent, & ab ipſo Erneſto, quem facile cupiditas inceſſere poteſt ſupprimendæ Polonicæ libertatis, illudque Regnum hæreditarii iuris facere, ſicuti in Hungarico & Bohemico fecerunt, quæ regna natiuos Reges non habebant. Et hæc ipſa fortaſſe dubitatio nobiles mouit, vt electionem, quam Senatus in Maximilianum Imperatorem fecerat, in interregno Regis Galliæ, exploderent. Quod ſi Turca in huiuſmodi Comitiis aliquam habuerit authoritatem, credibile eſt, eum minime paſſurum, vt Auſtriacorum Principum quiſpiam eligatur, ne Polonorum viribus aggregatis illam Hungariæ partem, quam occupauerunt Turcæ, recuperare, & Othomanicum Imperium laceſſe-

re velit

e velit. Quod ſi etiam in eodem ambitu concurrent alii ex domo Auſtriaca, ſicuti forte Ferdinandus, & Carolus Archiduces, aut Maximilianus, & Matthias eius frater, concurrent, Erneſto maior ſupererit difficultas.

Tranſyluanus Regulus, vt nepos, & hæres Stephani Regis, nihil in ea ſucceſſione iuris habet: nam tametſi antiqua fuerit conſuetudo, vt filii atq; etiam nepotes defunctorum vſque ad lineæ, ſiue ſtirpis totius occaſum in Regnum vocati fuerint, tamen ſpatio ducentorum annorum nunquam nepotes electi fuere, qui nō ex ſtipite regali deſcenderint: & quamquam Stephanus Rex eximia virtute decoratus, deque toto regno optime meritus fuit propter egregia facinora, quæ aduerſus ſuos hoſtes peregit; nihilominus cum Poloni eum magis veriti fuerunt ob ipſius potentiam, ac timuerint, quam dilexerint, cum ille in honoribus, & commodis publicis parum proceribus ſatisfecerit, prætérquam quod ſuorum bonorum parcus extitit, ſucceſſoribus ſuis tenues opes reliquit: neque Princeps ille alibi ſpem ſuam firmare poteſt, quam in auxiliis cognati ſui Cancellarii, cuius authoritas ſicuti regnante Stephano cæteros proceres ſupereminebat, ita nunc, quia nobilitatis odium ſubiuit ob ſuperbiam ſuam, & quia familiæ Sboroskæ primatem ſupplicio vltimo extinxit, credibile eſt, eum de culmine ſuæ potentiæ deiectum fuiſſe; Tamen cognatum non mediocriter iuuabit, quia magni eſt vir ingenii, diuitiis affluens, audacia promptus, & ad hæc Turcicis auxiliis, & pecunia, quæ eum non deficiet, nonnihil boni efficere valebit. Verum non vſque adeo valiturus eſſe videtur, vt difficultates obiiciendas queat diluere, præſertim nondum adultæ Principis ætatis, cum is adhuc adoleſcentulus ſit: quod ſi vnquam Regnum illud adulto ac præſtante Rege indiguit, per hæc tempora vel maxime indiget propter occaſionem, quam Moſchorum ciuilia bella bene gerendæ Reipublicæ offerunt: & quanquam Turca ipſum, tanquam fiduciarium, ac vaſallum ſuum vehementer promoturus videtur, quemadmodum Stephanum eius patruum promouit, non video, Turcicam opem, præſertim his temporibus, quibus Imperii illius vires alio intentæ ſunt, plurimum eidem afferre poſſe adiumenti. Nam Poloni, vt interregnis imminentibus aſſolet fieri, fines regni validis præſidiis diſpoſitis forte muniuerunt, quo ab inſultibus Turcarum, & cuiuſlibet Principis, qui moleſtiam iis inferre tentaret, ſeſe tutos efficiant, ac tueantur.

Cardinalis Battoreus eius patruelis, & nepos ipſe quoque Stephani Regis minora fortaſſe obſtacula patietur: propterea quod ætate iam adultus eſt, & in ordine Eccleſiaſtico audit honorifice, notus & plurimum dilectus Senatoribus multis, ingenio &

virtute pollens, apprime affabilis, & qui naturæ Polonorum ſe adaptabit: nihilominus credibile non eſt, vt natio illa de patruo eius Rege haud iucundam ſeruans memoriam, & Hungaros immortali odio proſequens, dubitans etiam, ne ipſo electo Cancellarii amplitudo reſurgeret, cõſenſura ſit vnquam ad quemquam ex Barorea domo eligendum.

Princeps Succiæ etſi adoleſcentulus eſt, non tamen adeo acerbæ eſt ætatis, vt regnum capeſſere, & paucis poſt annis recte gubernare nequeat, multisque virtutibus ad eligendum ſe & ſenatores, & nobilitatem poteſt compellere. Nam quia ex materno latere Iaiellonicam domum refert, quæ domus ob egregia illorum Regum facinora, & in Rempublicam merita ſummopere à Nobilibus diligitur, & præſertim ideo, quia Reipublicæ aggregauit maximi momenti regionem, cuiuſmodi eſt Lithuania: item quia nepos eſt Annæ Reginæ, quæ eiuſdem familiæ eſt, & ex cuius auctoritate magnam gratiam conſequetur, præterea quia ſuppetet ei pecunia, cum ex paternis theſauris, tum ab ipſa Regina ad concilianda ſibi nobilium ſtudia: hæc mediusfidius magna ſunt adminicula, vnde facili negotio ad regnum promoueri poſſet. Verum ſi ad hæc adiungeretur, vt rex Succiæ amplificandi magis filii ſui Principis Sarmatis offerret (vt eum facturum veriſimile eſt) ſui regni vnionem ad Polonicam Rempublicam, ſi filium elegerint, nihil mihi ſupereſt dubitandum, quin ipſe, cæteris omnibus candidatis ſuis ſuperatis, coronam illam obtineret: etenim regnum Polonicum vicini regni acceſſione mirum in modum lucri faceret non ſolum in ſeipſo, ſed etiam propter bona plurima, quæ inde Polonorum emolumento conſequerentur, præſertim in compeſcendis ſubditis, ac ſpeciatim Dantiſcanis & prætenſis Ducibus Pruſſiæ, aliisque qui Succorũ ope nixi ſæpenumero defecerunt, & contra proprios dominos Reges Poloniæ arma ſumpſerunt: ceſſarent quoque controuerſiæ atque prætenſiones iurium, quas Princeps Succiæ habet in Lithuania, tanquam in Statu, ad maternam hæreditatem ſpectante: quæ res inter illa duo regna ingentes motus excitare poſſe videtur: portus Naruæ in Liuonia ad Polonos rediret, quem portum Succiæ Rex haud pridem occupauit, dum Stephanus cum Moſcho bella gereret: quamobrem Poloni coacti ſunt portum illum recuperare, acceptamque iniuriam vlciſci. Sed quod magis referret, illud eſt, quod iunctis duorum regnorum viribus aduerſus Moſchum progreſſus fierent feliciores: non enim ignoramus, Moſchouiam modo ciuilibus diſſenſionibus vehementer agitari: adeo vt ex iis, quæ diximus, non videam, cur Succiæ Princeps, ſi regni ſui vnio propoſita fuetir, excludi queat: quandoquidem probabile eſt, oblationem

huiuſmodi nihil minus virium habituram, quam Iaiellonis magni Ducis Lithuaniæ habuerit oblatio: Is enim vt Eduigem Poloniæ Reginam in matrimonium obtineret, Ducatum ſuum Reipublicæ conſociandum propoſuit: quæ propoſitio tantum effecit apud Rempublicam, vt quanquam Heduiges Guilelmo Archiduci Auſtriæ ante promiſſa fuiſſet, iamque illa ad celebrandas nuptias Cracouiam aduenisset, nihilominus Iaielloni conceſſa fuit: cuius propago, ſiue linea poſtmodum annos ducentos feliciter regnauit. Quod ſi Princeps Sueciæ Catholicam religionem ſectatur, quemadmodum vno ore omnes conſentiunt, profecto neſcirem, quem Reſpublica Chriſtiana Regem ipſo poſſit eligere fructuoſiorem: is enim, debellatis Moſchis, in magnitudine & continuatione Imperii cæteros omnes Europæ Principes longo interuallo poſt ſe relinqueret, quoniam ab ortu ad occaſum totam regionem, quæ inter mare Caſpium & Germaniæ terminos comprehēditur, poſſideret; ab Auſtro vero ad Septentrionem, à Caucaſo vſque ad vltima Scythici maris littora imperii ſui protenderet: quantum vero Turcis terrorem tam magnus Princeps adeo vicinus incuteret, quantūq; auxilii feſſis Chriſtianorū rebus afferre poſſet, vnuſquiſque ex ſeipſo id animi cogitatione conſequitur. Quod ſi ex altera parte Sueciæ Princeps regnum adeptus aduerſus Daniæ Regem naturalem ſuum hoſtem arma conuerteret, nemini dubium eſt, quin tanto Regi minor ille Rex reſiſtere non poſſet: & regno illo Daniæ ſubingato, magna Catholicæ religioni vtilitas & adiumentum ſequeretur, non ſolum quia peſſimæ naturæ & hæreſi infectus Princeps, cuiuſmodi eſt Rex Daniæ extirparetur; verum quoniam multum opus inde exercitus Catholicorum in Belgio acciperent: cum in manu ſit Regis Daniæ, clauſis maris anguſtiis, ne ſubſidia frumentaria tranſferantur ex Gedanenſi ciuitate in Zelandiam & Selandiam, eas regiones obſidere, & fame affligere, præter auxilia plurima & militum, & commeatuum, quæ Catholico Principe in iis maris clauſtris regnante, tranſmitti poſſent per Oceanum illum Septentrionalem ad quamuis contra hæreticos, & præſertim contra Reginam Angliæ, expeditionem.

MONITA CVM AD AVLAM CÆSAREAM miſſus eſſet Nuncius, ſiue

DISCVRSVS VIGESIMVSSEXTVS.

ILLVSTRISSIME Domine : Arbitror, è re tua fore, ſi nullum omiſeris nuntium, quin ei tuas committas literas, quibus ſignifices momenta itineris tui, vnde ſolicitudo tua, viæque tuæ continuatio cognoſcatur. Multo magis igitur, cum Florentiam adueneris, vbi negotium tibi iniunctum eſt, inde te ſcribere oportebit : quæ res vel maxime conuenit ei Principi, apud quem nuntius Apoſtolicus alter degit : quod ſi nullum literarum argumentum ſuppetet, ſatis erit, vt ſcribas, te verbis Summi Pontificis ſalutem nuntiauiſſe, & Celſitudinis iſtorum Principum benedixiſſe. Epiſtola breuis eſſe debebit, qua ſolum innuas effectam rem, & quo pacto Principes tua officia ſuſceperint, quaue grati animi ſignificatione.

Si quid erit, quod interſit, ſcribere, locupletare poteris epiſtolam : neque enim tuo vnquam Principi debebis quidquam ſubticere, quod alicuius ſit momenti, maxime vero ſi ad vtilitatem eius Beatitudinis ſpectauerit. Neque refert, vt epiſtolæ aliquando breuiſſimæ ſint, quando per ipſas nihil amplius ſcribendum eſt, quam quod ſcribere neceſſe eſt : Id autem etſi minimum foret, tamen omiſſum noceret, & in errore verſareris. Tibi porro perſuadeas, pergratum fore Principi, ſi tuis literis, quocunque tendas, & vbicunque degas, edoctus fuerit : quæ res à quibuſdam miniſtris olim neglecta, peſſimis modis interdum animos affecit.

Exordia literarum, quas ſcripturus es, antequam ad Cæſaream aulam peruenias, immutare minimum tibi erit negotium, & quanquam vtrumque immutaueris, minimum intererit; tamen varia ſeſe exordiendi genera offerent, ſi modo ad ea,

quæ tibi in itinere contingent, & diligentiam, quam plus minuſve adhibueris, attenderis.

Hæc variatio affatim ſuppetet, ſumpta ex occaſionibus memorandi, quas antea ſcripſeris, literas, item ipſarum argumenta, dies illis adſcriptos, nuntios, quibus traditæ, opportunitates, quibus ſcriptæ fuerunt. Quæ omnia neceſſe eſt, vt obſerues, ſcripturus quæcunque in diem accident: quo diſtinctè quidquid agis, cognoſcatur, inque tuis literis continua ſeries appareat.

Ne obliuiſcare, quotieſcunque magni momenti res ſignificanda eſt, repetitas, ac duplicatas literas ſcribere: quod ſi has duplicatas per vias diuerſas miſeris, vtilius feceris; nam eo ipſo prudentia miniſtri, ac ſolicitudo lucidius conſpicitur. Cum res tractatas cum Principibus aut miniſtris nuntiare volueris, eadem met verba, quibus actæ ſunt, literis referre debebis, eumque de quo ſcribis, clarum in modum appellare.

Modus verba referendi potius rectus ſit, quam obliquus. Obliquus voco ita. Reſpondit mihi Maieſtas Sua, velle ſe, omnem operam adhibere, vt impediret, ne cauſa religionis tractaretur. Rectus autem modus eſt. Reſpondit mihi Sua Maieſtas, volo omnem operam adhibere, vt omnino impediam, ne tractetur, &c.

Neque minus refert, actionem principis, quo cum negotia tractantur, deſcribere, omniaque ſigna animi, quæ dederit, cum cæteris circumſtantiis, quæ alloquium comitantur, exponere, veluti ſunt, motus corporis, oculorum volutatio, vultus mutatio, vocis intenſio, aut remiſſio, in dicendo vehementia, breuibus rem aliquam præterite, obſcura locutio, aut ambigua, verborum frigiditas, breuitas, repetitio, irritare, & inſiſtere, mentem, oculoſque intendere, verba recitate, quæ ſtudio mandata memoriæ videantur: denique omnes ii modi ſunt deſcribendi, qui loquentis animum quoquo modo diſpoſitum, vel in quantum ad effectum, vel ad veritatem & ſinceritatem ſeu artificium, aliudve, patefaciunt; ſubnectendum iudicium, quod ex iis actibus elici poteſt; qui etſi præcipue in negotio conſiderandi videntur tamen adnotandi; ſunt etiam in officioſis verbis, in quibus aliquando qui loquitur, vt animi ſententiam exprimat, inſolitis verbis vtitur.

Relatio eorum, qui negotia tractant, debet eſſe ſimplex, abſque vllis digreſſionibus vel conſiliis, tantum res enarrando, prout tranſactæ ſunt; qua in re cautum & circumſpectiſſimum eſſe oportet.

Mandata, quæ tibi a Summo Pontifice iniuncta fuerunt, aut limitata ſunt, aut libera. In limitatis, quoties aliquid perficitur, non ſemper neceſſe eſt cauſam repetere, cur ita res geſta ſit. Verum in liberis mandatis vel maxime oportet, Miniſtrum diſtincte ſcribere, cur ita fecerit, dixeritue, cauſam & rationem dicti factique, quoad fieri poteſt, explicare.

Caueas, ne dubias res, tanquam certas ſignifices, nimiam fidem iis adhibendo, qui tecum agunt. Item caueas, ne certum quid nunties, reſpiciendo tantum ad generales rerum concluſiones, vel, cum neque ſcripturam in manu, neque teſtimonium cuiuſquam habueris, quoniam non ſemper homo in eadem permanet ſententia, ſed mutatur, ac variatur, neque ſemper ſincerus eſt, probuſque, qualem ſe profitetur: quiſquis enim ſimplicibus alicuius verbis nimium fidit, ſæpe ſe deceptum comperturus eſt.

Negotiorum felicis exitus ſpem ne pollicearis maiorem, quam prudentiæ tuæ conueniat; ſiquidem hæc te docet, non temere credendum eſſe, eoque modo loquendum, vt nunquam eo verbis peruenias, vnde te retrahere nequeas.

Si quid tibi ſcribendum contigerit, quod vario rumore feratur, animaduertas, vt rei nouæ certus auctor in literis tuis nomine appelletur. Expediet etiam explorare, quid cenſeatur in illa aula de tua legatione, & an de tuis mandatis ſiniſtre quidquam iudicabitur, negando aut affirmando, quæcunque re vera tibi iniuncta fuerunt. Et diligenter inueſtigare debebis auctorem, qui tale iudicium protulerit, aut de eo diſſertiones inſtituerit.

Poſtquam ad illam aulam perueneris, per quoſcunque ſiue ſuetos, ſiue inſuetos tabellarios ſcribere debebis: nam ſi ſecus feceris, videreris, aut parũ cautus eſſe, aut in tui principis negotio obdormiſcere. Iubeas, vt omnes epiſtolæ, quaſcunque ſcripſeris, apud te deſcriptæ ſeruentur. Frequenter mandata, quæ recepiſti, literaſq; tuas perlegito. Cum tibi ſcribendum eſt, ſemper literas, quas antehac ſcripſiſti, relegito, cumq; ad negotia peragenda te cõtuleris, monita principis ſemper repetito. Poſtquam peregeris cuncta cum Principe, illico res actas ſcriptis ordinate cõmendes. Literas de omnibus, quæcunque tractas, paratiſſimas habeto, vt tabellariis, quicunque ex tempore ſeſe offerre poſſunt, illas committas, niſi tamen tu ipſe certum hominem ſis expediturus. Præter illa, quæ ſcriptis tibi in vrbe mandata ſunt, ſcribito etiam de iis, quæ oretenus à Principe tuo, vel eius miniſtris audiuiſti, vel quæ ad rei ſubſtantiam, vel etiam ad circumſtantias pertinent, eaque de memoria tua nunquam deponas.

Cum alio Nuntio bene tibi conueniat, eiuſque beneuolentiam tibi conciliare ſtudeas. Eius fidem, eiuſque iudicium abunde ſequere, & publice, & priuatim ei omnem honorem exhibe:

ıque ipſi, & ſuis, patriæque ſuæ ſtudioſiſſimum ſe profiteare.

Merita, quæ cum Sede Apoſtolica contraxit, amplifica, eiuſque ſpes conſolida, & auge: neque tamen memoria tibi excidat, Prælatum illum eſſe Venetum, eiuſque familiæ, quæ Cardinalem habet tibi non valde bene affectum. Nuntium ne lateat, Summum Pontificem deſignauiſſe te apud Venetos Nuntium, idque a teipſo reſciat, ſimulque ei omnem amiciſſimam operam polliceare. Hi modi ac reſpectus multifariam tibi proderunt, præſertim efficies, vt ex illa aula hic intelligatur, vtilem te Reipublicæ operam nauauiſſe, & optimam ibi omnium de te opinionem excitauiſſe, & cum illa Maieſtate & Principibus honorifice cuncta egiſſe.

Addo, quod mihi peropportunum videtur, vt à Cæſare reuertens, ad nos accedas edoctus de motibus & qualitatibus Imperatoris, de ſtatu eius, de illius aulæ conſtitutione, vt poſſis cuncta Summo Pontifici enuntiare, cum præſertim Imperator ſit nouus in eo gradu Princeps. Verum cogitaui, N. tuas vices iam expleſſe; & nihilominus tibi quoque nonnulla referenda ſupererunt, quoniam principes in dies & horas mutantur, præſertim iuuenes; & illa Cæſarea Maieſtas conditionem mutauit; neque fieri poteſt, quin nouæ cogitationes illi ſuperuenerint, atque affectus detegantur, qui ad D.N. relatu digni ſint. Igitur in relatione tua non attinges ea, quæ communia ſunt, iamque ſciuntur, ætatem, complexionem, ſanitatem, aliaſque corporis habitudines: prætermittes etiam docilitatem, ingenium, diſciplinam, animique propenſiones, quæ mutationem non receperunt.

Eius conſilia ac propenſiones ad pacem & bellum inueſtigabis: quas amicitias cupiat, & charas habeat: item inimicos, à quibus cauere cogitat, conſilia ac fines eius; quidque acturus ſit, vt eos aſſequatur: quaſque in iis difficultates recognoſcit, quæue contraria: quantum ſuis viribus, imperiiq; proceribus & aliis confidat, quantumue ijs diffidat. Quid eum defecturum ſit neceſſitudinis tempore: modum, quem in gubernando inſtituit: quibus rebus imperium ipſius à paterno atque auito differat, quibuſve ſimile, & quare; & an melior, an deterior ſit, & quantum: Quibus conſiliariis vtatur, & quomodo, & quo pacto res conſultas exequatur: res iuſtitiæ quomodo adminiſtrentur: quantum ſit beneficus: quantum ſubditis charus, quantum in amore, aut in metu habitus, prudentia eius, vigilantia, potentia, ſolicitudo, dexteritas, ſinceritas, aliæque animi dotes: Itidem eæ res, quibus magis oblectatur animus eius, & quæ maiore in pretio apud illam Maieſtatem habentur: præterea miniſtrorum conditio; qui præualeant vel per ſe, vel propter principis fauorem,

quo fruuntur: qua de cauſa plus minuſue diligantur: item inter ipſos quomodo animati, & erga dominum, nec non erga ſubditos, aliaſque nationes & principes affecti exiſtant: quam boni ſint, iuſti, prudentes, demum qua in re peccent plus minuſue, quibuſue in rebus tolerari nequeant, quibus laudem promereantur. De religione illius Maieſtatis, eiuſque miniſtrorum verba non facio, vtque erga ipſam, & hanc ſanctam Sedem, aulamque Romanam & Italiam, principeſque Italos bene propenſi exiſtant, quia puto, eius ſanctitatem de omnibus huiuſmodi rebus certiorem iampridem factam fuiſſe.

Debebis ſummo ſtudio inquirere, atque intelligere, quibus in rebus illa Maieſtatis modo differat ab illo, qui erat ante aſſumptum imperium. Oratores & miniſtri, qui in illa aula reſident, huc vſque cuncta procul dubio explorauerunt, minimoque labore poteris ab iis pleniſſime de omnibus doceri: idcirco valde tibi conducet, vt familiaritatem ineas cum eiuſmodi viris. Cætera tuæ prudentiæ committo, &c.

DE VRBE CONSTANTINOPOLI ET IMPERIO Turcico,

DISCVRSVS VIGESIMVS SEPTIMVS.

CVM Imperium Ottomannorum permiſſu diuino, tot ac tantas prouincias & regna perpetuo quodam victoriarum curſu miſeris ſub iugum, ac debellauerit, ac proinde cunctis gentibus formidandum ſit, non erit abs re dubitare, vt idem minimo negotio, niſi obſiſtatur, ad totius orbis terrarum monarchiam peruenire poſſit. Quoniam vero huiuſmodi diſcrimen imminet potiſſimum Sereniſſimæ huic Reipub. quæ fines habet dominii ſui, cum gente adeo ſuperba ſatis latos (præter varias cauſas, vnde queunt diſcordiæ naſci, veluti ex mercatura continua, quæ in communibus regionibus exercetur, ex piratarum damnis, ex neceſſitate, qua nauigia, & claſſes noſtræ cum hoſtilibus nauigiis & claſſibus ſæpe con-

ueniunt, præſertim hiſce temporibus, quibus maritima Turcarum potentia in tantas vires excreuit, vt ad orbis imperium occupandum opportuna eſſe videatur.) Idcirco non ſine ratione hæc Reſp. nullas grauiores repetere poteſt cogitationes, nihilque magis ſollicito animo debet attendere, quam vt Turcarum actiones diligẽter obſeruet, ac exploratos habeat. Quamobrem cum ego Bizantio tanti Imperii metropoli, nuper redierim, vbi Bailum egi, coram Serenitate veſtra eorum omnium, quæ ſexennio exploraui, rationem mihi reddendã eſſe, duxi: Ad tria itaq; præcipua capita relationem meam redigam. Primum, Imperii Turcici magnitudinem, & bellicam potentiam ob oculos ponam. Deinde referam, à quibuſnam & quibus modis tantũ regatur imperium, & regẽtum naturam, moresq; explicabo. Poſtremo narrabo, quo pacto ſe habeant ad hoc ipſum imper. cæteri principes, ii maxime, qui cum ipſo negotium habent. Poſtquã Romanũ declinauit Imperiũ, nullus vnquam Principum tot prouincias ac regna ſui iuris effecit, quemadmodum Othomani armorum virtute fecerunt: nam imperii huius fines à Dalmaticis Italiæ contermiñis partibus incipiendo extendunt ſeſe in Epyrũm, totamq; Peloponneſum & Græciam circumeuntes, & maiorem in oriente Inſularum partem amplectẽtes, perueniunt ſpatio mille, & quingentorum millium paſſuum Conſtantinopolim vſque, ſed à littoribus ponti Euxini vſque ad vltimos Europæ terminos in Aſiam prolatantur, & ſpatio totidem milliarium mari in Ægyptum ducti amplianturad Nilum vſque, ad vltimos Aſiæ limites: inde itur in Africam, cuius omnia fere littora Turcæ poſſident vſque ad anguſtias freti Herculei, exceptis paucis quibuſdam, quæ à Regibus Hiſpaniæ & Luſitaniæ poſſidentur. Omnis hic maris circuitus ſpatium eſt octo millium milliarium: at terrarum circuitus haud minor erit, nam per tandem viam in mediterraneis locis (quorum tamen pleraque inculta, alia anguſta ſunt, præſertim vbi, Tripolis Alexandriam verſus ſita eſt) vſque in Ægyptum fertiliſſimam regionem Turca dominatur, & inde vſque ad Oceanum, vnde continuo tractu per mare rubrum & littora Adem, & Glimon ad Euphratem, & inde ad fauces Tygris in ſinum Perſicum extenditur: ad quæ littora latiſſimis finibus adiacet Perſico regno, adeo vt à mari Caſpio nõ multum diſtet, vbi finitimus Georgianis, Mingrellis, & Circaſſis, aliiſque nationibus, ad vltimam Aſiæ partem verſus Tanaim regreditur, & tamen in Europam eis, & vltra Danubium dilatat plurimum imperium ſuum, cui contigui ſunt, ac tributarii Bogodamus, Valacchus, & Tranſyluanus: inde in Hungariam perueniens cum Imperatore communes fines habet; demum in Croatiam penetrans, ad nos adeo ſeſe approximat, vt non procul abſit à Foro Iulio.

Diuiſio orationis.

Amplitudo Imperii Turc.

Vniuerſum hoc imperiũ diuiſum eſt ſub regimine viginti Beglierbeorum, qui hodie Baſſæ nuncupantur, cum apud Turcas etiam,

Politia Imperij.

nedum apud Chriſtianos, titulorum maxima ratio habeatur. Ad hos autem, qui paulo antea nouemdecim erant, Cyprius Baſſa magno Chriſtianorum detrimento additus eſt, omneſque alii, perinde ac totidem reges, late imperat. Tres ſunt in Europa, hoc eſt, Græciæ Baſſa, qui maior eſt, & cæteris potentior, Budenſis, Temiſuarenſis. In Aſia tredecim ſunt, hoc eſt, Natoliæ, Caramaniæ, Damaſci, Aleppi, Tripolis in Syria, Babyloniæ, Baſſaræ, Caramachaconani, Edræ, Liuaſii, Maraſii, Cypri. In Africa tres ſunt, Cairus, Tripolis, & Algerium. Quibus omnibus adiungitur maritimus præfectus, qui Beglierbeius dicitur, qui littoribus & inſulis Othomanico imperio ſubiectis præeſt.

Militia Turc.

Iam terminos delineaui; modo ſerenitati veſtræ, quales reditus ex tanto Imperio Turca colligat, eiuſdemque in dominando arcana explicabo. Igitur ſerenitas veſtra non ignoret, hunc Principem omni tempore in apparatu belli cæteros omnes principes longe antecedere: equites enim centum quadraginta quinque mille detinet, quorum octuaginta mille quaſi in hybernis per Europam diſtributi ſunt, cæteri quinquaginta mille per Aſiam. Hi ſunt, qui Spachi Timariotæ vocantur, quia non annuo ſtipendio pecuniario ſuſtentantur, ſed aſſignatis agris detinentur eo pacto, vt tot equos ad bellum alant, quot agrorum aſſignatorum proportio poſtulat. Etenim cum Othomani hoc imperium occupaſſent, non modo directum dominium ſibi aſſeruerunt, ſed vtile etiam iuris publici fecerunt, deſtruentes atque expellentes nobilitatem, cæteroſque poſſeſſores quoslibet: hæc autem bona deinde inter milites partiti ſunt loco ſtipendii, adeo vt, quoties noua regna capta ſunt, militum numerus ſimul auctus fuerit. Cuiuſmodi beneficium ex hac re Turcarum Imperator capiat, poteſt Serenitas veſtra ex ſe ipſa conijcere, cum ſine vllo ſumptu, vel publici ærarii diminutione tam ingens equitum numerus detineatur, vt ſi pecunia eroganda foret, quotannis quindecim aureorum milliones non ſufficerent. Tot millium ſuſtentatio non modo in emolumentum ærarii publici redundat, ſed etiam fit maiore cum vtilitate & ſatisfactione militum, maioreque totius imperii ſecuritate: nam cum regiones bello acquiſitæ, & agri occupati fuerunt, eorumque facta fuit æſtimatio, tunc propter ſolitas belli confuſiones, atque turbas, minimo pretio bona æſtimata fuere, vt militibus facilioris victus facultas concederetur; cumque apud acta publica eædem fere æſtimationes conſeruentur, quia raro variari ſolent, cumque fructuum pretia valde aucta ſint; in præſens Spachi, & Timariotæ longe maiora emolumenta, & plerique in duplum auctiora, ex bonis ſibi attributis extrahunt: adeo vt ſi iuſto iudicio fructus, qui iſtis Timariotis applicati ſunt, æſtimentur, ego quidem in eam adducor ſententiam, vt opiner, quindecim aureorum milliones ſingulis annis hos reditus adæquare. Iuuat me, adhuc aliam neque minorem vtilitatem ab hac

Timarri quomodo inſtituti.

Vtilitates ex Timariis.

re dependentem conſiderare. Turcicum Imperium infœliciſſimis populis, qui ei ſubduntur, adeo graue eſt, vt inculta omnia, & vndequaque deſtructa cernantur: & nihilominus niſi hæc Timariotarum loca inſtituta fuiſſent, crederem omnino fore, vt peioris eſſent conditionis quia cum bona illa Principis bona ſint, eorumque vſufructus tantum ad mancipia & milites ſuos pertineat, eam ob cauſam inquilini & coloni eorum priuilegio aliquo fruuntur, neque ita aſpera tyrannide premuntur, ac proinde cum faciliorem, tutioremque victum habeant, ager ideo fit excultior: ex quibus colonis altera vtilitas Principi reſultat quod ordinarios equites, ac prætetea remiges pro claſſibus, aliaque ſolita Principis emolumenta ſubminiſtrat: adeo vt dicendum eſſe videatur, ſolam hanc Timarrorum inſtitutionem cauſam eſſe, cur hoc Imperium tam diu ſuſtineatur: quandoquidem tantus ex iis fructus exigitur, vt ad quinquaginta milliones aureorum quotannis aſcendat ſi modo computemus militum & colonorum ſuſtentationem: quæ niſi inſtituta fuiſſet, merito credendum eſſet, fore, vt ob malam Turcarum gubernationem imperium magna ex parte deſtrueretur. Hi Timarri adeo partiti ac diſtributi ſunt, vt qui militiæ vnum debet, aſſignatus ſit illi ager ad æſtimationem trium millium aſprorum, qui ſexaginta ſcutos aureos conficiunt: ſed qui Timarros opulentiores habent, ii tenentur ad bellum ducere tot equites, quot habent millia aſprorum in reditibus ſupra quinque mille aſpros: & ſuis mancipiis ad hoc vti conſueuere non ſine magna vtilitate atque commodo, quia propter ſuas neceſſitates, & ad commeatus ferendos coguntur multos ſecum ducere famulos, & animalia multa.

Hactenus enarraui, quo pacto Princeps ille centum quadraginta quinque millia equitum, quos in ſuo imperio deſcriptos habet, detineat: modo reliquum eſt, vt nonnihil dicam de quindecim millibus Portæ (quæ dicitur aula Imperatoris) equitum, qui ſoli ex Principis ærario (Caſne dicunt) ſtipendia merentur duodecim vel quindecim circiter aſprorum diurnum quotidie, prout virtus ipſorum, ſiue potius fauor, quem obſequiis & muneribus acquirunt, expoſcit, ſique ituri ad bellum viritim ſcutos viginti, loco largitionis, habent: eorum arma ſunt, haſta non admodum fortis, framea, ſcutum, & aliquorum etiam arcus: arma vero defenſiua nulla habent, præter galeam (etſi ii pauci) & nonnulli parte anteriori thoracati ſunt: His equites annumerantur, inter quos plerique aulici & Portæ officiales, itidemque ſingulorum Baſſarum & aliorum magnatum, quos tædioſum eſſet referre, mancipia computantur. Ad ſummam, omnes hi milites ſuo ſtipendio pacis & belli tempore detinentur: adeo vt Imperator ille, bellum decernens, nihil inſoliti ſumptus adaugere neceſſe habeat.

Equitatus penes Imp.

Nullos habet pedites Turca, præter Ianizzaros, qui duodecim

Stipatores Imp.

millium

millium aut fortaſſe minori numero computantur, præſertim quia nunquam omnibus ſimul vti poteſt ad vnam expeditionem, cum diuerſis in locis neceſſario diſtribuendi ſint. Iſti vt plurimum ex Chriſtianis oriundi ſunt, vt dicetur inferius. Hic peditatus antiquis Romanorum legionibus ſimillimus eſt, militiæque Turcarum præcipuus neruus: diligenter enim educatur, & in militaribus occupatur exercitiis, Principiſque filii dicuntur. Antiquam nihilominus virtutem deſerentes, paulatim corrumpi videntur: propterea quod plerique Turcarum filii, qui militariter educati non ſunt, ad huiuſmodi militiam paſſim admittuntur, ac proinde ita perfecti non euadunt, vt veteres fuere Ianizzari, qui res admirandas geſſere. Stipendium ſingulorum quotidie eſt quatuor vſque ad nouem aſpros, ſoluunturque tribus ſingulis menſibus ex ærario Principis. In cohortes diſtinguuntur, habentque præfectum generalem nomine Aga, qui omnibus præeſt, ſed centuriones alii ve præfecti Balluchibaſſi vocantur. Ipſorum arma ſunt, Sclopeta, quibus dexterrime vtuntur. Hi deinde Spachi fiunt, & gradatim promouentur.

Aga præfectus Ianizzarorũ.

Ad maritimas vires deuenio, quibus Imperator ille melius inſtructus eſt, quam quilibet alius Princeps: nam in nauali ſuo habet modo pluſquam trecenta nauigia actuaria, computatis quatuordecim onerariis, quas Maonas vocant: neque loquar de Dalondris genus nauigii, quo equi traiiciuntur. Multas alias triremes nullo negotio ædificare poteſt, quia ſi ad Euxini littora ſuos opifices miſerit, vbi ſcilicet nemora ſunt denſa, ac vaſta, quotquot placet, quam citiſſime exſtruet, neque triremis vna pluſquam mille aureis ei conſtabit: hi vero artifices omnes fere Chriſtiani ſunt, quia plerique incolatum Græcorum eam artem callent, quibus pleraque Itala mancipia adduntur, quæ ſi cognoſcantur illius artis perita, difficilius ſuam conſequuntur libertatem: & compertum eſt quo tempore Turca cladem tam magnam in mari accepit, ſemeſtri ſpatio centum quinquaginta triremes exædificatas fuiſſe, præter illas, quæ integræ ſuperfuerant. Verum quemadmodum triremes Turcis deeſſe nequeunt, ita remiges, nautas, & milites, qui tormenta explodant, ſimileſq; nauticæ rei peritos homines affatim non habent: quandoquidem Serenitas Veſtra, cum eorum claſſem diſiecit, atque ſubmerſit, priuauit ipſos penitus maritimo milite, qui non adeo facile reſtitui poteſt, veluti terreſtris militia inſtauratur, cum maritima diſciplina maiorem experientiam, tempuſq; diuturnius requirat. In claſſibus vtuntur quodã hominum genere, qui dicuntur Alappi, quos circiter viginti ſingulis triremibus imponunt, vtunturq; illis ad diuerſa triremium munera, qui vt plurimum cõtinua ſtipendia merent, & præterea aliquot, Ianizzari, & Spachi adhibentur, prout opportunum videtur. Et præteritis annis ab extremis vſque Perſiæ finibus curauerunt homines quoſdam aduocari, qui Chiurdi nominantur, quos claſſi ad militiæ

Maritimæ vires.

vſum

vſum impoſuere, ſed quemadmodum terra eos ferociſſimos eſſe, conſtat, ita mari nihili faciendos eſſe, compertum fuit.

Etſi in tam vaſto imperio, mandata magiſtratuũ executioni demandantur ſummo ſtudio, ac ſeueritate, neq; alicuius ſubditi ratio vlla habetur: ſummam tamen remigum penuriam patiuntur propter numerum ac frequentiam claſſium: imo conqueruntur omnes, neq; iniuria, quoniam pauci ex iis, qui claſſem aſcendunt, domum ſuam vnquam reuertuntur, quũ genus illud hominum maritimis incõmodis ineptum ſit, ac peſſime tractetur, ac proinde maior eorum pars cito moriatur, quodq; permagni intereſt, cum neceſſe habeant, quoties inſtruunt claſſem, remigum delectum nouum agere, ipſorum triremes armantur hominibus nouis, inexptis, maritimæ vitæ minus aſſuetis, vnde morbi, qui eos deſtruunt, proficiſcuntur. Eſt etiã genus hoc remigum abiecti, ac viliſſimi animi, quia in ppetua ſeruitute habentur, ideoq; triremes hunc in modum inſtructæ paruifaciendæ ſunt, numeruſq; ipſarum timendus non eſt, præſertim hiſce tẽporibus, quibus ſuperba opinio illa, quam Turcæ animis ſuis impreſſerant, ſe à Chriſtianis oppugnari, ac vinci non poſſe, ablata & abolita eſt: quinimo ipſorum animi timore adeo pculſi ſunt, vt cũ noſtratib. manum conſerere nõ audeant, fatentes, triremes ſuas noſtris inferiores eſſe omni ex parte, neque minus propter milites pugnæ idoneos, q̃ propter tormenta, aliaſque res nauigationi neceſſarias: & reuera nos vix in Hiſtriam auderemus eas triremes mittere, quas ipſi in longinquas partes, & ad q̃libet facinora mittũt, adeo inermes ſunt, & negligẽter inſtructæ: proinde in tota claſſe, etſi valde numeroſa, vix quinquaginta ſunt abſolutæ pfectionis triremes: quæ cũ inſtructæ ſint propriis Ducũ mancipiis, quę ſuarum diuitiarum fundamenta ſunt præcipua, ea periculo non libenter exponunt: alterum incommodum eſt, quod Duces eo magis abhorrent à prælio committendo, quo maius eſt imminens periculum, timorque, ne ſerui tumultuentur, atque deficiant.

Nautarum penuria.

Omnes Turcarũ prouinciæ à trib. hominum generib. incolũtur: Aſia & Africa à Turcis, multoq; magis à Mauris: qui vero Europã habitãt, eorũ maior pars adeo tyrannice habentur, eorumq; agri adeo deuaſtãtur, demũ in tanta abiectione, atq; rerũ omniũ deſperatione verſantur, vt eorũ opera Othomannis valde piculoſa futura eſſet. Quod cũ Turcas non lateat, ipſorum nullã habent rationem. Igitur Princeps aliis hominibus, q̃ his, quos diximus, ſtipendiarios eſſe, vti non poteſt: quod ſi ij deficerent, quo pacto eos aliunde reſtituere poſſet, haud exploratũ habetur: quãdoquidem eius imperium, vãſtum licet, incultũ eſt, & ſolitariũ, omnique ex parte debilitatum, iuxta Turcicum prouerbium;

Incola imperii quales.

Vbi Othomanicus equus pedem figit, in eo ſolo herbam poſthac nunquam amplius enaſci: & ipſimet fatentur, antiquam ſibi virtutem longe diminutam eſſe: ab initio ſiquidem hæc natio quælibet incommoda perferre poterat, vtpote quæ pauperrima erat, neque ſatis certas ſedes habebat; quæ duæ res induſtrios homines, & ad quæcunq; pericula promptos efficiunt: verum modo, cum illa Porta, tot debellatis regnis, tot ad ſeipſam diuitias attraxerit, communem imperiorum conditionem paſſa eſt, morum ſcilicet corruptelam, cum nihil militarem virtutem, armorumque gloriam retundet, obſcuretque, quam deliciæ, nimiæque commoditates, quemadmodum plurimis experimentis cognitum eſt. Hinc fit, vt modo Turcæ à bellis abhorreant, ita vt plerique, ne ad expeditionem aduerſus Ghimentitum, Alabragam, & Cyprum mitterentur, omnem lapidem mouerint, ingentiaque donatiua effuderint, cum vt periculum, & diſpendium effugerent, tum vt opum ſuarum commoditate fruerentur, ſperantes quoque, penes Portam ſe adulando plura meritu ros, quam procul arma tractando. Hæ igitur ſunt vires Turcarum, militeſque, quales deſcripti: de publico ærario nonnihil ſupereſt referendum.

Turcæ degeneres.

Opes Turc.

Communis opinio eſt, Turcam quotannis octo aureorum milliones exigere, ex quibus ſex tantummodo erogat, duos vero ſemper recondi: quæ res parum credibilis mihi viſa eſt, quia Rex ille in toto ſuo imperio nullas habet aurifodinas, & à ſuis miniſtris repugnantia intellexi. Illud quidem credendum eſt, Principi pecuniam deeſſe non poſſe, dum modo ærarium non dilapidetur, aut turbæ aliquæ excitentur, vnde reditus publicos exigere non liceat: qui reditus, vt aiunt, conſiſtunt in duobus millionibus Caracciorum, tribus millionibus, & quingentis millibus ex portoriis, & vectigalibus, computatis animalium emolumentis, item in quingentis millibus aureorum ex bonis locatis, demum vno millione ex cenſibus bonorum caducorum, quæ fiſco inferuntur. Id vero nemini mirum eſſe debet, quicunque conſiderat, omnes opes vt plurimum, & præcipuas diuitias, priuatorum hominum apud aduenas reperiri, vt poſtmodum explicabo. Præter hæc exigit Princeps centum ſexaginta millia aureorum ex tributis & penſionibus diuerſorum Principum: ſed quotieſcunque hæc fundamenta labarent, equidem non ſcio, vnde Princeps ille pecuniam conquiſiturus eſſet. Illud tamen verum eſt, ſi Turcæ, vt in cæteris, violentiam adhibere vellent, poſſe illos, præſertim Conſtantinopoli, multam pecuniam corradere, ſiquidem credendum eſt, eo loci ingentem vim auri atque argenti ob ſpolia tot regnorum congregatam fuiſſe: cum nuper contigerit, vt Roſtanus Baſſa quindecim milliones aureorum poſt mortem reliquerit, eiuſque vxor Stultanã quingenta millia aureorum in reditibus annuis habuerit.

Quod pertinet ad annonam, & commeatus; Imperium illud pacis & belli tempore iis plurimum indiget propter incuriam & negli-

gentiam imperandi: ſed contrariam ibi penuriæ cauſam obſeruare eſt, quam in noſtris regionibus comperitur: apud nos enim propter populorum multitudinem, & ſoli anguſtiam fit annonæ caritas: ſed apud Turcas, quia latiſſimæ regiones ſolitariæ ſiunt, & qui eas incolunt, plus ſoli excolere nolunt, quam quantum neceſſitati ſuæ ſatis futurum ſit, nempe ſcientes, ſuperfluum ſibi à Turcis ablatum iri, fertiles etiam campi remanent inculti, & vepribus obſiti, vnde annonæ defectus oritur. Hoc tamen verum eſt, cogi eos, quocunque iubentur, neceſſarios commeatus afferre.

Annona cur cara apud Turcas.

Cum hactenus de magnitudine illius imperii, de viribus, de opibus, de annona verba fecerim, nonnihil modo referam de iis, quæ ſecuritati ac munimento eiuſdem officere videntur. Imperium enim illud nulla ex parte ad neceſſarium belli vſum munitũ eſt: quod ideo forſitan euenit, quia muniendi ſcientiam non benecallent, & propter innatam genti auaritiam, aut verius propter nimiam ſui ęſtimationem, nimirum exercitibus ſuis fidentes adeo, vt aliis propugnaculis ſe indigere non putent, ac proinde imperium abſque inſigni arcium munimento conſpicitur. Quæ res Turcis eo magis neceſſaria videtur, quo populos pręſertim Chriſtianis Principibus finitimos, hoſtes habent, vtpote qui partim Chriſtianam religionem colunt, & plerique Turcarum ad Perſiam ſuperſtitionem deſciuerunt, Mauri quoque inter ſe de religione diſſident, vt ii pariter, qui Portæ aſſiſtunt: ad quam rem ſi miſeriæ atque ærumnæ, quas pati coguntur, addantur, non poteſt ab iis aliud expectare Princeps, quam vt aliquando deſperatione, quæ timidos quoque audentes perſæpe effecit, adducti, imperium eius vehementer concutiant. Idque ad primam partem, quæ potentiam Turcarum ſpectabat, enarrandam ſufficiat. Ad politiam modo explicandam deſcendo.

Munitiones nullæ Turcarum cur.

Gubernatio & regimen Othomanici Imperii totum eſt apud homines Chriſtianis ritibus olim initiatos: Diuerſis hi modis in ſeruitutem rapti, & in ſectam Mahumeti conuerſi ſunt: adducuntur autem Conſtantinopolim duobus modis: altero, quod mittuntur quotannis miniſtri ad delectum faciendum puerorum, qui filii ſint Chriſtianorum parentum, è quorum manibus vi abſtrahuntur, & Conſtantinopolim tracti illa ſupeſtitione imbuuntur, opumque & honorum ſpe allectantur: quod ſi huiuſmodi perſuaſio locum non habuerit, vis adhibetur: altero, quia cum ditiones, & prouinciæ capiuntur, plerique inducuntur, vt Turcicam religionem ſuſcipiant, quorum nonnulli Principi offeruntur. Ex hoc duplici genere adoleſcentum delectus alius fit eorum, qui pulchrioris ſunt aſpectus, corporiſque venuſtiorem formam habent: hi per diuerſa Principis clauſtra diſtribuuntur,

Delectus puerorum ad militiã quotuplex.

vbi variis educationibus, quas enarrare longum foret, innutriũtur. Hi pedetentim creſcentes maiorem dignitatis gradum obtinent, prout virtutem præ ſe ferunt, & bonæ fortunæ fauor iis adſpirat. ii vero, qui excluduntur ab hoc vltimo delectu, ſeruiliter & in laborioſis exercitationibus educantur, & ex veſtibus ſuis cognoſcuntur ab omnibus tanquam Principis mancipia: quum vero ad ætatem duorum & viginti annorum peruenerint, Ianizzerorum numero aggregantur: qui vero in Religione Chriſtiana perſiſtunt, ii miſerrimam vitam & ęrumnis plenam perpetuo agentes, catenati crudeliter ſeruiunt, vel tanquam remiges in claſſe, vel in aliis opificiis magno cum dominorum ſuorum emolumento. Aliud genus hominum, quam hoc, ex Chriſtianis parentibus oriundum, ad honores & ſtipendia admitti non ſolet. Hiſce tamen temporibus magna animorum offenſione, ac moleſtia irrepit conſuetudo, vt Turcarum filii fauoris cauſa admittantur: quæ res meo quidem iudicio haud mediocre imperio detrimentum paritura eſt; & pleriſque graue ac moleſtum eſt, vt filius aliquis primi Viſirii Sangiaccus eligatur, & quanquam nonnulli poſteros ſuos in honore relinquunt, tamen paulatim ita declinare cernuntur, vt minimo etiam gradu ſpolientur: ac proinde apud Turcas nulla nobilitas conſeruatur, nulla rerum humanarum experientia, nulla magnitudo opum, quia ab aliis magnatibus ſub diuerſo prætextu occupantur. Idcirco igitur ad regendam Rempublicam accerſuntur homines ignobiles, inexperti, abiecti, ſeruiles, primum ex natura ipſorum, deinde quia nullam habent notitiam Reipublicæ, nullam iuſtitiæ, nullam religionis, nutriti ſolum in luxurioſis affectibus, pleni libidinis & auaritiæ, ac præſertim addicti arrogantiæ atque ſuperbiæ vitio, quod in ipſis ob tot ac tantas euentuum proſperitates magis ac magis amplificatur.

Cur nobilitas pereat apud Turcas.

Per hæc tempora poteſtas ſuprema in Sultano, Selimo, Othomano collocata eſt, ſub quo rerum ſummæ toti atque vniuerſæ Reipubl. gubernandæ præfectus eſt Mehemeth Baſſa, primus Viſirius. In illo imperio alia non eſt auris, ad quam propoſitiones, reſponſiones, & mandata, nouitates omnes, quæ ex tot regnis nuntiantur, referantur. Ipſe ſolus omnia munera, omnes gradus, officia omnia & honores imperii totius, qui nihilominus infiniti eſſe videntur, diſtribuit: ſolus audit, ſolus conſulitur, & legatis reſpondet ſolus, omnibusq; regnis prouidet, omniaq; ipſe ordinat: ad poſtremum ab ipſo cuncta ciuilia, criminalia, politica dependent, neque aliud quam capitis eius conſilium attenditur. Attamen in tanta autoritate cum timore, ac ſummo reſpectu minimam quamque rem tractat, nempe quia variabilẽ Principis naturam, ſuosque æmulos Baſſas veretur. Qui omnes

Miniſtri vnius autoritas.

nunquam Principem alloquuntur, niſi quo tempore equitat, tūc enim ille modo vnum, modo alterum ad ſe vocat: ſed memoratus Viſirius ſemper & vbique eum alloquitur, præſertim in Diuano, hoc eſt, auditorio publico, in quo aſſident omnes Baſſæ non modo, ſed etiam cæteri illius Portæ miniſtri præcipui: cæterum Othomani Impp. conſueuere ab hominum commercio procul abeſſe, & cum nemine verſari, niſi cum Eunuchis, pueris ac mulieribus; quod genus hominum omni rerum mundanarum intelligentia caret, cum in iis clauſtris educatum neminem vnquam videant, aut cognoſcant, neq; enim cuiquam hominū licet clauſtra illa ingredi, ſed ſi aliquid agendum eſt, per ſchedulas ſingulis momentis tractari poteſt, quibus per alias ſchedulas ſtatim Princeps reſpondet.

Impp. Turcarum ſolitarii, & quomodo agant negotium.

Turcicum Imperium nulla inſtituta legesq; habet, quibus iuſtitia, & reſpub. ac religio gubernetur, præterquam vnum Alcoranum. Ideo ſicuti opes & arma in manibus eorum ponuntur, qui Chriſtiana religione imbuti fuere: ſic lex, eiuſque interpretatio apud eos repoſita eſt, qui ab origine ſua Turcæ ſunt. Hi vero filios ſuos inter Moſchæarum, hoc eſt, templorum ſeruitia educant, vbi Alcorani dogmata docentur, poſtea adulta ætate Cadi, quaſi Prætores creantur, iuſtitiamque adminiſtrant, etſi executio apud eos eſt, penes quos ius armorum viget. Verumenimuero vt aliquid de ipſorum religione attingam, dico, etſi pauci ſunt ii, qui Mahumetanam Religionem veram eſſe opinantur, eademque diuerſas apud illos interpretationes recipit, Turcæ nihilominus mordicus retinent cerimonias, conſuetasque preces pauciſſimi omittunt, & nemo ieiunium quotannis menſtruum, quod Romadan vocant, non obſeruat. Religionis ſuæ caput, & ſummum interpretem habent Meſſti, qui à Principe diligitur, vir præcipuæ integritatis atque ſapientiæ. Hic apud Turcas in maxima eſt veneratione, tantæque autoritatis, vt quoties nonnihil deciderit, Princeps ipſe nolit illud retractare: hic idem in qualitate ſeſe immiſcet re, ſiue ea ciuilis ſit, ſiue criminalis, ſiue etiam ad Rempublicam adminiſtrandam pertineat, ea tamen conditione, vt ex ſe ipſo nihil imperet, ſed vnicuique liberum ſit, cum aliqua vertitur difficultas, ab eo reſponſum petere breui aliqua facti narratione in papyro exarata: ſuper qua ipſe iudicium ſuum interponit, quod Zetfa appellatur: quod ab altero litigantium, ſi coram iudice ordinario producatur, cauſa per ipſum terminatur iuxta tenorem Zetfa, ſi modo facti narratio veritati congruat. In rebus politicis deinde Princeps eiuſdem autoritate vtitur, vt ſe iuſtum, ac religioſum oſtentet: ipſius enim petit reſponſum cum de bello hoſtibus inferendo, tum etiam de cæteris quibuſcunque rebus,

Alcorani interpretes.

Summi Antiſtitis autoritas, & veneratio qualis.

quæ ad imperium ſpectent: quo ſc. religionis medio ſubditos diſponit promptius ad ſua iuſſa peragenda. Id tamen non ignorandum eſt, hanc Mofftim perpetuo adulari Principi, & ad eius placita opinionem ſuam accommodare, ſuasque ſententias ex temporum opportunitate immutare: adeo vt hic homo non infructuoſum futurus ſit inſtrumẽtum ad Principis voluntatem quocunque libet, pro rerum neceſſitate diſponendam.

Hæreſes Turcarum.

Porro ipſorum religio in varias opiniones diſcreta eſt, nõ modo inter Othomanos, Perſas, & Arabes, ſed in ipſo Turcarum imperio inter eoſdem populos ſubiectos; poſſumusq; aſſerere, opinionem illam, quæ hodie ceremoniis retinetur penes portam Othomanam, ad eos rantummodo Turcas redigi, qui Europam habitant, quia in Aſia, & in tota Arabia, intrinſecus Arabicæ opinioni adhærent, etſi Mauri, Syriaci, & Ægyptiaci nonnihil cum Perſis differunt, ſed cum Turcis vel maxime diſſident. Quæ res Othomanis magnum terrorem incutit, nimirum dubitant, vt belli tempore aduerſus Sophum in partibus illis notabilis aliqua defectio detegatur. Verum præter has omnes in illud imperium, ac præſertim in eam partem Europæ, quæ à Chriſtianis incolitur, alia periculoſa inducta eſt opinio, quæ noſtræ ſimillima eſt; nam Chriſtum Deum, ac Redemptorem hominum prædicant: quæ opinio in animis multorum tales egit radices, vt plerique Portæ magnates eandem foueant, & nonnulli incredibili conſtantia propter eandem opinionem mortem non refugerunt: adeo vt ſi aliquando inter populos illos hac de cauſa tumultus aliquis excitetur, equidem haud paruo ſedaretur negotio. Vt vero religionem ſuam tueantur, aiunt, ſolo enſe ſibi diſputandum eſſe cum infidelibus: contra quos ipſis conceditur ſine intermiſſione bellum gerere, donec ſubiugentur, & donec fidem Mahumeti ſuſcipiant, aut fiant tributarii.

Noua opinio Turcarum.

Diſputatio Turcarum qua.

Prohibentur etiam lege, ne vnquam locum hoſti reſtituant, quem ferro ceperint, & vbi Moſchæas ædificauerint, preceſque ſuas recitauerint: quibus, ex religione deſumptis, locutionibus illa natio ſemper vtitur ad imperium ſuum amplificandum. Ex quibus poteſt hic Senatus excellentiſſimus ope ſuæ prudentiæ introſpicere cogitationes iſtorum hominum religione abutentium, vt populos ad onera bellica patienter ſuſtinenda audientes habeant. Neque tamen prætermittam Serenitati Veſtræ ſignificare, cum hæc Reſpublica memorabilem nuper victoriam obtinuiſſet, & imperium illud declinari animaduerteretur, Turcas ipſos profeſſos fuiſſe, quamcunque ſe fortunam libenter toleraturos; videlicet ſperantes, meliori conditione ſe Chriſtianis parituros: Credendumque eſt, in Syria, & in Ægypto Mauros

eiuſdem

eiuſdem eſſe animi, præſertim quia experti ſumus, ob nimiam Turcarum tyrannidem Aſiaticos Mauros defeciſſe, Africanos vero libentius Chriſtianis, quam Turcis adhæſiſſe, & nihilominus Mahumeto addicti omnes ſunt: adeo mores ipſorum intolerandi exiſtūt, quum nihil, niſi regnorum, ac prouinciarum euerſionem, curent.

Hæc tamen regiminis forma ad imperii propagationem permultum prodeſt; quia cum ſubditi omnes abiecte, & mancipiorum more educati & inſtituti ſint, tanta inter eos viget diſciplina, & obedientia, vt nihil magis; nimirum vehementer mouentur premii ſpe, & pœnæ formidine, cum omnes pœræque mancipia ſint vnius Domini, à cuius nutu vita, patrimonia, honores ipſorum dependent. Quare nihil aliunde auxilii ſperantes, omnes ſuas cogitationes ad præſtanda Domino obſequia conuertunt. Hinc quoque ipſorum obedientiam adiuuat finium imperii amplitudo, in quo cum nulla peculiaris iuriſdictio includatur, nequeunt ii, qui delictum aliquod committunt, facile ſalutem quærere, vti in noſtris regionibus aſſolent delinquentes: quin etiam præter finium longinquitatem inde quoque augetur difficultas; quoniam finitimi Principes religione, & animo a Turcis valde alieni ſunt; ac proinde ab iis nullam profugi opem expectare queunt, ideoque inter Turcas perrara fiunt homicidia: tametſi enim iniuria ſeſe afficiunt, & mutua ſibi infligunt verbera, iramque ſuam primis illis animi motibus fuſte explent, tamen momento illo præterito omnium obliti eſſe videntur. Fruitur quoque imperium altero ſecuritatis, atque vtilitatis non minori priuilegio: neque enim permittunt, vt magnatum familiæ in honoribus & autoritate ſucceſſionem obtineant: ideoque cum & iuriſdictione & clientelis careant, poteſt ille Princeps in vtramque dormire aurem, quod nunquam ſubditi defecturi ſint, cū omnes defectionum autores remoueantur. Inde fit, vt quoties Baſſæ, & primi quoque Viſirii odorantur, mortis ſuæ ſententiam ſtabilitam eſſe, poſthabito omni fugæ remedio, ex ſe ipſis deſtinato ſupplicio ſeſe offerant. Ex hac imperii ſolitudine aliud quoq; beneficium reſultat, quia cum vndequaque incultum ſit, & ſolitarium, quiſquis eas regiones terra inuaderet, magnum experiretur incommodum, quod is exercitum difficillime ſuſtētare poſſet, niſi commeatus aliunde comportaret, longeque maiores, quam ii ſunt, quos Turcæ præparant, quoties caſtra mouent. Illud autem pro certo habendum eſt, nihil magis eidem imperio aliquando nociturum, quam ſui in ſe ipſo incredibilem confuſionem.

Delinquentes non adeo facile ſeruantur, vt apud Chriſtianos, & cur.

Difficultas inuadendi Turcicum imperium.

Iam tempus adeſt, vt quo pacto erga cæteros Principes affecti ſint Turcæ, aut hi viciſſim erga illos, Serenitati Veſtræ refe-

ram. Idcirco a Pontifice exordium capiam, etſi de hoc pauca dicenda ſint, cum inter ipſos nulla ex finibus, aut commercio controuerſia vertatur, neque opes & imperium ipſius apud Turcas plurimi fiat, quamuis non ignorent, ipſum poſſe auctoritate nominis ſui cæteros Principes coniungere. Quoad Imperatorem, optime cognoſcunt, illius vires minimum valere; neq; enim minus à nobis, quam à Turcis ſciuntur Germaniæ diſſidia propter religionis varietatem, aliiſq; de cauſis, ideo ipſum paruifaciunt. Veruntamen credendum non eſt, Principem hunc aduerſus Imperatorem arma moturum, cum propter Imperii Turcici imbecillitatem, & opinionum nouitates, tū etiam, quia regiones Turcarum adeo deuaſtatæ ſunt, vt aggredi hoſtem difficillimum factu ſit, docente experientia, propter minimam aduerſitatem cogi eos receptui cauere, quemadmodum ſæpe Sultano Solimanno accidit in bello Perſico, & Hungarico. Quod pertinet ad amicitiam, quam cum Rege Chriſtianiſſimo Turca colere dicitur, nō eiuſmodi eſt, cuiuſmodi eam eſſe quidam putant, ſiquidē in rebus honeſtis perſæpe non ſolum non ei obſequuntur, ſed in iuſtiſſimis etiam rebus maxima iniuria ipſum afficiunt: præterquā quod paulo antea Princeps ille mentem ſuam erga Regē Galliæ ſatis manifeſtauit, dum de Polonorum rege eligendo ageretur: nunquam enim fratrem Regis eo pacto, vt regebatur, promouere voluit, imo curauit, vt Poloni Regem ex ſe ipſis eligerent aliquem. Illud tamen certum eſt, cum timerent Turcæ, ne electio in domum Auſtriacā vergeret, aut ad Moſchum; tunc minus malum eos putauiſſe, vt Andegauenſium Dux eligeretur, ipſumq; literis tunc ſuis commendauere, ſed eum in modum, vt Galli minus moleſte laturi fuerint, ſi eum non commendauiſſent: nā præterquam, quod ſatis frigida erat commendatio, ſub conditione adhuc ſcripta erat; ſiquidem Polonos hortabantur, vt ex ſe ipſis regem eligerēt, ſin vero minus id fieri poſſet, Chriſtianiſſimi regis frater commendabatur, & huius officii expeditionem adeo procraſtinauerunt, vt iam eius Maieſtatis frater electus fuerit, antequam perueniret epiſtola. Regē Catholicū Princeps ille minoris facit, cū quia Tunetum receptum eſt, tum propter Belgicos tumultus, tum etiā quia nō ignorat, Regem difficile claſſem parare poſſe, quæ ſuæ ſuperior ſit. Rex Poloniæ, quia ſatis numero poſſet equitatu, plurimi fit à Turcis, etſi viciſſim Turcæ Polonis inferre damna poſſunt, ideoque Poloni Turcicum Imperatorem valde verentur, eo magis, quia cum fines communes habeant, Turcarum excurſiones pertimeſcunt, ſiquidem ex iis pecudes & armenta, homineſque abripiuntur; Ad quæ damna effugienda, aduerſus Turcas dexteritate vtuntur, & officioſe tractant. Moſchus vero apud Turcas maiorem habet exiſtimationem, quia poten-

Cum Principibus cæteris quomodo conueniant Turca.

Moſchi exiſtimatio

potentior princeps eſt, vnde cum Othomannis res ſuas imperioſe agit; nempe populis ſuis confidit, qui & numero & virtute plurimum valent, eum ſiquidem 150. equitum millia in campũ educere poſſe, dicunt. Hæ Moſchi vires & fœdus, quod cum Perſa iniuit, quemadmodum Turcæ cum Tartaris iniuere, ipſum validiorem, & maiore dignum reſpectu efficiunt, quia ſi aduerſus eum arma mouerentur, Perſæ quoque accurrerent, & coniurarent, quemadmodum me degente Conſtantinopoli compertum eſt: tunc enim Turcæ tentauerunt, vt Volga fluuius per foſſam duceretur in Tanaim, quo commodius cum Moſchis cõmercia agitarentur; quæ res profecto maximæ fuiſſet vtilitatis: ſed reuera Turcæ id effecerant, vt ſuæ claſſes in mare Caſpium adduci, & tota Perſia inde infeſtari poſſet: eoq; pacto ituri contra Sophum eas tollerent difficultates, quę ex longis itineribus neceſſario terra ſuſcipiendis patiuntur. Per hæc tẽpora inter Moſchos & Turcas, neque pax, neque bellum viget, meoque iudicio conduceret huic Reipub. ſi Moſchorum principi ſeſe beneuolam exhiberet, cum per ipſum Regis Perſarum amicitia facile obtineri poſſit. Hic rex inter omnes Principes apud Portam, hoc eſt, aulam Imperat. maximam habet nominis exiſtimationem, non ſolum quia plurimum poſſe creditur, cum propter latitudinem finium, quos cum Othomannis communes habet, tum propter Moſchorum auxilia, ſed etiam propter altiores cauſas: nam omiſſis difficultatib. quas ambo illi Imperatores in tractando bello experiuntur ob locorum difficultatem, obque deſerta loca interiecta, per quæ exercitus duci nequeunt, niſi ingenti commeatu præparato; ad illas explicandas opes deueniam, quas Perſæ aduerſus Othomannos in promptu habent.

apud Turcas.

Moſchus & Perſa fœderati.

Serenitas veſtra non ignorat, quantæ in animis hominum religionis vires exiſtant: ſcit etiam, poſt Maumethis mortem, legẽ ipſius à quibuſdam diſcipulis ſuis interpretatam fuiſſe: ex quibus interpretationibus hæreſes ortæ ſunt; quarum maior fuit, quam Aly eiuſque aſſeclæ induxere. Hanc Aly opinionem non ſolum Perſæ omnes ſequuntur, quamquam inter ſe diſcrepant, ſed omnes fere Othomannici imperii prouinciæ eandem retinent: ideoque tanto rerum momento Perſis addito, cum populi illi valde ſint addicti ſuperſtitionibus, Chriſtianis Principibus adprime conduceret cum Sopho artam amicitiam conſociare, eiuſque animum ita diſponere, vt belli communis neceſſitatibus arma prompta haberet, eſſetque id ante ipſum diſcrimen cogitandum, atque exſequendum. Similes diſſertiones dilatare poſſem ad alias quoque nationes, ad Tartaros ſcilicet, Georgianos, Scythas, denique ad reges Africanos, alioſq; ampliſſimo huic imperio finitimos: verum quia maius inde tædium, quam

Perſarum hæreſis exoſa Turcis.

vtilitas caperetur, ſimilia prætermittam, vt demum qua in exiſtimatione ſit penes Portam hoc Sereniſſimum Dominum, & quo pacto ea ſeruari & augeri queat, recenſeam.

Duplex imperii fundamentum

Nullum dubium eſt, Excellentiſſimi Patres, duo eſſe præcipua fundamenta, quibus imperia conſeruantur. Alterum quidem opes ſunt, ac vires, tanquam eiuſdem verum fundamentum: at exiſtimatio tantùm in ſe habet auctoritatis, vt ſæpe accidat, ipſa deficiente, opes quoque ipſas, ac potentiam labaſcere, & ad nihilum redigi: at ex aduerſo; potentia ab exiſtimatione, ac maieſtate tantum incrementi recipit, vt maioribus principatibus ex rebus geſtis æquiparetur. Hæc exiſtimatio ſuſtinetur præſertim prudenti negotiorum tractatione: ideo ad hanc rem id addendum mihi videtur, ſi quid ante hac Turcæ de hoc Domino noſtro honorifice ſentiebant, antequam bellum mouerent, eam ipſorum ſententiam innixam fuiſſe magis vtilitati alicui, quam exiſtimationi, aut notitiæ, quam haberent virium noſtrarum: quo profecto imbecilles illis videri poterant, dum multis abhinc annis nihil experti ſunt, vnde nos viriliter ſecum acturos, ſuſpicari poſſent: hæc autem opinio eo firmius animis corũ inſederat, propterea quia noſtra negotia incredibili verecundia cum illis tanquam potentioribus agebamus, quaſi imperii illius labes, & imperfectio nobis lateret: rurſus res noſtras humiliter agebamus, & offerebamus: quo inſtituto naturalis ipſorum ſuperbia excreſcebat, vt ſperare auſi fuerint, ſimplici petitione ſe Regnum Cypri a nobis obtenturos: quandoquidem in rebus agendis Turcarum mos eſt, vt eo magis quempiam conculcare nitantur, quo ſe ei ſuperiores eſſe, magis animaduertunt. At diuerſo more cum ilis agendo, melior agentium fit conditio. In mentem venit, ſcripſiſſe me nonnunquam, cum Turcis agere, atque tractare negotia, perinde eſſe, ac ſi vitrea pila ludatur, nam ſi vnus violenter illam proijciat, non eſt ab altero pari violentia repercutienda, alioquin frangitur; ſed dexteritate capienda eſt, & ſcite remittenda. Si quis iuxta ſuperbiam & arrogantiam Turcarum reſpondeat, is gladio ignem fodicat. Rurſus ſi quis ipſorum arrogantiam indignitate nutriat, agatque demiſſis animis, id nihil aliud eſt, quam eundem ignem lignis, & oleo augere: ſed ſi audacter loquare, illud equidem Reip. vel maxime profuturum eſt. Vtque alium Turcarum morem non prætermittam, addo, inter ipſos donatiua adeo in vſu haberi, vt abſque illis quicquam obtineri nequeat. Hoc autem agendum erit cum dignitate: ideo erga quos, & quomodo ſtylus hic ſeruandus ſit, diſtinguam breuibus. Tres ſunt, quatuorue penes Portam illam miniſtri, quibuſcum neceſſario pro quolibet negotio agendum eſt. Hos laudarem, extraordinariis aliquibus munuſculis detinẽdos eſſe, ſed

Arrogantia Turcar.

oppor-

opportune, ac prudenter. Et hæc, Sereniſſime Princeps, de Turcico Imperio Serenitati Veſtræ habui referenda.

TVRCICVM IMPERIVM AN INSVPERABILE,

DISCVRSVS VIGESIMVS OCTAVVS.

ETſi teſte Ariſtotele, nihil violentum durabile, vnde ſequeretur, Turcarum Imperium, quia tyrannicum eſt & violentum, durabile non eſſe: tamen experimento, naturæque rationibus comprobatur, eiuſmodi imperium non modo perduraturum, ſed etiam ex ſeipſo inuictum fore. Quæ res antiquarum hiſtoriarum exemplis, neque minus recentibus teſtimoniis clariſſime apparet: legimus enim, Iulium Cæſarem virtute ſua ac militari violentia, inuito Senatu populoque Romano, ex ciue Imperatorem ſe feciſſe, qui etſi poſtea à coniuratis interfectus eſt, nihilominus imperium ac principatus eius, quanquam ab initio tyrannicus per multa ſecula manſit, quo vſque legitime in Cōſtantinum peruenit, qui primus Chriſtianus Imperatorum fuit. Pari quoque ratione Philippus Vicecomes Dux Mediolani ſine filiis maribus defunctus Blancam filiam ſuam extra matrimonium ſuſceptam reliquit, quam duxit vxorem Franciſcus Sfortia Sfortiæ Attendoli filius, ſuorum temporum celeberrimus Dux: tunc Senatus Mediolanenſis ob Philippi mortem libertatem ſuam reſumpſerat, ſed poſt multas denique controuerſias Franciſcus Sfortia, quem memorauimus, virtute ſua Ducatum illum occupauit: & quanquam Galeacius Maria eius filius & ſucceſſor coniuratione quorundam Mediolanenſium Patriciorum interemptus fuiſſet: nihilominus permanſit Principatus ille ad noſtra tempora, quouſque Franciſcus Sfortia de illo teſtatus eſt. Sic nihilominus principatus adhuc perſeuerat ac perſeuerabit, quouſque diuinę placuerit prouidentiæ, cum tamen in eiuſmodi imperiis nunquam deeſſe ſoleant proceres, virique primarii, qui perpetuo ſtruunt inſidias, videntes, ſe bonis, dignitatibus & honoribus ſuis, quibus etiam antiquitus maiores ſui fungebantur, ſpoliatos eſſe.

Verum Imperium & Pontificatus Turcarum, etſi tyrannicus & violentus eſt, nihilominus paulatim plurimorum ſpatio ſeculorum excreuit auſpiciis Othomani, à quo duce familia Principum & Regum ſumpſit exordium.

Hic Othomanus virtute atque ingenio ſingulari, anno milleſimo trecenteſimo, congregatis viris, opibuſque bella gerere cœpit, adiutus præſertim Nemphiticis militibus, idque moris inſtar Cyri habebat, vt illis hoſtium ſpolia diuideret, neque modo prædas, verum etiam ditiones ac prouincias partiebatur, ipſoſque ad ſe legis ad vitam liberiorem ducentis illecebris attrahebat: adeo vt victi populi nullam hac maiorem fœlicitatem inueniri putantes, certatim ad ipſum concurrerent, ſeſeque eidem libenter ſubiicerent. Quem morem Othomanus, quoad vixit, eiuſque ſucceſſores deinceps retinentes, imperium ſuum ad eam quam cernimus, amplitudinem propagauere.

Hoc autem eo diutius perſtiturum eſſe cenſendum eſt, quia Princeps Turcarum neminem per hæc tempora ſibi habet æqualem, quive ad Principatum adſpiret, exceptis filiis ſuis, qui nonnunquam tam procul ab Imperatoris conſpectu amandantur, vt ſibi ab iis cauere, quod cæteri omnes Principes faciunt, neceſſe non habeat. Ad hæc eius ſubditi ac præcipui miniſtri, cum aut Turcæ natiui ſint, ſed qui Chriſtianam religionem abiurauerunt, alienigenæ, abſque conſanguineorum notitia, ex paupertate erecti ad diuitias, opes & honores eiuſmodi, vt ſi priſtinam religionem reſumere vellent, pro certo habeant, nuſquam gentium ſe poſſe tantam dignitatis amplitudinem conſequi; ideo Princeps ab omni ſuſpicione vacuus dominatur; neque natiuis Turcis eiuſmodi auctoritas vnquam conceditur, ex conſtitutione ipſorum legislatoris, qui Chriſtianis abiuratis Reipublicæ adminiſtrationem maioraque negotia commiſit: natiuis autem Turcis iuſtitiam criminalem atque ciuilem commendauit, quia ſcilicet ii propter Idioma, literaſque Arabicas huic adminiſtrationi aptiores exiſtunt, hique Cadi nuncupantur. Hucuſque valida ſatis argumenta protuliſſe mihi videor, vnde quiſquis breuem hanc diſſertationem perlegerit, facile poterit intelligere: an Turcicum imperium vinci poſſit, nec ne: Adhæc autem vitæ libertas addi poteſt, quæ quidem nimis hominem allicit; vidimuſque ac quotidie videmus innumeros, qui relictis parentibus, patrimoniis & patria ad Lutheranos deſciſcunt.

Iterum oſtendi poteſt, imperium hoc inſuperabile eſſe, propterea quod inquit Ariſtoteles, virtutem vnitam fortius ac citius operari, quam diſgregatam: verbi gratia funale accenſum comburet magis, quam candela, aut ipſius funalis ignis, ſi diuidatur. Quod cum ita ſe habeat, ſequitur, Turcicam potentiam, quæ vnita & maxima eſt, poſſe vehementius ac velocius operari, quam Chriſtianorum

poten-

potentiam, quæ inferior & minor eſt, cum illa ab vno duce, cuius iuſſa promptius audiuntur, dep[illegible]eat: Contra, Chriſtianorum potentia, quia diſgregata eſt, & diuerſos habet principes, eadem celeritate & vehementia nequit ſeſe Turcarum offenſam expedire: ac proinde ab eorum exercitibus & claſſibus facilius ſuperamur. Quod ſi quis obiiciat, nuper ad Echinadas inſulas eos, quamquam plures & vnitos, à noſtris diſgregatis viribus debellatos fuiſſe, reſpondetur, id non Chriſtianorum virtutem, ſed merum fuiſſe Dei miraculum: qui eo tempore ſe exercituum dominum eſſe, & cuicunque ſibi libitum eſt, victorias elargiri, oſtendere voluit. Id autem compertum eſt ex eo, quia nemo neſcit, quanta difficultate claſſes Pontificia, Hiſpanici, & Veneta coniunctæ fuerint, & in quo terrore verſaretur vrbs Venetiarum; quæ quidem præcipuum eſt aduerſus Turcas propugnaculum; & poſtquam ſociatæ fuerunt claſſes, quot inter Generales præfectos diſcordiæ ortæ fuerint ob ſceleſtos illos homines, qui ſupplicio affecti ſunt: cuius rei fuſior mentio habetur in eo diſcurſu, quo allegantur iuſtæ cauſæ, cur Veneti ad pacem cum Turcis ineundam adducti ſunt, non obſtante fœdere. Nemo etiam ignorat, exploratorum vitio factum fuiſſe, vt nauale certamen committeretur, vtriuſque enim partis exploratores retulerant, minorem eſſe nauigiorum numerum, quam vtrinque habebatur: omnes ſciunt, Chriſtianam claſſem ex Alexandræo portu ſoluiſſe, ne eam Turcica inuaderet, quo facto & victa & diſiecta fuiſſet; Turcicam autem ad eum portum conuolaſſe, vt eam caperet, vel ſaltem perterrefaceret.

Neminem denique fugit, quanto peior erat Chriſtianæ claſſis conditio, dum Turcica expanſis velis, vento propitio, ſole poſt terga relicto, maiore, vt oculis omnium cernebatur, numero nauium, Chriſtianos aggrederetur: quæ res omnino victoriam Turcis attuliſſent, niſi Chriſtiani Deo fidentes, & ſanctiſſimo crucis ſigno ſeſe munientes, ſublato in honorem Dei clamore, obuiam iuiſſent hoſti. cui mirandum in modum ventus, inuerſus eſt, malaciaque ſumma facta, nube ſol opertus, qui prius aciem Chriſtianorum lædebat; denique Chriſtiani memorabilem poſt hominum memoriam conſecuti ſunt victoriam: quam quia, tanquam diuinitus immiſſam, non ſuſceperunt, oſtendit Deus, non viribus & cauſis naturalibus Turcæ obſiſti poſſe; ſed ſolis ſupranaturalibus, quæ à Deo dependent, eundem debellari poſſe, vt dicetur inferius. Ex quibus ſatis perſpectum eſt, num viribus noſtris, an cœleſtibus Turca miniſter, & flagellum Dei vinci queat.

Poſt adeptam hanc victoriam Chriſtiani ſequenti anno viribus ſuis bellaturi (& hinc cognoſcetur, an vires vnitæ diſgregatis for-

tiores ſint, & an vehementius opetentur) inter ſe conuenerant, vt menſe Martio ad Corcyram omnes Chriſtianorum claſſes congregarentur, quo Turcicam tempeſtiuè laceſſerent, ideoque Veneti maximo cum damno diu fœderatos expectauerunt: at Hiſpanicæ triremes non modo ſtatuto tempore non acceſſerunt, verum præſidium illud nauium ac triremium, quod ad Corcyram miſſum fuerat, reuocatum eſt: ac proinde claſſis Veneta cum Pontificis claſſe coniuncta, neglecto Hiſpanorum ſubſidio, obuiam Turcicæ claſſi procedendi conſilium cepit, in quam cum incidiſſent, neminem fugit, quantopere Duces Generales Pontificis, & Venetorum inter ſe diſſenſerint: quæ fuit cauſa, cur prælio omiſſo, altera victoria de hoſtibus non reportaretur: quæ quidem facile obueniſſet; quia Turcica, quam Chriſtiana claſſis eo tempore imbecillior erat. Quare igitur id ita contigit? huic interrogationi reſpondeat, qui cauſam ſcit, aut quiſquis actæ rei interfuit. Ideo profecto contigit, quia Chriſtiana claſſis non vnius erat, & quia Deus largitor eſt victoriarum. Quod ſi quis forte diceret: ſi tunc Hiſpana claſſis adfuiſſet, fortaſſe eiuſmodi controuerſias non interceſſuras, & prælium commiſſurum fuiſſe; reſpō deiur, paulo poſt iterum contigiſſe, vt vnitis noſtris claſſibus hoſtes ſeſe obtulerint, cumque ſe multo inferiores viderent, fugam cœpiſſe, & ad littora Methonis, derelicta claſſe, terga vertiſſe. Quid igitur tunc temporis hoſtes ſeruauit, niſi Principum Chriſtianorum Duces, qui inter ſe diſcordes conſilia ſua in diuerſum diſtrahebant: adeo vt ſi Chriſtiana claſſis vnius Ducis fuiſſet, prælium commiſſum foret, neque cladis Turcicæ nuntius ſupereſſet, & ad illud tempus fortaſſe Turcica potentia finem reperiſſet: verum noſtræ diſcordiæ, vel potius peccata noſtra eripuerunt nobis tam opportunam victoriæ occaſionem, quæ quidem felicitate ac magnitudine priori victoriæ locum non conceſſiſſet.

Quod profecto diuino permiſſu factum eſt, vt pateat omnibus, Turcicum imperium non ſolum viribus ſuis, & naturalibus rationibus perſeueraturum, ſed etiam ad noſtra ſcelera expianda inſuperandum fore, niſi cauſæ ſuperueniant cœlitus immiſſæ, hoc eſt, vera non ficta Chriſtianorum charitas, qui fide, ſpe, & timore Dei inſtructi, pro eius diuina Maieſtate & exaltatione ſuæ S. fidei ſolummodo pugnare decernant. Quæ quidem res aliquando, Diuina fauente Clementia, afflictæ Chriſtianorum Reipublicæ concedetur, vt ſuccedat Euangelicum illud:

Tunc fiet vnum ouile, & vnus paſtor.

DE

DE BELLO TVRCIS INFERENDO,

DISCVRSVS VIGESIMVSNONVS.

TVRCARVM Imperator ſuperiori Perſico bello fertur ſexcenta hominum millia amiſiſſe, præter eos, qui peſte Conſtantinopoli, aliisque morbis extincti ſunt. Item omnibus fere Conſiliariis, Ducibus ac Præfectis rei militaris priuatus eſt: & quotidie, velut abiecta harum regionum cura, Præſidiarii hinc ad Portam (Aulam Imperatoris) euocantur; quod plane inuſitatum antea, hoc demum anno 1585. fieri cœpit, quando ex Peloponneſo Dalmatia, Hungariá alio abduci cœperunt, quum antea ex aliis locis huc ſummitterentur. Id quod manifeſtum eſt indicium, Turcarum Sultanum militaribus copiis iam male eſſe inſtructum, quamuis eius imperium quam latiſſime pateat, ac ſubditi omnes ad nutum præſto eſſe, & ad quamcunque militiam proficiſci cogantur. Sed & aliud non minus perſpicuum inopiæ huius argumentum illud eſt, quod Ochialis ad armandam claſſem, quam in Mare nigrum (Pontum Euxinum olim) deduxerat, viliſſimos quoſque conſcripſit, & Græcos etiam multos inuitos ſecum abduxit.

Menſe Octobri Conſtantinopoli Azamogliani in Ianizzaros tranſcripti ſunt, quamuis nec ætate, nec vſu ad eam militiam adhuc eſſent apti. Eodem anno Oſman Dux vniuerſi exercitus eſt renunciatus, & edictum publicatum, vt munus aliquod & officium militare petiturus, Oſmanem accederet, eiuſque interceſſionem impetraret: nec enim vllum cuiuſquam libellum in Porta receptum iri, quem ipſe manu ſua non conſignaſſet. Præterea ad Ianizzarorum ordinem adſcripti ſunt è Turcis nati, contra quam ab antiquo fieri conſueuit: ſiquidem non niſi ſingulari quadam gratia Ianizzarus fieri poterat, qui Chriſtiano patre, & quidem in Europa non eſſet prognatus. Menſe Martio Spachii militiam omnem detrectarunt, niſi Sultanus ipſe vna proficiſceretur. Quamuis autem ea inſolentia inſigni aliquo exemplo merito fuiſſet reprimenda: Sultanus tamen, multum de ſolito faſtu remittens, decretum fieri paſſus eſt, vt ne poſthac Spachii Oglaſi, id eſt, qui ad Portam excubant, ſine Imperatore expeditionem ſuſcipere cogerentur.

Per id tempus Auſtriorum Archiducum milites Oſtrozanchi

Croatiæ oppidum cœperunt; Viſcuchi vero ipſa D Ioannis vigilia Broazzi arcem (forte Durazzo, quæ olim Dyrrachium) cremarunt: dum interim Sultanus ipſe ſub matris imperio gynæcei voluptatibus ſeſe oblectat, omnium imperandi artium peritia deſtitutus, morbo etiam caduco grauiter vexatus.

Hinc velut in furorem actus Maleſſana plerunq; conſilia amplectitur, vt nuper Anno M.D.LXXIX. quãdo omnes Iudæos, deinde Anno 1584. quãdo oẽs Chriſtianos Conſtantinopoli habitantes interfici iuſſerat: quorum primũ auro præſentatio Imperatoris Matri & Ianizarorum Agæ numerato diſcuſſum fuit & in ridicu'am legem commutatum, vt ſcilicet poſthac Iudæi omnes loco Ci aris (quem Turbant vocant) pileos flaui coloris, Hebræis Medicis antea tantum vſitatos, geſtarent. Alter ille in Chriſtianos furor caſu magis, vel potius Dei auxilio, quam hominum conſilio fuit ſedatus, quod facta inquiſitione in Chriſtianorum ædibus nulla arma fuiſſent reperta, quorum metu ille tyrannus hac ratione liberare ſe volebat. Vnde quibus furiis agitetur facile, intelligi poteſt.

Et hæc quidem omnia credibile eſt, certo Dei conſilio ita euenisſe, ad excitandos Chriſtianos Principes, vt tandem aliquando de iugo tam immanis tyranni, qui & corpora & animas miſerrima premit ſeruitute, excutiendo, cogitare ſerio incipiant. Licet vero tantæ ſint Turcarum in Deum & religionem noſtram contumeliæ, vt nihil fieri poſſit indignius aut blaſphemius; tanta etiam damna, quę Chriſtiani quotidie ab eis patiuntur, vt vix quidquam homini contingere poſſit grauius aut acerbius, & quibus merito Chriſtiani cu uſque ad profligandam tantam peſtem animus inflammari debeat: vix tamen ac ne vix quidem, niſi animus me fallit, res vnquam eo deducetur, vt inter Chriſtianos Principes tale, quale pius & rei Chriſtianæ iuuandæ ſtudio flagrans animus exoptat, fœdus percutiatur. Mihi quidem præſentem rerum ſtatum conſideranti ita videtur; ſi Chriſtiani Principes, ac ii inprimis, quorum ditionibus Turcæ proximi ſunt, modica pro ſuis quiſq; viribus conferrent auxilia, fore, vt quod multo olim maioribus viribus perfici forſan non poſſet, multo iam minoribus perficiatur.

Qui vero Turcis bellum inferre velit, cum tria inprimis ſpectare oportet: Primum, vt certum aliquem locum aut regionem, vbi arma experiatur, determinatum ſibi & conſtitutum habeat. Secundum, vt conatum hunc cum viribus ſuis comparet, ne iis maiora aggrediatur. Tertium, vt rationes ineat præparandi ea, quibus ad expeditionem opus fuerit. Quum vero vltimum hoc ad eius munus pertineat, cui negotii huius ſumma committetur: de primis illis duobus tantummodo diſſeram.

Ad primum quod attinet, ita ſtatuo nullam vtiliorem, glorioſiorem, & fortaſſe etiam faciliorem armorũ expeditionem à Chriſtianis

contra

contra Turcas ſuſcipi poſſe, quam ſi ipſam Conſtantinopolim potius, quam alium quemuis in Africa, Epiro, aut Græcia locum aggrediantur: quum certum ſit, conatus huius difficultates omnes ſitus qualitate ſuperari, vel certe adiuuari.

Conſtantinopolis (Bizantium olim) in Thracia Europæ regione ſita eſt, inter duo freta, vnum Orientem verſus, vbi Pontus Euxinus, & alterum verſus Occidentem, vbi mare quod Marmora hodie vocant. Ad vrbem cum aliunde, tum maxime Alexandria ingens æſtate onuſtæ vis conuehi ſolet: hæc exoneratæ naues in mare maius deſcendunt, ad frumentum in vrbem comportandum: cum Conſtantinopoli, quoad hoc, de die in diem viuatur. *Situs Conſtantinop.*

Hos quidem commeatus intercludere claſſis Chriſtiana occupatis illis faucibus facile poſſet; nec periculum eſt, vt iam ſe res habent, ne à Turcica claſſe opprimatur: quum [illegible] nale Conſtantinopolitanum nauibus ferme ſit vacuum, nec lignum aliave materia fabricandis nauibus ibi reperiatur: Trapezunti dicat quis, nullo negorio claſſis à Turcis inſtaurari poſſit. Non nego, at hæc quoque tria grauiſſima impedimenta obiciuntur: Primum, quod nauium è l gno recens cæſo fabricatarum exiguus ſit ad nauigandum vſus. Alterum eſt, remigum & nautarum defectus: qui pauci in Aſia; ſed pleríque omnes ab Africa & Europa. Tertium, metus eſt. Quis enim credat, male fabricatas illas, & peius armatas naues per occupatas illas à noſtris fauces ingreſſum molituras? Idem metus Africanos quoque, qui ſunt ad Orientem, ne ſuppetias ſuis ferant, deterrebit. Ad id imprimis opera danda eſt (quo neglecto, vix vlla ſpes ſit felicis ſucceſſus) vt mature noſtra claſſis primo vere educatur, & prædictos aditus Aprili & Maio menſibus obſideat. Quum enim omnia pene ad vitam neceſſaria per fretum illud, ſiue mare importentur: in magnis profecto rerum omnium, ſed annonæ maxime anguſtiis tam populoſa ciuitas verſabitur: nec eſt, vt quis dicat, Heraclea, Silibrea, Rodoſto, & Marmora, commeatus poſſe ſubuehi: quum & pauci ibi ſint, & Marmara, ac Palermus quoque in noſtræ claſſis futuræ ſint poteſtate. Tria illa reliqua oppidula in Europæ littore ſita, nauigiorum nullum habebunt vſum. Quod ſi terreſtri itinere iumentis eo quid comportare velint Turcæ, magno opus eis erit commeatu, vt tuto deducantur, cui illud ipſum, quod inde apportarint, ad victum vix ſatis ſit futurum. Sed hac de re plura diſſerere ſuperuacaneum, videtur. Illud certe conſtat, cum homines Chamæleontes non ſint, eorum vero tot Conſtantinopoli ſunt myriades: intercluſis commeatibus incolas vel vltro vrbem eſſe dedituros, vel deſerturos. Præterea quum plus quam ducenta hominum millia Conſtantinopoli degant, partim Chriſtiani, qui Turcicum Imperium cane peius & angue oderunt; partim Hebræi, qui ſub Chriſtianorum

quam

quam Turcarum imperio viuere mallent: dubium non eſt, quin in tanta rerum omnium perturbatione iidem moturi aliquid ſint, præſertim ſi armis adiuuentur. Et hæc quidem ad ſpem pertinent earum rerum, quæ aliunde dependent: ſed inſipiens profecto fuerit, qui vlla alia in re, quam Dei auxilio & ſuis ipſius viribus ſpem ponat. Verum vt quæ dicta ſint, melius intelligantur, fac (quod tamen hoc tempore vix poſſe fieri videtur) Turcas ingentes contracturos copias, noſtrisque occurſuros: at quomodo eos traiicient? equites præſertim, cum nec pontones ibi ſint ad vſum parati, nec longe noſtra claſſis abfutura ſit, quæ facile conatum hunc prohibere queat. Econtrario vero noſter exercitus tam ab vno, quam ab altero latere ſemper habebit acceſſum: imo ab illo Aſiæ vſque ad ipſum vrbi è regione oppoſitum latus peruenire poterit. Sed quum, vti diximus, impedita nauigatio magnam omnino Conſtantinopolitanæ vrbi rerum omnium penuriam & famem ſit allatura; verendum non eſt, ne ad eam defendendam Turcæ cogant exercitum, quum vix iis, qui ad Capham, & in Perſia ſunt, neceſſaria ſuppeditari poſſint.

Sed, inquis, quomodo claſſis noſtra in fretum illud penetrabit, duobus vtrinque caſtellis munitum? Hic ſciendum, tam facile ea capi, quam naues eo appelli poſſe. Quum enim in medio fere canalis illius ſiue alueí vtrinque ad litus ſita ſint, periclitante vno, alteri certe vix poterit ſuccurri. At vno capto, facilis noſtris erit traiectus. Nihil iam dicam de variis modis & artibus ad intercipienda eiuſmodi tam noctu, quam interdiu loca accommodatis: ſed ſitum tantum & naturam duarum harum Molium explicabo. Ea, quæ Aſiæ annumeratur, figura eſt quadrata, in planitie ad ipſum littus ſita. Terra circa ea loca ſolida eſt, & velut ex luto & arena miſta, ideoque facilis ſuffoſſu. Altera in Europa, ouali figura poſita eſt ad radices montis, in cuius faſtigio nulla arx eſt, aut munitio. Vallum, & muri nihilo illis ſunt meliores. Terra ſub monte ſolita eſt, non petroſa aut ſabuloſa. Præſidium vtrobique exiguum, & vix quiſquam præter Præfectum, & bombardarium.

At illud ante omnia cauendum eſt, ne noſtrum exercitum in illas ipſas neceſſitates, quas hoſtibus impendere diximus, coniiciamus. Quamobrem magna prius annonæ, & rerum ad victum neceſſariarum vis comportanda eſt, inprimis panis bis coctus, isque in illas ipſas naues, quibus milites vehuntur, eſt imponendus. Operæ pretium igitur erit, in Creta, quæ Venetis paret, inſula, annonæ horreũ conſtruere: ſed multo tutius, ac commodius fuerit, Proconeſum Propontidis (Marmoram hodie) inſulam, aut vicinum aliquem locum occupare, quum Creta longius diſtet, quam vt præſentibus ſtatim neceſſitatibus ſubuenire poſſit.

Non minus prudens conſilium fuerit bonam armorum ſupernumerariorum copiam in omnem euentum in promptu habere, ad armandos

nandos eos, qui tyrannidis odio ſe fortaſſe commouebunt, vt ſuperiori tempore a Græcis Peloponneſum inhabitantibus factũ eſt, qui miſſo in Italiam Archiepiſcopo, arma flagitarunt. Sed nihil melius, quam vt inſtituta diſſimuletur expeditio, eamque in Barbariam ſiue Africam adornari, rumor in vulgus ſpargatur, isque rumor, quibus poteſt modis, confirmetur.

Nunc alterum illud explicemus, quantis ad hanc rem opus eſt viribus: quæ quidem, vt eſt præſens rerum ſtatus, ſi cum ſuſceptæ rei magnitudine conferatur, non adeo magnæ requiruntur. At ſi Turcarum vires non ita, vti nunc ſunt, fuerint exhauſtæ, nõ modo maiore robore vtendum, ſed de defenſione potius, quam inuaſione cogitare ſatius erit. Mihi quidem ita videtur, tantam tem exercitu, in quo quadraginta ſint peditum, & duo equitum millia perfici poſſe, quem quidem ſecundum littus ſub ſignis & inſtructa acie duci, & quæ occurrerint præſidia occupari, ſuaſerim. Illud quoq; non negligendum arbitror, vt, vbi hoſtis nullus viſus fuerit, eo equitatus mittatur. Claſſis cẽtum triremium (Galerarum vulgo) ſuffecerit, ſed expeditarum, & quarum quouis tempore & loco ſit vſus. His iungendæ ſunt Onerariæ, portandis militibus deſtinatæ. At earum loco ex vna parte Galeazzas ſubſtitui, nõ abs re fuerit, quæ etſi vel ad fugiendos, vel ad perſequẽdos hoſtes minus ſunt expeditæ, ad ſtatariam tamen pugnam, & hoſtium impetus ſuſtinendos mirificam vim habent, Sumptus omnis in hanc expeditionem impendendus, quatuor auri milliones vix excedet; modo nummi prudenter & fideliter tractentur. Nam ſi ſingulis militibus quini ſcutati ſingulis menſibus dentur; vniuerſum ſtipendium annuum excurret ad duos milliones & quater centena aureorum millia: ſi equiti deni ſeni; ſumma erit centum & nonaginta duo ſcutatorum millia. Claſſis vniuerſa, in ſingulas triremes ſiue Galeras tria ſcutatorum millia computando, toto anni tempore conſtabit duodecies centenis aureorum millibus. In Onerarias & Galeazzas forte expenſa ferentur ter centena vel quinquagena aureorum millia. Quæ ſumma in vniuerſum efficit quatuor milliones centum & quadraginta duo aureorum millia.

Et tanti profecto ſumptus ad bellum, quo quidem viſcera eius, & cor petantur, Turcæ inferendum requiruntur. At belli optime gerendi, niſi animus me fallit, hęc omnino ratio ex omnibus maxime tuta fuerit, vtilis, & glorioſa: Quod ſi non poſſumus, quod velimus; ſaltim velimus, quod poſſumus. Quid illud? nullum hoſti reſpirandi ſpatium concedamus, ſed cõtinuo inſtemus, vt vires ſuas tripartito diuidere tandem neceſſe habeat; nempe ſi cæteri Principes Carolum Auſtriæ Archiducem pecunia & commeatibus iuuent, vti Vſcochos ex vna, & ſubditos ſuos ex altera

parte ad infeſtandos Turcarum fines immittat, qui numeroſioribus quotidie collectis copiis, iuſtum tandem confecturi ſunt exercitum. Et Vſcochorum iam nunc duo millia, Georgio Meſechio ductore, coiiſſe dicuntur; quorum ſinguli binis Turcis non ceſſerint. In bello quidem, quod inter Auſtriacam familiam & Sultanum geritur, operæpretium factum aut digna memoratu ſuſcepta expeditio non putatur, niſi omnibus copiis concurratur, machinis etiam in campum productis; quemadmodum ſuperiore tempore eius prælii, in quo Baſſa Budenſis & magnus Turcarum numerus cæſus fuit, ad cęteros Turcas vix ſenſus peruenit, nec quicquam eorum factum eſt, quod magna aliqua clade accepta, alias fieri conſueuit. Hoc igitur modo ſi diligenter conſideratis, quæ ſe obiecerint, impedimentis, aut bonis, quæ ſe repræſentarint, occaſionibus, Chriſtianorum exercitus in Turcarum fines, ac tandem in interiora, & veluti viſcera introducatur; veriſimile eſt, multos Turcis ſubditos Chriſtianos, (qui plurimi iis in locis habitant, & non minus corporis robore, quam Turcarum odio ſunt inſignes) quotidie ſe aggregaturos.

Incredibile eſt, quę miſeri illi homines ab immaniſſimis Turcis perferre cogantur, à quibus, Timariotis præſertim cuiuſque loci, frequentiſſime vapulant, fraudantur, ſpoliantur, nec tamen vel hiſcere audent. Quod ſi nihil aliud pati cogerentur: quem, quæſo, animum eis putamus eſſe, quando filios ſuos è matrum gremiis abripi vident, & eo abduci, vbi nefariis tam impiæ ſectæ ſuperſtitionibus imbuti, tandem animæ ſempiternam facturi ſint ruinam? Licet enim Latinis ſacerdotibus gentes illæ careant, & vt plurimum Græcorum dogmata & ritus ſequantur; ſuã tamen pietatem & religionem etiam publicis exercitiis & proceſſionibus teſtatam facere, ad Dei gloriam celebrandam, audent.

Eodem tempore pars aliqua triremium Oriẽtem verſus emitti poſſet, vt quaſcunque offenderint Turcarum naues, interciperent, & maritimas oras deprædarentur: qua ex re duplex ſequetur vtilitas, nam & hoſtes in continuo metu verſabuntur & noſtri nautæ & claſſiarii, qui alias in portubus otio & ignauia torpeſcere & corrumpi ſolent, ac ſępenumero plus damni, & incommodi quam boni, ad proſperum conſiliorum euentum afferunt, in miniſteriis ſuis & armis melius exercitabuntur. Neque Cæſar, & Sarmatarum Rex poſtponendi ſunt, quin ſuis quiſque ſtimulis incitentur, idque ex humanę prudentiæ officio, non quod aliqua ſpes affulgeat, vt ſatis opis ad huiuſmodi expeditionem allaturi ſint, cum vterque diuerſis de cauſis impediti alia curare teneantur.

N. AD S.C.H. & B.R.A.A. &c. Legati, De Imperio Romano,

DISCVRSVS TRIGESIMVS.

Quæ in itinere Legato agenda.

ILLVSTRISSIME. Conſilium meum eſt vt ad Legationem hanc profectura Illuſt. V. Dom. in litteris ſuis annotet omnia ad quæ peruenerit loca; ſic enim & diligentia perſpicietur, & totius itineris ratio & ſeries conſtabit. Sed inprimis quid Florentiæ eo in negotio cuius expeditio vobis commiſſa eſt, actum, quid de Principe eiuſque conſiliis & actionibus exiſtimandum vel ſperandum ſit, perſcribet: ac ſi nihil aliud, ſaltem illud, Principem illum à ſe, S.S. nomine impertita benedictione ſalutatum eſſe. Epiſtolæ breues ſint. Argumentum eorum, Negocii geſti expoſitio: tum quomodo & qua animi ſignificatione hic vel ille Princeps Illuſt. Veſt. Do. exceperit. Si quid aliud notatu dignum occurrerit, id fuſe Dom. Veſt. perſequetur, nihilque omnium eorum omittet, quod vllo modo P.B. ſcire intererit. Valde enim hic peccant, qui quantumcunq; id ſit, quod ſcribi debuit, non ſcribunt. Ipſis præterea Principibus ſem periucundum eſt cognoſcere, vbi ſint, & quid agant eorum Legati: de quo qui certiores eos facere negligunt, malam vt plurimum gratiam inire ſolent.

Epiſtola frequenter mittenda.

Principia epiſtolarum ex itinere mittendarum, vſque dum ad deſtinatum locum Illuſt. V. Dom. perueniant, alia atque alia inuenire facile erit, hæc enim ipſa rerum in itinere comperrarum ſuppeditabit varietas. Sed & priorum litterarum argumenta, tempus perſonæ quibus inſcriptæ, occaſiones, &c. repetenda ſunt: vt veluti Diarium quoddam ſint omnium eorum quæ ab Illuſt. V. D. aguntur, & ſeriem habeant continuatam. Duplicare Epiſtolas in omni grauiori re Illuſt. V. Dom. ne negligat. Sic enim & ipſæ diuerſis viis miſſæ, melius quo deſtinatæ ſunt perferentur; & prudentia veſtra & ſolicitudo manifeſtius apparebit.

Quibus verbis acta referenda.

In narrandis ſiue referendis iis quæ cum Principibus aut eorum Adminiſtris acta ſunt, quantum fieri poteſt, ipſa eorum verba formalia (vt vocant) vſurpanda ſunt: iſque ad quem

ſcribitur,expreſſe admonendus,hæc ſcilicet vel illa fuiſſe.In referendis verbis formalibus tecto potius quam obliquo modo vtendum cenſeo. Obliquus modus eſt, quum verbi gratia,ita dicitur: *Reſpondit mihi ſua Maieſtas,velle ſe omnibus modis impedire, ne religionis negocium tractetur*,&c. Rectius vero:*Reſpondit ſua Maieſtas: Volo omnib. modis impedire,ne Religionis negotiũ tractetur,&c.*

Obſeruandi mores & geſtus. Illud quoq; permagni intereſt,omnes Principum quibuſcum agitur non actiones tantum , ſed mores etiam & geſtus omniaq; quibus animi motus ac ſenſa quoquo modo produntur ſigna,inter loquendũ maxime obſeruare ac notare vt ſunt , corporis motus,obtutus oculorum,vultus mutatio,vocis intentio aut remiſſio,vehementia , in dicendo , ſermo de re quapiam breuis & abruptus, obſcurus , ambiguus, frigidus , breuis aut ſæpe repetitus,hæſitatio, fingendæ orationis ſtudium , aliaque multa, quæ quaſi feneſtræ ſunt & ſpecula animorum,in quibus verum & falſum,ſincerum & fictum ita elucet, vt à perito talium rerum non difficillime diſcerni queant. Neque vero notare hæc tantum Legatus debet,ſed quid ipſe etiam , coniectura ex ſingulis his rebus ducta,ſentiat,indicare. Et quamuis mores eiuſmodi & geſtus tũ maxime quando ſeria tractantur negocia , obſeruandi ſunt ; tamen nec iidem in familiari ſermone & conuerſatione negligendi ſunt:vbi ſæpe nihil tale cogitantibus verum excidere,& aliquo indicio ſe prodere ſolet.

Narratio qualis. Negotii geſti expoſitio ſimplex ſit,nullam habeat admiſtam diſputationem aut conſilium : ſed res tantum ſingulas prout geſtæ ſunt,accuratiſſime complectatur.

Eorum quæ Ill.V.Dom.in mandatis data ſunt commiſſiones aut limitatæ ſunt,aut liberæ. Quod ſi neceſſe ſit concludere aliquid earum rerum quarum gerendarum ratio certis quibuſdam finibus reſtricta eſt & limitata;nihil attinet cauſſas ſemper explicare eius,quod concluſum eſt. At in arbitrariis ſiue liberis,cauſſa omnium eorum quæ geſta & determinata ſunt diligenter reddenda & perſpicue demonſtranda eſt , nulla omiſſa ad rem intelligendam neceſſaria circumſtantia.

Cautiones aliquot. Caueat Illuſt.V.Dom.ne res dubias pro certis perſcribat,ab iis quibuſcum negocia tractat decepta , nec facile quidquam pro certo ſumat aut adſeueret generalium quarum concluſionum fiducia,ſcriptis quidem & teſtimoniis aliorum ita fidat, vt ſemper illud meminerit, pleroſque omneis homines non ſemper in vna & eadem perſiſtere ſententia,ſed ex rerum euentis conſilia mutare:nec ea ſinceritate & candore omnia agere,quem præ ſe ferunt. Hinc certum eſt, qui verbis alicuius ſimpliciter fidem habeat, circumuentum & deceptum , erroris ſui nimis ſero deinde pœnitere.

De bono negocii quod tractatur euentu ne maiorem ſpem faciat quam ipſa poſtulat prudentia, quæ iubet, parum credere, neque promiſſis aut ſermone eo ſe inducere, vnde pedem quis referre non poſſit.

Si contingat vt grauius aliquid, ſed de quo non omnes idem dicunt, nunciandum ſit; veſtrum erit ſemper eius de qua ſcribitis rei, famæ, aut iudicii auctorem indicare. Bene quoq; fecerit Ill. V. Dom. ſi diligenter animaduertat quid aulici de Legatione hac ſua iudicent, præſertim de iis quæ illa ſpeciatim in mandatis habere fertur. necnon vtrum in mandatis habere aliquid dicatur, quod tamen non habeat, in quo perſona illa quæ hoc vel illud iudicat, diligenter inueſtigari ac conſiderari debet.

Quamprimum Illuſt. V. Dom. ad aulam illam appulerit, nullam tam ordinariam quam extraordinariam mittendarũ litterarum occaſionem negligat. Si enim aliter faciat, verendum ſit ne à Principe ſuo imprudentiæ & negligentiæ inſimuletur. Omniũ epiſtolarum quas miſerit, apographum vel exemplũ ſibi ſeruet. Tam inſtructionem quam literas oẽs frequenti lectione conterat. Epiſtolis ſcribendis non prius manum admoueat, q̃ priores diligenter inſpexerit, nec ad vllum tractandum negocium prius accedat, quam inſtructionem ſuã relegerit. Poſt audientiã impetratam & tractatũ aliquod negocium ſtatim omnia quæcunq; acta ſunt, in ſcripta referat articulatim. De omnibus iis ſcriptas literas ſemp in prõptu habeat, vt quacunq; oblata occaſione, ad eos, quorũ ea ſcire intereſt, mitti queant. Præterea ea quæ à S.S. Ill. V. Dom. in ſcriptis data ſunt, & Inſtructioni inſerta, ea ẽt quæ vel ex ipſius P.B. vel miniſtrorũ ore intellexit, ad rerũ tractandarũ ſummã aut circumſtantiã aliquã pertinentia, Ill. V. Do. ſedulo reuoluat, nec reuoluat tantum, ſed ſcripto etiam conſignet, eaque tamquam memoriæ ſubſidio & actionum norma vtatur.

Epiſtolarũ Exempla ſeruanda.

Pontificii apud S.M. Oratoris amicitiam & fauorem Ill. V. Do. omni officio adiungere ſibi ſtudeat. Eius fidei & iudicio plurimũ a ſe tribui omnibus in rebus oſtendat. In publico omni eũ reuerentia & honore proſequatur; priuatim vero beneuoli erga ipſum & vniuerſam eius familiam & patriam animi iudicia commonſtret. Merita ipſius erga Sedem Apoſtolicam exaggeret; ſpemq; futuræ remunerationis alat atq; augeat. Sciat ille P.B. Ill. V. Dom. opera ac ſeruitio apud Venetã Rempublicam eſſe vſum. aliaque quibus fiducia inter vtrumque ali poteſt. Et hoc quidem ad multas res Illuſt. V. Do. vtile erit; ſed inprimis ad id, vt omnes in aula illa intelligant, Illuſt. V. Dom. S.S. bonam operam præſtitiſſe, & non ſine laude & gratia apud omnes inita, diſceſſiſſe.

Hic Illuſt. V. Dom. commonefacturus erã, vt ingenium, mores & affectus Principis iſtius, regni eius ſtatũ & aulæ cõditiones

diligenter obſeruet, vt reuerſa, his omnibus SS. edocere queat: ſed quum NN. his de rebus Illuſtr. V. Dominatio plene erudierit, meis eam onerare præceptis nolo. Nihilominus tamen facere nō poſſum, quin eorum aliqua hic breuiter includam: idque tanto magis, quanto Principum animi magis ſunt inſtabiles, ſub imperiorum maxime initiis. Quum enim S. M. conditionem mutauerit, fieri non poteſt quin aliis iam cogitationibus animus eius occupetur, aliiſq; affectibus diſtrahatur, quorum notitia P. B. ſit neceſſaria. Omiſſis ergo iis quæ in ipſa S. M. perſona conſideranda ſunt, vt ætas, cōplexio, ſanitas, debilitas, ingeniū, diſciplinę, aliique tam corporis q̄ animi habitus, qui in S. M. mutati non ſunt: illa ſedulo Illuſtr. V. Do. notabit, quo belli, quo pacis ſtudio ducatur, quorum amicitiam quærat, quos caros, quos ſuſpectos, & à quibus cauere ſibi conſtitutum habeat; quo actiones ſuas & cōſilia dirigat; quibus rationibus fines ſibi propoſitos conſequi conetur; quibus difficultatibus & remoris impediatur, quomodo eæ amoliendæ; quantum ſuis & Principum viribus fidat, aut diffidat, quid ei deſit, vel ſupſit; qua forma in adminiſtrando impio vtatur: quibus in rebus Patris & Aui in adminiſtrando imperio exemplū ſequatur, in quibus ab eodem deflectat, & quas ob cauſas; an ratio eius adminiſtrandi melior ſit aut deterior, &c. quæ conſilia, & cū quibus habeat, quomodo res deliberatas exſequatur; quæ forma ſit iuſtitiæ; quā gratus & charus ſit ſubditis; ametur, ne, an timeatur; qua prudentia, vigilātia, ſollicitudine dexteritate, ſinceritate, aliiſq; animi virtutibus ſit prædītus; quibus rebus præ cæteris delectetur; quibus Miniſtris vtatur, quis illorum, vel per ſe, vel Principis fauore ſubnixus, plurimum poſſit; quibus ex cauſſis vni magis alteri minus faueatur; quomodo erga ſe inuicem, erga Principē, erga ſubditos, erga alias Nationes & Principes ſint animati; quam prudentes ſint, boni, iuſti, in quibus rebus exorbitent & ab officio diſcedant; vtrum deniq; intolerabiles ſint vel laude digni. De S. M. religione mihi dico, neq; de eius erga S. R. & vniuerſos Italiæ Principes affectu: quum his de rebus S. S. optime conſtare putem. Illud vero ante omnia Illuſt. V. eſt Dom. indagandum arbitror, quibus in rebus & ipſa S. M. & res ad imperium eius pertinentes aliter ſe habeant, quam antequam imperium cepiſſet, ſeſe habuerunt. Omnes vero has mutationes principum Oratoribus & Legatis in aula iam aliquamdiu verſatis cognitas atque exploratas eſſe quum nihil dubitem: ſuadeo vt Illuſtr. V eſt. Dom. in eorum alicuius aliorumque aulicorum notitiam & familiaritatem ſeſe inſinuet. Sic enim facilè eorum omnium quæ ſcire operæ precium notitiam conſequetur.

Cætera prudentiæ Veſtræ committo.

DITIO-

DITIONVM IMPERII ROMANI

DISCVRSVS VNIVERSALIS TRIGESIMVS PRIMVS.

FINES regionum Romano Imperatori ſubiectarum, *Princeps Sereniſſime*, à Brixienſi territorio ad extremas vſque Iſtriæ oras, trecentorum fere miliarium ſpacio extenduntur, & alibi vix quinquaginta miliaribus à Venetorum Vrbe abſunt. Quamobrem Illuſtriſſimam hanc Rempublicam tanti Principis præ cæteris rationem habere oportet.

Quum vero Imperium eius magna ex parte Germania contineatur; nos vt ſequentia melius intelligantur, breuem hic Germaniæ deſcriptionem attexemus. Ea ab Oriente fines habet, Pruſſiam, Poloniam, Hungariam, Slauoniam, Croatiam. A meridie Venetorum Rempublicam, Rhetos, & Heluetiæ partem attingit. Ab Occidente Galliis; a Septentrionibus Oceano, & Daniæ regno diſterminatur. Omnis hæc regio quadratam habet formã, æquilateram fere, & in longitudinem patet ad DLX. miliaria: quæ quadruplicata, circuitum eius efficiunt, bis mille ſexcentorum miliarium. Abundat rebus omnibus ad vitam hominum neceſſariis; nec quidquam ab exteris petere neceſſe habet præter ea, quæ deliciis & voluptati inſeruiunt: vt ſunt, vuæ paſſę, amygdalæ, aromata, vina exotica, panni ſericei, & ex auro vel argẽteo, &c. Septentrionibus ſuppoſitæ regiones, vino quidem carent; ſed pro eo cereuiſia vtuntur. Incolæ ab antiquis vſque temporibus laudatæ ſunt fidei & conſtantiæ, & ad ſimplicitatem magis quam aſtutiam nati, cuius natura quidem rudes ſunt; at foris alios tanto facilius decipiunt, quanto minus fraudis ſunt ſuſpecti. Caſtitatem laudant magis quam cuſtodiunt; ob nimis familiarem cum ſexu muliebri conſuetudinem. Non ſolum vltra modum vino alioue potu ſe ingurgitant; ſed ebrietatem etiam candidi & ſinceri animi indicium eſſe iudicant: abſtemios vero & ſobrios fraudem animo voluere dicunt, metuenteis ſcilicet, ne inter largiora pocula animi ſecreta prodant.

Germaniæ fines.

Vbertas.

Incolæ.

Porro Statuum ſiue Ordinum inter Germaniæ Proceres, tri-

plex eſt genus: Eccleſiaſticorum, Secularium, & liberarũ Ciuitatum. Inter Prælatos Eccleſiaſticos præcipui ſunt tres Archiepiſcopi Electores, qui imperii Archicancellarii dicuntur: Moguntinus Germaniæ; Colonienſis Italiæ; Treuirenſis Galliæ. His dignitate proximi ſunt, Archiepiſcopus Salisburgenſis, qui centena quinquagena florenorum milia quotannis è diœceſis ſuæ reditibus percipit. Magdeburgẽſis Archiepiſcopus Primas eſt Germaniæ, Bremenſis quoq; & alii multi diuitiis & potentia paucis ſæcularibus Principibus ceſſerunt: at nunc, quum olim XLV. numero fuerint, tantum XXV. reſtant. Sequitur Ordinis Teutonici Magiſter. Quamuis enim in Pruſſiam, quam olim militiæ illius ſocii tenuerunt, hodie Poloniæ Reges tamquam feudum, ius ſibi vſurpent: nihilominus tamen Ordinis illius Magiſter adhuc eligitur, qui multa paſſim in Germania & fructuoſa prædia poſſidet. Et bonis quidem Eccleſiaſticis ac honoribus non Nobiles tantum familiæ, ſed Principum etiam filii & cognati aluntur. Sunt etiam ſeptem Abbates, Imperii Principes. Seculares Electores ſunt, Comes Palatinus Rheni Dapifer; Dux Saxoniæ, Enſifer ſiue Archimarſcallus; Marchio Brandeburgenſis, Camerarius; quibus inſuper reliquorum arbiter accedit Rex Bohemiæ, Archipincerna. porro horũ familias alii Principes cognatione attingunt; Bauari nempe, Comites Palatini, Duces Saxoniæ, Marchiones Brandeburgenſes, Duces Luneburgici, qui omnium nobiliſſimi haberi volunt, quod ex antiqua illa Saxonicorum Ducum ſtirpe orti ſint, qui Anno MCCCC. XXIX. quum Miſniæ Marchiones eſſent, à Sigiſmundo Imperatore ad Electoralis dignitatis faſtigium ſunt euecti. Sequuntur longa ſerie alii Duces, Marchiones, Lantgrauii, Burggrauii, Comites & Barones. Auſtriæ Archiduces ob præeminentiam ſiue dignitatis prærogatiuam ſæcularibus Principibus non adnumerantur, ſed Eccleſiaſticis. In Comitiis Anno 1548. Auguſtæ Vindelicorum celebratis omnes Burgundicæ Prouinciæ à Carolo Hiſpaniarum rege, &c. in ſacri Romani Imperii protectionem ſunt acceptæ, earumque principi locus itidem inter Eccleſiaſticos fuit aſſignatus. Lotharingiæ quidẽ Dux Impii Principibus olim fuit accenſus, iã vero totus in Franciã conceſſit. Horum omnium magna eſt potentia, & maior q̃ olim: ſiquidem alii reditus ſuos bonis Eccleſiaſticis auxerunt; immenſis tributis & oneribus ſubditos grauant. Inter ceteros potentia eminet Dux Saxoniæ; qui vltra quinquies centena thalerorum millia quotãnis in cenſum refert, ac breui temporis ſpacio VIII. equitum XV. peditum millia è ſuis regionibus colligere poteſt.

Alii Principes.

Ciuitates liberæ quæ.

Ciuitates Liberæ illæ dicuntur, quæ alium Principẽ præter Imperatorem non agnoſcunt, harum aliquæ certum ſoluunt tribu-

tum,

um, ſed ita exiguum, vt inde vix quindecim florenorum millia conficiantur. ſuis vtuntur quæque legibus, atque ita Democratiæ, vel miſti imperii habent formam: quamquam apud Norimbergenſes Ariſtocratia eſſe videatur, qui, vt refert Lippomanus in Polonica ſua Relatione, miſſis olim Legatis, à Veneta Republica leges & imperii exemplar petierunt. Vnde etiam *Germanorum Venetia* ciuitas illa à nonnullis agnominatur. Omnes miro quodam ſtudio libertatem ac iura ſua defendunt, quæ olim ab Imperatoribus, & Principibus, ſub quibus erant, vel precio vel fauore deuinctis acceperunt. Tantæ earum hodie ſunt vires, vt vel potentiſſimis Principibus auſint reſiſtere. Erant olim numero circiter LXXXVIII iam vero multo ſunt pauciores, aliis à Galliarum & Poloniæ regibus, aliis ab Heluetiis & aliis occupatis. Imperatorem quis abſolute ſe ſcribere non poteſt, niſi à Romano Pontifice ſit coronatus; ſed Regem tantum Romanorum, aut Electum. Is vero res Imperii ex Ordinum decretis adminiſtrat, quæ in Comitiis feruntur. Comitiis tres Ordines ſiue Status interſunt.

Electores. Primus eſt Electorum ſeptemvirûm, quibus Bohemiæ Rex acceenſetur. Is enim Arbiter potius eſt quam Elector, nec ſententiam fert, niſi Electores in eligendo Imperatore diſſentiant; ſi terni ſcilicet vnum, & terni alterum dixerint. tunc enim cui Bohemiæ Rex ſuffragii ſui pondus addiderit, is Imperator erit.

Principes. Secundus Ordo ſiue Status eſt Principum tam Eccleſiaſticorum quam ſecularium: quibus etiam aliis omnes Comites & Barones Imperii annumerantur.

Ciuitates. Tertius Ordo eſt Ciuitatum. His omnibus Imperator aut Rex Romanorum proponit ea quæ tractanda ſunt; deque iis ſinguli Ordines ſeparatim habent deliberationem. Ciuitatibus quidem ſub ſententiæ dicendæ ſpecie quadam conſulendi ius eſt; ſed non in deliberationibus aut Concluſionibus. Vltimo loco ſententiam dicunt Electores: quæ grauiſſimum & maximum præ cæteris habet pondus. Eſt igitur Imperii Status vaſtus admodum: & raro ipſi Electores aut Principes ad Comitia veniunt, ſed legatos mittunt, nec tamen quidquam pro rato accipiant, niſi id ſuo prius ipſi ſuffragio comprobarint. Atque hinc conuentus eiuſmodi ſæpe ſunt infructuoſi.

Diſcordia inter Status Imperii. Porro triplici Diſcordiarum genere Germania agitatur. Primum eſt inter Principes & Ciuitates liberas: quorum illi imperii, hæ libertatis ſunt ſtudioſæ. De finibus quoque regundis controuerſiæ nonnunquam inter eoſdem incidunt. Secundum eſt Principum inter ſe ac potiſſimum erga potentiores familias, ac omnium illuſtriſſimam Auſtriacam, quæ imperii dignitatem multo diutius quam cæteræ omnes Imperatoriæ ſtirpes, retinuit. Caroli enim Magni poſteri imperium tenuerunt annos CXIIX. Saxoniæ Duces CXVII. Franconiæ CII. Sueuiæ CX. Auſtriaci vero iam vltra CLXXX.

Tertium eſt inter Catholicos & Proteſtantes. Horum partes ſequuntur Ciuitates & ſæculares Principes fere omnes; illorum vero è ſæcularibus pauci, vt Bauarus, Cliuenſis, &c. at Eccleſiaſtici omnes. Primi ſectarum in Germania auctores fuerunt Iohannes Huſſius, & Hieronymus Pragenſis, qui Iohannis Vicleſi Oxfordienſis, qui ſub Eduardo Tertio Angliæ Rege, & Carolo Quarto Imperatore vixit, fuerunt diſcipuli. Ex horum radicibus pullularunt poſtea Picardi, Lutherani, Zuingliani, Anabaptiſtæ, Suenckfeldiani, Oſiandriſtæ, & alii; qui Pontificem omnibus quibus poſſunt modis inuiſum reddere conantur. Sed verendum non eſt ne ab vniuerſis Germaniæ Principibus Pontificis profligetur auctoritas; non ſolum, quod ipſi inter ſe diſſentiunt, ſed etiam quod Eccleſiaſtici à Pontifice dependent.

Auſtriaca familia origo.

Auſtriaca familia ad eam quam nunc videmus magnitudinem excreuit hoc modo. Rudolphus Comes Habſpurgenſis Anno MCCXIII. Imperator fuit electus: cui Manardus, indignatione contra liberos ſuos & cognatos concepta, Tirolenſem Comitatum donauit. Huic filius fuit Albertus, qui patri in Imperatoria dignitate ſucceſſit, adiectis ad patrimonium Auſtria & Stiria (quarum poſſeſſione Rudolphus Ottocarum Bohemiæ Regem depulerat) & inveſtitura, vt vocant, earundem in Comitiis Auguſtanis Anno MCCCXXIIX. confirmata. His acceſſit non multo poſt Carinthia: tumque ſtirps Auſtriaca in multos veluti ramos fuit diuiſa. Poſtea tamen ditiones omnes ad Frideric. III. Alberti II. Imperatoris fratrem deuolutæ ſunt, qui imperio vnum tantum annum præfuit. Filium Frideric. habuit Maximilianum: qui ducta in matrimonium Caroli Burgundiæ Ducis filia Maria, Burgundiam, Brabantiam, Flandriam, Hollandiam, Selandiam, Luxemburgum, & alias Belgii prouincias ſuo adiecit imperio. Ex hoc natus filius Philippus Primus matrimonio ſibi copulauit Ioannam Ferdinandi & Iſabellæ Aragoniæ & Caſtiliæ Regum filiam: cumque ea deinde vniuerſa Hiſpania, Neapolitano item, & Siciliæ regnis, & India Occidentali potitus eſt. Tanta huius fuit felicitas, vt intra quindecim annorum ſpacium omnibus in Orbe Chriſtiano regnis vel reges vel reginas dederit excepta Scotia. Ex hoc genitus Carolus Quintus Imperator omnium regnorum quæ matris fuerant, hæreditatem creuit. At ex paternis ditionibus diuiſis, Carolo Belgicæ prouinciæ ac Burgundia; Ferdinando eius fratri Auſtriæ cum annexis regionibus, antiquiori illuſtriſſimæ huius familiæ patrimonio, & annua ſexagenûm millium ſcutatorum ex regno Neapolitano penſione obuenerunt. Coniugem Ferdinandus duxit Annam, Ludouici Hungariæ & Bohemiæ regis ſororem; quo ſine liberis defuncto, ex conuentione iam olim inter auum eius Maximilianum & Ladiſlaum ſocerum facta, Anno MDXXVI. Hungariæ Rex creatus; Ann. autem MDXXXVI.

die quinto Ianuarii in Romanorum Regem fuit electus. Habuit Ferdinandus tres filios: Maximilianum, qui poſt eum Imperator fuit; Ferdinandum Oenipontinum Principem & Comitem Tirolenſem; & Carolum, Croatiæ, Carinthiæ & Carniolæ Ducem.

AVSTRIÆ nomine hodie comprehendi ſolent omnes illæ prouinciæ, quas Ferdinandus ab auo accepit. Quo vero proprie Auſtria dicitur, diuiditur in Superiorem & Inferiorem, quarum hæc vltra, illa cis Danubium ſita eſt. Ad inferiorē pertinēt, Auſtria, Linzium Carinthia, Stiria & Carniola. Superior ab Oriente, Hungariam, ab Occidente Bauariam & Comitatum Tirolenſem habet finitimum; à meridie mari Adriatico & Venetorum imperio; à Septemtrionibus Morauia & Bohemia clauditur, Regio omnis ab Oriente in Occidentem patet ad C C C. milliaria in longitudinem; vbi latiſſima eſt, C C L milliaria comprehendens. *Auſtriæ deſcriptio.*

Primaria vrbs Auſtriæ Vienna eſt ſplendore & diuitiis vix vlli vrbium cedens. Præcipuis fluuiis irrigatur Danubio, Drauo, Sauo, Mura. Solum fertile admodum eſt, frumenti, vini ferax flumina & ſtagna piſcibus mirum in modum ſcatent, quod vni regionum deeſt, alterius abundantia facile ſuppletur. In Stiria & Carinthia argenti, ferri & plumbi fodinæ non deſunt. *Vienna.*

Incolarum quatuor ſunt Ordines. Primus Eccleſiaſticorum, qui ab Archiduce eliguntur & confirmantur, Epiſcopi præſertim. At Abbatum electio penes Conuentus ſiue Capitula eſt. Secundus Baronum. Tertius Nobilium, qui quà certa prædia ab Archiduce tenent, ſuperiorem eum agnoſcunt. Quartus Ciuitatum, quæ ſuo modo & iure Rempublicam adminiſtrant, cauſſas tam ciuiles quam criminales diſceptant & diiudicant, reditus percipiunt, & ex iis tam ad cuſtodiam quam ad refectionem murorum ac publicorum operum, ſumptus faciunt. *Ordines Auſtriæ.*

Omnes Archiducem dominum & ſuperiorem agnoſcunt: at is nihilominus ſi quod tributum vel tale aliquid ſubditis imperare velit, neceſſe eſt vt petitionem ad publicos Conuentus deferat, quibus omnes quatuor Ordines interſunt.

Prælati & Nobiles in ſubditos ſuos & clientes iudicia exercent; nonnulli etiam vitæ ac necis habent poteſtatem. At controuerſias quæ inter ipſos Ordines exiſtunt, Capitaneus ſiue iudex cuiuſque prouinciæ diſceptat & diiudicat. Viennæ Conſilium eſt Quindecimvirale, in quod Prælati, Nobiles, & Doctores alleguntur. *Regimentum* vulgo vocant. Ad hoc prouocationes ſiue Appellationes à ceteris Capitaneis omnium Prouinciarum deferuntur, vt & cauſſæ nonnullæ integræ, ſiue in prima inſtantia. Ei magna libertas, ac fere ſumma rerum pro arbitrio adminiſtrandarum facultas Archiducum beneficio concedi ſolet.

Subditi

Subditi ſiue incolæ harum Prouinciarum optima ſunt indole,& magno Principes ſuos amore complectuntur : quamuis tributorum & onerum magnitudine nonnihil aliquando exaſperentur. Nobilitas fere omnis nouarum opinionum veneno infecta eſt : adeo vt quum olim Ferdinandus ex hoc hominum genere Legatos ad Comitia Ratisbonenſia miſiſſet, qui auxilia contra Turcas poſtularent,illi ipſi Proteſtantium religioni addictos Principes adhortati ſint,ne quidquam prius conferent, quam religioni ipſorum ſatis eautum eſſet. Arces munitiores harum prouinciarum ſunt,Gotitia,Tergeſte,Gradiſca,Neoſtadium.

Auſtria ſuperior. Auſtria ſuperiori comprehenduntur etiam Comitatus Tirolenſis & Pfirtenſis,Sueuiæ aliqua pars, Conſtantienſe territorium,& alia quædam loca. Ab ortu Carinthiam habet, & partem aliquam Bauariæ & Sueuiæ ; ab Auſtro territorium Brixienſe, Vicentinum, Veronenſe,Taruiſinum,Feltrium, &c. Ab Occaſu Rhetos ſiue Lepontios,& Heluetios. Ab Aquilone Bauariam & Sueuiam Extenditur in longitudinem ad C L milliaria;lata vero eſt LXX. Vniuerſa in montes aſperrimos attollitur,vini,ligni,& ſalis feracior quam frumenti. Præcipua vrbs eſt Oenipons, ſedes Principis, Parlamenti regionum iſtarum ſedes : ad quod Appellationes omnes deuoluuntur. Ceterarum rerum eadem hic fere quæ in inferiori eſt ratio,niſi quod Barones & Nobiles hic non ſunt diuiſi, ſed vno & eodem Ordine comprehenduntur:& plebs quoque Comitiis intereſt, neque tanto pere tributis grauatur,vt in inferiori Auſtria,vbi exemtis Nobilibus, plebi omnia onera imponuntur.

Bohemiæ deſcriptio. Bohemi è gente Sclauonica ortum ducunt, eaque lingua vtuntur. Eis Duces initio præfuerunt, X X. numero, vſque ad Ladislaum, quem anno M L X X X V I I I. Henric I V. Imperator Moguntiæ regia dignitate ornauit. Cuius poſteri & ſucceſſores quum modeſtia quadam illo titulo aliquamdiu abſtinuiſſent : de nouo iterum Ladislaus X X V. Dux à Friderico I. Imperatore Rex creatus eſt Anno M C L V I. Tandem vero eadem dignitas Primislao Anno M C I I. à Philippo Imperatore tributa,vel potius confirmata fuit, qua etiam ſequentes omnes vſi ſunt. Ex Luxemburgenſi familia regnum hoc tenuerunt Iohannes, Carolus, Venceslaus, & Sigiſmundus, per M X X V. annos. Ex Iagellonica Poloniæ Regum ſtirpe Ladislaus & Ludouicus, per LV. annos. Ad familiam Auſtriacam ſceptrum hoc bis eſt deuolutum, biſque rurſus ablatum, donec præſenti regi in manus. Primum Rudolpho rege Alberti Imperatoris filio, Anno M C C V I. Secundum, Anno M C C C L X V I I I. Alberto II. Imperatore; cui Ladislaus filius ſucceſſit, ex quo tempore Imperatoria fere Maieſtas in Bohemiæ regum familia hæſit. Ordines quidem ſiue Status Regni ius eligendi regis ſibi aliquando vindicare non dubitarunt : at poſtea diploma ſiue inſtrumentum inter Bohe-

mos

mos & Carolum IV. factum repertum eſſe aiunt, in quo filius regis natu maximus poſt patrem rex declaratur; & deinceps alii maſculini ſexus: quibus deficientibus, fœminæ quoque ſubſtitui iubentur. Vndique regnum hoc Germanis populis circumſeptum eſt. Terminatur enim ad Septentriones, Sileſia, Luſatia, & Miſnia; ad Occaſum Franconia, ſiue Norico, Voitlandia, & Palatinatu ſuperiori; ad Meridiem Auſtria ſeu Pannonia ſuperiori; ad Ortum Morauia ac Sueuiæ parte. In longum ab ortu in occaſum habet milliaria Italica CLX. in latum vero ſiue à Borea in Auſtrum CIV. Fluuium nullum aliunde recipit; plurimos autem nobiliſſimoſque extra ſe diffundit: qui tamen fere omnes in Albim confluunt. Argenti aliorumque metallorum diues eſt Bohemia: frequentiſſime colitur, adeo vt XXVI. pagorum millia, oppida vero ſupra ſeptingenta in ea numerari dicantur. Primaria vrbs eſt Praga. Diuiditur autem vrbs tota in tres ciuitates, antiquam, nouam & paruam. Muldauia fluuius antiquam à noua, in qua Arx eſt & templum Cathedrale Sancti Viti, diſcludit, pons connectit, qui lapideus eſt, habetque arcus XXIV. opus Vladiſlai Regis. Præter aratores & ruſticos tres in hoc regno incolarum ſunt Ordines, Baronum, Nobilium, & Ciuium. Eccleſiaſticus enim ordo ab Huſſitis ſuperiori tempore vndique exterminatus fuit, & bona ab iis qui potentia præualebant occupata. Vnde inter omnes Chriſtianas prouincias ſolum hoc regnum neque vllos Epiſcopos, neque Comites habet. Illorum omnium idem fere ius eſt, eademque priuilegia, quæ Auſtriæ Ordinum. nam & ſubditis ipſi ius dicunt; & regi præter fidem quam ei debent, non vltra ſunt obligati quam ad id quod in Regni Comitiis fuerit decretum. Olim cauſſarum appellationes ad fora ſiue iudicia extra regnum deferebantur, nempe ad Curiam Magdeburgenſem & Lipſienſem; hodie tamen XII. viri Pragæ à rege conſtituti ſunt, quorum iudicio lites omnes determinantur. Roſenbergiorum familia quam ex Vrſinorum gente ortam quidam volunt, totius fere Bohemiæ potentiſſima eſt, cuius familiæ Princeps ſiue caput ſexagenum thalerorum millium cenſum quotannis percipere dicitur. Reliquis incolis & Nobilibus ampli etiam ſunt, maxime è ſtagnis & viuariis reditus; pauci tamen pecunias in numerato habent, quas fere ſplendidiori victu abſumunt. Vaſto ſunt corpore, & magnis viribus; ſed luxu quod diffluunt, plerique laudes ſuas obſcurant. Audaces, iactatores, ſuperbi, nimium ſibi ſuiſque viribus confidentes: in promiſſis ſuperſtitioſi dicam an conſtantes? Nobiles enim in cauſſis grauiſſimis vbi magiſtratui fidem dederunt, iudicio quam primum euocantur, infallibiliter ſe ipſi ſiſtunt; adeo vt multi quamuis capitalem ſententiam in ſe latum iri non ignorarent, vltro nihilominus comparuiſſe perhibeantur. In Bohemiæ regis clientela, aliquo reſpectu ſunt, Palatinus, Dux Saxoniæ, Marchio Brandeburgenſis. Regno annexæ ſunt Morauia, Sileſia, Luſatia: quæ id magna

Fines.

Vbertas.

Praga vrbs

Morauia, Sileſia, Luſatia.

ex parte

ex parte includunt. Ab Occidente eædem Miſnia & Saxonia; ab Oriente Hungaria & Polonia; à ſeptemtrionibus Marchia Brãdeburgica diſterminantur. Earum longitudo ab Auſtro ad Aquilonem patet ad CCCC. milliaria; latitudo ad LXX. In adminiſtranda Republica ſuis vtuntur moribus & legibus, iiſdem fere quibus Bohemi. In Morauia tamen & Sileſia Epiſcopi ſunt, quibus Ordo Eccleſiaſticus conſtat. Sileſiæ adminiſtratio magna ex parte eſt penes Epiſcopum Vratislauienſem. Morauiæ & Luſatiæ Præfecti à rege dantur. Pauca hic loca munita. Bohemi quidem ſuam regionem ſylua Hercinia qua circumdatur, adprime munitam eſſe ſibi perſuadent: nulla tamen hic clauſtra aut viarum anguſtiæ, quibus hoſti aditus intercludi poſſit. Hungaria me vocat. Coluerunt regionem iſtam primum Pa ones, ſiue Pannones: poſtea Gothi, qui ab Hunnis expulſi ſunt, Hunni à Longobardis, qui etiam totos XLII annos hic conſedere. Succeſſerunt iterum Hunni Anno CCCLXXVII. duce Attila: poſt cuius obitum Carolus Magnus eam ſui iuris fecit. Anno autem CM ſub Arnulpho Imp. è Scythia profecti Hungari loca iſta occupauerunt, Paganiſmum colentes vſq; ad Regis Stephani, quem Sanctum vocant, inaugurationem: cuius coronam cœlitus, vti fama eſt, demiſſam, Hungari magna habent in veneratione. Ab eo tempore, Anno CMCXXII. ad noſtra vſque tempora religionem Chriſtianam Hungaria profeſſa eſt. Stephani poſteri regnum CXXXVII. annos tenuerunt. Deinde exteri vel cognationis vel electionis iure ſceptro potiti ſunt: quamuis Hungari ius eligendi regis ſibi liberum eſſe contendant, nec facile quem alium admittant. Poſt hos Bohemiæ, Poloniæ, Neapoleos Reges, & Valachiæ Deſpotæ ad regnum adſciti ſunt; donec tandem familia Auſtriaca rerum potita eſt. Sunt Hungari feræ admodum & agreſtis naturæ, ad auaritiam & crudelitatem propenſi; fluxæ etiam fidei à nonnullis inſimulantur. Veſtitu & aſpectu etiam parum à Turcis differunt. Lingua vtuntur ab omnibus reliquis differenti. Fines regni olim fuerunt, ab Ortu Bulgaria; ab occaſu Morauia & Auſtria; a meridie Boſnia & Seruia; ab Aquilone Moldauia, Ruſſia & Polonia: ſi Tranſyluaniam ei includamus. Longitudo eius eſt CCCC. latitudo CCL. miliarium. Omnes fere totius Europæ regiones ſoli fecunditate ſuperat: nam frumentum, vinum, ſalem, carnes, metalla, &c. tanta copia ſuppeditat, vt ad remotas etiam gentes neceſſaria inde conuehantur. Præcipui fluuii ſunt Danubius, Drauus, Sauus, Tibiſcus, & alii minores. Diuiditur vniuerſa Hungaria in Citeriorem & Vlteriorem. Vlterior omnem illum tractum complectitur qui vltra Danubium eſt; quem quidem medium Tibiſcus ſecat. Regnum olim Comitatus habuit L. de quib. XXVIII. Rex ſiue Imperator hodie poſſidet, VI. rebellibus parent: cæteri Turcicam ſeruiunt ſeruitutem. Ciuitates in adminiſtranda Republica ſuis itidem vt in Auſtria, legibus vtuntur Ruſticani homines

Hungariæ deſcriptio.

Reges.

Incolæ.

Fines.

Ciuitates.

poſt mortem illum Anno MDXIV excitatum, perpetuæ ſeruituti addicti fuerant: ſed eis poſtea in comitiis Poſonienſibus libertas eſt reſtituta; quamquam hodie etiam vilipenduntur, magiſque oneribus grauantur. *Epiſcopi.* Epiſcopi ſpiritualis & temporalis gradus ius habent. Inter hos eminet Strigonienſis Archiepiſcopus: qui ciuitate a Turcis occupata, Poſonium domicilium tranſtulit. Rex Archiepiſcopos & Epiſcopos regni eligit antiquo iure, ſed Cœnobiorum Antiſtites à Monachorum collegiis eliguntur. *Palatinus.* Singulis Comitatibus Præfectus à rege datur, qui Comes inde dicitur. His omnibus ſuperior eſt regni Palatinus regis Vicarius, cuius ea fere eſt auctoritas quæ apud Venetos maris Præfecti. Præter hunc duo ſunt ſupremi cauſſarum iudices: quorum vnus eſt Archiepiſcopus Strigonienſis; alter Iudex Aulicus, qui Appellationes primæ inſtantiæ diſceptant. De rebus publicis deliberationes in Comitiis habentur. &c.

Tranſyluania. Tranſyluania Hungariæ nō finitima tantū, ſed quodammodo etiam annexa & inſerta, regio eſt nō ampla quidē, ſed opulenta admodū, & vbere omnium rerū prouentu felix. Fodinas habet auri, argenti, ſalis. Aliquibus etiam locis exſcinduntur auri glebæ puriſſimi, cuius effoſſi ſtatim vſus eſſe poſſit, ſine accuratiori ſeparatione. Princeps omnibus reb. ad bellū neceſſariis, armis, equis, pecunia, annona eſt inſtructus.

Nauale. Viennenſe. Nauale Auſtriæ Archiduces Viennæ habent, in quo L circiter varii generis nauigia aſſeruantur: quibus magnum Hungaricarum nauium numerum facile iidem addere poſſint. His carina plana eſt; longitudo altero tanto quam Venetarum Gondularum maior. Reguntur ac propugnātur a XXIV. viris, è quibus IV. in ceteros imperium habent. Claſſiarii hi vt plurimum Hungari ſunt, Slauoni, Itali, Græci: pauci Germani. His enim ad terreſtrem tantum militiam vtitur Imperator, ſine mixtura fere aliarum gentium: quas illi vix inter ſe ferunt. Italos quidem & Hiſpanos non aſpernatur Imperator, ſed ſubditos irritandos ſibi non putat.

Quanta copia è Germania conſcribi queant. In Comitiis noſtri temporis vix vnquam vllus exercitus decretus fuit, in quo peditatus XXIV millia, aut equitatus VIII. equitum millia exceſſerit. Conſtat tamen, ſi poſtulet neceſſitas, è Germania XC peditum, & XXV. equitum millia ita colligi poſſe, vt nulla eius regio viris aut viribus nudetur. Notarunt enim harum rerum curioſi, vno eodemque tempore tantum Germanorum numerum diuerſis Principibus militaſſe. *Quanta ex Auſtria.* Ex inferiori Auſtria Imperatori procliue eſſet XII. peditum, & III. equitum millia colligere. Sed peditatus is hodie non magni æſtimatur. E Comitatu Tirolenſi conſcribi poſſent IV. peditum lectiſſimorum millia, & CCC. equites. Sed rari hic habentur delectus, ne operæ ad fodinas deſint. Sola Bohemia X. equitum millia ſubminiſtrare poteſt: peditum vero numerum incredibilem: Et equites quidem habentur in precio; pedites, paruæ ſunt rei. Armis ad defenſionem vtuntur, lorica, manicis

annulatis,galea aperta; ad defenſionem,gladio,framea, claua, binis aut ternis ſclopis breuiuſculis, non nulli etiam lancea. Inter hos ſunt Nobiles aliquot,ſed ignaui,vt plurimum, & ad res gerendas inutiles Stipendium equiti menſtruum aurei duodeni. Seni equites clitellarium habent ad portandam millitarem ſupellectilem iumentum: quod binos ſingulis menſibus aureos meret. Inter pedites haſtati armis probe ſunt inſtructi, ſed male ſclopetarii. Menſtruum ſingulis ſtipendium floreni quaterni. Diſciplina apud eos exigua, vel nulla potius eſt. In extorquendis per tumultum debitis tantum ſtrenui; contra hoſtes ignaui. Sunt tamen inter eos quidam bonæ notæ milites:ſed ii ceterorum contagione inficiuntur. Totum hoc genus peditum ad oppugnationem aut defenſionem inutile eſt; ad ſtatarias tamen pugnas non ineptum;quum ordines accurate tueantur. Econtra Hungaricus peditatus ad prœlia,velitationes,inſidias,& oppidorum etiam defenſiones multum valet. Equi Hungarici pernices ſunt; ipſi vero ſeſſores mira agilitate quocumque ſe nullo negocio flectunt. E ſolo Hungariæ regno LX.equitum millia in aciem quondam educi potuiſſe aiunt.at iam ex eo, adidita ſimul Croatia & Slauonia, vix X.millia colligi poſſint: Inter Hungaros non multi ſunt experti militiæ duces. Quibus animus non deeſt, iis à iudicio plerumque deſetuntur. Externis quidem etiam ſummis viris obedire detrectant. Hinc graues inter Germanos & Hungaros ſunt ſimultates & odia. Hungarorum fidem tamquam ſubleſtam & inſidam Germani eleuant; Germanis è contra ignauiam Hungari aliaque vitia exprobrant. Turcæ interim in omnes occaſiones intenti, in medio derelictas Prouincias carpunt, & imperium ſuum longe lateque propagant. Quorum conatus illud quoque non parum iuuat, quod ad Turcicas regiones aditus anguſti ſint & impediti,quum Imperatoris ditio tota vndique pateat, & ad vim ſit expoſita. Sed & hoc maximi eſt momenti, quod Turcæ decem dierum ſpatio infinitas pæne copias poſſint contrahere, quum Imperator multo minores vix tot ſeptimanarum ſpacio colligere queat.

Expeditiones ſiue Romana ſubſidia.

Ab Imperii Ordinibus parum accipit Imperator. Aliquando tamen ſubſidia aliquot Romana (Römer Zug) ei conceduntur. Imperium enim ex priſca conſuetudine Imperatori Romam ad coronationem profecturo XX. peditum, IV. equitum millia præſtare tenetur ſpatio octo menſium. Hoc ſubſidio ad bellum contra Turcas, Gallos, & quoſcunque Imperii hoſtes olim Imperatores vſi ſunt, & iam vtuntur, poſtquam Romanæ illæ Expeditiones in deſuetudinem venerunt. Ex eo aliquando ad quater centena aureorum millia collecta quidam prodiderunt. Ex Auſtriæ reditibus,tributis,& vectigalibus decies centena aureorũ millia Imperatorem percipere poſſe nonnulli ſcribunt; cuius tamen ſummæ tres partes vix oneribus exſoluendis ſufficiunt,ita vt vix quarta ærario inferatur. Quantum ad

ſubſidia

ſubſidia extraordinaria; ſuperioribus annis ab Auſtria inferiori quater centena ſeptuagena, ex ſuperiori vero ter centena aureorum millia in cenſum relata perhibentur. Bohemiæ cenſus quater centenis aureorum millibus; Hungariæ ſexies centenis millibus æſtimatur; ita vt in vniuerſum fiant vicies centena aureorum millia, ſiue bini aureorum milliones. Sed præter hæc S. M. non exiguum emolumentum ex bonis Eccleſiaſticis percipit.

Satellitiũ. Ad cuſtodiam corporis S. M. alit CXL. equites, menſtruo duodenum florenorum ſtipendio, & XL. ſatellites, quibus menſtruũ ſtipendium, floreni octoni; Muſicos quadraginta, quibus à denis ad denos quinos florenos, ſtipendium ſingulis menſibus numeratur. Non parum quoq; in Nobilitatem quæ ad magnificentiam aulam ſequitur, impenditur.

Aulæ officia. Præcipua aulæ officia ſunt, Maior domus, ſiue Aulæ Magiſter; magnus Cancellarius; Mareſcallus, qui in Aula ius dicit; Camerarius; & Stabuli magiſter. Tria ſunt conſilia: Bellicum: Camerale, cui pecuniæ conficiendæ cura incumbit; & Conſilium Status.

Fœdera & amicitia. Cum Heluetiis & Rhetis S. M. pacem colit; licet illi multa loca teneant, quæ Auſtriacæ domus olim fuerunt. Erga Pontificem præſentem optime eſt animatus. Hiſpaniarum regem ſingulari amore & obſeruantia proſequitur. A Venetis non eſt alienus, eorumque Legato multa beneuoli animi indicia oſtendit: etſi de finibus nonnunquam turbæ oriantur. Ceteros Italiæ Principes caute admodum & prudenter tractat, omniumque beneuolentiam variis officiis alit; nec ægre fert eas quæ inter ipſos ſunt de dignitatis prærogatiua contentiones & æmulationes. Et hæc quidem ſunt quæ Serenitati Veſtræ de N. imperio & ditionibus ſcribenda habui, cui, &c.

DE FAMILIA AVSTRIACA, EIVS IMPERII ET DITIONIBUS,

DISCVRSVS TRIGESIMVS SECVNDVS.

CVM longo iam tempore Imperium in Sereniſſima familia Auſtriaca permanſerit (habuit enim feliciſſime continuata nec interrupta ſucceſſione, ſeptem Imperatores) non erit præter inſtitutum noſtrum de ea aliquod verba facere.

re. Hæc ſereniſſima familia celebrari famaque inclareſcere cœpit, eodem fere tempore quo familia Othomannica, excitataque à Deo videtur vt ſuæ Eccleſiæ cōtra Turcas & hæreticos pro vallo & propugnaculo eſſet. Duos habuit palmites, qui à duobus Philippi I. Regis Hiſpaniarum, Archiducis Auſtriæ, &c. filiis, Carolo V. & Ferdinando I. Rom. Imperatoribus prognati ſunt. Illi (Carolo Imp.) Belgium, Hiſpaniaque cum iis quæ inde depēdent ceſſit, quæ filio ſuo digniſſimo, Regi Hiſpaniarum Philippo II. reliquit: de eius ditionibus alias ſuo loco Ferdinando: ditiones in Germania obtigere, Auſtria nempe, Bohemia, Tirolenſis Comitatus aliæq; Prouinciæ; quibus per Annam vxorem, Hungarię regnum acceſſit. Is (Ferdinandus) poſt ſe, tres filios reliquit, qui quamuis ditiones patrimoniales in partes tres diuiſerint, rexerunt tamen reguntque adhuc eas ipſorum ſucceſſores, tanquā vnam Rempublicam, iiſdem conſiliis, animis, inſtitutiſque ponuntque nobis ob oculos in effectu, antiquum illum tergeminū Geryonem: omnes enim ad defenſionem communis Status, (quamuis prouinciæ alterius ſint ditionis) non aliter adcurrunt, quam ſi ad vnum ſolum omnes pertinerent. Sunt hi Status tam ampli, tantique momenti, vt niſi tanto terrarum ſpacio, quantum à montibus Carpathiis ad Segniam vſque eſt, Turcæ adiacerent (quis eos vigilare & ſemper magnas expenſas ſubire cogit) non populorum frequentia, nec opibus theſauriſque, nec ciuitatum magnificentia, nec viribus maximis Orbis Chriſtiani regnis cederent. Facile id percipere poterit is, qui conſiderarit diſtantiam à Tergeſto ad vltimos Luſatiæ terminos, à Tibiſco ad Nabum, & à Caniſia Conſtantiam ad lacum Podamicum vſque, iis finibus continentur, Luſatia, Sileſia, Bohemia, Morauia, Auſtria, & magna Hungariæ pars, Prouinciæ ampliſſimæ, populo frequentes, commeatu opibusque abundantes, præterea Stiria, Carinthia, Carniola, Comitatus Goritiæ, Tirolis, Ciliæ, & Principatus Sueuiæ, Alſatiæ, Briſgoniæ, Conſtantiæ. Inter has Prouincias Bohemia ſe in longitudinem, ad 140. milliaria extendit, diciturque ea continere 380. tum Arces, tum oppida muris cincta, & 32. pagorum millia. Sequuntur Morauia, Sileſia, Luſatia, quarum vnaquæque de amplitudine cum Bohemia contendit, ſed ab ea potentia populique frequentia vincuntur. Tres hæ Prouinciæ in longitudinem ad 600. in latitudinem ad 120. milliaria protenduntur. Optimo peditatu equitatuque abundant. Luſatiæ milites (quorum 20. millia, qui apti bello ſint, facillime conſcribi poſſent) inter optimos pedites cenſentur. Stiria, quę venis argenti ferrique diues eſt, in lōgitudinem ad 60. in latitudinem ad 110. milliaria excurrit. Carinthia (hæc maxima ſui parte montoſa ſyluiſque plena eſt) in longitudine 75. in latitudine autem 55. millia-

ia continet. Carniola cum ditionibus vicinis Tergeſtum vſque, extendit ſe per 150. milliaria, latitudo autem earum eſt 45. milliarum. Frugibus, vino, carne, ligno abundant. Comitatus Tirolenſis fodinis argenti ſalinisq; diues eſt, longus latusq; 18. milliaribus Germanicis. Præterea ditiones in Sueuia, Alſatia, Rhetia, (familia Auſtriaca in hac 18. communitates ſub ſua iuriſdictione habet.) Hæ Prouinciæ omnes plus minus duos milliones & dimidium ordinarii reditus, tantumque extraordinarii pendunt: incolis frequentes adeo ſunt, vt neceſſitate vrgente, centum peditum, & plus quam 30. equitum millia conſcribere poſſint. Non ſcio an ex aliquo Europæ regno maior militum numerus educi queat. Itaque non tam impotens Princeps eſt Imperator, quam aliqui ipſum ex ignorantia imperiorum exiſtimant, putantes ipſius dominium arctis finibus circumſcriptum & commeatibus inops eſſe, populoque infrequens videri, ipſumque pecuniæ inopia laborare: eſt enim eius dominium ampliſſimum, fertiliſſimũ, ditiſſimum, populoque frequentiſſimum, ſed Turca conterminus (cui ipſe a montibus Carpathiis ad mare Adriaticum vſque adiacet) poſſet vel potentioris Principis neruos elidere. Nullum Principem putarim, cuius fines Turcarum finibus terra iungantur, qui non ſolum belli, ſed & pacis tempore tantos ſumtus perferre queat. Faciendæ ſunt enim immenſæ expenſæ in extruendis munitionibus, earumque præſidiis. Turca enim magnis viribus, iisque fortibus, alacribus, omnique tempore promtis præſtat, eſtque pacis tempore armis inſtructior quam quiſquam aliorum Principum dum bellum maxime viget. Neceſſe itaq; eſt, vt is, qui Turcæ conterminus eſt, ob ſuſpicionem metumque adeo præpotentis hoſtis ſemper ſibi caueat, & ſumtus faciat, ſicut Imperator ſtipendia largitur, plus minus 20. militum millibus, in finibus Hungariæ excubantibus. Hæ ſunt magnæ expenſæ, nec minus munitionibus locorum impendendum eſt, vltra alias expenſas, in arcanis negotiis, quæ huius inſtituti non eſt commemorare. Cum itaque videamus Turcam, inſatiabilis Draconis inſtar, tot nobiliſſimas Prouincias, tot florentiſſima regna deuoraſſe, ſuæque ſubieciſſe tyrannidi tot ciuitates, quæ extra omne periculum eſſe putabantur, totque loca, quæ capi non poſſe putabantur, expugnaſſe; ne dormiamus in vtramque aurem, & cum ad ſcapulas lateraq; noſtra ſit, ne exiſtimemus eum longe abeſſe.

DE IMPERIO ET POTENTIA TVM TVRCICI IMPERII, TVM Catholiciſſimi Regis Hiſpaniarum, eorumque virium comparatione,

DISCVRSVS TRIGESIMVSTERTIVS.

Turcica ditiones in Europa.

Vrca imperio ſuo præcipuas fere trium Orbis terræ partium regiones comprehendit. In Europa enim totã oram maritimã ab Epidauro (quæ *Raguſia* hodie) ad Tanais vſque fauces excurrentem poſſidet: tum quidquid inter Budam & Conſtantinopolim, & à Ponto Euxino ad Sauum vſque interiacet. Eo ſpacio comprehenditur melior Hungariæ pars, tota Boſnia, Seruia, Bulgaria, Macedonia, Epirus, Græcia, Peloponeſus, Thracia, Archipelagus cum ſuis inſulis. In Aſia & Africa tenet id omne, quod ab oppido Belis *de la Gomera* ad Alexandriam Ægypti; à Bugia ad Guargalam; ab Alexandria ad Sienem; & ab Heroum ciuitate (quam nunc Suez appellant) ad Suachen vſque continetur. Imperium huius amplitudo ex magnitudine aliquarum eius partium æſtimari poteſt Palus Mæotis (quæ tota eſt imperii Turcici) mille milliaribus in orbe patet. Pontus Euxinus bis mille & ſeptingẽta milliaria ambitu ſuo comprehendit. Vniuerſum Maris Mediterranni, quod Turcæ paret litus continet in circuitu octo milliariorum millia. Ægyptus quæ tota Turcis paret, quinquaginta milliaria longitudine comprehendere exiſtimatur. A Tauriſio iter in ſuo facit Budam vſque, per ter mille & ducenta millia. Tantundem ferme interuallum eſt, à Derbento ad mare Caſpium, Adenam ad Sinũ Arabicum vſque. A Balſera ad ſinum Perſicum, Tremiſſenum in Barbaria vſque, paulo minus quam quatuor milliariorum millia numerantur. In mari nobiliſſimas inſulas, Cyprum, Eubœam, Rhodum, Samum, Chium, Lesbum & alias in Archipelago ſparſas, ſub imperio habet.

In Aſia & Africa.

Inſulæ.

Regionum fertilitas.

Nec vero maxime tantum hoc terrarum & pelagi ſpacio, ſed opulentæ etiã & annona abundantes continentur regiones. Quæ enim terra fecundior frugibus ditiorque Ægypto, Africa, Syria, Aſia tota? Quæ opulentior & omnibus bonis magis affluens

quam

quam Hungaria, Græcia, Thracia? In his ditionibus habet Turca quatuor vrbes quum magnitudine & populi frequentia tum diuitiis admirabiles, Conſtantinopolim, Alcairum, Alepum, Thauriſium. Conſtantinopolis omnes Europæ ciuitates incolarum multitudine ſuperat. Putantur enim in ea plus quam ſeptingenta hominum millia degere. Quod ſi ita eſt, duas fere Pariſiorum Lutetias æquant. Alepum maxima eſt Syriæ ciuitas,& quaſi centrum, quo mercimonia vndique confluunt. Tauriſium maxima totius Perſarum imperii vrbs (quibus olim erepta nunc vero recuperata dicitur) vltra ducenta hominum millia alit. Alcairum inter omnes Africæ ciuitates principatum tenet,non enim vlla eſt, quam non longo poſt ſe interuallo relinquat:quamuis nonnulli Cano vrbem magnitudine parem ei faciant,Horreum eſt non Ægypti tantum, & magnæ partis Africæ,ſed etiam Indiæ, cuius theſauri in Mare Rubrum, deinde Camelorum dorſis Alcairum deuecti, tandem per regiones quas Mare alluit Mediterraneum,diſtribuuntur.

Conſtantinopolis. *Alepum.* *Tauriſium.* *Alcairum.*

Hoc tantum imperium, quod iiſdem pene quibus Solis curſus terminatur finibus,ex paruis initiis ad hanc, quam nunc videmus omnibus Chriſtianis Principibus formidabilem potentiam,per arma & Chriſtianorum diſcordias excreuit. Artes vero Turcarum bellicæ fuerunt: ſemper paratum eſſe inſtructumque ad offendendum & præueniendum hoſtem; in Expeditionibus vti celeritate admirabili; habere vires in promptu & quaſi ad manum; vno tempore plura non tentare; non diu cum vno aliquo populo bellum gerere, ne in armis exercitetur, non conſumere tempus & pecunias in expeditionibus parui momenti; non omnia ſimul inuolare; ſed ſingula carpere & capere pedetentim. Multum quoque conatus eorum promouit ipſorum Principum præſentia,qui maxime expeditionum parti ipſi præfuerunt. Aliis quoque artibus vſi ſunt Turcæ, quibus trecentorum annorum ſpacio Otthomannidæ maximorum ſibi regnorum imperium acquiſiuerunt.idque ab anno M D. ad hoc vſque ſæculum altero tantum auctius reddiderunt.

Turcici imperii initium. *Artes Turcarum bellicæ.*

Otthomannidarum ſiue Oſmanidarum imperium plane eſt Deſpoticum, vel potius Tyrannicũ, Magnus enim Turca adeo abſolutam rerum omnium intra fines ſui imperii habet poteſtatem, vt incolæ ſe mancipia ipſius, non ſubditos nuncupent. Non ſui quiſquam juris eſt; multoque minus domus quam inhabitat,aut terræ quam colit, dominus eſt, exceptis aliquot familiis Conſtantinopolitanis,quibus præmii loco, ſingulari priuilegio & beneficio à Mahumete II. id conceſſum. Nec quiſquam tam magnus aut potens eſt, vt non dicam de fortunis, ſed de vita etiam ipſa vllam ſibi ſecuritatem promittere poſſit, niſi

Imperii forma.

Quibus modis imperium ſuũ tuetur Sultanus.

quandiu magno Domino viſum fuerit. Adeo etiam aerem ipſum quem hauriunt, Turcæ Principi ſuo referunt acceptum. Hoc tã abſolutum imperium Turca duobus modis tuetur. Primo quod arma ſubditis aufert. Deinde: quod Mamaluchis ſiue Apoſtatis, quos a Chriſtianis tamquam decimas capit, omnia committit: Hac arte duo bona conſequitur. Primum eſt, quod prouincias flore ac neruo virorum ſpoliat: ex quibus iuuenes robuſtiores armiſque aptiores deliguntur. Alterum, quod his ſeipſum armat, & ſecuritati ſuæ maiorem in modum conſulit. Ianitzari enim è parentum gremio in ipſa pueritia abrepti, & huius vel illius cura educati, priuſquam id aduertant, euadunt Mahumetani, & omni parentum nõ amore tantum, ſed notitia etiam amiſſa, toti a Magno Domino dependent, qui eos paſcit ac fouet; a quo omnia exſpectant; & cui omnia referunt accepta.

Turcici imperii vires.

Turcarum vires conſiſtunt in equitatu, peditatu, claſſibus, cõmeatu, pecuniis. Quod ad pecunias attinet, communis opinio eſt Turcam quotannis octuagies centena aureorum millia ſiue octo aureorum milliones ex ordinariis reditibus in ærarium referre. Quæ ſumma quamuis pro tanta imperii amplitudine, exigua videri poſſit, haud tamen fere maior eſt quod Turcæ nullius alterius rei curam quam armorum habere videantur, quem ſua natura ad regiones deuaſtandas & exſcindendas quam collocupletandas magis accommodata ſunt. Iidem ad alendos ſuos exercitus, & promouendas expeditiones ita regiones ſpoliant atque exhauriunt, vt vix neceſſaria vitæ ſubſidia eis relinquant.

Cur agricultura apud Turcas neglecta.

Hinc incolæ quibus nulla ſpes opibus ſuo labore partis fruendi, agriculturæ ac commerciis tantam dant operam quanta ad vitam ſuſtentandam neceſſaria videtur; immo vix ea ſibi comparant quibus vita carere non poteſt. Quid enim prodeſt ſementem facere quam alius meſſurus? aut metere, quod alius abſumpturus ſit. Itaque in Ottomannici imperii ditionibus videre eſt paſſim ſyluas ingentes, agros vepretis obductos, omnia vbique vaſta & cultu deſerta, pauciſſimas ciuitates populo frequentes. In noſtris regionibus ex populi frequentia annonæ oritur caritas; in Turcia vero ex hominum paucitate. Maxima pars ruſticorum cõmeatibus aliiſque rebus neceſſariis ad caſtra cõuehendis immoritur. aut in itineribus, & claſſibus abſumitur, nam ex decem Remigum millibus, vix quartus quiſque reuertitur; cæteri aeris mutatione, labore, aliiſq; ærumnis confecti pereunt, idque tanto ſæpius accidit, quod Turcæ claſſes ſemper hyeme ſubducunt atque exarmant, vnde fit vt remiges, epibatæ & claſſiarii nunquam mari eiuſque incommodis aſſueſcant. Mercatura autem omniaque fere commercia in manibus ſunt Iudæorum & Chriſtianorum Raguſianorum, Venetorum, Gallorum, Anglo-

rum.

rum. In tanta ditione quam Turcæ in Europa habent vix eſt vllum aliud celebre emporium præter Conſtantinopolim, & Capham & Theſſalonicam. In Aſia Alepum eſt, Damaſcus, Tripolis, Adena. In Africa Alcairum, Alexandria, Algerium reditus ſuppeditat agricultura, eadem artificiis materiam præbet. Artificiis mercatura inſtituitur. Iam agricultura iacente, iacent omnia. Etſi autem ordinarii in Turcico imperio reditus eam quã diximus ſummam non excedunt, credi tamen vix poteſt, quantum extra ordinem Principis ærario accedat, præcipue ex Confiſcationibus & donatiuis. Baſſæ enim alique miniſtri Turcici ſubditorum ſanguinem & fortunas tanquam hirudines exſugunt, & theſauros accumulant inæſtimabiles: qui tãdem vt plurimum, fiſco Principis cedunt. Ibrahimus Baſſa Alcairo ſexagies centena aureorum millia, id eſt, ſex milliones auexiſſe fertur. multo maiorem ſummam ſibi acquiſiuerat Mahumetes Vezeir. Ochialis præter alias immenſas diuitias, tria mancipiorum millia habebat. Selymi II. Soror Sultana quolibet die percipiebat bis mille & quingentos Zechinos ſiue coronatos; cœpitq; ad pegrinorum commoditatem Aquæ ductum ab Alcairo Mechã vſque pducere. Opus profecto incredibile. Sultano facile eſt cauſſam aliquam inuenire cuius pro libitu vitam cum fortunis auferendi. Iam & Donatia magna ſunt & immenſa. Nullus enim legatus cũ adire auſit ſine dono. Nemo munus aliquod aut dignitatem conſequi poteſt, niſi pecunia interueniente. Nullus a prouincia cui præfuit, aut ab expeditione quam confecit, vacuis manibus in tanti Principis conſpectum venit, nec vero tanto Principi titiuillitia donantur, aut teruncii. Moldauiæ, Valachiæ, Tranſyluaniæ, Vaiuodæ Principatus ſuos donatiuis redimunt & ſeruant. Et Moldauiæ quidem & Valachiæ Principes ſæpiſſime mutantur, dantur enim ij Principatus plus offerentibus: qui vt promiſſa exoluant, non tondent ſed deglubunt populos, & prouincias ad inopiam redigunt. Vidimus nihilominus ſuperiori tempore bello Perſico Turcarum exhauſta æraria, & theſauros prope omnes conſumptos. Proximis annis & Conſtantinopoli & in vniuerſo Imperio Turcico Auri pretium ſupra quam credi poteſt, auctum fuit ita vt aureus numus duplo plus quam prius valuerit. Ipſa inſuper Auri & Argenti materia ſic fuit adulterata, vt Ianizari occaſione hinc arrepta ignem Conſtantinopolitanæ Vrbi iniecerint, & ingentem non ciuibus ſolum, ſed ipſi etiam Sultano incuſſerint pauorem. Tum quidem Sultani nomine à mercatoribus Alepienſibus LX. aureorum millia mutuo fuerunt petita. Quamuis igitur Reditus Turcici imperii regionum magnitudini & fertilitati parum reſpondere videantur; vna tamen res eſt quæ vel ſola ad publicas vires ſuſtentandas

Emporia Turcica.

Baſſarum auaritia.

Donatiua frequentia apud Turcas.

Timarra apud Turcas, quid.

ſatis ſit, Timariorum ſcilicet vel Feudorum multitudo. Ottomannidæ enim Principes eos omnes agros quos bello hoſtibus auferunt, ſibi vindicant: & prioribus dominis partem aliquam, exiguam aut nullam relinquentes, reliquum in Timarra (quæ ſunt inſtar Commendarum aut Feudorum apud nos,) partiuntur; aut dant agros bene meritis militibus, quoad vixerint, ea conditione, vt aliquot equos ad belli vſum ſemper paratos alant. In quo omnis Turcarum de conſeruando imperio cura & prudentia ſita videtur. Niſi enim hac ratione militibus propter vtilitatem quam inde ſperant, telluris colendæ ſtudium & neceſſitas quodammodo incumberet, omnia vaſta cultuque deſerta ſquallerent. Solent ipſimet Turcæ dicere, vbi Sultani equus pedem ponat, ibidem nullam amplius creſcere herbam. Prædictis Timarris C C L. millia equitum aluntur, qui armis probe inſtructi, eo proficiſcuntur quo Princeps iuſſerit, ſine vllo vel minimo eius ſumtu. Tantus equitatus ceteroqui vix X I V. auri millionibus nutriri poſſet. Ac tanto magis mirum, quod aliqui Turcarum Reditus cum Chriſtianorum Principum Reditibus conferentes, huius tanti Ottomannicarum opum membri nullam faciant mentionem. In eo bello quod Turca ſuperiori tempore cum Perſis geſſit, tantum terræ Imperio ſuo adieciſſe fertur, vt X L. Timarrorum millia erexerit, nouumque gazophylacium Tauriſii inſtituerit, vnde decies centena aureorum millia quotannis percipit. Timarrorum inſtitutio & dilectus Azomoglianorum (ita vocant iuuenes, qui ad Ianizarorum militiam & contubernia adſcribuntur) duæ ſunt præcipuæ Turcici imperii columnæ. Vtrumq; ad Romanorum imitationem inſtitutum videtur. Romani enim Imperatores non ciuibus tantum, ſed ſociis etiam ad bella vtebantur: ex quib⁹ prætorianus etiam conſtabat exercitus, qui nuſquam ab Imperatoris latere diſcedebat. Tacitus docet, dilectus hos iuuentutis Batauis rebellandi occaſionem dediſſe. In impio Romano agri dabantur militibus in vſumfructū, & in compenſationem bene & fortiter factorum; dicebanturq; Beneficia, & qui iis fruebantur Beneficiarii. Alexander Seuerus conceſſit heredibus militum vt iis beneficiis frui poſſent, ea tamen conditione, ſi militiam ſequerentur. Sic Conſtantinus Magnus Præfectis & Tribunis militum de ſe bene meritis eos agros hereditarios eſſe voluit, qui ad vitam tantum antehac concedi erant ſoliti. In Galliis Feuda ex temporariis perpetua facta ſunt, regnantibus vltimis ex Carolouingiorum gente regibus. Horum Timariotarum Principi ad multas res percommoda eſt & vtilis opera, ſed duas inprimis. Vna eſt, quod his, tamquam fræno quodam ſubditos coercet, vt tam cito mouere ſe non poſſint, quin hos ſtatim veluti falcones

Duæ Turcici Imperii columnæ.

Timariorum vſus.

quoſ-

quoſdam ceruicibus ſuis habeant imminentes; quippe qui per vniuerſum Imperium ſunt diuiſi. Altera, quod dum vna dictorum Timariotarum pars, continendos in officio populos domi manet, ſemper altera ad omnes quæ occurrunt, expeditiones parata eſt. Sic igitur & præſidium Imperii; ad coercendos qui oriri poſſent tumultus; & præcipuus belli gerendi neruus in Timariotis conſiſtit. Præter hos Turcarum Sultanus ſub ſignis ſemper habeat bonum equitum numerum, quibus ſtipendia dependit. Ii diuiduntur in Spachios, Vlufagos, & Caripicos: ſuntque tamquam ſeminaria miniſtrorum & Præfectorum Imperii. Inde enim ordinarie ſumuntur Baſſæ, Beglerbegi, Sangiachi. Præter hos ſunt qui Alcanzi dicuntur, & auxiliarii Tartari, Valachi, Moldaui. Altera virium pars eſt, peditatus, cuius flos & præcipuum robur, Ianitzari. In his legendis duo conſiderantur, natio, & corporis ad arma habilitas. Ad nationem quod attinet, ex Europa tantum ſcribuntur, nulli ex Aſia. Aſiaticos enim pro mollioribus habent (vt ſane ſunt) & pronioribus ad fugiendum quam ad pugnandum. At Europæi pugnaces ſunt, & bellatores. Ad habilitatem quod attinet, ſeliguntur pueri, in quibus plura indicia roboris, agilitatis & audaciæ apparent. Tria enim hæc præcipuæ in milite requiruntur. Dilectus tertio quoquo anno habentur, niſi neceſſitas anticipare cogat: vt bello perſico accidit, quo non ſolum frequentiores dilectus habiti ſunt, ſed etiam ad *Azomaglianos* (ſic dicuntur tirones, qui deinde Ianizari) Aſiatici aliique miſcellanei adſcripti ſunt, quod nunquam antehac factum. Quum ii iuuenes Conſtantinopolim adducti ſunt, luſtrantur ab Aga, qui nomen pueri, patrem & patriam in tabulas refert. Ex his deinde aliqui in Aſiam minorem, quæ nunc *Natolia*, & in alias Prouincias mittuntur, vbi linguam & legem gentis addiſcunt, imbuunturque vitiis & moribus eorum quibuſcum degunt; atque ita etiam non animaduertentes, Mahumetani fiunt. Alii per Septa (*Serraglia* Turcæ vocant) quæ Sultanus Conſtantinopoli & Peræ habet, diſtribuuntur. Quibus facies liberalior, & mores decori, Conclaui Principis deſtinantur. A toto eo tempore quo iuuenes hi Azomagliani vocantur, certo carent magiſterio, nec præſcriptis occupantur exercitis; ſed hic operam nauat colendis hortis, ille fabricis, alius ſeruitiis domeſticis, ſimilibuſque aliis rebus. Poſt certum tempus reuocantur in Contubernia Azomaglianorum (ita appellantur toto tempore quoad Ianizarorum albo inſcripti fuerint) traduntur que Præfectis, qui eius operis manuariis laboribuſque exercent. Quod ad victum & amictum, ſatis male habentur. Somnum capiunt in ſpacioſis ædificiis & dormitoriis, iis quæ apud Cœnobitas religioſos viſuntur, non abſimilibus. Lucerna ibi pernox, & frequens cuſtos, ſine quorum permiſſu neuo mouere ſe loco audet. Interdiu Arcum & ſclopetum tractare diſcunt: cuius rei vbi aliquem habuerint vſum, numero Ianizarorum aut Spachiorum adſcribuntur.

Azomaglianorum dilectus.

Diſciplina Amozaglianorum.

Illis ſtipendium eſt à quinis Aſpetis ad octonos(monetæ hoc genus eſt) his deni. In album Ianizarorum relati in bellum aut oppidorum præſidia mittuntur; aut in aula (*Portam* appellant)manent. Hic tria loca ampliſſima ſunt, monaſteriorum inſtar, ad habitandum. Viuunt ibidem ſub Præfectis in certas claſſes diſtributi; minoreſque inſeruiunt maioribus in expendendo, & coquendo, & ſimilia miniſteria obeundo, magno cum ſilentio & obedientia. Qui vnius claſſis ſunt communi vtuntur contubernio & menſa: dormiuntque in atriis longiſſimis. Si eorum aliqui abſque venia foris pernoctauerint, ſequenti veſpera probe depectuntur, tanta cum diſciplina, vt poſteaquam vapulauerint, ſimiarum more Præfecti manus deoſculentur.

Ianizarorũ munia.

Gaudent Ianizari multis priuilegiis, honorantur quamuis ſunt inſolentiores, timenturque ab omnibus. In expeditionibus & itineribus deprædantur caſas & fortunas Chriſtianorum; nec vel verbo contra mutire licet. Empturi, non multum licitantur; ſed precium pro libito rebus dicunt. A nullo alio magiſtratu quam ab Aga iudicantur; nec plectuntur in extremo ſupplicio citra periculum ſeditionis, ideoque id raro, & valde ſecreto fit. Aliqui ex eorum numero adiunguntur Legatis obſeruandis & cuſtodiendis; alii comites dantur peregre proficiſcentibus, iis maxime qui lautiores ſunt conditionis, vt per Turcicas ditiones tuto iter facere queant, nec gratuita hæc eſt opera, ſed honorario non vili redimi ſolet. Quin etiam tanta eſt eorum auctoritas, vel metus potius, vt Sultani electio in ipſorum quodammodo ſit manu, niſi enim ipſi Sultanum approbent aut ei acclamẽt, creatus dici non poteſt. Tum Princeps nouus electus, congiarium eis dare ſolet, & ſtipendium augere. Quum grauius aliquod bellum geritur, pars eorum vna cum Aga, ſiue eius Legato euocantur, & quaſi Triarii olim apud Romanos, in ſubſidio ſunt, & vltimi omnium confligunt. Nullum apud Turcas inuidioſum magis quam Agæ eſt munus. Is ſolus & Græciæ Beglerbegus ſibi ipſi Legatos ſiue Vicarios conſtituendi ius non habent; ſed ii ab ipſo Sultano dantur. Agis nihil magis exitiabile eſt quam eximius Ianizarorum fauor. Numerus eorum intra duodecim & quatuordecim millia conſiſtit. Olim in magna militaris hic ordo fuit exiſtimatione; at noſtro tempore multum exiluit, poſtquam Turcæ etiam & Aſiatici adſcribi cœperunt, quum antea non niſi *Rum* (ſic enim Europæos vocant, quaſi *Romanos*) aſſumerentur. Multum quoque diſciplinam eorum eneruauit matrimoniorum vſus, qui antea ipſis fuit interdictus; at iam concedi ſolet. Sed & Conſtantinopolitanæ Vrbis deliciis(qua nihil mollius, nihil effeminatius) vehementer robur eorum tam corporis quam animi fractum eſt & debilitatum; ita vt ſegnities eorum & inſolentia incredibilis ſit, & plane intolerabilis. Vulgo omne Turcici Imperii robur in hac Ianizarorum militia conſiſtere putantur: quod tamen falſum eſſe, alibi oſtendimus. Præter Ianizaros *Aſapi* ſunt, peditatus vilis;

Aga munus.
Ianizarorum militia eneruata.

qui

qui ligone magis quam enſe vtuntur, magiſque ad hoſtes multitudine defatigandos quam virtute ſuperandos conducunt; adeo vt Ianizari Aſaporum cadaueribus foſſas impleant, & per ea in hoſtium valla & muros enitantur. Sicut autem Romani milites habebant partim legionarios; partim auxiliarios quorum illi præcipuum robur militiæ, hi velut additamentum & auctarium erant: ita & Turca equitatum quem ſtipendiarium habet, & Timariotas pro robore exercitus exiſtimat Ianizaros pro legione prætoria habet, Alcanzos pro additamento, Aſapos vero pro numero ducit.

Naualis Turcarum potentia.

Sequitur vt de nauali Turcarum militia atque apparatu aliquid dicamus. Ac primum, vix vllus toto orbe eſt Princeps, qui maiorem opportunitatem habeat inſtituendæ claſſis quam Turca. Epiri enim & Ciliciæ nemora, ac multo magis Nicomedienſes & Trapezuntinæ tam vaſtæ ac denſæ ſunt, tamque refertæ omnis generis arboribus ad naues fabricandas aptis, vt dictu ſit incredibile. Immo Triremes ipſæ iam fabricatæ, de Nicomediæ ſyluis in Pontum Euxinum cadere ac ſponte quodammodo delabi videntur. Nec deſunt Fabri ad copiam illorum lignorum elaborandam: quum etiam Chriſtiani auaritia ducti, operam Turcis locare non dubitent. Poſt inſignem illam cladem ad Echinades acceptam, ſtatim aliam Turcæ eduxerunt, quæ noſtræ quamuis victrici occurrere verita non eſt. Nec vmquam Turcarum Sultano hominum rei maritimæ expertorum copia defuit. Ex Triremibus enim quas præſidii loco in Inſulis Lesbo. Rhodo, Gypro, & Alexandriæ habet; itemque ex portubus Tuneti, Bugiæ, Algerii, vbi ſua, Turcis non inuitis, piratæ habent receptacula, magnum numerum remigum, nautarum & claſſiatiorum ad quantumuis magnam claſſem inſtituendam ſemper habet in promptu. Quantæ eius in mari ſint vires, noſtro tempore apparuit in claſſibus quas habuit ad Meliten, ad Echinadas, & Gulettam.

Apparatus bellicus Turcarum.

Ad bellicos apparatus quod attinet, habet ſane Turcarum Imperator ingentes, ac pœne incredibiles. Tormenta habet innumera. E tota Hungaria quinque millia abduxit; quingenta è Cypro; è Guletta non multo pauciora. Tam immani magnitudine apud Turcas ſunt machinæ, vt ſtrepitu, non ictu tantum muros demoliantur. Reliqui apparatus, pulueris pyrii & globorum tantam vim ſecum trahunt, quanta vel ad difficilimas ac maxime diuturnas oppugnationes eſt neceſſaria. Exemplo ſint oppugnatio Melitenſis, vbi exploſa ſunt plus quam IX. globorum millia; ad Famaguſtam CXVIII. millia Gulettæ XXXIX. dierum ſpacio Turcæ tormentorum impetu omnes munitiones deiecerunt, quas noſtri XL. annis excitarant.

Perſico bello Oſman ſummus militiæ Præfectus, quingenta tormenta campeſtria ſecum duxit.

Quatiunt

Quatiunt Turcæ mœnia ranta vi tormentorum, ac vbertatuonem tanto ſtudio continuant, vt omnia proſternant ac ſolo æquant. Vbi tormentis nihil efficitur, ſecuribus vtuntur & bipennibus; vbi harum nullus vſus, ligone foſſas implent, & muros ſuffodiunt; ſi nec hoc ſufficit, militum eas cadaueribus implent, & per ſuorum ſtragem gradum ſibi faciunt. Tria habent Turcæ quæ neminem non terrent: Multitudinem hominum innumerabilem; Diſplinam militarem firmam & inuiolabilem; Commeatuum copiam infinitam. Multitudo quidem ſua natura confuſionem parere ſolet: & plerumque magni exercitus paruis cedere ſunt coacti. At infinita Turcarum multitudo tam compoſite ac tanto cum ordine incedit, vt melior vel multo minoribus copiis ſeruari non poſſit: ſic vt non numero tantum, ſed arte etiam & diſciplina noſtros exercitus longe ſuperent Iam eadem in aliis rebus Diſciplina tam accurata eſt & tam ſancta, vt non dicam noſtris hominibus (apud quos vix eius vmbra) ſed ne Romanis quidem ipſis hac in re cedant. Diſciplina in his rebus conſiſtit. In

Diſciplina militaris.

parcimonia. Suſtentant ſe modico pane vel placenta, ſub cineribus cocta, & Oryza cum carne ad ſolem exſiccata, & minutim contuſa. Vini vſus ipſis interdictus, vt quondam Carthaginenſibus. Denis militibus gregariis vnus præeſt decurio, cui omnibus in rebus ſine vlla refragatione obtemperant. In caſtris nec vnam fœminam ſiue focariam videre eſt. Eſt ibi ſilentium mirab le. Tanti enim exercitus manuum & ſignis nutu, ſine vllis verbis reguntur. Ne noctu ſtrepitum aut tumultum excitent, captiuos aliquando effugere patiuntur. Rixas & furta ſeuere puniunt Ex itinere nuſpiam deflectere licet; multo minus in vineas aut agros ad carpendos fructus excurrere. Mortem contemnunt, quam putant ineuitabili fato contingere. Strenuos præmia, ignauos certa pœna manet. Solent vero Ottomannidæ Principes ſemper alicubi belligerari, vt exercitatos habeant milites, & diſciplina militaris non intermittatur. Quum autem militaris diſciplina armis apparatuque bellico deſtituta minus nihilo ſit (gigas quippe quantumuis ferox, ſed inermis, à puero armato vinci poſſet) tantam machinarum & bellicorum apparatuum omnis generis, rerumque ad arma tractanda neceſſariarum vim ſecum trahunt, vt nullius alterius rei curam habere videantur. Id facile credet is qui ruinas quas illi quocumq; velut infauſtum ſidus incubuerunt, fecerint, conſiderabit.

Principes finitimi.

Ad Orientem Turcæ finitimos habent Perſas, ſecundum lineam quæ fictione quadam à Tauiſio ad Balſaram vſque ducenda eſt. Ad Sinum Perſicum & meridiem Luſitanorum imperium attingunt. Ad Occaſum Seriphos Africæ & vltra mare regnum Neapolitanum ſpectant. Ad Septemtriones Poloniæ regnum & Auſtriacæ familiæ imperio diſterminantur. Bellicis viribus Turcarum Sultanus Perſarum rege abſque dubio ſuperior eſt: vt exemplis patet. Mahumetes

enim

enim II. vicit Vſumcaſſanum: Selymus I. & eius filius Solimanus in fugam egerunt Iſmaelem & Tamaſum. Amurathes III. per ſuos vicarios Perſis eripuit totam Mediam, Armeniam maiorem, & regiam ciuitatem Taurisium. Quod prævalet, peditatui acceptum referri debet, quo Perſa caret; & tormentis bellicis, quorum nec copiam nec tractandorum vſum habent. Quamuis autem Perſæ nonnunquam equitatus virtute Turcas in aperto campo profligauerint & deuicerint: iidem nihilominus ſemper tamquam victi, regionibus & oppidis tum quoque ſunt exſuti. Solimanus abſtulit eis Meſopotamiam; Amurathes Mediam. Nec Perſæ ſolum damnum paſſi ſunt, ac ſua amiſerunt; ſed ſocios quoque cladis fecerunt participes. Selymus I. ſpoliauit Mameluchos Ægypto & Syria. Amurathes III. Georgianos ad internecionem pæne deleuit, Perſarum Sophi confederatos.

Comparatio Turcarũ virium cum Perſis.

At ſi cum Luſitanis Turcarum Imperatori bellum gerendum ſit; multo inferior deprehenditur. Omnis enim cum ipſis decertandi ratio ſita eſt in viribus naualibus, quibus Luſitani Turcis tanto ſuperiores ſunt, quanto Oceanus Indicus Sinu Perſico & Mari Rubro maior eſt. Habent enim Luſitani in India loca & Portus, immo ditiones & dominia, ligno aliaque materia, commeatibus omnique apparatu nautico referta. Nec deſunt eis ſociorum, potentiſſimorum Principum auxilia. Econtrario Turca nihil munitum habet in Sinu Perſico præter Balſaram. Arabiæ ora, quæ forſan aliquas præbere poſſet commoditates, quatuor tantum, iiſque infirmis oppidis præcincta eſt. Itaque heic, vt & in mari Rubro claſſem armare valde ſit difficile, quod regio omnis ligno fabricandis nauibus idoneo careat. Hinc ſi quando Turcæ, quod tamen parraro factum eſt, claſſem in Mari Rubro inſtruxerunt (quod in Sinu Perſico multo fieri poſſet difficilius) neceſſe habuerunt materiam fabricandis nauibus ex Bithyniæ & Ciliciæ portubus per Nilum Alcairum vſque deuehere, vnde Camelorum dorſis Suez (olim *Heroum Ciuitatem*) vbi qualecumque Armamentarium ſiue Nauale Turcæ habent, fuit deportata. Et ſane ex omnibus expeditionibus quas Turcæ illis in locis contra Luſitanos ſuſceperunt, nihil fere præter damnum & dedecus domum retulerunt; vt Anno M.D.XXXVIII ad oppidũ Diu; Anno M.D.LII. ad inſulam Ormus: Anno M.D LXXX. ad Mombazam, vbi quotuor triremes & vna Galeotta Turcica, quæ Mombazæ regis fauore adiutæ mare illud occupare, & Luſitanos impedire conſtituerant, captæ fuerunt. Luſitani quidem omnibus viribus obſtant, ne Turcæ in eo mari pedem figant: & quamprimum ſubodorantur claſſem à Turcis ornari, ſtatim ipſos aggrediuntur, & in ipſo procinctu, vel etiam ante opprimunt: adeo ſæpe in ipſum vſque Mare Rubrum, nemine reſiſtente, penetrarint.

Cum Luſitanis.

Abiſſinorum Principi (imperite *Presbyterum Ioannem* vulgus vocat) idem Turcarum Stultanus bellica potentia prævalet, ducibus

Cum Preſbytero Ioanne.

ſcilicet,

ſcilicet, militibus, armis, omniſque generis apparatu. Ille enim Princeps vaſtiſſimas habet regiones ſine vllo munimento; innumeros milites ſine armis. Hinc Bainagaſſo eius vicarius vniuerſa ora maritima ad Mare Rubrum à Turcis exutu-, eoque redactus eſt, vt & pacem tributo ſibi redimere fuerit coactus. Magnum quidem & latum eſt Seriphiorum in Africa imperium, at Turcarum latius, qui id omne poſſident quod inter Mare Rubrum & Velez de la Gomera oppidum interiacet: quamuis Seriphiorum ditiones multo ſint fertiliores, & plures habeant munitiones, neque ita, vt Turcarum, ſint diſperſæ. Hos quo minus alter alteri bellum inferre audeat, Catholici regis impedit vicinitas, & ab eo metus. Ex reliquis Chriſtianis Principis ſibi conterminis Turca Poloniæ regem aliquo modo timere videtur: ſiquidem non ſemel prouocatus, & primum regnante Henrico Tertio, quando Iuonia Valachiæ Vaiuoda cum Turcis bellum geſſit, quo in bello multi Poloni equites Iuoniæ militarunt; deinde Sigiſmundo III. regnante, quando Koſaci crebris excurſionibus Turcarum ditiones infeſtarunt, & in illo denique motu qui ſub Ioanne Zamoiſcio generali Polonici exercitus ductore extitit: iniurias ſemper diſſimulauit, nec ſolita ſuperbia vlciſci conatus eſt. Poloni viciſſim poſt infeliciter ſuſceptam à Rege Ladislao expeditionem, non ſolum poſtea nihil amplius contra Turcas tentandum ſibi duxerunt, ſed Valachos etiam ſibi confœderatos deſeruerunt: quod tamen Regum magis nimiæ ſollicitudini vel puſillanimitati, quam Polonicæ nobilitatis ignauiæ imputandum nonnulli exiſtimant. Sigiſmundus I. à Leone Decimo Pontifice ad bellum contra Turcas inuitatus, Quid multis opus eſt, reſpondit? Fac ceteri Chriſtiani Principes concordibus animis & conſiliis coeant; ego pro mea parte non deero. Sigiſmundus II tam ab omni bello abhorruit, vt non ſolū Turcas non aggreſſus, ſed nec atroces iniurias à Moſcouitis illatas vltus fuerit. Rex Stephanus potentiæ ſuorum vicinorum non iniquus æſtimator, iudicabat cum Turcas manus conſerere, rem eſſe periculoſiſſimam: attamen cum familiaribus ſermones habens, dicebat ſe cum XXX. peditum millibus quos equitatui Polonico iungeret, facile expeditionem in Turcam ſuſcepturum fuiſſe, idq; meditari quodammodo videbatur. Principes Auſtriaci longiore terrarū tractu, quam vllus alius Princeps Turcæ conterminí ſunt, expenduntque in præſidia arcium (in quibus cum equitum, tum peditum plus quam viginti millia habent) maiorem ſuorum Redituum partem, auxilioque Germanico ſuis viribus coniuncto magis ad defendendum ſua; q̃ amiſſa recuperandū, imperiumq; dilatandum attenti fuerunt. Ferdinandus Auſtriacus, maiore robore quam ſucceſſu, expeditionem Budanam & Poſſegenſem ſuſcepit. Accidit id, non quod eius vires non ſatis firmæ validæque eſſent, ſed quod agilitate dexteritateq; carerent. Id volo eius Principis exercitus numeroſos, omnibuſq; rebus probe quidem in-

Turca Polonos & hi viciſſim Turcas metuūt.

Cum Auſtriacis.

ſtructos fuiſſe,ſed conſtitiſſe ex Germanis & Bohemis, gentibus tardis,lentis,parumque idoneis ad reſiſtendum Turcis, qui in factionibus bellicis expediti, dextrique ſunt. Veneti ſunt quoque Turcis mari & terra, per multa centena miliaria finitimi. Tuentur ſeipſos aduerſus Turcas magis pacis quam belli artibus, egregie muniendo ſua loca,fugiendo pericula & expenſas belli,Commercio,Donariis: denique,nihil non faciendo,ne ad manus veniatur,ſaluis libertate & ſtatu. Dicam quod res eſt. Quamuis eis pecunia cum bellico apparatu ſufficiente ſuppeteret, deſunt tamen milites & commeatus tanto bello pares. Reliquus eſt Rex Catholicus,inter cuius & Ottomannicas vires,nõ eſt magnæ æſtimationis differentia. Regis Reditus (loquor de iis quos Europa habet) excedunt Reditus Turcæ. Accipit enim plus quam IV. Auri Milliones ex ditionibus, quas in Italia & Sicilia habet. Plus quam duos in Luſitania. Ex Terris Nouis plus minus quam tres Milliones,annos promiſcue computando. Et hæ quidem Accepti partes æquant Turcici Sultani Reditus. At ſi quis ordinarios Caſtillæ,Aragoniæ,Belgii,&c. Reditus hic annumerare velit; profecto nequaquam Sultani ærarium cum Catholici regis ærario comparandum videbitur. Sed quid reperies, dicat aliquis, quod Timarris opponi poſſit? Primum id,quod Regis Reditus, Turcicis longe ſunt maiores. Deinde Subſidia quæ Rex extraordinarie, imo magna ex parte, poſtquã iam inoleuerunt, ordinarie à ſuis percipit: qualia ſunt Cruciata (*Cruſados* Hiſpanis) quod tribuit genus Regis ſubditi ad belli contra infideles & hæreticos vſum conferunt: idq; tantũ eſt vt mediocris alicuius Regni Reditus æquent. Deinde Subſidia Eccleſiæ (*Excuſados* vulgo) qui centũ fere triremibus alendis ſufficiunt. Caduca Officia (*Magiſtragos* indigetant,eſtq; id quod pro magiſtratibus & honoribus à Cãdidatis numerari ſolet) ex quibus in Hiſpania & Neapolitano Regno incredibilis pecuniæ vis conflari ſolet. Vt ſileant oprętercam Donaria populorum tam ordinaria quam extraordinaria, quæ ſane maxime ſunt. Nam Regnum Neapolitanum dat quoquo tertio anno plus minus duodecies centena Aureorum millia, id eſt vnum Millionem, & ducenta aureorũ millia. Sicilia, Sardinia, Ducatus Mediolanenſis. Caſtilia,& aliç ditiones,nec nõ Nouus Orbis,mittunt ſuis tẽporibus magnifica dona. Quid dicemus de Contributionibus? Caſtilia quidem proximis annis Regi Contributionis nomine octo Milliones aureorũ quatuor annis dependit: quæ ſumma vnius anni cenſum ex toto Imperio Turcico æquat. Nihil dico de numero Cõmendatũ,quas vocãt,Ordinũ Equeſtrium Montegię, Calatrauæ, Alcantaræ, Sancti Iacobi,quatũ Reditus etiam nihil amplius habenti ad bellum non maximum gerendum ſatis eſſe poſſint. Ex hac vna re tam multæ ac tantæ Catholico Regi miniſtros ſuos remunerandi ac ditandi ſuppedunt rationes,quantæ vix Angliæ & Poloniæ Regibus ex vniuerſo regno. Adde his omnibus magnum

Cum Venetis.

Cum Rege Catholico.

Extraordinarii Catholici Regis Reditus.

equitum

equitum numerum, quem ordinarie Rex Catholicus in ſua ditione paratum habet. In Hiſpaniis tria millia, tantundem cataphractorum & leuis armaturæ numerum in Belgio. In Ducatu Mediolanenſi CCCC. Caraphractos, & mille equites leuioris armaturæ. In regno Neapolitano mille & quingentos cataphractos: quod quidem maximum totius Italicæ militiæ eſt robur. In Sicilia totidem equites, mille ſcilicet & quingentos. Nec parui fieri debet obligatio, qua clientes fiduciarii ſiue Vaſalli, vrgente neceſſitate, ſuis expenſis, maxime quum bellum defendendum eſt, ſeruire tenentur. Et ſane feudorum & militiarum ex caſu, vt vocant, in Hiſpaniis ingens eſt numerus: vtpote in quibus numerentur XXIII Duces, XXXII Marchiones, XLIV. Vicecomites, VII. Archiepiſcopi (nam & hi vt quorum maximæ ſunt opes, pro rata tribuunt(tum XXXIII Epiſcopi. In regno Neapolitano ſunt XIV. Principes, XXV. Duces, XXXVII. Marchiones, LV. Comites. CCCCXLVIII. Barones. Vt nihil dicatur de Luſitania, Sicilia, Sardinia, Belgio, Mediolano ſiue Inſubria. Sed & hoc conſiderandum eſt, equitatum Timariotarum apud Turcas non tam virtute & robore quam numero præſtare. villarum enim & prædiorum quę feudi nomine tenent commoditates & deliciæ, ſtudiumque ſeipſos locupletandi fructibus agrorum, ignauiores, viliores, pacis & otii quam belli magis cupidos eos reddit. Ægre ab ædibus auelli ſe patiuntur, & ad expeditiones proficiſcuntur maiori cum deſiderio domum redeundi, fruendique deliciis hortorum, & fructuum è poſſeſſionibus ſuis copia, quam confligendi cum hoſte, aut eorum ſpoliis ſeſe ornandi. Quod ſi aliquantulum prædæ armis acquiſitæ milites etiam feroces in languorem dat & ignauiam: quid faciat magna poſſeſſio, amœna villa, diues prædium, vxor ac liberi chariſſimi, domi relicti? Taceo quod equitatus quem Turca Timarris ſuſtentat, ſubiugatis potius populis tamquam fræno coercendis inſtitutus eſt, quam hoſtibus infeſtandis. Subditi enim vi ſub Turcarum imperio continentur. Quamplurimi Principem habent odio, immo deteſtantur, & religionis & imperii eius odio quodam internecino. Religionis odio Mauri & Arabes, & ipſi Mahumetani quidem, ſed diuerſis ſectis addicti. Religionem eius & imperium ſimul execrantur Chriſtiani, qui plus quam duas tertias partes ſubditorum conficiunt. Atque hæc cauſſa eſt, quod maior fere Timariotarum pars domi retineatur: quippe qui ſine Status vel ipſius imperii periculo abduci non poſſint. Eſt denique is equitatus tanto regionum ſpacio huc illuc diſperſus, vt magno numero in arduam aliquam expeditionem educi nequeat: nec diu in ea longe ab domo perſtare poſſunt, quin multarum rerum inopia conflictentur, & ad ſummas tandem miſerias redigantur, ſi nulla aliunde quam ab ipſis Timarris & prædiis, vitæ ſuſtentandæ habeant ſubſidia. Et ſane rerum præteritarum experientia æquales fere horum Principum eſſe vires docuit.

Iactura enim claſſis Hiſpanicæ ad Gerbi inſulam Turcicæ claſſis fugæ à Melitenſi expugnatione opponi poteſt. Gulettæ amiſſio opponitur expugnationi Pegnoni Velez. Tunetum fere iis in prædam ceſſit, qui manus admouerunt. Rex quidem Catholicus nullam hactenus inſignem ac memoratu dignam contra Turcas ſuſcepit nauigationem: ſed ad Melitam & Oranum ſtrenue ſe defendit. Nihil dicam de memorabili illa ad Echinades inſulas ſiue Naupactum nauali victoria; quum in eius ſocietatem alii quoque Principes veniant, partemque aliquam non immerito decerpant. Vtrimque poſtea de armorum in aliquot annos induciis tractatum fuit inter Regem & Turcam. Vterque æque fuit occupatus & vndique diſtentus. Vnus in Perſia, alter in Belgio. Et id quidem in cauſſa fuit, cur alter in alterum non omnes potuerit explicare vires. Vtrique in bellum, ob regionum longinquitatem, immanes ſumtus fuere impendendi; ſed Regi maiores quam Turcæ. Quamuis enim Perſia Conſtantinopoli (vnde maxima pars virium ſummittebatur) longiſſime diſtet; non tamen ita longe abeſt à Meſopotamia & aliis Turcici Imperii ditionibus, vnde in omnem euentum auxilia peti poterant. Sed Belgium ab aliis Regis ditionibus longiſſimo diſtat interuallo. Turcæ cum Perſa ſolo, amicis deſtituto res fuit. Regi autem vno tempore cum Rebellibus, Francis, Anglis & Germanis (quæ nationes Perſis inferiores potentia non ſunt) concertandum fuit; nec Turcas vmquam eſt aggreſſus, quin aliud ei bellum, vel in Belgio vel alibi fuerit gerendum.

DE STATV REGNI SVECIÆ,

DISCVRSVS TRIGESIMVSQVARTVS.

CVM alibi ea retulerim atque enarrauerim, quæ ad rem Suecorum, quatenus ad religionem, ſpectabant, hoc loco tractabo ea, quæ ad rerum temporalium cognitionem pertinent, neque ſpecialia quædam illius Arctoi orbis nationum inſtituta, moresque prætermittam.

Fines Sueciæ.

Suecia, ſi Ducatus Finlandiæ, & Gotthia, quæ in Orientalem, & Occiduam diuiditur, includatur, a Septentrione contermina

eſt Oceano, a Meridie mari Baltico, ita dicto ab oppido quodam Latinis Orizodia nuncupato, quod in anguſtiis maris Danici, vnde influit Oceanus, viſitur: ab Oriente Moſcouiam habet, & Ruſſiam, ab Occidente Noruegiam, & Daniam, duo regna hac tempeſtate Regis Danimarchiæ ditioni ſubiecta.

Eius latitudo.

Ex numero graduum, quibus Suecici regni prouinciæ diuerſæ continentur, facile colligi poteſt eam regionem vaſtam eſſe; prout reuera latiſſima eſt; nam Stocolmia regia ciuitate, quæ ſub quinquageſimo quinto gradu ſita eſt, vſque in Laponios iter eſt longum amplius quam mille miliaribus Italicis, & à finibus Daniæ vſque Stocolmium (quæ vrbs fere in meditullio regni, quod ad longitudinem, iacet, inſumuntur plus quam quindecim dies iuſti itineris, noſque non ſine aliqua induſtria minus quam viginti inſumere nequiuimus.

Laponii.

Quin etiam à primario quodam viro, qui bellorum præteritorum cauſa regnum illud quaquauerſus permetitus eſt, intellexi, longe latius illud eſſe, quam ſit Italia tota totaque ſimul Francia, à ſe æſtimari, computatis Lapponiis & ducatu Finlandiæ.

Regnorum ſitus, ac feracitas.

Situs, planitiei eſt incultæ, ideoque maior pars ſaltibus & altiſſimis ſyluis obſitus, pinuum, abietum, quercuum: in quibus ſyluis communiter habitatur, ſeriturque, & paſcua habentur pecudibus & armentis lætiſſima, & lacus ampli, quorum plurimi piſcibus abundant optimis ac ſaluberrimis. Neque deſunt flumina; niſi quod minime naues admittunt, vtpote quæ arboribus in ea decidentibus implicantur, vel ingentibus ſaxis impediuntur, vel ab arte in ſuum alueum vt commodius decurrant, non diriguntur, vel maiore anni parte glacie conſiſtunt. Conſpiciuntur etiam montes, & valles, vt in Finlandia; quæ vox perinde vt illa prouinciæ Finmarchiæ in Suecia terram optimam ſignificat; eodemque pacto Dallacarliæ vox prope Finmarchiam denotat Vallem hominum. Tractum illum terrarum, quem Lappones obtinent, latiſſimum eſſe audiui, longeque maiorem, quam tota Suecia: ſed quia tota illa gens certis caret ſedibus, & perpetuo vagatur, alicui ſubiecta regi dici non poteſt, etſi ii, qui minus vagantur, Suecico parent Imperio.

Dania & Suecia reges cur diſcordes.

Tripliciter diuiduntur regiones illæ: primum in tria regna, Sueciam, Gothiam, Vandaliam, etſi hoc nomen Vandalorum ſecundum Neotericos pertinet ad latus illud Germaniæ, quæ mari Baltico alluitur, quo Pomerania comprehenditur cum reliquis vrbibus illis Imperialibus & maritimis; & ob hæc tria regna, Sueciæ Rex tria diademata fert in ſuis inſignibus, quamuis eadem Rex quoque Daniæ ferat: qua de re ob diuerſa eorum iura adhuc inter ſe diſſident.

Altera

Altera diuiſio fit in vndecim prouincias,quæ vndecim Ducatus & Comitatus duodecim continent: Ducatus ſunt Vplandia, Gothia Occidentalis nuncupata Veſtrogothia, Gothia Orientalis dicta Oſtrogothia, Smoladia, Veſmania Dalahaſlia, magnus Ducatus Finlādiæ, in quo continentur Abeſis Ducatus, Satagundiæ, Careliæ, nec non Tauaſtiæ. Comitatus ſunt Helſingia, Angermania, Geſtritia, Medelpadia, Botina Orientalis & Occidentalis, Vlandia, Vermelandia, Nuitia, Dalia, itidem Inſula Vlandiæ, cuius tamen Comitatus ad Finlandiam pertinet. In omnibus his Ducatibus atque Comitatibus pleræque comperiebantur arces, verum diuerſis bellorum iactationibus, atque diſſidiis & ſuſpicionibus, quibus Lutherana ſecta originem dedit, ſolo æquatæ, vel derelictæ perierunt: quæ vero in præſens conſpiciuntur adhuc validæ, vel paſſim conſtruuntur, hæ ſunt; Verſus Occidentalem Oceanum apud Elsburgenſem ciuitatem ad lacum Veneris conſpicitur arx Elſfelsburgenſis : quod vocabulum ex ratione ſitus deſumitur, quandoquidem maritimum ſinum denotat, cum haud procul inde influat mare: duæ viſuntur aliæ, altera Goltburgenſis nomine, quaſi aureum Caſtellum, altera Cronebergum. *Diuiſio Sueciæ.* *Arces.*

Verſus mare Balticum ſex milliaribus procul à Scania, quæ Prouincia eſt regni Danimarchiæ, cernitur caſtellū & vrbs Calmariæ: In Oſtrogothia vero Caſtellum Vaſſeni prope monaſterium, vbi Sanctæ Brigidæ, eiuſq; filiæ Sanctæ Catharinæ corpora requieſcunt.

Fuit quoque olim in Eueropia arx, quam Rex inſtaurandam putat, nomine Borlzolomia, in Inſula Vlandiæ, quæ arx à Maieſtate Regia hodie ædificatur: hæc autem Inſula duodeviginti ſatis amplas habet Parochias, & ſeptuaginta millibus paſſuum lōgitudinem ſuam abſoluit Mari Baltico, eſtque Reginæ præſentis dotalibus bonis adſcripta. Sunt inſuper arces Stecburgium, Nicopia, Vicerbinum, Gribſelmia caſtellum in Vpſalia. Arx Stocolmii, in qua propriam habet ſedem Rex, & Vrbuna, vbi Henricus Rex, qui præſentis Regis frater extitit, carcere detentus, & vita functus eſt anno præterito: diſtat autem Vrbuna vndecim milliaribus procul ab vrbe Stocolmii in agro Vpſaliæ. Et hæ ſunt arces, quæ in regno Sueciæ numerantur. *Stocolmiū Regia.*

Quæ vero in Finlandia cenſentur, ſunt, altera in ciuitate Abbo, altera paulo vlterius dicitur Elſingofors : altera in Tauaſtia nominatur Giaffauſthaus, quod perinde eſt, ac ſi dicatur Domus Tauaſtiæ, quæ nominatur Hislet, hoc eſt, Caſtrum nouum; altera demum arx apud Viburgum ſita eſt, finitima ſeu vicina Moſcouiæ.

Præter has regiones & arces poſſidet Sueciæ Rex in Liuonia egregiam ciuitatem Riualiam, quæ arce magni momenti communita eſt (olim ad Commendatorem quendam ſiue ſupremum magiſtrum ordinis Liuonici, vel, vt quidam putant, ad regnum Poloniæ pertinebat, ſed temporibus Henrici Regis capta eſt) & præter hanc haud pridem eiuſdem Regis exercitus à Moſcho aliam arcem vindicauerunt dictam Emuelpel, pro cuius munitione, aliasque ob cauſas diſceſſionis meæ tempore Duces quidam ad aulam regiam venerant, qui plurima ad hanc rem monita afferebant, opemque Ducis Curlandiæ cognomine Koter pollicebantur; hic autem Dux ille eſt, qui antea magnus Magiſter, vel Commendator ordinis Liuonici vocabatur, ſed Catholicæ religionis rituum deſertor, hunc pariter titulum depoſuit.

Curlandiæ Dux deſertor ſui Ordinis.

Tertia regni diuiſio eſt ex Epiſcopatibus, qui antiquitus ſeptem erant, ſi Archiepiſcopatus Vpſaliæ, qui in omnibus illis regnis Primas eſt, & metropolita, annumeretur. Ætate Gostaui patris huius Regis additus fuit Viburgi in Finlandia Epiſcopatus, verum quia inconſulta Sede Apoſtolica erectus fuit, nominis huius honorem reuera non promeretur. Septem igitur Epiſcopatus hi ſunt, Vpſalenſis, Lincopenſis, Aroſcienſis, Scarenſis, (qui fere totus in Ducatu & patrimonio Ducis Caroli comprehenditur, exceptis ſexdecim Parochiis, ad Regem Suecorum pertinentibus) Imperialis, qui etiam dicitur Stregnienſis, Vellimnenſis, & vltimo loco Abboenſis in Finlandia.

Epiſcopatuum numerus.

In iis Diœceſibus cum Lutherani ea regna inficerent, ſeptuaginta erant monaſteria vel Cænobia Religioſorum & Virginū: nunc autem etſi pleraque illorum ędificiorum ſuperſunt, nullum à noſtratibus religioſis poſſidetur, præterquam Vaſteni Monaſterium, vbi S. Brigidæ eiuſque filiæ Beatæ Catharinæ reliquiæ ſeruantur, & duodeviginti moniales ſub Venerabilis Abbatiſſæ imperio viuunt, cui duo Catholici Sacerdotes Sueci miniſtrant, qui ſanctam religionem noſtram conſtanter retinuerunt, iſtarumque monialium numerus ſub Regis & Reginæ patrocinio quotidie augetur cum quatuor vel quinque ab hinc annis ſeptem duntaxat eſſent virgines, aut ad ſummum octo. In Diœceſi Vpſaliæ numerantur centum ſeptuaginta & vna parochia: extenditur autem ad Lappones vſque, & Finmarchiam comprehendit, quæ regio Lutheraniſmo addicta Chriſtum D.N. abiecit: ibi vero octo ſunt ſatis amplæ Parochiæ, circiter quadraginta duo millia hominum comprehendentes, quemadmodum percepi à quodam ſeculari homine Parochiæ Pitenſis, quæ vicina eſt Lulæ, vltimæ in Septentrione Parochiæ, quę mille millibus paſſuum Stocolmio abeſt.

Et Parœciarum ingens numerus, atq; amplitudo.

Diœceſis Lincopiæ ducentas & viginti ſex continet Parochias; Vexcenſis ducentas & decem: Scarenſis Lincopienſem numero adæquat: Stregmenſis centum habet Parochias.

Epiſcopatus Abboenſis quingentas: quæ maiori ex parte adeo frequentes ſunt, vt in Finlandia pleræq; Parochiæ mille ruſticos, vt aiunt, hoc eſt, mille familias contineant, aliæ vero octingẽtas, aut quingentas, vel paulo infrequentiores; rariſſime autem inueniuntur, quæ centum ruſticos non admittant.

Hæ autem inter ſyluas diſperguntur perque alia loca aperta, quibus ad ædificandas domos materiæ & lignorum abundantia non deſit præſertim, vbi à vehementia Borealis flatus protegantur, in iiſdem domibus animalium armenta detinentes, & opificia quæq; exercentes victui, atque amictui neceſſaria. Quamobrem in iis regnis ciuitates eius magnitudinis atque frequentiæ, cuiuſmodi in aliis videre eſt, minime viſuntur.

Inter Parochias vero, quas dixi, non computantur, quæ in diuerſis oppidis, atque vrbibus videntur; quarum numerus permultus eſt cuius rei exactam adipiſci notitiam mihi nequaquam licuit. Ex quibus probabilem quandam coniecturam ſumentes, & Parochiarum numerum inuicem ita computantes, vt ſingulæ Parochiæ ducentas familias, ſingulæ vero familiæ decem homines complectantur (quia familiæ admodum fæcundæ ſunt ac perſæpe duplo numeroſiores) ſolæ campeſtres Parochiæ tres milliones hominum numerabunt, non comprehenſis Lapponibus, qui cum adhuc perpauci Chriſtiani ſint, nullam habere Parochiam videntur: illorum vero quis numerus cenſeatur, mihi conſtare non potuit.

Idiomata gentium.

Igitur in omnibus iis regnis tria diuerſa celebrantur Idiomata Sueca, quæ in omnibus prouinciis in vſu habentur, nempe in Gothia, in Noruegia, Dania; cui Suecæ linguæ Saxonica pleriſq; in vocibus aſſimilatur, quemadmodum Belgica & Anglica modicæ pronunciationis flexu diſcriminantur. Secundo loco accedit lingua Phinnonenſis, quæ non ſolum in magno Ducatu Finlandiæ in vſu eſt, (excepta vna prouincia, vbi Sueca lingua plurimum conſeruatur) ſed etiam in maiore parte Riualiæ ciuitatis Liuonicæ, & circa illius regionem, vtpote quæ à Finlandica lingua pleriſque in vocalibus minimum differt, neque adeo difficilis videtur, vt eſt Idioma ſuperioris Germaniæ. Itaque minimo negotio addiſcitur & pronuntiatur: proinde Gallos & Italos cognoui, qui ea vocabula ſatis apte explicabant, quemadmodum ipſimet Sueci atteſtabantur.

Temperies aeris clementior.

Aeris temperies communiter purgatiſſima eſt, ac proinde ſalubris per totam Sueciæ longitudinem. Neque vero tanta eſt ipſi aſperitas & inclementia, neq; frigora adeo intenſa, vti non nemo

inexpertus fortaſſe putauerit; neque enim hypocauſta, ſed camini in vſu habentur, qui poſteaquam ligna in carbones redacta ſunt, lamina quadam ferri claudi queunt, quod per rimam quandam extrahitur, & abſconditur in circuitu camini: quibuſdam vero in locis vbi lacunæ ſunt, vel aquæ ob incuriam aliaue de cauſa ſtagnantes, aer aliquando grauior eſt, eo nebulis, ac humiditate humana capita læduntur.

Sanitas incolarum. Idcirco diuturnam incolæ vitam viuunt, præſertim in montibus locisque Borealibus, neque quicquam mirantur pleroſque ſuorum ad centum triginta vel quadraginta annorum ætatem peruenire; quæ ætas adhuc foret ipſis communior, niſi vitę filum nimio potu atque cibo ſæpenumero interciderent non minus in Suecia, quam in Gothia, & in Finlandia: proinde in aula regis duo vix Medici aut Pharmacopolæ videntur.

Ad regnorum, quæ diximus, gubernationem iam deuenio: huius autem gubernationis quatuor partes habentur; prima eſt Aulæ & regalis reſidentia Principis cum ſingulis ſubditis Prouinciis: altera eſt rerum militarium diſpoſitio atque tractatio: tertia Regiorum vectigalium: poſtrema morum rituumque qui in iis regnis obſeruantur.

Politia regni. Si generatim regna conſiderentur, ſub vno rege ea gubernari aſſerendum eſt, qui anteactis temporibus eligebatur; ætate vero Goſtaui patris præſentis regis hæreditarius factus eſt.

Conſiliarii regii. Regi duodecim Nobiles adminiſtrant Conſiliarii, quorum numerus ad hæc vſque tempora non fuit adauctus: cum vero Stocolmio excederem in eiuſmodi dignitate infraſcripti accenſebantur.

Petrus Comes Vyſiburgenſis, Baro in Ridboholm Archidapifer Regni Sueciæ, qui vir Regi Patruelis eſt homo prouectæ ætatis, prudentia ac moderatione conſpicuus. Nicolaus Ghillieſtemus Baro in Lundholm. Eagleretus Magnus Regni Cancellarius. Henricus Sparre Dominus in Sundii Vicecancellarius Regni; hic fuit aliquando in Italia, & gener eſt Comitis Petri, vir magnæ nobilitatis. Gabriel Ghriſtierni Baro in Morbii.

Georgius Gero Baro Borcheuk & Olmo.

Henricus Goſtaui Baro in Cronenbergh & Vreſtein.

Honce Schildo Bielh Baro in Lehoo vocatus Magiſter aulæ Regis Sueciæ.

Nicolas Flamig Baro in Vrich primus Admiralius regni.

Henricus de Gillenſtyerno Eques auratus in Hynaz.

Nicolaus Acatri Eques auratus in Erka.

Ranueopſe Eques auratus in Sothonote.

Goſtauus Bancer Eques auratus in Dinsholm Marſchallus Aulæ Regiæ.

Præter Conſiliarios diuerſi adſunt regii miniſtri: nam illa regna, vti diximus, non modo in Prouincias, Ducatus, & Comitatus diuiduntur, ſed etiam quælibet Prouincia partitur in territoria, quæ Parochias plus minuſue comprehendunt: ſingulæ vero Parochiæ ſuo reguntur Lancemano ſiue Conſule: territoria deinde ſuum habent Vicecomitem, qui alter fere Prætor eſt, qui ius dicit.

Vicecomitibus ſuperior ſiue præfectus eſt, qui latine Legifer dicitur, munus ad Regiam Maieſtatem proxime accedens: eſt autem ſimillimus Siniſcallis Franciæ, dicunturque à Suecis Lamem, tanquam ſupremi Iuſticiarii: a Vicecomitibus fit appellatio ad Præfectos & Legiferos: ab his ad Conſilium Regale: ab hoc ad ipſum Regem prouocatur. Affirmat porro Regia Maieſtas in illis regnis vndecim Præfectos aut Legiferos haberi, quibus plus quam trecenti Vicecomitatus ſubiiciuntur. Legiferi autem partem ſui territorii, quotannis circumeunt, viſitantque donec vndequaque viſitatis, circulo quodam abſoluto, ad priorem partem denuo viſitandam reuertantur: quæ res quemadmodum ad ſtatum Reipub. ſigillatim dignoſcendum, & ad remedia opportuna morbis publicis adhibenda mirifice prodeſt, ita populos ſubleuat, recreatque: quandoquidem ex territoriis & Parochiis, quas viſitauerunt, tributum alternatim exigunt, neque vniuerſa ſimul aggrauantur. *Viſitatio regni.*

Territoria vero antiquitus hunc in modum diſtributa erant, vt ſingulis centum Ruſticis, hoc eſt, familiis, quæ extra ciuitates habitant, vnus aſſignaretur quaſi centurio, ſiue minor Iudex; qui certis anni temporibus, etſi apud ipſos non reſidet, apud eoſdem tamen iuſtitiam exercet. Et nihilominus Rex minoribus huiuſmodi iudicibus, iuxta virtutem atque ipſorum merita, ducentarum nonnunquam familiarum adminiſtrationem tradit. *Iuſtitia adminiſtratio.*

Omnia hæc munera viris committuntur, partim nobilitate præclaris, partim qui virtutum meritis ea promereantur.

Lancemanus, ſiue Conſul Porochiarum ſingularum ex ipſis ruſticis deligi ſolent: hic vero ad Vicecomitem pro neceſſitate confugium habet; interque cætera munera, quæ Lancemano competunt, alterum eſt, vt quoties aliquæ prouinciæ à Rege cōuocantur, illuc tendat, vbi Regia Maieſtas reſidet, vt rerum exequendarum mandata ſuſcipiat: quod ſingulis ferme annis ſemel contingere ſolet.

Curat etiam Lancemanus, vt prouideatur, ne viatoribus deſint hoſpitia, vtque iis equi ad iter peragendum ſuppetant, itidemque trahæ comparentur tempore glaciei vel niuis; hæ vero parui curſus ſunt abſq; rotis: taxatio vero ſingulorum equorum *Lancemani iuriſdictio.*

 eſt, ſo-

eſt, ſolutio mediI groſſi monetæ Romanæ pro vno quoque milliari Suecico, cuius longitudo quinque ſemper, aut etiam ſex Italica milliaria conficit.

Vicecomitum dignitas.

Vicecomites minimo ſalario detinentur, vtpote qui ab Exactoribus regiis, qui per ſingulas prouincias diſpoſiti ſunt veſtes ſingulis annis ſemel obtinent præter quadraginta vel quinquaginta talleros, qui viritim diſtribuuntur: fruuntur quoque immunitatibus, donis, & ſimilibus.

Smollandia.

Sola Smolandia, quæ regno Danico finitima eſt, quia ſatis ample patet, quinquaginta duob. repleta eſt Vicecomitatibus, in quibus omnium Suecorum bellicoſiſſima gens degit, quæ nonnunquam ad numerum triginta millium armatorum tumultuata eſt. Igitur præter hæc munera, præcipuæ vndecim prouinciæ ſolebant ſingulæ gubernatorem vnum, tanquam Proregem, habere: Gubernatores autem propter antiquas regni conſtitutiones ipſi regii Conſiliarii deputabantur, qui ſimul cum Vicecomitibus modo maiore, modo minore numero, prout occaſio poſtulabat, ad regem accedebant, vel ſibi commiſſa munera per ſubſtitutos homines exercebant.

Perdurauit hæc inſtitutio, dum religio Catholica floruit: quæ res in cauſa erat, vt ſeditiones, quæ aliquando in Prouinciis excitabantur, facilius componerentur: & reges longe minoribus afficiebantur moleſtiis, cum ſubditi rarius ad eius Maieſtatem confugere neceſſe haberent.

Subuerſa religione, regna perire neceſſe eſt.

Verum poſteaquam Chriſtiernus Rex Daniæ Sueciam ingreſſus Stocolmium ad deditionem armis compulit, & incredibili in ea ciuitate vſus eſt ſæuitie, propter quam meliores, atque nobiliores ciues interfecti ſunt, nunquam forma illa gubernationis in priſtinum reſtitui potuit, cum propter hunc defectum, tum etiam, quia Goſtauus huius Regis parens, cum ad thronum regalem aſcendiſſet, plurimumque in legibus regni Sueciæ & Gothiæ ordinandis elaboraret, paucisque poſt annis ab Archidiacono Sueco ſubuerteretur, adeo vt ſecta Lutherana poſthac inualeſceret, etſi magnæ virtutis Rex cenſendus eſt, diuque regnauit: nunquam tamen regnum in priſtinam formam redigere potuit; quandoquidem rebus diuinis, in quibus præcipue religio vera conſiſtit, conculcatis, admirandum non eſt, ſi regna quoque peſſum iuerint. Subſecuta ſunt deinde inter Henricum Goſtaui primogenitũ, & inter Regem Danimarchiæ acerrima bella, in quibus pleriq; Nobilium ſimiliter extincti ſunt. Qua de re effectum eſt, vt qui ſupeſtites remanſere, vel pauci eſſent, vel Reip. parum periti, & conſequenter iſte Rex nondum iuxta veterem morem prouinciis, quas memorauimus, gubernatores impoſuit, exceptis tribus, aut quatuor, iiſque ſuaſu præcipui viri. Sed forte

Rex

Rex aliis quoque ducitur cauſis ac rationibus, vnde regioni ordinationem in longum differat, cum quia Regia Maieſtas aliquando illud pronunciauit; Bracchium ſuum dextrum non bene credere aut fidere ſiniſtro; tum prætetea, quia cum altas quaſdam animo voluat cogitationes, quemadmodum alibi diximus, maiorem in illis promouendis difficultatem nanciſceretur, ſi prouinciis eiuſmodi magiſtratus imponeret, qui negotia turbarent magis, quam promouerent. Quod ad ciuitatem Stocolmii pertinet, vbi regia ſedes eſt, ciuitas ipſa quatuor habet Conſules, qui ordinariam & politicam gubernationem abſoluunt: hi, quoad viuunt, perdurant, & duo viciſſim ſingulis annis præcedunt, omneſque quatuor ſimul cum Senatoribus, qui ex ciuium numero exiſtunt, in ſuum Conſiſtorium congregantur, in quo de rebus Politicis ordinariis deliberant; cum nihilominus inter ſe ipſos quædam peculiaria munera diuiſim gerant; nempe alier ædificiis præeſt, alter iudiciis, alter noua decre a legeſque promulgat: quæ omnia nihilominus minime aguntur, niſi Locumtenens arcis Stocolmii, in qua Rex reſidet, interueniat: hic enim Locumtenens quatuor Conſulibus, quos diximus, maior eſt, inque rebus arduis regii Conſiliarii, qui aulæ interſunt, de integro negotia diſcutiunt, & ab ipſis pariter ad Regem appellatur cuius ſententia diffinitiua eſt.

Iudiciorum ordo.

Senatorum numerus, qui dictis 4. Conſulibus aſſiſtunt, duodecimus eſt, quorum munus ad vitam durat, niſi tamen ob aliquod delictum deponantur, aut ipſimet petant exauthorari. Leges vero, quę in vniuerſum vigent, antiquæ ſunt, & ab illo tempore repetitæ, quo S. Henricus Rex Sueciæ Catholicam Religionem ſanguine ſuo reſtituit, ad hæc vſque tempora in hoc Regno permanſerunt, excepto, quod leges illæ, quæ ad iuriſdictionem Eccleſiaſticam ſpectant, non obſeruantur perinde, vt obſeruandæ eſſent, cum veri deſiderentur Epiſcopi, neque Religionis Catholicæ exercitium celebretur: remanent nihilominus eædem leges ſimul cum aliis incorporatæ, quibus opera Cardinalis Raimundi, cum ad illas Septentrionis partes aduenisset, vnus additus eſt articulus, qui Eccleſiaſticus nuncupatur: hoc autem cauetur, vt filii oriundi ex Sacerdotibus, aut Monachis pari iure cenſeantur cum illis, qui ex adulterino concubitu ſuſcipiuntur: id vero tunc factum eſt, cum dictus Cardinalis omnes concubinas à Sacerdotibus remouit: qui abuſus, etſi turpiſſimus, tamen valde communis erat.

Perpetui Senatores.

Legum Suecicarum antiquitas.

Cardinalis legati autoritas.

Aliæ prætetea leges erant Eccleſiaſticæ, quibus oſtenditur, quinam ſint in rebus ſpiritualibus competentes iudices, & quibus in caſibus Epiſcopi cauſas ad ſua tribunalia euocabant: quæ omnia, ſi Religio reſtitueretur, facile in vſum redirent, quia Regis iureiurando ſe obligant generalibus verbis ad omnes leges obſeruandas; & modo Pſeudoepiſcopi concubinis ſuis, & filiis, quibus peculia com-

parant, contenti, id vnum ſumma ope nituntur, vt falſitates, quas induxerunt, defendant, atque ſuſtineant, vtpote vnicum breuis huius, & fallacis ipſorum libertatis fulcimentum.

Vſura abolita. In legibus Suecis nulla fit vſurarum mentio, niſi cum debitor à multis creditoribus ad pretium reſtituendum vrgetur; quod ſi aliquis creditorum mutuo dedit debitori aliquo pacto ad mutuum rependendum, creditor excluditur, & rei repetendæ ius amittit; viget tamen mos, quemadmodum mihi Rex dicebat, vt non modo vſurarius, ſed etiam qui cum huiuſmodi hominibus negotium habeat, caſtigetur atque puniatur.

Et nihilominus quemadmodum in omnibus his regnis nulla eſt conſuetudo mutuandi, niſi gratuito, ita hoc vitium non adeo frequens eſt: præterquam Stocolmii, quia ad eam vrbem plerique ex Germania inferiore conuolauerunt, qui ſimul cum hæreſibus ſimiles & alios fructus inuexerunt haud diuerſos.

Adulteriũ abominabile. Adulterium capitali ſupplicio punitur, eoque minore indulgentia, ſi delinquentes coniugio alieno illigati fuerint: tunc etenim in poteſtatem viri adulter traditur, vt pro legibus caſtigetur: ſi vero in cœlibatu ſit, pecunia multatur pro prima vice: ſed ſi iterum delinquat, raro euenit, quin capite plectatur.

Criminalia quomodo tractentur. Qui alium vulnerat, quinque talleris exſoluendis punitur: ſi partem aliquam corporis mutilauerit, vt digitum vel alia, in duplum tenetur: ſi membrum aliquod præcipuum mancum aut inutile remanſerit, læſus integre compenſandus eſt.

Si in capite aut in pectore feriatur & deinde vulneratus ante finem anni mortem obeat, vulnerator ad mortem, vt parricida, damnatur.

Cadauera interfectorum, niſi reus adſit, ſepulturæ minime traduntur donec homicida vltimo ſupplicio non ſit affectus, etiamſi aliquando multæ ſeptimanæ prætereant, antequam executio ſortiatur.

Aduocatio prohibita. Si Iudex, qui bis ab actore ad ſententiam diffinitiuam pronunciãdam rogatur, malit eſſe dilator, pœnam ſubire cogitur, neque lites quicquam prolongantur: cui rei plurimum prodeſt antiqua conſuetudo, qua prohibentur omnes procuratorem aut patronum in cauſis ſibi adſciſcere: vnuſquiſque enim rem ſuam enarrat, & iura ſua explicat coram iudice.

Si nihilominus vidua eſſet, aut pupillus, vel rudis aliquis, aut excors, propinquior conſanguineus cauſam proſequitur: quod ſi hic defuerit, Senatus tutorem aſſignat, & negotium quamprimum expeditur: perſæpe tamen ex quibuſdam cauſis & circumſtantiis excuſatur iudex, quoties iure putat, non poſſe à ſe promulgationem ſententiæ præcipitari.

Intellexi à quodam viro, in domo S. Brigitæ Romæ olim duo re-

licta fuiſſe exempla Suecarum Regum, quas Latine in Suecia Legiſterium appellant,& alterum exemplorum in marginibus notis illuſtratum fuiſſe à quodam de gente Braſch, qui vltimus omnium Catholicorum Epiſcopus fuit Lincopiæ: hic vero manu ſua textui illi addiderat iuris communis concordantias.

De diſpoſitione atque regimine rerum militarium.

QVÆLIBET prouincia ſuum habet ordinarium peditatum, præfixo numero, atque equitatum. In regnis Sueciæ & Gothiæ 32. numerantur vexilla peditum: probabile autem puto, hoc nomen Vexilli à Romanis acceptum fuiſſe eo tempore, cum quidam Septemtrionales poſt varias per externa loca peregrinationes domum redibant. Vexillum vnum nonnunquam 600. aut 700 milites comprehendebat, numerum cohorti Romanæ fere ſimilem. Hi, quocunque opus eſt, ad Regis nutum caſtra mouent, omneſque fere ſunt ſclopetarii, pauciores haſtati, quia ſyluarum frequentia, ac denſitas haſtarum tractationem impediret, quemadmodum etiam equitatus non haſtas lanceaſve gerit, ſed ſclopetis vtitur more Raitrorum. *Vexilla quot ſint, & quot milites comprehendant.*

Hæc militia, quia in iiſdem regionibus nata eſt, & ab ineunte ætate aſſuefacta cibis, facillime frigus tollerat, neque delicias multifacit: ideo accidit, vt magnas quidam dixerit; Se in illis regionibus nullos magis cupere milites, quam Suecos, vtpote laboribus ac militaribus functionibus accommodatiſſimos: præterquam quod vnuſquiſque ſibi calceos, tibialia, veſtimenta ſclopetorum ligneas capſulas, aliaque neceſſaria conficere nouit: quæ res iis otiandi, & peccatorum grauiumq; turbarum occaſionem eripit: quibus rebus exercitus impediri ſolent, militeſque effici ignaui atque inutiles, & regiones ſiue prouinciæ tributis onerari, vel populationibus affligi. Vnde laudabili militiæ exemplo in arce Stocolmii frigoribus aſpetrimis excubitores incredibilis tolerantiæ laude peruigilant, & totam noctem in locum ipſorum vix ſubrogatur quiſquam, etiamſi hyemales noctes duodeuiginti propemodum horas complectantur. *Militaris diſciplina.*

Singula vexilla ſuum habent Ducem, Locumtenentem, Signiferum. Dux etiam belli tempore, dum contra Danos aut Moſchos dimicatur, nihil amplius habet, quam vnum veſtimentum annuum, additis quadraginta talleris pro ſtipendio pecuniario, nec non immunitate ſui ipſius, & paucorum quorundam ab illo tributo, quod Regi ſolet dependi: miles tamen immunitate non fruitur, niſi bello, aut belli ſuſpicione durante: neque aliud ſtipendium exigit, quam vnum tallerum vel quinque marchas (quæ ſunt quinque talleri partes) quolibet menſe. In caſtris mouendis præcurſores per domos *A Rege aluntur.*

& ho-

& hoſpitia diuerſa ipſos diſtribuunt, ſed agmine collecto, & cateruatim euntes, vel caſtra figentes, cibum habent à Rege, neque ad ſtipendium computatur, quod ſi ab hoſte capiantur, Rex ſecundum veterem morem ex ſuo ærario ipſos redimit, pretium hoſtibus ſoluendo; quod ſi in prælio equum amittant (ſi equeſtrem exerceant militiam) Rex alium ipſis reſtituit.

Equitatus ſimiliter ſub vnoquoque vexillo, quod peditum vexillis numero non eſt inferius, ſuum Ducem habet, Locumtenentem, Excubitorem: & equiti cuilibet militanti maius non datur ſtipendium, quam viginti tallerorum, & vnius veſtimenti ſingulis annis, cum dictis exemptionibus & conditionibus, quas dixi: Ductores nihilominus vexillorum, eademque proportione cæteri primores miniſtri tot ſimilia lucrantur ſtipendia, quot ſeruos habent penes ſe, ſi modo cum equis illos ad bellum committunt. Quocirca Nobiles, & præcipui viri honeſte ſe ſuſtentare queunt, & cum famulitio ſplendido iuxta gentis conſuetudinem.

Ordinaria equitatus vexilla in Suecia & in Gothia vndecim ſunt, duo vero in Finlandia: quod ſi plura velit Rex habere, res non fuerit ardua, modo theſaurus eum non deficiat.

In Finlandia duo ſunt vexilla, alterum gregariorum militum, alterum nobilium: inde vero hæc paucitas in tanta regionis latitudine proficiſcitur, quod ex iis terris maxima nautarum pars, & nauium ædificandarum magiſtri atque operarii petantur, quemadmodum ſimiliter in quibuſdam aliis prouinciis, ad penitiorem Septentrionem locatis, contingit, quæ vel quia montibus & Alpibus refertæ ſunt (qualis eſt Angermania) vel quia equis carent, vt Danlecarlia, ſuppeditare ſolent maritimis claſſibus conuenientem nautarum numerum: qua de re fuſius dicetur inferius.

In Smolandia, in Veſtrogothia, & in Oſtrogothia quædam ſunt vexilla nobilium equitum, & Veſtrogothia ſola magis, quam cæteræ, abundat nobilit.a.e. Equitatui vero præfici, niſi nobilis vir, nõ poteſt. Inter equos optimi ſunt Curtaldi & breuiores equi; qui aliquanto breuiores ſunt Friſiis, bene tamen quadrati, & validi, laboribusq; ac tenui alimento apprime aſſueti.

Luſtratio militaris. Omnium ordinum ſingulis annis fit luſtratio, & ipſemet Rex locum diemque, quo luſtrari debeant, indicit Præfectis, vel iis, qui Legiferi vocantur, & locus dieſque idem fere & multo prius cognitus eſt: neque pariter iidem ſemper luſtrantur, qui annis præteritis comparuerũt, ne forte commoditatem nanciſcantur rebellionem, vel machinationem aliquam aggrediendi.

Aulici. In ipſa deinde Regis aula ſinguli Nobiles eum in modum ſeruiunt, vt ex aulicorum numero ſemper in promptu ſint trecenti quinquaginta armati equites, quanquam Conſiliarii, aliique Nobiles ab hoc onere eximantur. Hoc tamen verum eſt, non ſolum Nobilibus,

Nobilibus, ſed etiam ſingulis eorum famulis (quod antiquitus non ſeruabatur) quolibet menſe ſtipendiariam pecuniam numerari, & famulis equitibus ſingulis talleros ſex numerari.

De claſſe & armis maritimis.

REx quinquaginta circiter naues bello paratas habere ſolet, quibus præfectus eſt Admiralius vnus. Septem dictarum nauium ad præſens magnorum nauigiorum, quos Galiones dicimus, magnitudinem exæquant: aliæ quadraginta circiter æneis tormentis inſtructæ ſunt. De pretio, quo ſingulæ conſtarent, ſi numerata pecunia emendæ eſſent (computato pretio tormentorum, munitionum, ſtipendiorum non modo nautarum, ſed etiam militum ad quinque menſes ſufficientium, item annonæ pro eodem temporis ſpatio) ſeparata erit relatio, quam ab homine inſigni rerumque peritiſſimo accepimus. *Claſſis regia.*

Rex vtplurimum non ignorat, vbi ſex nautarum millia conſcribat, neque ſolum remiges, ſed etiam magiſtros & miniſtros nauium, imo omnium horum numerum adhuc maiorem habet; propterea quod omnis tractus Finlandici maris, qui quadringenta millia paſſuum longitudinis occupat, item Bothnicum mare, quod duplo maius eſt è regione regni Sueciæ, & quædam inſulæ continuam ſuppeditant incolis occaſionem in mari verſandi, & conſequenter experti & audaces nautæ queunt euadere. *Nautarum copia.*

In vltimo bello, quod Ioannes tertius, qui modo regnat, cum Rege Danimarchiæ geſſit, antequam Stetini ambo pacem & concordiam inirent, Sueciæ Rex ſeptuaginta naues conduxit, præter munitas alias, quæ Spinghæ dicuntur, & præter equitatum, quem in continenti habebat, claſſi decem & octo millia hominum impoſuerat, qui pro opportunitate temporis in terram dimicandi cauſa deſcendebant: etenim in illis regionibus ſuper glacie prælia committuntur, cum quia lacus & flumina congelata facilius tranſeuntur, tum etiam quia commeatus minore negotio conducuntur: æſtiuo autem tempore in mari dimicatur: hyeme enim mare circa litora haud parum conglaciari ſolet. *Hyeme cõmodius bella geruntur.*

Illorum nautarum acquirendorum, nec non detinendorum ratio Regi admodum diſpendioſa eſt, quandoquidem ex tributo, quod Prouinciæ pendunt, diſtribuit inter ipſos carnes, piſces, butyrum, ſiliginem, hordeum, pro maiori ſtipendiorum parte.

Hinc ſequitur, Regem minimo diſpendio poſſe quotannis naues aliquot ad bellum ædificare, cum etiam ipſis operariis vice pecuniæ nihil niſi hos commeatus elargiatur, quibus iidem magis ſatisfacit, vtpote quorum ſimplicitas nondum ab exteris corrupta, quia carent obiecto, quod illos à ritu naturali exorbitare compellat, contenta eſt *Minore ſumptu militant Sueci.*

victu

victu neceſſario: præterquam quod Rex vicinas habet ſyluas pulcherrimas atq; infinitas cum fodinis ære atq; auro abundantibus, quo ære vidi Eccleſias contectas: itaque ſemel Rex mihi dixit, Bellum, quod Regi Catholico vno millione conſtaret, ſibi centum millibus tallerorum non conſtitutum.

Tormentorum numerus.

Ex abundantia dictarum fodinarum accidit, in iis regionibus non modo ad muniendas arces, ſed etiam ad armanda nauigia magnum reperiri numerum tormentorum, dixitque mihi vir egregius, totam illorum ſummam ad octo millia aſcendere, ex ære conflata maiori ex parte: & in ſola Stocolmii arce quadringenta tormenta maioris & minoris longitudinis annumerantur: & Regia Maieſtas, ſi artifices in promptu haberet, & cupri maiorem quantitatem, maximum eorum numerum conficere poſſet.

Claſſis in varias Regnorum partes pacis tempore diſtribui ſolet: maiora nauigia in portu Stocolmii ſtationem habent, in quo propter loci naturam naues ſolent commorari, quot fere excogitari queunt, ſine anchoris & ſecuræ: quoniam ex mari aperto Stocolmium vſque nauigatur inter ſcopulos ſpatio quadraginta circiter milliarium Italicorum, & in eo portu, cum glacies iam ſoluta, & naues peregrinæ adueniunt, 200. & aliquando 300. naues connumerantur.

Portus nauium regiarum.

Regiæ cæteræ naues in reliquis Sueciæ portubus morantur, ſed magis in Finlandia. vt Moſcho obſiſtant, impediantque, ne ex Germania, aliiſve partibus illuc afferantur ea, quæ contra Regem Sueciæ ipſum adiuuare poſſint, ideoque Maieſtas Regia non permittit, vt illuc naues migrent traiiciantque, niſi ſcripto licentiam impetrauerint, quod ſua manu vallatum ſit, eæque litteræ paſſus vocantur, quæ Lubecenſibus, aliiſque pro centum & amplius aliquando talleris coemuntur.

De vectigalibus regiis.

QVATVOR genera ſunt earum rerum, quæ in illo regno ordinarios reditus regios abſoluunt, poſteaquam religio catholica ſectæ Lutheranæ mala perpetitur. Primo fructus Eccleſiaſticorum beneficiorum: ſecundo fodinæ: tertio decimæ frugum, aliorumque commeatuum, atque etiam pellium: poſtremo vectigalia, & portoria.

Dixi, poſteaquam ſecta Lutherana graſſata eſt, quoniam antea Vpſaliæ Archiepiſcopus, cæterique ſex Epiſcopi, multis cum dignitatibus ac prærogatiuis, nec non monaſteriis latifundia poſſidebant, multoſque inde reditus colligebant: verum miniſtri hæretici, vt Principes & Nobiles ad hæreſim allicerent, vtque carnis libertatem libentius retinerent, ipſis propoſuere, vt bona multa, & immobilia

audacter

audacter occuparent, & Epiſcopis multo minores reſeruarent redi tus. Quod cum effectum fuiſſet, magnus Theſaurus congregatus eſt, qui iuſto Dei iudicio, tanquam Eccleſiaſtica bona ab altari ſubrepta, in manus Henrici Regis deueniens totus breuiſſimo tempore in bellis & ſuſpicionibus diſſiparus fuit, & rex mente captus tandem carceri mancipatus, diademate regio ſpoliatus fuit ſimul cum libertate, æternaque ſalute.

Henrici Regis miſeria.

Hic rex nihilominus Eccleſias ſpoliatas in integrum reſtituere conatur, quod in alia relatione fuſius explicauimus: & Regia Maieſtas ſæpe dixit, apparere, poſtquam bellum in iis regnis inualuit, non ſolum vice pacis, illuc rebellionem ingreſſam, & diſcordias debacchatas eſſe, ſed etiam vice operum pietatis, & loco diuitiarum ſucceſſiſſe profanitatem quaſi ethnicam, & bonorum plurimorum extremam penuriam.

Damna hæreſeos.

Fodinæ non modo habentur cupri, ferri, plumbi, ſed etiam argenti, quo talleri Sueci cuduntur, qui propter argenti puritatem in Germania inter meliores habentur: inuenitur quoque aliqua aurifodina, ſed raro, & parua; hincque fit, vt paucæ aureæ monetæ excudantur. Omnia tamen in ærario regio cuduntur, & præter talleros imprimuntur monetæ, quæ quartam partem, & octauam talleri æquiualent, & quædam, quæ Reſtri dicuntur, aliæque minores & rotundæ monetæ, quæ Roski dicuntur, & triginta duæ vnum tallerum exæquant. Et quamuis cupro abundent, tamen nulla moneta in eo metallo cuditur, excepto quod in Reskis aliqua inſeritur mixtura, nempe ſimul cum moribus antiqua illa ſinceritas, quæ antea melius conſeruabatur; corrumpitur in dies.

Moneta Regni.

Inuenta pariter fuit annis ſuperioribus aliqua ſalis fodina, ſed propter incuriam, vt quidam putant, mox euanuit.

Omnium fodinarum decimam rex exigit, vbi ſuis ſumptibus non eruuntur: nonnunquam tamen ſuis præmium ſoluit cupro, aliiſq; metallis, quod ſi ruſtici diuerſarum fodinarum venas, quæ in dies reperiuntur, non abſconderent, neque deſideraretur bonorum magiſtrorum numerus aliquis, ita creditur, fore vt ad magnam ſummam aſcenderet vtilitas, quæ ex illis fodinis extraheretur.

Fodinæ plurimæ.

Cur vero ruſtici fodinas non indicent, ea ratio eſt, quia vbi reteguntur, circum vicini omnes ad ligna ferenda, & ad quædam opera præſtanda taxantur: quod grauamen ipſi pro viribus effugiunt.

Præterea rex per omnia regna ſua tributum exigit, & decimas frugum, ſiliginis, hordei, butyri, piſcium, boum, pellium, rerumque ſimilium: quarum rerum ſummam intelligere non potui, quamuis in fiſco regio certa eorum ratio habeatur: illud tamen certum eſt, iis exactionibus ſuſtentari non modo claſſem, & maris miniſtros, ſed etiam terræ continentis regiones, regni proceres, & aulicos.

Tributa & exactiones.

Cum rex ad ſua regna defendenda, vel, vt milites emittat, bellum

decernit,

decernit, iubet voluntatem ſuam prouinciis intimari, & iuxta commeatuum, qui neceſſarii ſunt, quantitatem, contributioni conſentiunt:quę contributio valde oneroſa eſt,quia raro accidit,quin regna illa continuis bellis diuexentur, vel cum Dano, vel cum Moſcho, cum quo iam à nouem annis hic rex bellum gerit.

Nobiles exempti.

Eſt nihilominus in huiuſmodi diſtributione differentia hęc, quod Nobiles, pariterque eorum ſubditi nihil vt plurimum contribuunt: verum quoties decernuntur bella conſenſu Nobilium, tunc ipſorum ſubditi medietatem taxationis pendunt, quam etiam ii, qui immediate regi ſubiiciuntur, Maieſtati Regiæ concedunt.

Similiter tenentur populi contribuere ratione dotis filiarum regis, cum earum aliqua nubit: ſumma autem contributionis huius à quodam tempore huc vſque fuit centum millium tallerorum præter argentea vaſcula, & ſupellectilem domeſticam, prout numerus eſt filiorum regis. Rex nihilominus illud ſuperaddere poteſt, quod honeſtati conſentaneum putat.

Pellium reditus, & vectigal modo maius eſt, modo minor, prout frigora magis minuſve intenſa, & niues abundant, vel non: nam quo eæ magis excreſcunt, eo plura capiuntur animalia.

Lapones pelles regi pendunt.

Ex regione Laponum, qui in vltimo ſeptentrione collocati ſunt, rex maiorem pellium partem extrahit, vtque earum certiorem habeat rationem, quotannis illuc hominem Regia Maieſtas mittit, quem ſcribam appellant. Is adeo diligenter captorum animalium multitudinem inquirit, vt rex difficiliter defraudari queat. Hæ pelles ad Regem allatæ inter conſanguineos Regis diſtribuuntur, interque amicos, & iiſdem pleriquę donantur, & mercatores compenſantur, qui ad vſum aulæ ſuas merces dederunt, vel ſunt daturi.

Neque à populis hiſce Laponibus aliud exigitur tributum, neque enim in alio ſeſe exercent, quam in venatione, cuius prædam permutant in rebus neceſſariis, etſi manu & acu opificia quædam conficiunt, quibus ſe ingenioſos eſſe oſtendunt.

Liberalitas regia.

Præter maritimos portus nulla impoſita ſunt vectigalia, nullæue exactiones. Hoc tamen verum eſt, ſolere regem à quolibet Ruſtico, aliiſque qui commeatum tributo eximuntur, ad patrimonii proportionem exigere ab vno quinque, ab altero 6. modo 8. & plures talleros ſingulis ann. Quoties vero aliquem procerum rex beneficio afficit, ſolet ei certum aliquem Ruſticorum numerum largiri, qui tanquam ſubditi & tributarii ſub domino viuant, plures modo, modo pauciores: Qua in re maieſtas regia minime parca eſt, cum præter indigenas pleriſque etiam exteris famulantibus Baronatus donauerit, & Dominatus, annuoſque reditus ad aliquot tallerorum millia viritim.

De miniſtris, qui regiis reditibus præpoſiti ſunt.

PRimo loco eſt Commiſſarius Generalis, qui mandata ſubſcribit omnium rerum, quæcunque loco ſtipendii, ſiue ſalarii vnicuique miniſtrantium aſſignanrut; Et quanquam Commiſſarius Generalis pecuniam minime tractar, vnde ipſius hæredes extra periculum ſunt, vt rationem reddere cogantur; tamen abſque illius ſubſcriptione nemini quicquam exſoluitur.

Sub hoc viro alter nomine Quæſtoris cẽſetur, qui inſtar Theſaurarii eſt, hic enim regiam pecuniam colligit, ſeruat, in fiſcum infert, & rationem ipſius cuſtodit.

Cum Quæſtore quatuor coniunguntur dicti Camerarii, qui in Secretario notam ſeruant omnium redituum regiorum: hi vero ſimul cum Quæſtore ſecundum opportunitatem congregantur, rationem adminiſtrationis reddituri ſingulis annis coram Commiſſario Generali, & quibuſdam Regiis Conſiliariis, quos rex alretnarim accenſere conſueuit. *Quæſtores, & Camerarii quomodo regiũ Theſaurũ gubernent.*

Quæſtor deinde in ſingulis prouinciis diuerſos habet exactores, & tanquam tributorum, & iurium regalium vindices: quas autem res afferunt, in fiſcum eæ regium reponuntur, qui nonnullis ab hinc annis locupletior in dies fit, quemadmodum explorauimus.

Quæ vero in præſens in Theſaurum regium paſſim inferuntur, detractis ordinariis ſumptibus & grauaminibus, vti intellexi à magnate quodam, ſummam explent fere ſex aut ſeptem tumulorum aureorum, hoc eſt, totidem centenorum millium tallerorum Alemanicorum.

Arces nihilominus Ripaliæ & Viburgi, (quæ propugnacula ſunt aduerſus Moſchos) auferunt expenſam pro præſidiis, cæteriſque oneribus centum millium tallerorum.

A prudentibus quibuſdam viris intelleximus, Regi non defuturos opulentiores reditus, niſi temporum diſpoſitio obſtaret, & niſi artificum & operariorum, qui deſiderarentur, copia deeſſet: verbi gratia: haber Regia Maieſtas naues multas, quæ maiori ex parre nauigare poſſent Oceanum, poſſentque ingentes arbores, cæteramque ad rem nauticam facientem materiam, item frugũ quantitatem exportare, vnde importantes deinde ſalem pro vſu regionis, aliaque neceſſaria, reditus regios vehementer augerent non ſine ſubditorum vtilitate, quia ab exteris mercatoribus in duplum cariora omnia venduntur, quæ aliunde viliora poſſent comparari. *Quibus deeſt induſtria.*

Ex fodinis ſimiliter maior colligeretur vtilitas, ſi peregrini ad illud opus admitterentur, qui lignorum parſimoniam curarent, & flumina ſyluas excindentia ſiſterent, & mineralia loca dili-

gentius inueſtigarent,& effoderent. Aduenæ autem non admittuntur, etſi rex facile eos reciperet, propter ſuſpicacem ipſorum naturam,qua timent ſe decipi,aliosque ad regnum inuadendum alliceret. Attamen ex cupro & ære, quod duabus tribus vctantum fodinis effoditur, Rex per hæc tempora mille quingentos, vt aiunt,ſchipontos,& aliquando amplius colligit:quarum monetarum æſtimatio eſt triginta millium tallerorum: ex cupro tamen nouies maior vtilitas eſt: ſed, vt ſuperius indicaui, omnia hæc cedunt in emolumentum partim eorum, qui fundi domini fuerant, partim in precium eorum, qui laborant in effodiendo. Quod ſi Rex aliunde velit iis ſatisfacere, poteſt ſibi omne cuprũ vel æs retinere: quibus tamen negotiis præeſt quidam nomine Faue,qui Generalis quidam Regius Præfectus eſt.

[M]ineralis [u]tilitas.

De ingeniorum qualitate: & breuiter deſcribuntur mores, ritus, conſuetudo in cibis, veſtibus, ædificiis horum regnorum.

[In]genia docilia,

INgenia ſatis idonea ſunt ad apprehendendas non tantum mechanicas diſciplinas & artes, ſed etiam ſpeculatiuas, & idiomata quæque. Inter hæc autem quicunque in aliquo numero ſunt, Latine loqui, aut Germanice, vel vtramque linguam libenter addiſcunt: cum vero alias diſcunt, eam non ſentiunt difficultatem in pronunciatione, quam Germani præſeferunt vel in Italica, vel in Latina lingua.

[Mores] ſimplices.

Mores eorum in vniuerſum ſimplices ſunt, iique, quales eos decent, qui mundi ornamenta & magnitudinẽ non inſpexerunt, easq; res ob oculos nunquam habuerunt, quæ intelligentiam exacuere valent, vel eorum appetitum exſtimulare, vnde vacui honorum, cæterarumq; ſimilium rerum deſiderio, contenti naturali ſuſtentatione, vitam ducunt ſecuram; ideoq; maiorem telluris quantitatem colere, quam iis opus ſit, negligunt, quemadmodũ commode poſſent, ſi modo vellent plerasque inutiles ſyluas cædere, quod facillime efficerent, dubitandum non eſt, quin tribus menſibus æſtiuis maximam meterent frugum copiam: eæ ſiquidem Maio menſe ſatæ, metuntur Auguſto propter intenſum calorem & efficaciam ſolis, qui tota nocte (ſi modo ea nox dicenda eſt) ſuper terram cernitur.

[Ca]lor æſtate [contin]uus co[lit].

[Si]mplicitas [an]tiqua cur [di]minuatur.

Et quanquam priſca illa ſimplicitas maiori ex parte adhuc viget, tamen poſt militum peregrinorum, hoc eſt, Germanorum & Scotorum aduentum, & poſt inductas hæreſes, quarum cauſa à Prædicantibus innumeras audiunt calumnias aduerſus Catholicos, paulatim de antiqua bonitate deiiciuntur, aucta quodam-

modo

modo ipſorum naturali ſuſpicacitate. Hoſpitia vero, quæ olim ſimul cum cibo quaſi gratuita erant, iam intermiſſa ſunt, etiamſi viatores minimum in itineribus ſuis expendant, quia Sueci non eum habeant morem, vt quidquam petant pro hoſpitio, aut cibo, & pro eo, quod plurimum accidit, peregrinantes apud Paſtores diuertere conſueuerunt, hoc eſt, apud ſacra antiquitus ſacerdotum diuerſoria, argumentum circa hoſpitalitatem priſci moris tempore Catholicæ religionis; neq; in viis graſſatores inueniuntur, adeo vt multa cum ſecuritate peregrinari liceat.

De peccatis & fraudibus nihil quicquã audiui. Mulieres prudentes ſunt, vtpote quæ ab ebrietate abſtinent, & à quadraginta circiter annis etiam viri pauci inebriantur. Doctrina Lutheri valde frequens eſt: non blaſphemant, niſi quod aliquando cacodæmoni animas, & corpora humana ſubiiciunt.

Mulieres ſobriæ ac pudicæ.

Quod attinet ad ritus, & religionis modos, etſi in alia relatione ea de re ſatis diximus. nihilominus reuera dicam, populos eſſe deceptos, quia veri à falſis presbyteris non diſtinguuntur: ideo hi longa veſte vtuntur, pileum rotundum gerentes, inſtar laicorum Italiæ, cuiuſmodi pileo ſeculares in Suecia non vtuntur.

Religio deprauata, ſed nondum tota.

Retinet populus antiquos ritus pleroſque, quos Lutherani deteſtantur: nam ieiunia obſeruantur, pro defunctis maxima eorũ pars orat, honorat, & multis in locis orat Dei matrem Virginem Mariam: & hodierno quoque tempore conſueuerunt in Finlandia, cum quis ſternutat, ita augurari, Deus, & Dei mater te adiuuet. Qua de re, quicunque in Finlandia conuerſionem animarum illarum operatus fuerit, is magnam profecto aperiet portam ingreſſus in Moſcouiam, ideoque mecum adduxi quoſdam ex ea regione, vt Romæ erudiantur.

Omnes omnium Parochiarum Eccleſiæ ex muro conſtructæ ſunt, & affabre ædificatæ adhibitis duabus turribus ſigillatim. Hæ à parochis reparantur, magnoq; ſtudio exornantur, cœmiteria muro cincta, ac diligenter cuſtodita, ne animalia ingrediantur: In domibus, ſed in Eccleſiis magis, atque etiam in altaribus adhuc imagines viſuntur. Miſſa dicitur (ſi modo miſſa vocanda eſt) ritu Lutherano, & alibi adhuc in chôris vidi breuiaria & Miſſalia antiqua in papyro pergamena.

Cibi communiter ſunt triticum ex duplici genere: alterum Nouembri menſe, alterum Maio ſeritur, & Auguſto metitur, ſimul cum ſiligine, etſi panis ex diuerſo, ac mixto, ac puro grano conficitur: hordeum ſatis bonum enaſcitur: partem tamen tritici in cereuiſia paranda abſumunt, quæ communis eſt ipſorum potio, etſi præter hanc ditiores aliis potionibus vtuntur, vt ſunt vina Rhenana, Hiſpanica, Gallica, Medonem, Græcis & Latinis dictum Gedromez, & vinum crematum.

Cibis qualibus vtantur.

anis miri ineris.

Quidam pauperum populorum tempore carioris annonæ panem comedunt confectum ex corticibus pinuum, aut abietũ, qui cortices, quia calidioris ſunt qualitatis, valde creduntur ſtomacho prodeſſe, neque tantum ex eo viuunt, ſed etiam robuſti validique ſunt.

Carnes affatim habent, quas magna ex parte ſaliunt, nempe boum, porcorum, anſerum, aliorumque animalium; vitulos autem nunquam fere comedunt.

Piſces abundanter habent ſalitos, & recentes, & fumo areſactos, alios quoque exſiccatos frigore abſque ſale, faſianos, pauones, & perdices, quarum copiam maximam habent, etſi caro illarum paulo durior eſt, atque ſolidior, quam cæteræ, quæ in temperatis regionibus capiuntur.

.acticinia rima, & oſtrema nenſa, non bſonium ptentrionalium.

Intellexi, quotannis regem ratione decimæ, ac tributi habere boum pluſquam duodeuiginti millia; & in eum modum de cæteris, hoc eſt, butyrum, caſeum, lacticinia, quæ cum optima ſint, & copioſa, communiter ante conuiuium prægustantur, itemque bellariorum locum tenent.

.egumina deſunt ob ncuriam ncolarum.

Naſcerentur legumina copioſe, niſi culturam negligerent: nihilominus præter piſa, quę, vt ciceres, rotunda ſunt, & alba, & fabas quaſdam, quarum rerum copia habetur, vſusque frequens, cætera deſiderantur.

Herbæ tribus aut quatuor anni menſibus non deſunt: ſed prę ter caules (quos ſalitos ad hyemem ſeruant) herbas nihili faciunt.

Populi veſtes ſimplices ſunt, vt plebis in Lombardia, quantum ad formam earum. Habent nihilominus in vſu regumenta capitis ſubducta pellibus non minori cum ſimplicitate.

Mulieres oppidanæ, omnesq; præſertim Stocolmii, veſtes gerunt longas, & ſuper iis pallium longum ex panno nigro plicis minutiſſimis accommodatum.

Nobiles more Alemanico veſtiuntur, ſed longe moderatius; aliqui etiam aulici Italicis veſtibus vtuntur, ad quarum morem valde ſeſe adaptat in veſtibus ſuis rex & princeps filius.

Cum itinerantur, ferunt Ruſtici ſecurim loco ęnſis: Nobiles vero, eorumque famuli enſes ferunt ſimul cum ſclopetis paruis.

Ædificia.

Ædificia, exceptis Eccleſiis, quas muro conſtructas eſſe narraui, lignea ſunt propter frigus arcendum, ſed multo elegantiora, quam quæ in Polonicis campis conſpiciuntur.

Nonnullæ tamen vrbes domos habent lapideas, vt iam totum Stocolmium intra mœnia: in ſuburbiis vero domus ligneæ ſunt, & eundem in modum Ripalia, & Viburgum, aliaque oppida, quę lapideas habent domos, multoque pulchriores. Hic autem

Rex

Rex mirifice delectatur politis, atque elegantibus rebus, ac proinde curat, vt lateritiis ædificiis durabilibus exornentur pleraque illorum regnorum loca.

Quiſquis gentis antiquitatem noſcere cupit, is Alberti Kranzii Sueciam legat. De multis rebus, quæ fabuloſæ putantur, etſi veræ, & à me pro parte inſpectæ fuerunt, legatur hiſtoria Iohannis, & Olai Magni Archiepiſcopi Vpſaliæ, qui in Suecia tanquam veraces hiſtorici habentur. *Hiſtorici de rebus Suecicis.*

De nominibus terrarum, portuum, ſinuum, & vbi, & quo gradu ſita ſingula ſint, legatur Ziglierus paucis ab hinc annis euulgatus inter opera Rameri, quibus hæreticus quiſpiam noſtris temporibus addidit indicem, & notas plenas falſitatis, vt Catholicam veritatem obſcuraret, præſertim vbi de vera religione diſſeritur: quæ admonendi gratia dicta ſint.

Hoc tamen verum eſt, ex quibuſdam terris, locisque, quæ à Ziglierio ſuo tempore Sueciæ attribuuntur, in præſens haud reperiri veſtigia eadem, cum pleraque in poteſtatem Regis Danimarchiæ vel bello, vel conditionibus deuenerint.

In gradibus pariter, ſub quibus pleraque oppida & portus Sueciæ collocantur, nonnihil diuerſitatis inueni inter ipſum & quoſdam alios Sueciæ peritos.

Omnia, quæcunque vidi, aut ex relatione ipſius Regis audiui, aut mihi ipſius primores & proceres dixere, in hunc locum congeſſi, quemadmodum mihi imperatum eſt, Reliqua quæ magis particulariter ad meam vocationem & miſſionem pertinent, ore tenus referam, cuicunque beatitudo veſtra mandauerit.

DE PVBLICIS ET PRIVATIS CONSILIIS, QVÆ Rex Catholiciſſimus Hiſpaniarum in vniuerſis ſuis regnis habet,

DISCVRSVS XXXV.

COMPLVRES circa ſe Rex Catholicus habet Cõſiliarios, quibus omnium fere negotiorum curam atque expeditionem committere ſolet. Hi aut præſentes de quibus rebus videtur ſermonem cum Rege conferunt, aut ſcriptorem de qua conſultatio eſt, proponunt: quorum tamen vtrumque fere ſimul fieri ſolet. Qui enim cauſſam ſuam breuiter explicare cupit, oretenus id facere poteſt, ſed præter hoc libellus plerumque ſiue ſcriptum porrigitur, quod Rex in conclaue ſuum reuerſus inſpicere ac legere ſolet, ac deinde pro negotii conditione & qualitate, ad vnum aliquod Conſiliariorum collegiũ mittit. Inter hæc præcipuũ illud eſt, ꝙ ſupremum Conſilium Status vocant, in quo res eæ tractantur quæ Regni ſtatum ac gubernationẽ, ſicque ipſam Regiam coronam & auctoritatẽ concernunt: ad quod etiã præcipui è Magiſtratibus, ac fere Principes aut Principibus dignatione pares aſſumuntur. Horum ſingulis bina Ducatorũ millia quotannis pro ſalario numerari ſolent. Et Philippi quidẽ II. Regis temporibus hi erant Archiepiſcopus Hiſpalẽſis, generalis totius Hiſpaniæ Inquiſitor: Conſilii Regii Præſes: Cõſilii Italici Præſes: Dux Francouillanus: Rigomeſius de Silua: Ioannes Manriques de Lara: Comes Feriæ, Regiæ cuſtodiæ præfectus: Commendator maior Alcantaræ: Præſes Conſiliorum Ordinum S. Iacobi, Alcantaræ, & Calatrauæ: Antonius Pereſius à ſecretis &c.

Conſilium Regium.

Eſt quoque Regium ſiue Regale Conſilium, ad quod prouocationis beneficio, omnes cauſſæ & lites à ceteris omnibus Caſtiliæ tribunalibus deuoluuntur. Et huius quidem caput eſt Præſes, qui plerumque vnus eſt ex titulatis, vt vocant, Dominis ſiue proceribus, interdum vero Eccleſiaſtici ordinis Prælatus, vt tum

fuit D. Spinoſa. Huic duodecim adiuncti ſunt Collegæ, ex aliis tribunalibus ſiue Dicaſteriis.

De rebus grauibus & arduis, quę in hoc Conſilio occurrũt, corã ipſo Rege conſultatur diebus Veneris: ad ꝙ munus ex illorum numero tres à Rege ſunt electi, cum titulo conſiliariorũ Cameræ, à quibus cauſſæ, quas vocant, Gratiæ expediuntur, at grauiores, coram ipſo Rege diſceptantur ac deciduntur. In hoc Conſilio Secretarius eſt Cameræ, & duo alii Secretarii qui tribus illis Conſiliariis adiunguntur. Conſilium hoc ordinarie diebus Sabbathi haberi ſolet. Anno M D LX. Rex ad conſilium hoc quatuor alios Auditores allegit, qui de omnibus cauſſis quæ per appellationem è Vallidoletana & Granatenſi Cancellariis poſt duas cõformes latas ſententias, & 1500. Ducatorum depoſitionẽ, eo deuoluuntur, cognoſcant. Quod vt melius intelligatur, ſciendum Validoleti & Granatæ duas eſſe cancellarias, quæ prima vice de nulla omnino lite cognoſcunt, niſi quæ pertinet ad pupillos, orphanos, viduas & perſonas miſerabiles, ſed poſt latam ab ordinario Iudice ſententiã, lites omnes in Regnis Caſtilienſis coronæ, ꝑ appellationẽ tractantur. Quod ſi fiat vt in Cancellaria ſecũda ſententia primæ conformis feratur, licet dãnato ad eãdẽ Cancellariã prouocare, q̃ de nouo eã cauſſam alii ex eadẽ Cancellaria Auditori cõmittit, cuius iudiciũ ſiue ſententia ſi duabus illis primis ſentẽtiis conformis repiatur, amplius appellare nõ licet, niſi in cauſſa q̃ quatuor Ducatorum millia excedat, in qua ad ipſum tantũ Regem prouocare fas eſt: quo caſu Appellans 1500. Ducatos deponere prius tenetur. Cauſſam poſtea Rex vni ex Conſilii Regii Aſſeſſoribus cõmittere ſolebat: ſed quum ij aliis grauiſſimis negotiis occupati eſſent, ac lites proinde eiuſmodi in infinitũ ferè procederent, nec vmquam ferè terminarentur, quatuor illi, vti diximus, Auditores ad Regium Conſiliũ adiuncti ſunt, quorum munus eſt eiuſmodi lites decidere & terminare. Quod ſi ab his duæ primæ ſententiæ tamquã iuſte latæ confirmatæ fuerint, pecunia depoſita hoc modo diuidi ſolet: quingẽti Ducati regio Fiſco inferũtur, quingẽti aduerſæ parti, & totidẽ Iudicibus quib. illa prouocatione iniuria quodammodo facta eſt, numerantur.

Porro in Cancellariis his ſequẽtes ſunt Officiarii ſiue Aſſeſſores: Præſes vnus, Auditores ſedecim, quatuor Alcaldi ſiue rerum capitalium Quæſitores, Fiſci procurator, Relator, Secretarius, & denique duo Alcaldi nobiles.

Conſilium bellicum.

In Conſilio bellico ſiue militari tractantur ea omnia q̃ tam ad terreſtrem quã naualem pertinent militiã, & vtriuſq; apparatus, necnon quæ ad limitũ cuſtodiam, & præſidiorum ſpectãt muni-

tiones. In hoc vero Conſilio præter certos alios reique bellici peritos homines, omnes qui in Conſilio Status ſunt, admittuntur, excepto Secretario, qui perpetuus eſt.

Conſilium rerum Italicarum.

In Italico conſilio tractantur ea omnia, tam quoad res gratiæ quam iuſtitiæ, quæ regnum Neapolitanum, Siciliam, & Inſubriam ſiue Statum Mediolanenſem (quæ omnia Hiſpaniarum Rex in Italia poſſidet) concernunt. Habet id Præſidem vnum, & quatuor Regentes, quorum ſalarium annuum ſunt milleni ducati: & Secretarium vnum.

Conſilium Ordinum ſiue Commendaturarum.

Conſilium hoc præcipue conſtat vno Præſide, quatuor Auditoribus litteratis, duobus Secretariis, Fiſcali, & procuratore Regio: & ad hoc referuntur res quæ ad tres Ordines ſiue Commendaturas pertinent, ſcilicet S. Iacobi, Alcantaræ, & Calatrauæ.

Conſilium Arragoniæ.

In hoc Conſilio cognoſcuntur negocia (tam quoad gratiam quam iuſtitiam) Aragoniæ, Valentiæ, Catalauni, & adiacentium Inſularum. In eo ſunt vnus Procancellarius, quatuor Conſiliarii litterati, vnus Fiſcalis, & aliquot Secretarii.

Conſilium Indicum.

Indici Conſilii præcipua membra ſunt, Præſes vnus, & ſex Auditores, qui de omnibus rebus ad Indias ſpectantibus, tam gratiæ quam iuſtitiæ ſententiam ferunt.

Conſilium Haziendæ.

Conſilium hoc quod Haziendæ vocant, ſingulis fere ſeptimanis per dies aliquot in Palatio habetur, inque eo tractatur de regiis prouentibus, aſſignationibus, hypothecis, debitorum exſolutionibus, alienatorum recuperatione & ſimilibus rebus. Ad hoc veniunt tres Quæſtores (Contadores vulgo vocant) maiores, & tres minores, itemque Cameræ Conſiliarii, cum vno Secretario & vno Relatore.

Conſilium Rationale ſiue Contadoria.

Huius Conſilii membra ſunt tres Quæſtores maiores, & tres minores, præter quatuor Auditores, & vnum Secretarium: à quibus res iuſtitiæ circa rem pecuniariam tractantur.

Conſilium quod vulgo dicitur, Contadores de Cuentas.

In hoc Conſilio duo ſunt Contadores ſiue Quæſtores maiores, & totidem minores, aliique Officiarii, & aliquot Secretarii. Coram his rationes ſtatuum domeſticorum in aulam Regiam ponuntur, ac prouentus & reditus omnium regnorum & prouinciarum conſignantur, & in quas illi res expendantur, inueſtigatur.

Conſilium Hiſpalenſe.

Hiſpali Regens vnus cum quatuor Auditoribus, Conſilium conſtituit, qui tam in Vrbe quam eius territorio ius dicunt iuſtitiamque adminiſtrant.

Conſilium Nauarræ.

In regno Nauarreno ſimilis eſt Senatus ſiue Conſilium.

Conſilium Galitiæ.

In Galitia Tribunal eſt, & Gubernator ſiue Præfectus, qui Conſilii Præſes eſt.

Conſilium regni Aragonici.

In Arragonia Tribunal eſt Regentium & Conſiliariorum, vt vocant: vt & in regno Valentiano, & Catalaunico.

Conſilium Inquiſitionis.

Inter omnia vero totius Hiſpaniæ tam Indicum tribunalia quam Conſiliariorum collegia, auctoritate & poteſtate præcipuum eſt Inquiſitionis generalis Conſilium ſiue tribunal, cuius caput eſt inquiſitor generalis, qui regiam aulam ſequitur, & adiunctos habet qua-

uor Conſiliarios Eccleſiaſtici ordinis vitæ morumque probitate & litteratum doctrina commendatos. In hac, cauſſæ omnes ad hæreſim & Fidei Chriſtianæ corruptionem pertinentes, ventilantur, & ab eo cætera Inquiſitionis collegia diriguntur, quæ ſunt Hiſpali, Cordubæ, Granatæ, in Murcia, Calabria, Legione, Galitia, Arragonia, Valentia, Catalauno, Toleri, Vallidoleti, &c.

Conſilium Flandricum ſiue rerum Belgicarum.

In Conſilio hoc quod Flandricum vocant, res ad Belgicas prouincias & Burgundiam ſpectantes tractantur atque expediuntur. Præſidet huic Regens, quem Præſidentem vocant, cui adiuncti ſunt duo Conſiliarii, & vnus Secretarius. Scripturæ omnes & Decreta Gallica lingua concipiuntur, eademque lingua chartæ memoriales ſiue libelli ſupplices conſcripti offeruntur.

Offi.ium Alcaldorum.

Circa Regem vel in eius aula perpetuo ſunt quatuor Alcaldi ſiue Præfecti, qui de rebus tam criminalibus quam ciuilibus intra quinque milliaria cognitionem ſibi ſumunt, & ius dicunt, & ad alias quoque regni partes cum commiſſione mittuntur. Hi amplam valde habent poteſtatem, ac præcipue in criminalibus, in quibus rigido admodum proceſſu vtuntur. nemini ab eorum tribunali prouocare licet. Circa hos ſunt triginta vnus Algazili, & magnus ſcribarum numerus: iique tam tribunalia quam carceres habent diſpertitos.

DE EXPEDITIONE IN AFRICAM SIVE BARBARIAM ad Catholiciſſimum Regem Hiſpaniarum adhortatio, ſeu

DISCVRSVS XXXVI.

POSTEAQVAM de Catholici Hiſpaniarum Regis morte (qui in maiori nunc viuit gloria) mihi renunciatum fuit, ſtatim cogitare cœpi quidnam potiſſimũ noui Regis pectori inſtillandum, & ad quæ ille potiſſimum exhortãdus eſſet, vt primis his imbutus præceptis animus, tanto facilius deinde per ſequentes annos, & felicius imperium adminiſtrare, eiſque tamquam certa norma ac regula vti poſſet. Ac primum, id omnium mihi conſultiſſimum viſum eſt, vt S. D. N. Papa ſuam interponeret auctoritatem, ac ſuis conſiliis tenerum iuuenis animum firmaret. Vbi vero de itinere regiæ ſponſæ per Italiam, & ſponſalitiis Ferrariç ab ipſo Pontifice celebrandis accepi, valde mihi gauiſus, & bonis omnibus gratulatus ſum, quod non dubitarem, quin ea amoris & honoris ſignificatio, cuius oſtendenda multiplex ſe tum oblatura erat occaſio, animum Regis ita Pontifici & cæteris deuinctura eſſet, vt ea quæ ad ſuamipſius magnitudinem, ad totius Chriſtianæ Reipublicæ emolumentum, & inprimis ad veram Fidem & Dei gloriam propugnandam pertinent, facile perſuaderi ſibi paſſurus ſit.

Quia vero Illuſtriſſima veſtra Dominatio mandauit mihi, vt hac de re ſententiam meam exponam; equidem quod in me non eſt, morem geram, præſertim quum arrogantiæ ſuſpicionem, iuſſionis tollat neceſſitas. Cętera vero excuſata facile habebit is, qui non ignorat, me totum iam triẽniũ procul ab aulica vita abeſſe; ac propterea multarum ad quas Diſſertatio hæc noſtra accommodanda fuerat, rerum notitiam mihi deeſſe. Quare vereor ne mihi veteribus tantam quibuſdam notitiis innixo, idem accidat quod cæcis, qui per notas ſibi plateas bacillo greſſum facile regunt; at vbi ad murum aliquem vel aliud obſtaculum peruenerint toto impingunt corpore, & in terram reuoluti, circumſtantibus ridendi materiam præbent.

Verum enimuero cæcitatem meam rideant, qui volent, mihi illud ſatis eſt, vt Illuſtriſſimæ Veſtræ Dominationi ſeruitii

promptitudinem, & quaſi cæcam quondam obedientiam teſtatam faciam & reipſa probem.

Vt ergo ad rem ipſam accedamus, illud inprimis conſiderandum exiſtimo, an nouus hic Rex maiorum ſuorum facta & res geſtas vel ipſe legerit, vel ex aliorum perceperit ſermonibus. Quod ſi factum non eſt, quam primum fiat oportet. Sed prudentia hic adhibenda eſt, vt ſcilicet vetuſtioribus relictis hiſtoriis recentiores, Ferdinandi potiſſimum res geſtæ & præclara facinora ob oculos ei ponantur atque inculcentur: qui Mauritanis è tota Hiſpania profligatis, Granatenſe regnum atque alia recuperauit, & in Africa ſiue Barbaria pedem poſuit & firmauit. Cuius pietatem ac zelum vt Deus nouo aliquo beneficio remuneraretur, eius auſpiciis nouum Orbem detegi paſſus eſt.

Poſt hunc ampliſſimam præbent materiam immortalia Caroli V. Imperatoris facta: qui grauiſſimum aduerſus Proteſtanteis Germaniæ Principes ſuſcepit, & incredibili celeritate & felicitate confecit, qui Hungariam toties ab Turcarum incurſionibus defendit & liberauit atq; eas conſeruauit reliquias, quibus hodieque ad regni quondam florentiſſimi recuperationem Auſtriaca domus cum Deo, non infeliciter vtitur, qui Tunetanam vrbem cœpit, & regulô quamuis barbaro & infideli reſtituit, ita tamen vt Guleta tanquam pede gulæ ipſius impoſito, in officio eum contineret, & tributum ſoluere cogeret, qui eadem fide, in eadem Barbaria Tremiſenum Regem, à Barbaroſſa vi pulſum, in regnum reſtituit, ac tributarium fecit, quod tamen tributum ſequentes reguli dependere recuſarunt, quamuis Luſitani etiamnum arces aliquot & munimenta eo in regno teneant, vt Oran oppidum & portum valde munitum, & Mozaquibir, &c. Poſt hæc admirabiles Luſitanorum expeditiones, & inprimis Immanuelis, & aliorum Regum facta præclariſſima inculcanda cenſeam: qui tantis in Africa victoriis potiti ſunt, qui maritimam Guineæ oram ſuo adiecerunt imperio, qui Barbaricum & Indicum mare emenſi, ad vltimas vſque terras eum imperio ſuo ſimul Chriſtianam religionem protulerunt, &c. In ſingulis his hiſtoriis amplius ſeſe aperit dicendi campus, & faces acerrimæ ad inflammandum generoſiſſimi Regis animum, vt in iis rebus omnibus maiorum ſuorum inſiſtat veſtigiis, præſertim ſi ei demonſtretur, ſingulari ac certiſſima Dei prouidentia factum eſſe, vt triplex illa Caſtiliæ, Arragoniæ & Luſitaniæ Regum ſtirps in ipſo vel potius patre ipſius coaluerit, & ad tantam potentiam euaſerit, totque regiones & regna acquiſiuerit, quot & quanta vnus aliquis Princeps, poſt mundum conditum, numquam poſſedit. Quocirca ſi vel diuinis his beneficiis dignum exhibere, vel hominum de ſe exſpectationi ſatisfacere velit, neceſſe eſſe, vt in hac ætate, in tanta præſtantiſſimorum belli ducum copia, in tanta rerum omnium ad quamcumque etiam grauiſſimam expeditionem

Luſitanorũ res geſtæ.

tionem requiſitarum affluentia, non modo Caſtilianorum Regum virtutem, Aragoniorum in amplificando regno miram ſolertiam, & incredibiles Luſitanorum conatus ac labores imitetur, ſed quum horum omnium vires in ſe vnum congeſtæ ſint, ſibi vnum tantum præſtandum eſſe quantum illi ſimul omnes præſtiterunt. Quod quidem facile poterit auxiliante eo, qui non ſine cauſſa tam amplas atq; immenſas tam in hoc, quam in altero hemiſphærio regiones ſub vnius obedientia coniungere ac cōſtringere voluit, vt eius imperium quam late per vniuerſum orbem patet, nunquam ſolem occidentem videat: quod quidem de nullius vmquam Principis imperio dici potuit, aut etiamnum dici poteſt. His ac ſimilibus ſtimulis excitandus eſt Principis animus, ac monendus, Maieſtate ſua indignum eſſe ocio torpeſcere, præſertim quum Patris inſigni prudentia res ita conſtitutæ ſint, vt quæ magis ei placuerit, expeditionem ſuſcipere poſſit, vtpote nullo neceſſario bello innexus. Quod quidem certiſſimum diuini fauoris eſt argumentum, tam lato ſcilicet ad gloriam aperto campo, quæ tanto maior futura eſt, quod in eius ſocietatem pauci venire poſſunt. Quæ enim ab aliis cœpta ſunt, & ſegnius plerumque procedunt, & felix eorum ſucceſſus ad primum auctorem magna ex parte referri ſolet. Æquum ergo eſſe, vt tantus Rex non vulgare aliquid aggrediendo, hominum de ſe exſpectationem non modo egregie ſuſtineat, ſed etiam vincat, ac tantæ potentiæ æqualem animum ac virtutem oſtendat, & hoc quidem in his ipſis Imperii principiis, ex quibus, qualiacunque fuerint, fere de ceteris iudicari ſolet. Recentium enim eiuſmodi exemplorum, quę non tantum memoria tenentur, verum etiam in ipſos oculos incurrunt, magna in omnem partem vis eſt Et ſane exigua etiam, vel mediocri potentia prædíti Principes, virtute ac ſapientia ſua effecerunt vt inter maximos totius orbis Principes habeantur, è contra alii virium ſuarum magnitudine oppreſſi, potius quam eleuati, propter ignauiam inter poſtremos numerantur, qualis eſt is, ne longius exempla petamus, is qui hodie rerum potitur Turcarum Imperator. *Hiſpani Regis.*

Porro in diſputatione, quænam impræſentiarum ſuæ Maieſtati ſeſe offerat expeditio ceteris commodior, tutior, vtilior, ac gloriosior vnicuique ſententiam ſuam dicere, & quibus videbitur rationibus confirmare licebit: quas equidem hoc loco nec adducere nec refutare operæpretium videbitur. Illud ſolum dicam, Angliæ oppugnationem, quam multi fortaſſis ſuadebunt, minime mihi aggrediendam videri. Nam quotieſcunque quæ ſuperioribus annis acciderunt in memoriam reuoco, toties illa mihi ſubit cogitatio, conſilium hoc Deo ipſi diſplicere, vt qui tantis viribus tentatam, ac tot ac tam feruentibus Catholicorum precibus & votis adiutam oppugnationem minime fortunarit. Quid quod inde noua inter Hiſpanos & Gallos diffidentiæ ac ſuſpicionum ſemina facile oriri poſſint, quæ totam

Chriſtia-

Chriſtianam Rempublicam denuo m.ium in modum perturbatura, ac tantum non euerſura ſint? Habeo alias quoque complures rationes, ob quas prædictam expeditionem minime ſuaſerim; in primis vero illam, quod ad eiuſmodi expeditionem magno apparatu opus eſt, ad quem comportandum quum multum temporis requiratur, mora illa interim non ſolum inuidiæ occaſionem datura, verum etiam multum de Regis eiuſque virium exiſtimatione detractura eſt. Tandem vero ſi conatus non qui ſperabatur ſucceſſum habeat (quod facile fieri poteſt, in tantis rerum quæ hic paſſim occurrent, difficultatibus) noui Regis animus valde ad eiuſmodi in poſterū refrigeſcet, præterquam quod dignitas eius & reputatio apud alios valde minuetur. Sed etſi vel maxime ſuccedat conatus, plus tamen inuidiæ apud pleroſq; q̃ laudis eſt habiturus, nec Rex diu quidquā aliud moliri poterit, viribus eius omnibus & cōſiliis in eo quod partū eſt, tuendo, & animis gentis ab omni peregrinotū imperio alieniſſimę pacandis, occupandis, occupatis. quamquā ne ſic quidem multū eum effectuiū credibile eſt, quum experientia & exēplis conſtet, vix vmquā peregrinū imperium in alieno ſolo, niſi exſtirpatis plane indigenis, ſtabile fuiſſe.

Expeditiones vero eas ego ſuſcipiendas ſuaſerim, quibus & manum ſubito admouere licet, & quarum initium ipſum ſtatim finem atq; exitum quodammodo oſtendat: tum quæ certiſſimam gloriam, vtilitatem incomparabilē & ipſius Dei honorē ac ſeruitium coniunctum habent, quæ etiam faciles ſint, & quantū in humanis rebus dicere licet, tutæ ſiue ſecuræ ab omni deniq; inuidia liberæ, ita vt in eis ipſa Inuidia nihil culpare poſſit. Quia vero nō vnius ſed plurimū expeditionū mentionem feci, primo de præcipua eaque; magis nota & vicina loquar, inde vero adhuc vnam & alteram breuiter attingam, ſed tales, quarum nulla alterius vires impediat & frangat, ac omnes ſimul ad eundem finem, nempe Turcici Imperii ruinam tendant.

Contra Barbariam expeditio ſuſcipienda eſt.

Primum itaq; expeditionem contra vel Algerium vel Tunetum, celeberrima Barbariæ regna & eiuſdem nominis vrbes, fieri volo, eo conſilio vt omnis illa ora, diuino adiuuante auxilio, in poteſtatē redigatur, & fines ſenſim longius ac latius proferantur. Solet enim vnius & alterius loci occupatio cetera occupandi occaſionem ac vires prudentibus ac vigilantibus ſubminiſtrare: qua quidē ratione ex paruis Imperiis maxima effectą ſunt. Sic è tenuibus admodum principiis Tartarorum exſtitit Imperium: ſic Arabes, Saraceni, ac Turcæ etiam ad hanc quam videmus magnitudinem Imperium ſuum euexerunt: hoc deniq; modo omnes illæ vetuſtæ Monarchię, Romana inprimis, conſtitutæ fuerunt. Ad hanc vero ſiue Tunetanam ſiue Algerianam expeditionem maioribus viribus opus non eſt quā rex Hiſpaniarum paucis diebus in occulto fere contrahere poteſt. Neq; enim hoc rerum ſtatu verendum eſt, ne Turcæ claſſem contra educant, & noſtræ opponāt, aut hac in parte obſeſſis vllum auxilium ferant. Quare ad-

iunctis

iunctis ad eas quas Rex ordinarie in procinctu habere ſolet, nouis quot viſum fuerit triremibus, nec non iis quæ à Pontifice Duce Hetruriæ, Ordine Melitenſium equitum, Duce Sabaudiæ, & Republica Genuenſi, occultato tamen, quantũ fieri poteſt, conſilio, peti poſſunt & ex improuiſo in Barbariam impreſſione facta, credibile eſt eiuſmodi claſſem quidquid velit effectură, nec vllũ obſtaculũ, ſi modo fides iis quę de iſtis locis perhibetur, quod ſuperari nõ poſſet, inuenturam. Illud tñ opera danda eſt, vt claſſis alimonia & reliquo neceſſario apparatu quam optime instructa ſit; quæ ñ è Sicilia, Sardinia, Maiorica & aliis vicinis inſulis ac regionibus ſine vllo impedimento ſubuehi poſſunt. Quid ergo Amurathes Raiſiu inſignis ille Tunetenſis pirata, paucis myoparonibus inſtructus, aliud facere poterit, q̃ vt in tutũ aliquem locum ſe ſubducat. At Cicalę filius, iuuenis imperitus, & paternæ fortunæ inſtabilitate iactatus, mediocrem fortaſſis inter Chriſtianos locum & conditionem, vaſtæ illi ſed incertæ & præcipiti magnorum inter Turcas honorũ ſpei præferet nec de patre fortaſſis aliter quis iudicaturus ſit ſi intima eius ſenſa introſpicere detur. Quid n. aliud ſibi volunt paucis retro menſib. in Sicilia & alibi eo facta, niſi illud forte, vt hac ratione viam aliquam ſibi ad vlteriorem cum Chriſtianis tractationem ſternat? Equidem conſtat mihi, Turcas Muſulmanos, id eſt, natos ſiue genuinos, cum quorũ nonnullis ſermonem ipſe contuli, ægre admodũ ferre ac male interpretari, quod in hoc ſuo diſceſſu nullum Chriſtianis damnum intulerit, ſed familiariter admodum cum Venetis & Hiſpanis conuerſatus ſit: qua calumnia dubium non eſt, quin inimici ipſis, quos multos habet & potentes, ad ſubuertendum eum ſint vſuri. Sed, vt ad propoſitum redeamus, impetu in Barbariam facto, conſultum quoq; mihi videtur vt Arabes, inquietum hominum genus, qui magno numero mediterraneam Africæ partem, Numidiam ſcilicet (quæ Bildulgerid hodie) & citra Atlantem, ipſam quoq; Barbariam ſiue mari propiores oras incolunt, velut in prædæ ſocietatem vocentur, vt & ipſi vicinas ſibi regiones occupent. Quod quidem perlubenter atque vltro etiam eos facturos credibile eſt, vt qui Turcis ob continua damna admodum infeſti ſunt; tum natura ſua & vitæ velut quadam profeſſione ad prædę vndecumq; faciendę dediti. Sed ſi vel nihil moueant, ſatis eſt quod eorum auxilia hoſti nihil commodare poſſunt Nam & magnis conducuntur ſtipendiis, nec intra muros tamen includi ſe ſinunt; adeoq; multo plus damni amicis quam hoſtibus vt plurimũ afferunt. De Seriffio ſiue Feſſæ rege, cuius potentia Maroccani regni & aliorũ locorũ acceſſione, nuper nõ mediocriter aucta eſt, ſuſpicio aliqua vel diffidẽtia cõcipi fortaſſe poſſit, vt q medius inter Turcas & Hiſpanos interiectus, Status ſui ſiue ſalutis fundamentum in æquatis vtriuſq; gentis viribus ponit, non ignarus, ei quæ alteram oppreſſerit, ſe prædã fore. Is igitur vbi oppreſſis Turcis, Hiſpanorũ vires iis in locis præualere

Cicala colluſio cum Chriſtianis.

Arabes Barbariæ incolæ.

ſenſerit,

ſenſerit, procul dubio rerum ſuarum ſatagere, & quibus poterit rationibus ſaluti ſuæ proſpicere incipiet; vt eſt gentis illius præ cæteris ſagaciſſimum ingenium, & ad quæuis momenta rerum aptum. Quare in ipſo expeditionis procinctu, nec prius, cum dicto rege, tractatio quædam inſtituenda, iſque inuitandus videtur, vt ſecuritati & ſaluti ſuæ & ipſe ex altera parte conſulat, & vel regnum Tremezenum vel aliam regionem opportunam, expugnandam ſibi ſumat: nec tamen huius expeditionis alius finis publice proponendus, quam vt nidi illi & ſpeluncæ piratarum, qui Italiæ & Hiſpaniæ litora, vt & inſulas vicinas Catholici Regis ſubiectas impetio, continuis incurſionibus infeſtant, deſtruantur. Quod quidem ita ei perſuadendum eſt, vt ne de vlteriori eius expeditionis ſcopo ſiue fine quidquam ante tempus ei ſuboleat, ſiquidem facto aliquo felici expeditionis progreſſu, velit nolit, in pace ſibi viuendum, eamque ab Hiſpanis quaſi precario obtinendam fore intelliget, imperio ipſius (quod cetero qui tantum non eſt vt valde metuendum ſit) tam à mari Mediterraneo quam Oceano, Catholici Regis viribus vndique circumdato & incluſo. Iampridem enim Catholica Maieſtas in Africano Herculei ſiue Gaditani freti litore in poteſtate habet Septam ſiue Ceutam, & Sangu, & ad Oceanum Atlanticum Laracham verſus, Maſugam, oppidum valde munitum, Anno M. D. LVIII. à Luſitanis exſtructum, tum quum iidem de Saphi Azamore, & Arzilla oppidis quæ Mauris erepta poſſidebant hodieque poſſident, defendendis cogitarent quod ægre & non niſi quam maximis ſumptibus ea tuerentur, & hæc quidem quæ diximus loca iam olim ad Luſitanorum imperium pertinebant. Sed & Caſtilienſes in eadem Barbariæ ora verſus Orientem in Tremezeno regno tenebant Maſaquibir & Oram, arces duas firmiſſimas & portus valde opportunos: inprimis vero Maſaquibir totius Barbariæ capaciſſimus eſt portus, quod ipſum nomen ſignificat. Habent vero iidem Caſtilienſes in Feſſæ regno celebre oppidum, Melillam nomine, & Pegnondi Velez, arcem inexpugnabilem: quæ duo inſtar fræni ſunt, vel iugi potius, ad Feſſanum regem in officio continendum: qui licet ſuperiori tempore Sebaſtianum Luſitaniæ regem magno prœlio fuderit ac profligarit, in quo etiam Rex iam dictus ipſe cecidit, illam tamen victoriam non tam potentiæ Feſſani regis, quam aliis cauſſis, & ſiniſtro cuidam fato adſcribendam inde conſtat, quod prœli aleam Feſſanus quoquo modo ſubterfugere atque à ſe diuertere ſtuduerit, atque etiam cum iactura quadam & diminutione ſui regni, pacem redimere conatus ſit. Sed his omiſſis, equidem tam ob hanc quam alias cauſſas, primum impetum in Tunetanam vrbem ac regnum fieri ſuaſerim, vtpote quæ à Feſſano regno longius, à Sicilia vero propius abeſt, quæ longo quodam tractu ab ea parte verſus Africam ſeſe expandens, mare quod intermedium eſt, ita coarctat, vt aditus omnes obſideri, & auxilia,

quæ Turcæ ex Orientalibus regionibus forſan ſummittere tentabunt, facile excludi ac prohiberi poſſint. Præterea Tunetano portu occupato, facile erit inde longe lateque arma proferre, & auctis ſiue redintegratis viribus, victoriam perſequi: qua commoditate portus Algerianus caret, vt cuius aditus ob ſitum valde difficilis eſt & periculoſus, quemadmodum cum ſuo damno Hiſpani non ſemel experti ſunt. Etſi enim tranſlata ab Algeriana vrbe in vicinam inſulam mole (vbi Pegnon olim arx, Hiſpanis à Barbaroſſa erepta ſteterat) receptus ibi & ſtatio tutior ſit, aditus tamen non minus quam ante eſt difficilis, præſertim ſi quis ſeſe cum exercitu opponat, & claſſem ingredi prohibeat. Atqui in portu Tunetano aditus intercludi non poteſt: eoque maior inde cetera maior occupandi facultas erit: quod quidem ſi ab Algerio fiat initium, multo ſequius ſe habet, vbi nempe è re nata atque ex ipſa occaſione conſilium capiendum eſt. Illud omnino faciendum eſt, vt ab opportuno aliquo & inſigni loco expeditionis fiat initium; vtque eodem tempore etiam alia loca minoris momenti tententur, vt Tripolis, Brigia, Bona, Biſerta, & alia quam plurima, immo infinita. Memini quum in Hiſpania eſſem, Franciſcum Hetruriæ Ducem per Ludouicum Douaram legatum ſuum Philippo Regi, inclytæ memoriæ, propoſuiſſe, ſi ſuis ſumtibus triremes aliquot ad ſuam claſſem adiungere velit, ſe ſuis ſumtibus, & vel cum capitis periculo contra Algerium aliquid tentaturum, atque etiam ſi vrbe illa potiatur, beneficii ſiue feudi loco ab Hiſpanica corona accepturum & recognituturum; immo pro eo Portum Herculis, Orbitellum, & Montem Argentarium compenſationis loco Regi traditurum. Hanc quidem conditionem quamuis luculentam Rex Catholicus tum minime accipiendam ſibi duxit: quæ vero cauſſæ eum mouerint, varia tam in aula quam alibi vbicumque huius rei notitia percrebuit, fuere hominum iudicia. Ego quidem ſemper mihi perſuaſi, id eo factum, quod Rex hanc gloriç materiam ſibiipſi eripi noller, non ignarus, præter eam incredibile quoque totius tam Italiæ quam Hiſpaniæ ſtudium & amorem hac inſuper victoria ſeſe conſequuturum, vt quæ quotannis à piratis inde venientibus, maximo cum damno & miſerrima multorum millium captiuitate infeſtantur, non ſine eorum nota ſiue ignominia, quorum erat contra eiuſmodi caſus prouidere. Et hæc quidem res in Hiſpania, quum ibi eſſem, tantam cauſſata eſt animorum commotionem, vt de non permutandis ſiue redimendis captiuis conſultatum fuerit, ne ſcilicet piratis illis remiges eſſent quibus ad ſuos myoparones inſtruendos vterentur: quod tamen conſilium, tanquam pietati & Chriſtianæ caritati contrarium, & Catholici etiam Regis bonæ exiſtimationi minus honorificum, tum repu-

diatum fuit. Ex quo facile intelligi poteſt, quanta ex eiuſmodi expeditione, & tam neceſſario ad rem Chriſtianam iuuandam atque etiam tanti Regis potentia digno conatu tam gloria quam vtilitas ſperari poſſit.

Quod ſi præteritorum temporum reuoluimus memoriam, comperiemus Caſtiliæ & Portugalliæ Reges de Africa ſiue Barbaria ſubiuganda olim tanto ſtudio atque æmulatione inter ſe certaſſe, vt non minus quam de Indiarum poſſeſſione & nauigatione tranſigi inter ipſos neceſſe fuerit. Anno quidem M D V I I I. inter duas has coronas hęc conditio ſiue lex facta eſt, vt nimirum Caſtilienſes ea loca quæ ſunt à Tetuana Orientem verſus oppugnanda ſibi ſumerent; Luſitanis vero ſiue Portugallenſibus ea quæ à Septa ſiue Ceuta verſus Occidentem porriguntur, cederent. At hodie controuerſia illa omnis penitus ſublata eſt, Portugallia ad cetera quoque Hiſpaniarum regna adiuncta, ità vt ab vno hoc Rege tantum commodum Chriſtiana Reſpublica meritò exſpectare poſſit.

Nolo hic de multis aliis quæ tantam victoriam conſequuturæ ſunt rebus diſſerere, vt quæ cuiuis qui vel mediocrem tam hodierni ſtatus quam hiſtoriarum cognitionem habeat, in mentem venire poſſunt. Illud tantum dicam, hoc ſemel ſuſcepto ac perfecto conatu, omnes Chriſtianos Principes & Reſpublicas ad tacitum quoddam fœdus prouocatum iri. Hiſpanorum enim viribus ſupradictarum vrbium alterius acceſſione auctis, & ad maiora audenda animatis, ſummi Pontificis auctoritate reciproca quædam obligatio de bello continuando confici poterit, deſignatis vnicuique iis finibus qui viciniores ipſius ſunt imperio, vt nempe Hiſpanis Barbaria & omnes illæ prouinciæ ad Ægyptum vſque vna cum Syria cedant, Venetis vero (quod vtinam Deus aliquando largiatur) aduerſa Adriatici maris ora, quondam imperio ipſorum coniuncta, nimirum Albania, Morea, Nigropontus, Salonica, cum innumeris illis inſulis in Archipelago ſparſis, adeoque quidquid iis in locis è Barbarorum manibus extorqueri poſſit. Sic ab aliis quoque partibus Romano Imperatori, itemque Poloniæ Regi ſui cuique fines aſſignandi erunt: quos ſpeciatim hic perſequi nolo. Meo quidem iudicio vnum hoc ſatis eſſe debet ad permouendos omnium Principum ad hanc expeditionem animos, Venetorum inprimis: & ſane ſi primus conatus non infeliciter ſucceſſerit, dubium non eſt, quin certatim omnes accurſuri, & de arbore ſucciſa, vt in prouerbio eſt, ligna ſibi ſumturi ſint.

Ad conatum vero hunc promouẽdum multum faciet id, quod Romæ cum Perona Cardinali, Chriſtianiſſimi Regis ad Pontificem pro impetrãda abſolutione Legato, tractatum, & ab eodem

etiam probatum memini: quod quidem conſilium hodieque, rebus ab illo tempore valde mutatis, multo magis eſſet probaturus. Quia enim Rex Chriſtianiſſimus quamdiu cum Hiſpanis ſibi bellum eſſet, Turcis aperte ſe hoſtem profiteri recuſabat; illud nonnulli ab eo petendum ſuadebant, vt ſaltim conniueret, & Britannicis aliquot myoparonibus in Archipelagus excurrendi, & loca Turcis ſubiecta deprædandi clam poteſtatem faceret. Solet enim ea gens quotannis in illo pelago volitare, & ſpretis omnibus periculis & viribus hoſtium longe maioribus, opimas prædas agere, omniaque terroris implere, ita vt ne triremes quidem appropinquare eorum nauigiis audeant, aut prœlii aleam ſubire. Quod ſi magnus talium myoparonum numerus ad ea loca mittatur, vix profecto tota Græcia ab eorum inuaſione ſeſe defendet: atque ita Conſtantinopolis Græciæ commoditatibus & fructibus priuata, ad extremam penuriam tandem redigetur, præſertim quum Valachia quoque & Moldauia iam à Turcarum defecerint imperio, è quibus Turcarum Imperatorem olim quotannis ſupra viginti centum aureorum millia percepiſſe, ex homine earum rerum gnaro intellexi, quibus iam carere cogitur: quæ quidem iactura è fluminum maxime & portuum Maris Maioris, quod vocant, adeoque omnium fere commerciorum interclusione, ac vectigalium diminutione exſiſtit, præterquam quod ad tuendos fines, & ſimiles aliorum populorum reprimendos conatus longe iam maioribus opus eſt præſidiis; & ipſa Conſtantinopolis, quo incredibilis annonæ vis è duabus illi prouinciis conuehi ſolebat, in magno verſatur famis periculo. Et ſane ea quam dixi Archipelagi ac Græciæ infeſtatio non minora forſan Turcarum rebus allatura eſt incommoda, vtpote iam ante ſatis afflictis. Equidem vt hodie res ſe habent, cauſſam non video cur Rex Chriſtianiſſimus non aperte ſe Turcis hoſtem profiteri, atque in eo Pontifici morem gerere debeat; quum à Turcis parum ſperare poſſit. Cur ergo eos metuat? Quid vero ab iis ſperandum ſibi ſit, inde facile colligere poterit, quod in tantis ſuis periculis & laboribus, quãuis tam per ſe, quam per Angliæ Reginam ſollicite peteret, nullum omnino vmquam auxilium potuit impetrare. Nec ſane video, quid eiuſmodi amicitiæ, cui multi magnam quæ Gallia paſſa eſt, malorum partem imputandam putant, diſſolutio Galliç Regi nocere poſſit, cuius fines tam terra quàm mari à Turcico Imperio quam longiſſime abſunt. Sed obiiciat hic Rex, non magni faciendum ſibi tale conſilium vel conatum, è quo nihil vtilitatis ſperare habeat, quum etiamſi quid armis ibi acquiſiuerit, id ob locorum diſtantiam tueri ac conſeruare non poſſit. Atqui quis neget eam vtilitatem longe maximam fore, ſi antiqua

illius Francorum virtutis memoria & gloria, in Orientalibus illis regionibus, quas olim ſubegerunt, & quibus etiam hodie ſunt formidabiles, renouetur? Nec profecto illa parua gloria atque vtilitas cenſeri debet, quæ ex communis hoſtis, qui tot iam annos Chriſtianos miſere habuit & vexauit, extirpatione, ac tot millium animarum è tam fœda & triſti ſeruitute liberatione, ad vniuerſam Chriſtianam Rempublicam reditura eſt. Sed in hac expeditione multæ aliæ rem Chriſtianam adiuuandi occaſiones procul dubio ſeſe offerent, inprimis vero Rhodum inſulam recuperandi, & Melitenſibus Equitibus reſtituendi, vt velut propugnaculum ſint & antemurale contra Crucis hoſtes. Quam quidem nonnulli harum rerum non imperiti, iudicant vel vna illa Gallicarum nauium claſſe recuperari poſſe, diſtractis ſcilicet eo quem ſupra diximus modo Turcarum viribus, & vndique in eorum Imperium alſultu facto. Sed & complures aliæ tam fructus quam gloriæ immortalis conſequendæ occaſiones ſeſe offerent. Verum in eiuſmodi nauali expeditione illud diligenter cauendum erit, vt Chriſtianorum in quos forte inciderint, ratio habeatur: quum gens illa piratica nihil aliud quam prædam conſectari vulgo credatur. Quocirca talis dux præficiendus eſt, qui magna polleat auctoritate; & in vniuerſum omnibus illud inculcandum, id eos ſpectare debere non vt prædam tantum conſequantur, verum multo magis vt communis & hereditarii hoſtis vires frangant, & aſperrimæ ſeruitutis iugo eorundem ſacrorum & religionis ſocios liberent: qui ſi eodem cum infidelibus loco haberi ſe ac tractari viderint, nequaquam, quod alias facturi erant, ad Crucis vexilla accurrent, & re ac conſilio noſtros iuuabunt. Et tanti quidem vna hæc eſt cautio, vt ea ſola eiuſmodi expeditionis fructum aut promouere aut impedire queat. Et hæc quidem ad primam ac præcipuam expeditionem ſatis erunt; quæ tanto glorioſior futura eſt, quod ea ipſa ab immortalis memoriæ Carolo Quinto Imperatore tẽtata ſit, quamuis non cum eo qui optabatur, ſucceſſu. Sed & ante eum Ferdinãdus Rex Catholicus eam cordi habuit; qui eiectis Saracenis ſiue Mauris ex vniuerſa Hiſpania, eoſdem ex Africa quoque, vel Barbaria ſaltim, Hiſpaniæ tam importuna quam opportuna, profligere ſtatuerat, ſupradictis arcibus & oppidis iam in ea potitus, quæ etiam non ſine certiſſimo diuini fauoris iudicio, in tot ac tantis rerum perturbationibus imperiorumque mutationibus, iam per centum & amplius annos in Caſtilianorum Regem poteſtate permanſerunt, quemadmodum & Tripolis permanſiſſet, niſi Melitenſium Equitum vel aliorum ſecordia atque ignauia fuiſſet amiſſa. Quantum vero Barbariæ inuaſio Turcarum rebus incommodatura ſit; ex eo patet, quod illa multo maiorem

& meliorem tam hominum quam nauium partem ad inſtruendam claſſem ſuppeditare ſolet. Quod ſi quis de victoriæ progreſſu diſſerere, & quonam modo is faciendus ſit oſtendere velit, multa facile folia implebit. Vno verbo dicere ſatis eſt, quod ſcilicet vno & altero oppido Barbariæ occupato, vniuerſo porro regionis occupatio minime difficilis futura, immo ipſa quoque Alexandria cum Ægypto & Syria nobiliſſimis regionibus, in noſtrorum manus breui ventura videatur: vt quæ ſemper ei in prædam ceſſerunt qui vno prœlio ſuperior euaſit, quum nullas magni momenti arces habeant & munimenta, & a gente inuicta ac ſeruili habitentur, quæ dominum ac facile mutat, præſertim quum peiori conditione quam ſunt, eſſe non poſſint.

Sed iam ad alteram Expeditionem veniamus, ad quā rectius intelligendam multa quidem præmittere atque prius explicare opus eſſet: ſed quum ſciam ea pleraque omnia Illuſt. V. Dom. vel iam ante ſatis nota eſſe, vel ab aliis harum rerum peritis diſcere poſſe, ab iis recenſendis ſuperſedeo, atque illud tantum dico, illo ipſo tempore quo hæc ſuſcipietur Expeditio, ad hoſtium vires diſtrahendas, ac maiorem eis incutiendum metum, operæ pretium, immo neceſſarium quaſi fore, vt Rex Catholicus claſſem ſuam Indicam ſiue ordinariis ſiue paullo maioribus viribus inſtructam, in mare Rubrum immittat, & tam Arabiæ ad Orientem, quam Æthiopiæ ad Occaſum litus, vtrumque Mahumetano ſubiectum imperio, aggrediatur atque oppugnet. Quod vt tanto felicius perficiatur, non ipſe tantum locorum ſitus, ſed Regum & Principum iis in locis ingenia & ſtudia ab idoneis hominibus explorari poſſunt: quales ſunt Reges Adenæ & Zeylon, cuius imperium in Æthiopiæ confinibus illud promōtorium ſiue Caput cōplectitur, quod ab antiquis Aromata, hodie vero Guardafu dicitur, in ipſo Maris Rubri oſtio ſiue ingreſſu poſitum. Huius quidem regis magnæ vires & ſingularia in Mahumetana propugnanda religione ſtudia perhibentur, eoque continuum cum Chriſtianis in Æthiopia bellum gerit, & precioſa dona frequenter Mecham ad Mahumetis ſepulchrum mittere ſolet; alter vero Rex Adenæ ſcilicet, qui extremam Arabiæ felicis partem poſſidet, qua illa duo proſpectat maria, Oceanum ſcilicet Barbaricum & mare Rubrum, innato fere, vt omnes Arabes, odio Turcas proſequitur, vt qui iugum hoc ſeruitutis ægerrime ferunt. Quocirca vix dubium eſt quin ad primum noſtrorum motum ipſi quoque aliquid conaturi ſint, præſertim ſi libertatis noſtris auxiliis recuperandæ ſpes eis oſtendatur, nec illi Turcarum vires vndiq; diſtractas, valde ſibi metuendas putent. Interim noſtra claſſis Camarin & Mazuam inſulas in illo mari ad vim & prædā valde opportunas, nec non Suaquen munitius aliquanto iis in locis oppi-

dum, oppugnabit, ac nullo negocio, cũ Dei auxilio, expugnabit: quũ pleraq; Arabiæ oppida & arces, quamuis muris poſt frequẽtatã a Luſitanis ad ea loca nauigationẽ, circumdatę, parum ad inſultũ vel mediocrẽ ſuſtinendum firmæ ſint, vt ſunt Zebit, Medina, Gida, & Mecha, vbi impuriſſimi illius nebulonis & impoſtoris Mahumetis oſſa ſeruari dicuntur, & frequentiſſimis ſuperſtitioſorum hominũ pegrinationibus viſitari, ac precioſis donis coli ac tantũ non adorari ſolent. Et patrũ quidẽ noſtrorũ memoria Dux Alboquercius rei maritimæ pfectus, ad abominabile hoc deſtruendũ ſepulchrũ ſubitaneam incurſionem facere decreuerat, quæ tamen euentu caruit. Sed & Suez nobiliſſimum Ægypti ad frontẽ Maris Rubri, & aromatum mercatu celeberrimum quondam oppidum, à noſtris occupatum, multas commoditates præbere poterit. Quum enim aromatũ & Indicarum mercium ad Luſitanos iam translato mercatu, ciuitas ea quondã florentiſſima iam ad nihilum fere redacta ſit, & in portu quamuis capaciſſimo pauca admodum nauigia reliqua ſint: facile noſtris erit quum iis, tum ipſa quoque vrbe & portu potiri. Quam enim maritimæ Turcarum vires iis in locis tenues ſint & exiguæ; inde patet, quod Luſitanis illã intercludendi nauigationem toties repetitus conatus, ſemper infeliciter ipſis ſucceſſerit, ſic vt omnium illorũ marium quaſi tutam poſſeſſionem Luſitanis relinquere ſint coacti. Ex quibus omnibus manifeſtum eſt, etiam quantulacumque claſſe rem in illis locis præclare & vtiliter gerendi, noſtris ſpem eſſe; econtra Turcarum res, ob metum ne tota Arabia ſeditionem moueat, in magna fore perturbatione. Sed & verendum ipſis erit, ne Æthiopiæ quoq; rex aliquid moueat, & loca ſibi ablata, inprimis vero Mazuam inſulam recuperare ſtudeat. Inprimis vero illud metuent, ne ad Suez, cuius occupationem noſtris facilem fore diximus, exſcenſione facta, in Ægyptum ab illa parte plene immunitam impetus fiat, & coniunctis, tam iis quæ p Barbariam ad Alexandriam vſque ſummitti poſſunt, quàm quę ad maritima loca inuadenda deſtinatę ſunt, viribus, omnia vno momẽto ſubuertantur & ſubigantur: quum ab Alexandria ad Suez vſque vix ſexaginta milliarium ſit interuallum. Vnde facile fieri poteſt, vt ſimul tam Arabes in Africa & Gimen, quàm Chriſtiani in Ægypto paſſim habitantes, exſurgant, ac Turcis ſeſe opponant. Tãto autem terroris maior futurus eſt, quanta numeroſior claſſis ad eam expeditionem mittetur; qua tamen primæ illius expeditionis vires nequaquam minuentur aut impedientur.

Quum primum rex Philippus, viuo adhuc patre Carolo V. gubernationi fuit admotus, in Anglia vbi tũ erat, Anno MDLV. conſultatum fuit de bello contra Galliam gerendo vel potius cõtinuando; ad decretum vt oppugnatio à tribus partibus fieret, &

è Belgio quidem Dux Sabaudiæ, ex Italia Dux Albæ, & ex Hiſpania Dux Infantalgi arma inferret. Huius ſui conſilii ſiue propoſiti finem Rex his verbis explicabat, Patrem ſuum hactenus Regi Galliæ ſcrupulos non mediocres inieciſſe, at ſibi aliam poſthac ineundam eſſe rationem ac viam longe breuiorem atque expeditiorem. ex quo tam conſilio quam ſermone mirum eſt quam præclare omnes de incomparabili regis huius virtute ominari cœperint. Quum vero is qui iam rerum potitur vires habeat maiores, pudor ſane ſit minorem oſtendere animum & alacritatem.

Explicatis hactenus duobus Turcarum imperiũ oppugnandi modis, iiſq; facilibus valde & expeditis, iam tertium quoq; ꝓponam, qui vt non tantum vtilitatis promittat, nihilo tamẽ minus hoſti damni adferet, neque tot ſumptus aut tantam curam & ſollicitudinem requiret, neque enim tam ipſe rex bellum hic gerere neceſſe habebit, quam alios excitare ad id in locis valde opportunis contra Turcas gerendum. Id vero commodiſſime, meo quidem iudicio, fieri poterit, ſi Rex Catholicus naues aliquot (etiam ex Indica claſſe, ſi aliæ non ſint in promptu) ad alteram Arabiæ partem per Sinum Perſicum mittat (quem hodie Elcatif aut mare Meſedin appellant) rebus omnibus, & inprimis peritiſſimis belli ducibus inſtructos mittat, & Perſarum Regi, qui Ormuzio in maris illius ingreſſu vicinis eſt ad Bagadet, quæ Babylonia olim, oppugnandam auxilia, inprimis tormenta, quibus maxime opus habet, offerat, hac quidem conditione, vt vel Balſara, nobile iis in locis emporium, & Hiſpanoũ rebus valde opportunũ vel alia quæpiã ciuitas mercedis ſiue compẽſationis loco cedat. Quòd ſi Perſæ munere aliquid vel nolint vel nõ poſſint, aut ob alias cauſſas inuitandi non videantur, Arabes qui alterum Perſici Sinus litus habitant, excitandi ſunt, qui quum à Balſara & Bagadet vno tantum flumine Euphrate ſcilicet, diuiduntur, noſtris vel mediocribus auxiliis adiuti, Turcarum rebus multum incommodare poſſunt. Superiori tempore quum Pontifex Vecchietum in Hiſpaniam ablegaſſet, vt inde in Perſiam nauigaret, & eius gentis regi auxilia, inprimis vero quæ ad rem tormentariam pertinent offerret, conſilium id Hiſpanis nõ placuit, exiſtimantibus, Perſarum Regis auctis viribus, non minus formidabilem eũ quam ipſos Turcas Chriſtianis hoſtem futurum. Quia enim Ormuzium regnum vi ſubegerunt Hiſpani, nõ ſine cauſſa verentur, ne Perſæ de eo recuperando cogitent, eoque vires ipſorum augeri nolint. Quamquã hoc ipſum in ſpeciẽ cautum & prudens conſilium non minus forte ſiniſtrum euentũ habiturum eſt, quam Aetii, qui Attilam & Hunnos, quum poſſet ob certas alias cauſſas exſtirpare noluit, deinde vero quũ vellet,

non potuit, atque ita non ſibi tantum, ſed vniuerſo pæne mundo ruinam & exitium attraxit. Quidquid ſit, ſi Hiſpani cum Perſis nihil ſibi negocii eſſe velint, Arabum qui inter Sinum Perſicum & Mare Rubrum habitant, opibus atque auxiliis commodiſſime vti poterunt. Illud certum eſt non minus Turcas Arabum genti quam ipſis Chriſtianis diffidere, vt qui tertiam Turcici Imperii partẽ teneant, & quamuis nulla ſtataria militiæ diſciplina vtantur, pro ſtrenuis tamen bellatoribus habeantur. Quamuis autẽ, vti diximus, tanta eorum in Turcico Imperio ſit multitudo, illud tamen mirum eſt quod pauci admodum Turcarum caſtra, aut Sultani aulam ſequuntur, niſi forte aut iudex aliquis, aut medicus, aut ſacerdos: quod ſane certiſſimum eſt diffidentiæ inter vtramque gentem argumentum. Quocirca in tribus illis à me propoſitis partibus, ſemper Arabes tentandos & contra Turcas excitandos monui. Illi quidem qui in Africa habitant, partim Tremezeno ſubiecti ſunt imperio, partim libertate gaudent, & in vallibus ac campis habitant eo modo quo Tartarorum Hordæ, quas vocant, licet etiam arces nonnullas & oppida teneant, & ad omnem prædæ aut lauti ſtipendii ſpem continuo arma arripiunt. Qui in ipſa Arabia habitant, inuiti Turcarum parent imperio, quod tanto moleſtius ferunt, quanto nobiliores ſe putant illis ipſis quibus iam ſeruire coguntur.

Quod ſi Pontificis iuſſu atque hortatu à Rege Catholico expeditio hæc ſuſcipiatur, ac tribus, vti diximus, locis communis omnium Chriſtianorum hoſtis oppugnetur, dubium non eſt, quin auxiliante diuina gratia, ingẽs operæ precium fieri, & Chriſtianorum res miſere hactenus ab infidelibus iſtis laceratæ atque afflictæ, in melius reſtitui poſſint, neque enim vnquam tempus fuit magis opportunum, neque hoſtium vires magis attritæ, adeo vt non immerito valde ſibi metuant. Quam occaſionem ſi iam Principes Chriſtiani neglexerint, fruſtra deinde ſperabunt aut optabunt. Quod ſupereſt, Illuſtr. V. Dominationem humiliter rogo atque oro, vt hanc meam Diſſertatiunculam bonam in partem accipiat, & non tam ingenii mei tenuitatem quam promptiſſimam obſequendi voluntatem ſpectet, & commendatam ſibi habeat.

DE

DE REGNO CHERSONESI, QVOD Malaccæ dicitur,

DISCVRSVS XXXVII.

AVREA Cherſoneſus à veteribus dicta, peninſula eſt Indici maris verſus Sinarum regnum ſeſe extendens, cuius Caput ſiue promontorium hodie Sincapura dicitur, promontorio Comorino, quod ab antiquis Corum appellatur, oppoſitum, ac famoſum illum Sinum Gangeticum quem Golfo de Bengala noſtri vocant, includit. A peninſula hac non procul abeſt Sumatra inſula quam continenti olim coniunctam; & maris violentia abſciſſam nonnulli credunt: quod idem de Zeylon quoque inſula perhibetur, quæ ab altera parte Comorini promontorii ſita eſt Vtra vero Taprobana veterum fuit, inter hiſtoricos non conuenit. Veterem quidem plerumque ſcriptores Sumatram eſſe putant, ſed recentiores Zeylon eſſe, multis grauiſſimis rationibus oſtendunt, vbi etiam terreſtrem Paradiſum fuiſſe nonnulli exiſtimant. Hodie certe ſepulchrum in montis cuiuſdam faſtigio magna deuotione viſitari ſolet, in quo primi noſtri parentis Adami oſſa recondita dicuntur.

Sed, vt ad propoſitum redeamus, fieri poteſt, vt qui Sumatram continenti ſiue Terræ firmæ olim connexam fuiſſe credunt, non minus decipiantur, quam Hannibal olim, qui de Sicilia idem putauit. Si enim Sumatra continentis pars & peninſula fuiſſet, equidem eam, non vero Malaccam Auream antiquorum Cherſoneſum fuiſſe crediderim, quum Sumatra auri multo ſit feracior quam Malacca. At ſi præſentem rerum ſtatum conſideremus ac tam veterum quam recentiorum, etiam ipſius Ptolomæi opiniones excutiamus, ſine dubio quæ Malacca hodie dicitur, Aureum veterum Cherſoneſum eſſe reperiemus. Eſt enim Malaccæ regnum vndique à mari incluſum, excepta illa parte quæ Septentrionem ſpectat, vbi regni Sion ſiue Saban, vt quidem appellant, fines attingit, & iſthmo quodam continenti connectitur, de cuius latitudine nihil certi habemus: quamuis credibile ſit aliquanto latiorem eſſe quam vel Tauricæ Cherſoneſi vel Peloponeſi iſthmum, quemadmodum ipſum quoque Malaccæ

gnum modo dictis regionibus amplius eſt, vt quod vltra mille & quingenta milliaria in circuitu complecti fertur.

Regio ipſa ſterilis ſane eſt, & pauca ad vitam neceſſaria producit: nihilominus mira eſt ibi omnium rerum abundantia, quæ eo vndique conuehuntur. Ad Orientem Philippinas habet inſulas, & Moluccas atque illud mare, quod Archipelagus S. Lazari dicitur, vnde ingens quum aliarum precioſarum mercium, tum inprimis aromatum copia adfertur. Ad Septentriones Sinarum iacet regio, quingentis milliaribus inde diſtans; qui magnum ibi & copioſum mercatum exercent, & muſcum, rhabarbarum, margaritas, vaſa porcellana, pannum ſericum varii generis, ac infinita eiuſmodi mercimonia eo conuehunt, ac inde rurſus piper, crocum, pannos è lana, argentum viuum, & mille alia exportant. Verſus meridiem Iauam maiorem inſulam obiectam habet, quæ magnam oryzæ copiam, animalium terreſtria quam volatilia, oleum, cepas, & arma ſuppeditat. Sumatra vero diuerſa legumina & frumenta, oryzam ſcilicet, milium, necnon ſandalum albu n, camphoram (qui vtiliſſimus & ad multa remedia expetitus liquor ſiue reſina eſt) piper, zingiber, caſſiam, aliaque quamplurima Malaccam mittit: quæ omnia inſulani illi per alios diſtrahere neceſſe habent, quippe cum quibus vix vlla gens commercia exercet. Nam & valde barbari ac feri ſunt Sumatræ incolæ, & inter ſe continua fere bella gerunt. Maritimas quidem oras Mahumetani tenent, partes vero mediterraneas pagani ſiue gentiles. Eſt quoque aer ibi minus ſalubris ob nimiam paludum frequentiam & noxiorum humorum exhalationem. At Occidentem verſus regna ſunt, Malabar, Biſnagar, Bengala & alia, cum quorum incolis Malaccenſes continua exercent commercia: verſus Aquilonem vero regnum Pegu iacet, cuius incolæ ſimiliter multas ac valde precioſas merces Malaccam aduehunt, ita vt omnium opulentiſſimi mercatores habitare ibi credantur, Chriſtiani, Iudæi, Gentiles, Arabes, qui tamen diuitiis ſuis vt plurimum ad luxum & flagitia abutuntur. Plerique enim eum omnes muſicæ & amoribus ſunt dediti, ac vix quidquam quam balnea, hortos & quidquid ad corporis voluptates pertinet, curant, quamuis habitu corporis parum ſint venuſto, fuſci ſcilicet coloris, repandis naribus, & paruis oculis: quæ tamen vitia cura expolire & emendare ſtudent.

Scripſerunt nonnulli, Malaccam ciuitatem ante quinquaginta annos aut paullo amplius ab Sinarum Rege loci opportunitatem ſequuto eſſe conditam: ſed duplici in errore verſantur:

Primum quod Sinarum reges imperium ſuum numquam tam late protulerunt, illo præſertim tempore quo recens Tartarorum iugum excuſſerant, ac magis de tuenda libertate quam augendo imperio, vt veriſimile eſt, cogitabant.

Deinde vero non eſt conſentaneum, locum tam celebrem & op-

portunum

portunum tam tarde habitari cœpiſſe. Contradicunt eidem etiam opinioni hiſtorici, qui locum illum magna ciuium multitudine & mercatu celebratum prodiderunt. Putant quidam Tacolam Ptolomæi hanc ipſam eſſe Malaccam: quæ ampla valde eſt, mediaque à flumine lato irrigatur, & inſigni ponte coniungitur. ædes magnam partem ligneæ ſunt & palmarum foliis, pro Indorum more, tectæ. Et hæc quidem totius regni erat metropolis, ibique præfectus ſiue Gubernator habitabat, à rege Sion vel Sabon miſſus: cuius nominis ambiguitas forraſſis illum de Sinarum imperio errorem peperit. Eſt enim Sian ampliſſimum & potens regnum, inter Malaccam & Pegu interiectum, cuius rex in Vdir celebri ciuitate domicilium habet, & ad ſubita quæuis quinquaginta bellatorum millia contrahere poteſt.

Eo tempore quo Luſitani primum has oras & maria frequentare cœperunt, Arabes quidam Mamudius nomine per vim Malaccæ imperium vel tyrannidem potius inuaſerat, qui partim vi partim fraude non ſolum iam dictam vrbem & regnum ſuo ſubiecit imperio, & Siani quoque regem cuius antea miniſter fuerat prœlio victum, tributarium ſibi fecit, ac breui ex vectigalibus & aliis exactionibus rantas opes acquiſiuit, vt & ciuibus odioſus, & vicinis Principibus ſuſpectus euaſerit. Quum ergo Didoeus Secheria Luſitanus cum nauibus aliquot eo appuliſſet, Mamudius aduenarum viribus & amicitia opes ſuas ſtabiliendas ſibi duxit: ſed non multo poſt Arabum & Iudæorum conſiliis ſeductus, ſcelerata fraude Secheriam cum omnibus Luſitanis interficere ſtatuit. Quamuis autem conſilium hoc non omni ex parte ſucceſſerit, Luſitanorum tamen res valde afflixit; triginta ex eorum numero interfectis, & totidem in vincula coniectis.

Quam quidem ſceleratam perfidiam Dux Alboquercius generalis Indiæ Præfectus, Magni nomen à rebus præclare geſtis adeptus grauiſſime vltus eſt, & non ſolum captiuos illos liberauit, ſed Mamudium quoq; aliquot prœliis victum inſtar rabioſi canis immori coegit, & Malaccam ſuo ſubiecit imperio, quæ hodie à Luſitanis mirum in modum tam arce quam muris & foſſis, vltra decẽ milliaria complectentibus, munita eſt, & turum Hiſpanis, ad quos Luſitanicarum victoriarum fructus hodie pertinet, receptaculum & infinitas alias vtilitates, ob Moluccarum inprimis viciniam, præbet. Hæc Alboquercii expeditio ſiue victoria, niſi memoria me fallit, incidit in ann. M D X. Sincapuræ promontorium an veteribus notum, & quomodo ab eis appellatum fuerit, non inuenio, nec Ptolomæus eius meminit, ſed credibile eſt à regionis nomine denominatum fuiſſe: nec fluminis etiam, quod Malaccā præterfluit, vllam apud ſcriptores mentionem reperio, niſi quod produnt quidam Gazam non procul à Malacca

Malacca à Luſitanis ſubigitur.

in

in mare exire & oſtium eius vltra quindecim milliaria patere. Ptolomæus ciuitatum & fluminum quorundam huius peninſulæ nomina ponit, quæ ab hodiernis valde diuerſa ſunt. Præter Tacolam vero quam Malaccam, vti dictum eſt, fuiſſe exiſtimo, idem Labanam ponit, quæ fortaſſis illa ipſa ciuitas eſt, quæ Sian ſiue Sion dicitur, & toti regno nomen dat, in parte Orientali ad iſthmum poſita, quæ non ita pridem à rege Pegu, vna cum toto regno ſubacta eſt, tanto cum exercitu vt Xerxis ille minus iam fabuloſus videatur. Cum Pegu incolis Luſitani frequentiſſima exercuerunt commercia, & in ipſa etiam vrbe, vbi regis aula erat, habitarunt, multis ab eodem donati priuilegiis & immunitatibus, ac ſine vllo Religionis impedimento, quum quidem etiam ſubditis acceptare licet. Perſuaſum quippe illi populi habent, in quacunque Religione poſſe aliquem ſaluari, & ſalutem non à fide, ſed bonis operibus dependere. At poſtremis his annis, id eſt, paullo ante annum M D C. tanta in regno Pegu rerum facta eſt commutatio, ac tantæ clades & ruinæ inciderunt, vt penitus deſtructum, nec multis annis aut etiam ſæculis, priſtino nitori reſtitutum iri videatur. Sed hiſtorias has vere admirandas fuſius enarrare non eſt huius loci.

DE SERENISSIMI ARCHIDVCIS MATTHIÆ ad Belgium profectione,

DISCVRSVS XXXVIII.

MAGNI profecto momenti res eſt, Excellentiſſime Domine, quod Matthias Archidux in Belgium iter inſtituiſſe dicitur, præſertim ſi id fiat cum Imperatoris conſenſu: nec dubium eſt quin magna ſtatuum in illis regionibus rebellioni fomenta acceſſura, ac Catholici Regis conſiliis & rebus multum incommodi allatura ſint. Non tamen cum amico illo ſentio, qui conatibus his tam facilem ſucceſſum promittit: ſiquidem Principem aliquem potentem imperio exſuere, res ſane difficilis admodum eſt, niſi viribus ille longe ſit potentior, aut ſaltim par. Et ſane credo Status illos, vel etiam Imperatorem ſi forte ipſius quoque côcurrat aſſenſus, multis difficultatibus ſeſe implicituras priuſquam

iuuenem hunc in Belgici imperii poſſeſſione ſtabiliant & confirment. Quando enim prouinciæ aliquæ arma contra Principem naturalem & cui ad vindicandam iniuriam vires non deſunt, arma arripiunt, ac proinde in magnam rerum omnium perturbationem incidunt, neceſſe quidem eſt vt nouum ſibi Principem eligant, qui incommodis omnibus mediatur & imperium æquabiliter adminiſtret, at in eo eligendo diligens cautio adhibenda eſt, vt ſcilicet is in quo ſingularis prudentia cum pari potentia coniuncta ſit, eligatur. Nam ad nouum & quaſi alienum adminiſtrandum imperium, requiruntur primum vires promptæ atque expeditæ, tum vicinorum fauor & beneuolentia: quæ vtrum in A.M. reperiantur, prudens quiuis facile intelligit. Atqui his commoditatibus priuatus aliquis Princeps, non modo prouincias ſibi creditas, recte gubernare poterit, verum etiam certiſſimum eis adferret ruinam, neque enim ad aliud ſeruire poterit, quam vt omnes difficultates in vnum veluti nodum conſtringat, cuius diſſoluendi, omniaque miſcendi hoſtes occaſionem nanciſcentur.

Ac primum quod ad prudentiam attinet, quum iuuenili adhuc ætate ſit, neceſſe erit vt aliis ſe velut in ſinum tradat, eorumque conſiliis vtatur: quæ quidem ad ruinam præceps admodum & breuis eſt via. Si enim vni alicui tanta tradatur auctoritas, vt ſolus Principem in ſua quaſi poteſtate habeat, incredibile inde in ceterorum animis odium atque inuidia naſcetur, eorum præſertim qui præcipui electionis auctores fuerunt ſiue adiutores, ac propterea debiti huius importuni ſemper exactores erunt. At qui debitum hoc exſoluere velit, Principatus neruos valde debilitabit, & aliorum animos offendet. At ſane non video quomodo viginti annorum Princeps inter tam periculoſos ſcopulos tuto nauigare poſſit, tot præſertim vndique cinctus Conſiliariis, qui in varia ſtudia & ſententias diſtracti, & mutua æmulatione accenſi, atque etiam priuatæ magis quam publicæ ſaluti intenti, Principis ſtatum euertent potius quam firmabunt.

Ad vires ſiue potentiam quod attinet, non valde magnam eam eſſe inde patet, quod ea omnis in Statuum iam duodecim graui bello afflictis opibus conſiſtet: quod quam diu durauerit, exigui fructus è publicis reditibus, vectigalibus, aliiſque commerciis ſperari poſſunt. Reges quidem Neapolitani qui regnum ſolis viribus tueri coacti fuerant, ruinam tandem effugere non potuerunt. Tanto vero peior conditione nouus hic Princeps futurus eſt, quanto arctioribus limitibus auctoritas eius & poteſtas reſtringetur. Qui enim nouum ſibi Principem eligunt, non niſi certis conditionibus ac legibus facere id ſolent, in quas ille Principatum ſuſcepturus, iurare cogitur: quippe qui metuant, ne in eamdem rurſus incidant tyrannidem, è qua liberari ſategerant: ita vt pauca in Principis poteſtate relinquantur,

quibus

quibus ſupremam auctoritatem tueri poſſit, ad ruinam vero lata pateat via. Eiuſmodi leges ſiue conditiones illæ fuerunt, quibus Siculi Petrum Aragonium ad regnum vocarunt: qui ſi nullas alias ad tuendam ſuam auctoritatem & ſtatum habuiſſet vires quam iſtius regni, procul dubio illa vna electione fuiſſet peſſumdatus, neque enim vulgo vmquam perſuaderi potuit, vt eius belli quod nouo Principi à Franciæ rege potentiſſimo & non leui iniuria affecto, impendebat, rationem haberet, ac Principi auxilia præſtaret: quamuis non ignorarent, ſi Princeps à Francis victus atque expulſus fuiſſet, vniuerſo regno certiſſimam paratam eſſe ruinam atque interitum.

Quam vero fallax ſit externorum auxiliorum ſpes, quam etiam facile confœderatorum, ob diuerſa ſtudia & ſententias, vires diſtrahantur ac frangantur, omnibus notum eſt. Quantis vero opibus, quanta etiam patientia ei Principi opus erit, cuius omnis ſpes in Germaniæ, tam variis ſtudiis diſtractæ, viribus collocata ſit? Quid vero ſpei nouo Principi eſſe poſſit, contra potentiſſimi Regis arma, in regione ſiue Statu iam ante diuturnis belli calamitatibus afflicto atque exhauſto, vbi ægre bellum à ſe defendere, ac numquam hoſtem vel præuenire vel diuertere poſſit, ſed in ſuis ipſius viſceribus quaſi nutrire neceſſe habeat? Et hæ quidem omnes difficultates occurrent, ſi vel maxime ab omnibus prouinciis vnanimiter recipiatur, ac pro Principe recognoſcatur. Quid vero ſperandum ſit, ſi ab vna tantum parte recipiatur, cui vis facile eſt intelligere. Ex quibus omnibus patet, quam debiles eiuſmodi Principis ad ſtatum ſuum tuendum, vires futuræ ſint.

Ad vicinorum beneuolentiam & fauorem quod attinet, ſic quidem exiſtimo, tam Gallos quam Anglos malle, vt regiones illas Belgicas dominus aliquis minus potens teneat: ea tamen iam eſt temporum conditio atque is rerum ſtatus, vt vtriuſque gentis reges exigua auxilia præſtare poſſint. Quantum ad Germanos, puto equidem & ipſos malle Ariſtocratiam quamdam in Belgio conſtitutam videre, quam alicuius ex Auſtriaca familia, ob potentiam & magnitudinem illis pleriſque inuiſa, Principatum. Licet enim ex eadem familia ſit Rex Catholicus: nihilominus tamen quum regna ipſius à Germania longe abſint, nec Imperatoriam dignitatem ambire videatur, potentia eius nec tam odioſa nec tam ſuſpecta eſt, quam alterius ex eadem familia, qui & ex ipſa Germania ortus ſit, & in Germania viuat. Huic enim rationes ſiue media non deerunt quibus Imperium ſibi acquirat, & in familia ſua perpetuum & quaſi hereditarium faciat.

Ex quibus omnibus recte concludere mihi poſſe videor, nouum Principem, iuuenem, viribus debilem, ſed prudentia & conſilio, ob

ætatis

ætatis imperitiam, multo debiliorem, nullis fœderibus aut externis auxiliis quæ quidem magni ſint momenti,ſubnixum,in ſtatu nouo, eoque vſurpato, difficulter admodum contra potentiſſimi Regis, qualis Catholicus eſt, arma & inſultum ſeſe defenſurum, præſertim ſi non tam victoriæ quam vltionis ſtudio bellum à Rege ſuſceptum videatur. neque enim parum profuerit, vt belli ibi gerendi ratio tota commutetur.

Ea enim remedia quæ hactenus ad malos expurgandos Belgicorum Statuum humores duodecim his proximis annis adhibita ſunt, Legum ſcilicet rigor, & vis armorum, nihil aliud effecerunt, quam quod ægrotum debilitarunt, medicum defatigarunt, & ipſum morbum auxerunt.

At ſi alia via ineatur, ac non lenia remedia, ſed vſtiones ac ſectiones adhibeantur, bellum breui confectum omniaque ſanatum iri certior ſpes erit. Incredibiles enim tum fiunt progreſſus, ſi arma contra eum qui reſiſtit, ſeuere atque etiam crudeliter exerceantur, at erga eos qui ſeſe dedunt & ad officium redeunt, quæcumque poteſt humanitas & benignitas vſurpetur. Et hic quidem modus belli finiendi, tollendæ diſſenſiones, & frangendæ rebellium pertinaciæ expeditiſſimus eſt & efficaciſſimus. Semper enim rebellium antesignani, quos veniæ deſperatio ad petulcaciam armat, pauci ſunt: at vulgus quanto vbi periculum adhuc longe abeſt, magis ferum eſt atque indomitum, tanto magis, vbi periculum in foribus videt, animum demittit, ac nemo eſt qui mori velit, quando adhuc vitæ ſpes oſtenditur.

Illud quidem neqnaquam mihi veriſimile videtur, Regem Catholicum tantas iniurias diſſimulaturum, ac tanta damna æquo animo laturum: immo non dubito quin potius omne ſuum imperium ac ſtatum periculo expoſiturus ſit, ac omnibus viribus bellum in Belgio geſturus. ed quod maximas iam habet commoditates, ceteris omnibus regnis & dominiis in pace & traquillitate conſtitutis: vnde quidem certiſſima victoriæ ſpes, præſertim quum ad alendos maximos exercitus & hoſtem è campo ſubmouendum, ei omnia affatim ſuppetant.

Quod ſi quis tanto bello maturioris ætatis & maioris experientiæ ducem quam Ioannem Auſtrium præficiendum putet, is viciſſim cogitet, defectum hunc, ſi quis ſit, inſigni huius iuuenis felicitate, tum etiam cauſſæ iuſtitia, & virium quas Rex Catholicus hic cui contrahere poteſt, magnitudine facile compenſatum ac ſuppletum iri, quum Felicitas præcipuum ſit, ac ante omnia quæ in imperatore requiruntur, maxime neceſſarium. Cauſſæ æquitas ſiue iuſtitia plerumque etiam quum armis diſceptatur, bonum exitum ſortitur.

Vires

quibus ſupremam auctoritatem tueri poſſit, ad ruinam vero lata pateat via. Eiuſmodi leges ſiue conditiones illæ fuerunt, quibus Siculi Petrum Aragonium ad regnum vocarunt: qui ſi nullas alias ad tuendam ſuam auctoritatem & ſtatum habuiſſet vires quam iſtius regni, procul dubio illa vna electione fuiſſet peſſumdatus, neque enim vulgo vnquam perſuaderi potuit, vt eius belli quod nouo Principi à Franciæ rege potentiſſimo & non leui iniuria affecto, impendebat, rationem haberet, ac Principi auxilia præſtaret: quamuis non ignorarent, ſi Princeps à Francis victus atque expulſus fuiſſet, vniuerſo regno certiſſimam paratam eſſe ruinam atque interitum.

Quam vero fallax ſit externorum auxiliorum ſpes, quam etiam facile confœderatorum, ob diuerſa ſtudia & ſententias, vires diſtrahantur ac frangantur, omnibus notum eſt. Quantis vero opibus, quanta etiam patientia ei Principi opus erit, cuius omnis ſpes in Germaniæ, tam variis ſtudiis diſtractæ, viribus collocata ſit? Quid vero ſpei nouo Principi eſſe poſſit, contra potentiſſimi Regis arma, in regione ſiue Statu iam ante diuturnis belli calamitatibus afflicto atque exhauſto, vbi ægre belluri à ſe defendere, ac numquam hoſtem vel præuenire vel diuertere poſſit, ſed in ſuis ipſius viſceribus quaſi nutrire neceſſe habeat? Et hæ quidem omnes difficultates occurrent, ſi vel maxime ab omnibus prouinciis vnanimiter recipiatur, ac pro Principe recognoſcatur. Quid vero ſperandum ſit, ſi ab vna tantum parte recipiatur, cui vis facile eſt intelligere. Ex quibus omnibus patet, quam debiles eiuſmodi Principis ad ſtatum ſuum tuendum, vires futuræ ſint.

Ad vicinorum beneuolentiam & fauorem quod attinet, ſic quidem exiſtimo, tam Gallos quam Anglos malle, vt regiones illas Belgicas dominus aliquis minus potens teneat: ea tamen iam eſt temporum conditio atque is rerum ſtatus, vt vtriuſque gentis reges exigua auxilia præſtare poſſint. Quantum ad Germanos, puto equidem & ipſos malle Ariſtocratiam quamdam in Belgio conſtitutam videre, quam alicuius ex Auſtriaca familia, ob potentiam & magnitudinem illis pleriſque inuiſa, Principatum. Licet enim ex eadem familia ſit Rex Catholicus: nihilominus tamen quum regna ipſius à Germania longe abſint, nec Imperatoriam dignitatem ambire videatur, potentia eius nec tam odioſa nec tam ſuſpecta eſt, quam alterius ex eadem familia, qui & ex ipſa Germania ortus ſit, & in Germania viuat. Huic enim rationes ſiue media non deerunt quibus Imperium ſibi acquirat, & in familia ſua perpetuum & quaſi hereditarium faciat.

Ex quibus omnibus recte concludere mihi poſſe videor, nouum Principem, iuuenem, viribus debilem, ſed prudentia & conſilio, ob

ætatis imperitiam, multo debiliorem, nullis federibus aut externis auxiliis quæ quidem magni ſint momenti, ſubnixum, in ſtatu nouo, eoque vſurpato, difficulter admodum contra potentiſſimi Regis, qualis Catholicus eſt, arma & aſſultum ſeſe defenſurum, præſertim ſi non tam victoriæ quam vltionis ſtudio bellum à Rege ſuſceptum videatur. neque enim parum profuerit, vt belli ibi gerendi ratio tota commutetur.

Ea enim remedia quæ hactenus ad malos expurgandos Belgicorum Statuum humores duodecim his proximis annis adhibita ſunt, Legum ſcilicet rigor, & vis armorum, nihil aliud effecerunt, quam quod ægrorum debilitarunt, medicum defatigarunt, & ipſum morbum auxerunt.

At ſi alia via ineatur, ac non lenia remedia, ſed vſtiones ac ſectiones adhibeantur, bellum breui confectum omniaque ſanatum iri certior ſpes erit. Incredibiles enim tum fiunt progreſſus, ſi arma contra eum qui reſiſtit, ſeuere atque etiam crudeliter exerceantur, at erga eos qui ſeſe dedunt & ad officium redeunt, quæcumque poteſt humanitas & benignitas vſurpetur. Et hic quidem modus belli finiendi, tollendæ diſſenſiones, & frangendæ rebellium pertinaciæ expeditiſſimus eſt & efficaciſſimus. Semper enim rebellium anteſignani, quos veniæ deſperatio ad peruicaciam armat, pauci ſunt: at vulgus quanto vbi periculum adhuc longe abeſt, magis ferum eſt atque indomitum, tanto magis, vbi periculum in foribus videt, animum demittit, ac nemo eſt qui mori velit, quando adhuc vitæ ſpes oſtenditur.

Illud quidem nequaquam mihi veriſimile videtur, Regem Catholicum tantas iniurias diſſimulaturum, ac tanta damna æquo animo laturum: immo non dubito quin potius omne ſuum imperium ac ſtatum periculo expoſiturus ſit, ac omnibus viribus bellum in Belgio geſturus. ad quod maximas iam habet commoditates, ceteris omnibus regnis & dominiis in pace & traquillitate conſtitutis: vnde quidem certiſſima victoriæ ſpes, præſertim quum ad vel maximos alendos exercitus & hoſtem è campo ſubmouendum, ei omnia affatim ſuppetant.

Quod ſi quis tanto bello maturioris ætatis & maioris experientiæ ducem quam Ioannem Auſtrium præficiendum putet, is viciſſim cogitet, defectum hunc, ſi quis ſit, inſigni huius iuuenis felicitate, tum etiam cauſſæ iuſtitia, & virium quas Rex Catholicus breui contrahere poteſt, magnitudine facile compenſatum ac ſuppletum iri, quum Felicitas præcipuum ſit, ac ante omnia quæ in imperatore requiruntur, maxime neceſſarium. Cauſſæ æquitas ſiue iuſtitia plerumque etiam quum armis diſceptatur, bonum exitum ſortitur.

Vires vero Catholici Regis & armorum vis incredibilis futura eſt, ſiquidem Hiſpani non ſolum pro Principis ſui auctoritate, ſed propria quoque ſalute & honore aliiſque emolumentis certabunt, ac tam inter ſe quam cum aliis nationibus quæ Catholico regi in hoc bello operam nauabunt, concordiam omni ſtudio conſeruabunt, vt qui vndique ab hoſtibus cinctos, procul à patria, ac nullam aliam quam in armis ſibi ſpem eſſe videbunt, atque ita vitæ beneficium, mortis fortiter oppetendæ conſilio debebunt.

Et hæc quidem in præſentiarum ſuper Mathiæ Archiducis in Belgium profectione mihi in mentem veniunt. Nec tamen illud abnuo, longe alium finem fortaſſe rem habituram, ſi cunctatio quædam aut aliud quoddam ſiniſtrum fatum Catholici regis rebus & conſiliis interueniat. Certum enim eſt, ſomnum longum, id eſt, tarditatem atque inertiam, & magnum imperium vna ſtare non poſſe, quod ſuper eſt excellentiſſimæ veſtræ manus humiliter exoſculor, eique omne felicitatem à Deo immortali precor.

CLARISSIMI VIRI N. ORATORIS VENETI, CVM EX CONVENTU Nicææ reuerſus eſſet, Relatio: vbi inter Paulum III. ſummum Pontificem, inter Carolum V. Imperatorem, & inter Franciſcum Regem Galliæ habito colloquio de grauiſſimis Reip. Chriſtianæ rebus conſultatum eſt, & inter vtrunq; horum Principum Maieſtatem decennales induciæ concluſæ.

DISCVRSVS XXXIX.

QVANQVAM noſtra legatio, Sereniſſime Princeps, & Excellentiſſimi, Grauiſſimiq; Domini, breui fuerit circumſcripta temporis ſpatio, & nos quęcunque actitata fuerunt, in dies perſcripſimus, cunctaque rerum euenta ſignificauimus, vnde pauca vel nihil ſupererit Excellentiſſimis VV. DD. referendum: tamen, vt laudabilem hunc noſtræ bene inſtitutæ Reipub. morem ſeruemus, quaſi villicationis noſtræ iuxta Euangelium rationem reddentes, breuibus enarrabo cuncta, quæ ſcitu digna mihi videbuntur, præſertim hiſce tēporibus, quibus omnia ad trutinam iudicii penſanda, atque examinanda ſunt, quantum in quolibet alio huic Reip. difficillimo tempore vnquam oportuerit. Quamobrem Excellētiſſimæ DD. VV. vt ſolent, attentis animis orationem meam audire ne grauētur, dum ego abſoluere conabor hoc munus meum omni ſinceritate ac breuitate, neque, vt ſpero, ſine veſtri oblectatione.

Igitur ego & Collega meus cū die Veneris hebdomadæ maioris, qui fuit dies decimus nonus Aprilis, Venetiis diſceſſiſſemus, vrgente profectionem noſtram Sublimitate V. & die Lunæ poſt Paſcha Patauio, in qua vrbe Sabbato ſancto, & ſequenti die ſolennis feſtiuitatis morati ſumus ad equos deligendos, & cætera ad iter exornanda, viam inſtitutam proſequentes die 25. Brixiam

peruenimus; vbi allatum eſt, Pontificem Placentiæ ſubſtitiſſe:& nos quoque ſubſtitimus vſque ad diem 29. veſtra mandata expectantes, quæ cum reuerenter, vt decebat, accepiſſemus, ac perlegiſſemus, duo nobis peculiariter iniuncta fuiſſe, comperimus: alterum, vt apud eius Sanctitatem permanentes, pacem inter Cæſaream Maieſtatem,& Chriſtianiſſimum Regem iniri nomine Serenitatis V. omni ſtudio,& labore curaremus, tanquam ſalutare, vnicumq; noſtræ,& Chriſtianæ Reipublicæ aduerſus imminentia extrema pericula remedium. Quod ſi omnibus exantlatis laboribus pax deſperanda videretur, eo caſu, vt nihil prætermitteremus, ſaltem vt inter ipſos induciæ quam longiſſimæ fieri poſſent, concluderentur. Alterum mandatum fuerat, vt Maieſtatem Cæſaream hortaremur, ne hoc anno ex Italia diſcedat, verũ quamprimum Principem Doriam cum ſua claſſe mittat in Oriẽtem, noſtræque ſeſe adiungat, eoque pacto aduerſus crudelem hoſtem non ſolum communia noſtra defendantur, ſed adeo vires ipſius contundantur, vt in poſterum ab ipſo Chriſtianis timendum non ſit. Quibus in rebus coram Excellentiſſ. DD.VV. quæ partium noſtrarũ erunt,& deſiderio veſtro reſponſura ſunt, exponam. Quoniam vero ex ſecundo capite manauit oblatio, quam Sublimitati V. Cæſar exhibuit pro expeditione anno futuro aduerſus Turcas ſuſcipienda; ideo de hac quoque re, quæ digna mihi ac relatu neceſſaria videbuntur, nonnihil explicabo.

Et primo quidem Sublimitas V. & Excellentiſſimæ DD.VV. cognoſcent, quo pacto Pontifex in hoc toto negotio proceſſerit, quas difficultates habuerit, quibus cõſiliis vſus fuerit, quem exitum res inuenerit,& cur induciæ, non pax concluſa fuerit, quidque ex hoc facto de duobus iſtis Principibus ſperandum,& expectandum ſit.

Igitur hiſce cum mandatis Brixia egreſſi,& die 2. Maii Placentiam peruenientes, Pontificem illic diutius moratus fuiſſe, comperimus ideo, quia à Duce Sabaudiæ arcem Nicææ ſibi concedi poſtulauerat,& mentem Ducis nondum cognitam habebat: hoc autem curabatur, quo Principes hi ſecurius ad eius Sanctitatem accedere,& de rebus tractandis conſultare poſſent, cumque Dux poſtulatis ſe ſatisfacturũ ſcripſiſſet, Pontifex Nicæam verſus perrexit. Quare nos, vt mandatũ nouiſſime à Serenitate V. nobis iniunctum exequeremur, vt ſc. ab eius Sanctitate integram ſummã ducatorum ducentorum millium procuraremus ex ſubſidio cleri abſq; detractione 30. millium, quæ in ſui vſum peruenerat, tertia die diſceſſimus, quanquam Magnificus N. impeditus valde periculoſo ſtranguriæ morbo remanſit, Põtificem ad Caſtrũ S. Ioannis inuenturi. Vbi noſtris rebus expoſitis honorifice habiti fuimus, nempe videbatur Pontifici, cum ad hanc pacem procuran-

dam

dam tam libentibus animis Sublimitas V. concurreret, rē facilius ex voto ſucceſſuram. Quod attinet ad pecuniam ex ſubſidio Cleri, eo die, & poſtero ita egimus cum Pontifice, vt V. Celſitudo dicta 30. aureorum millia impetrauerit, & relictis centū octuaginta millibus in eum modum, quo ſcripſimus (Reuerendiſſimi N. deprecatio plurimum nobis adiumenti attulit) Sublimitas V. quæcunque petenda iuſſerat, obtinuit: itaque eius Sanctitatē itinere proſecuti fuimus, & die 11. menſis, ille vero 10. Sauonā peruenimus; qua in ciuitate Cæſarem die 9. ad Villamfrancam acceſſiſſe percepimus. Nos tunc opportunitatem temporis capientes (neq; enim ante ipſius aduentum in Italiam id monendum putāuimus) Pontificem rogauimus, illi perſuadere vellet ad Rempub. Chriſtianam iuuandam, vt intra Italiam ſeſe contineret, & Doriā Principem cum tota claſſe in Orientem mitteret: Pontifex autem tractandam rem ſuſcepit alacri animo, exiſtimans, vt dixit, hæc duo valde neceſſaria eſſe, & Imperatori quoque non minus honorifica & vtilia, partim ob fœderis conditiones, partim ob dignitatis ſuæ gradum, & quia ſponte pollicitus olim fuerat, ſe aduerſus Turcas ſimilia præſtiturum, quemadmodum ipſi Concilium etiam iniunxerat, & reuera effecit.

Poſt hæc aſcerſis triremibus ſimul cum Pontifice appulimus Nicæam die 17. cum duodecim Principis Doriæ triremibus, vbi cum Dux Sabaudiæ promiſſam arcem Pontifici tradere renuiſſet, quemadmodum Serenitati V. ſcripſimus, ipſe in ciuitatem ingredi noluit, ſed in quodam monaſterio ſecundum mare hoſpitatus eſt, vbi detinuit ſe perpetuo non ſine multo incommodo. Cum illuc perueniſſet, plurimis nuntiis Regem Chriſtianiſſimū accerſiuit; qui demum vltimo die menſis ad Villamnouam venit. Hoc loco non tacebo, eius Sanctitatem toto hoc itinere, & agendi tempore adeo feruentem, & cupidam fuiſſe in pace horum Principum curanda, vt neque ingraueſcentis ætatis rationē habuerit, neq; Pontificiam dignitatem, aut aſperitatem, & incommoda longi itineris, neque vllam animi moleſtiam, aut corporis laborem reſpexerit, verum omnia tanta patientia pertuliſſe, vt nemo non fuerit admiratione captus: adeoq; hoc deſiderio Reip. tranquillandæ tractus eſt, vt, quemadmodum publica voce vſurpabatur, nimium crediderit ſpei, quam Reuerendiſſimi Cardd. Iacobatius, & Carpenſis alter ad Cæſarem Legatus miſſus, alter ad Chriſtianiſſimum, fecerant. Hæc autem fuerunt ad me verba Regis: Si Cardinalis, inquit, Carpēſis Pontifici verum ſcripſiſſet, & verbis meis ſignificauiſſet, me paci minime conſenſurum, niſi Mediolani Statum receperim, eius Sanctitas, explorato Cæſaris animo, & cōperto aduerſari, tam leui de cauſa, vrbe deſerta, inanem hunc laborem non ſuſcepiſſet.

In huiuſmodi deſiderio ſuo duo aduerſa Pontifici contigerũt, quæ ad hoſce duos Principes ſimul congregandos, vt cum iis agere poſſet, maximo fuerunt impedimento: alterum fuit Ducis Sabaudiæ pertinacia, qui arcem Nicææ concedere recuſauit, etſi prius illam ſe Pontifici daturum promiſerat, modo ſpem eripuerat, demum penitus negauerat: ob quam difficultatem Pontifex Placentiæ ſubſtiterat non ſine animo Romam redeundi, niſi Dux ſe arcem conceſſurum, iterum nuntiaſſet. Cum vero prope Nicæam eſſet, retuliſſetque Petrus Aloyſius, quem Pontifex miſerat, vt eius nomine arcem reciperet, noluiſſe Ducem illam conſignare, Monachũ reuerſus eſt, vnde iterum Ducis, qui Monachũ venerat, pollicitationibus deceptus, Nicæam migrauit, & in eodem, quod diximus, monaſterio manſit, quemadmodum fuſius ad Sublimitatem V. ſcripſimus. Cauſa tãtæ pertinaciæ reuera fuit ſuſpicio quædam, quam Dux animo conceperat, ne Hiſpani per hanc occaſionem arcem, & ciuitatem Nicææ interciperent, quæ ſola ex omnibus eius ditionibus reliqua ſibi fuerat: quam eandem ſuſpicionem alebat populus, qui etſi à Gallis pariter timebat, inuiſius tamen erat nomen Hiſpanorum. Quamobrem huius Conuentus toto tempore populus in armis ſemper fuit, & arcem ſimul cum filio Ducis, nec non portas, forum, totamque vrbem ipſe cuſtodiuit. Neque huiuſmodi ſuſpicione carebat Chriſtianiſſimus Rex, qui idcirco Pontifici ſcripſerat, velle ſe ad eius Sanctitatem negotii cauſa accedere, etiamſi arcem non haberet. Nihilominus neque Imperator, neque Chriſtianiſſimus libere vnquam acceſſere: quia imo Imperator ſemel arma vrbi minatus eſt, eaque oſtendit; qua de re a ſuis reprehenſus eſt, & quoties colloquium habendum fuit (ternum autem habitum eſt) Pontifex ipſe Cæſarem adiuit ad locum quendam inter Nicæam, & Villamfrancam medio itinere ſitum: neque Rex Chriſtianiſſimus vnquam acceſſit, ſed Pontifex item illum conuenerat: prima vice quodam in loco præparato, qui tribus milliaribus Nicæa diſtat, ad quem Rex cũ toto equitatu armato, & ſex millibus Lanzechenecorum acceſſit, & ſimul cum filiis ſuis pedẽ eius exoſculatus eſt, ſolennemque ipſi præſtitit obedientiam: iterum citra Varum fluuium ad S. Laurentium, qui locus eſt quatuor milliaria procul Nicæa. Alterum, vnde aliqua difficultas, & impedimentum manauit, controuerſia quædam fuit, quæ inter Epiſcopum Lauri Oratoris Regii, & Cardinales Turnonium, ac Triultium oborta eſt ob literas, quas cõtra Pontificem, & Cardinalem Carpenſem Placentiæ ſcripſerant: qua de re detentus fuit Euangeliſta Cittadinus Triultii Cardinalis ſecretarius, & Triultius ab eius Sanctitate plurimum reprehenſus fuit: quę controuerſia potiſſimum effecit, vt Rex tamdiu moratus fuerit, quin ad Con-

uentum Villænouæ veniret ante dies duos & viginti, poſtquam Cæſar Villamfrancam appuliſſet, & quatuordecim dies poſtquã Pontifex Nicæam veniſſet: vt vero tota hæc ſuſpicio remoueretur, Pontifex neceſſe duxit Latinum Iuuenalem citatis equis ad Regem Placentia mittere, & deinde Epiſcopum Tureæ Nuntiũ in Gallia, denique ipſum Epiſcopum Lauri, vt Pontificem à calumniis (ſi quæ forte ad Regem eſſent delatæ) purgaret, Regique perſuaderent, vt quamprimum conueniret.

Cum Nicæam nos adueniſſemus, primo Imperatorem ad Villamfrancam conuenimus, mox Chriſtianiſſ. Regem ad Villanouam: & coram vtroque legationis noſtræ capita expoſita ſunt, atq; vniuerſus Reip. nõ ſolũ noſtræ, ſed etiã Chriſtianæ ſtatus periculorũ plenus, niſi illæ Maieſtates pacẽ inter ſe iniuerint, quæ ſola præſentibus damnis occurrere poteſt, ita expreſſus fuit, tantaq; facundia, atq; arte, vt vterq; commoueri viſus fuerit: & quamuis ambæ illæ Maieſtates linguam Italicam adprime calleant; tamen Imperator, cum reſponſum daret, excuſauit ſe primum, quod Italico idiomate tam ornatæ orationi pro dignitate ſatisfacere non poſſet: at Rex Chriſtianiſſimus, etſi eum vehementer rogauimus, nunquam Italicis verbis reſpondere voluit, cũ ſibi, vt aiebat, videretur non poſſe aliena vtens lingua tantæ orationi par eſſe: & in reſponſis ſuis vterque inſigniter animatũ ad pacem ſe profitebatur, eamq; cupere tam propenſis animis, vt nihil ſupra: ad particularia tamen nemo deueniebat, niſi quod Rex dixerat, omnino ſe velle Mediolani Statum recipere, quem ſibi competere cunctis exploratum eſſet.

Igitur Pontifex pacis huius negotium aggreſſus, cum vtroq; ſæpe loquebatur, & procuratores ipſorum coram ſe de tota re diſſerere iubebat, ſingulosque articulos examinare, alteram etiam procuratorum, vt alterum viſitaret, inducebat, itemque Reginam, vt Imperatorem fratrem ſuum, quod bis fecit, inuiſeret, demum nihil eorum prætermiſit, quæ Principes illos ad pacem ſtabiliendam diſponere poterant, tantaque animi charitate, atque ſinceritate proceſſit, vt libere ſententiam ſuam coram vtroque profeſſus, mirum in modum iis ſatisfecerit, omneſque ex animis ipſorum ſuſpiciones amouerit, ſeque amiciſſimum vtrique eſſe perſuaſerit: de induciis vero nullam mentionem induxit, niſi poſteaquam deſperatam pacis concluſionem animaduertit: in quo toto negotio, quemadmodum ſuum ex vrbe diſceſſum inconſultis Cardinalibus aliiſue decreuit, ſuo tantum vſus eſt conſilio, neque quidquam cum Cardd. Collegio communicauit, niſi quando Cæſar ad Mediolani Statum quoſdam præficiendos nominauit ſub certis conditionibus, quas Rex abnuerat: hæc enim cum Cardd. communicata fuere, vt eorum

iudicium exquireretur. Quod efficere viſus eſt, vel quia facinoris huius præclari, quod ad exitum perducere ſperabat, laudem gloriamque ſolus ambiebat: vel quia Cardinalium, qui omnes, paucis exceptis, aderant, Collegium in duas diuiſum erat factiones, altera Regi, altera Cæſari adhærebat: proinde cũ à toto Collegio fidum ac ſincerum conſilium non ſperaret, & negotii modum, intentiones, & actiones ſecretas fore diffideret, paucos quoſdam ſibi viſos meliores, magiſq; fideles cooptauit, nihili faciens, odium cæterorum, & Collegii reliqui maleuolentiam incurrere. Difficultates per Regẽ obiectæ erant, quia ſtatũ Mediolani in præſens, aut modico tẽporis ſpatio tradi ſibi, vel filio ſuo ſecundogenito Duci Aurelianenſium petebat: is autẽ inueſtituræ ius obtineret: Duci Sabaudiæ, quin arces & vrbes, quas Rex occupauerat, reſtituerentur, obſtabãt capitulationes Madrilii & Cameraci, h. e. ſuperioritatis in Belgio, quam prouinciam Cæſar ſui iuris fecit, & modo poſſidet. Impator autẽ à Rege Ducatum Berlini repetebat, item vt defuncti Ducis hæredib. Ghedinum, & Picardia reſtitueretur, ſi ſibi Mediolanũ reſtituendũ foret; quo caſu petebat etiam, vt idem Rex aduerſus Turcas fœderatus eſſet, eamq; ſumptuum & onerum portionem ſuſciperet, quæ iuſta decerneretur: Concilio aſſentiat, relicta Lutheranorum, Regiſque Angliæ amicitia. Quæ omnes difficultates ad eas redigebantur, videlicet ad reſtitutionem Mediolani, ad fœdus contra Turcas incundum, & ad relinquendam amicitiam Regis Angliæ, quemadmodum nobis dixerat Pontifex, & has Imperatori ſolas ſupereſſe teſtatus fuerat: arces autem & oppida Sabaudiæ, & Ghedini reſtituere facile annuebat, ſi modo viciſſim Mediolanum haberet, neque de capitulatione Madrilii, & Cameraci quidquam difficultatis audiebatur.

In his controuerſiis Rex quatuor conditiones propoſuit: primum, vt omnes controuerſiæ tam antiquæ quam recentes componerentur; quam rem nihilominus ob multitudinem, & grauitatem litium, tam anguſtô tempore tranſigere difficillimũ factu eſſe aiebat: alterum, vt, de nouis controuerſiis tantum intelligendo, in præſens daretur Regi ſtatus Mediolani ſimul cum eius inueſtitura in ſecundogenitum filium, & ſe contra Turcas fœderi aſſenſurum, itemq; Concilio, relicta amicitia Regis Angliæ, & Lutheranorum, etſi Concilio aſſenſum ſe preſtiturum profitebatur, ſicuti Chriſtianiſſimum Regem decebat, in gratiam Pontificis, non intuitu Cæſaris: tertium, ſi de præſenti ſtatus Mediolani tradendus non eſſet, niſi triennii ſpatio, ipſe quoq; pacẽ ſtabilire contentus erat, cum hac conditione, vt ne obligaretur ad vllã rem reſtituendã, neq; ad ſubſidia belli contribuenda contra Turcas, neq; ad amicitias prędictorũ relinquendas, niſi abſoluto

triennio, aut quando Mediolani Status re ipſa ſibi traditus eſſet. Et quartum quoque addi ſi cuperetur, hæc triennii conditio ad annos viginti protrahatur, quo annorum numero illorum Principum vitæ extendi poſſe videntur.

Ex aduerſo Imperator propoſuit, primo, ſe daturum Mediolani Statum Duci Aurelianenſium vna cum inueſtitura, & matrimonio iam agitato; verum nolle ſe illum libere tradere, niſi ſpatio triennii, quo tempore filia ſecundogenita Regis Romanorũ, quæ in matrimonium eius promiſſa fuerat, poſſet vna cum marito ſuo poſſeſſionem, ac regimen Status Mediolanenſis capeſſere: neque minus tamen patebat, Regem Chriſtianiſſimum teneri ad reſtituendas arces, & oppida, & ad accipiendas alias conditiones fœderis, & in præſens relinquendas amicitias, quas diximus. Quæ propoſitæ conditiones cum a Rege Chriſtianiſſimo reiicerentur, & ab ipſo Pontifice nimium duræ atque aſperæ iudicarentur, Cæſar pſuaſus fuit a Pontifice, &, quemadmodũ mihi dixit, à Regina ſorore inductus eſt, vt alterũ proponeret modũ concordiæ, videlicet vt de præſenti ſtatũ Mediolani in depoſitum traderet, vtq; nomine Ducis Aurelianenſium vſq; ad nonũ annum regeretur, & conſeruaretur, cum infraſcriptis conditionibus. Vt in præſens inueſtituram ſtatus Mediolanenſis Duci Aurelianorum, & vxori, ipſorumque poſteris cõcederet: de præſenti inter ipſos matrimonium contraheret: de præſenti ſtatum Mediolani vtendum fruendum, ac reditus omnes traderet, detractis expenſis cuſtodum, miniſtrorum, Gubernatorum & Caſtellanorum, ac ſimilium; iurarent populi ipſis fidelitatem, atque obedientiam: regimen ſtatus traderetur Cardinali alicui, quẽ malet Pontifex; vtque Regi Chriſtianiſſimo, eiuſque filio penitus caueretur, præter fideiuſſionem Regis Luſitaniæ, aliorumq; principum, ac mercatorum, & nummulariorum, offerebat, ſe daturũ obſidem filiam in matrimonium promiſſam in manu Sereniſſimæ Renatæ Duci Ferrariæ, cognatæ Regis Chriſtianiſſimi, & filium ſecundo genitum Regis Romanorum apud ſublimitatẽ V. vel ambos apud Ducem Lotharingiæ vaſallum Regis coniunctiſſimum. Præterea contentus erat, vt Rex, quouſque ſibi Status Mediolani totus ſpatio triennii conſignaretur, in ſua poteſtate ſimiliter retineret cuncta loca Sabaudiæ, quæ citra & vltra montes poſſidet: neque de controuerſiis Picardiæ, cæteriſue in præſens obligaretur, niſi vt fœderi contra Turcas ſe aggregare, & dictas amicitias hæreticorum relinquere, de præſenti ſe obligaret. Depoſitarium autem hunc nominabat futurum Sereniſſimũ regem Romanorum fratrem ſuum: qui, etſi, aiebat, alter Cæſar à quibuſdam exiſtimari poſſet: tamen, quia de conſeruando ſtatu filiæ ſuæ, & generi ſui agebatur, & quia diuerſos habet reſpectus

quam Cæſar,& propter tot cautelas & fideiuſſiones, idoneus ac ſyncerus habendus erat. Hæc ſecunda conditio Regi propoſita ab ipſo non acceptata fuit,verum depoſitum neque laudauit, neque vituperauit: & quamquam Depoſitarium improbabat, tamen non petens ipſius perſonam commutari, ſemper aſſeruit, ſtatutum ſibi eſſe, ad nullam rem ſe obligare velle, niſi ſtatus Mediolani de præſenti concederetur: addens, de præſenti conceſſum,intellecturum eſſe,etſi ſex vel ſeptem menſium ſpatium interponeretur.

Quæ conditio hoc modo non acceptata à Rege Chriſtianiſſimo,communicata fuit à Pontifice cum Collegio Reuerendiſſimorum Cardinalium, vt ab iis,quid ſentirent,exquireret: & neminem comperit,cui depoſitum non probaretur,etſi pleriq; Depoſitariũ improbarent, quod is eadem perſona cum Cæſare videretur:quod ſi Depoſitarius,qui vtriſque fidus eſſet, commutaretur,videbatur conditio hæc omnibus probari etiã Cardinalibus Regis amicis,qui nullo iure illam reiectum iri,aſſerebant.

Cum igitur cerneret Pontifex,nullam poſſe huic paci formam modumq; excogitari,omnemque tractationem deſperatam eſſe,cumque diſceſſionis tempus iam immineret, ne re penitus infecta reuerti cogeretur, nobis quoque ad minus malum optandum hortantibus, animum adiecit ad inducias ipſis proponendas:in quibus exorandis minimam difficultatem inuenit, nempe amborum animis ad eas propendentibus: hoc diſſidebãt,quia Rex Chriſtianiſſimus inducias longas, hoc eſt, annorum viginti,aut viginti quinque,vel quoad viuerent,cupiebat: Imperator autem triennium concedebat: ad decennium redactæ ſunt hoc pacto,ne p Pontificem,aut p eoſdẽ Principes ſtaret, quin adhuc agitaretur de pace:ſed tractatio Romæ continuaretur,& ad hanc rem mitteret Rex ad vrbem Cardinalem Turnonium, & vnum ex Præſidentibus Lutetiæ, Imperator vero alios procuratores ſuos,qui agerent cum Põtifice. Et quemadmodum huic paci tractandæ nonnihil moræ & impedimenti attulit Pontifici denegata arx,ſic profecto hinc facilius induciarum ſtipulatio ſecuta eſt. Nam diuturnas inducias Imperator,quod ipſe profeſſus eſt,modo & antehac reprobauit, ne Dux Sabaudiæ tamdiu ſtatu ſuo priuaretur. Qui Dux cum Cæſarem viſitaret, aſperis verbis reprehenſus eſt, quod arcem Pontifici negauiſſet: cum vero Regem inuiſeret, ab eo perhumaniter exceptus eſt: attamen in hac induciarum concluſione petiit Imperator, vt ab vtroque reditus nonnulli, quibus hoc ſpatio Dux frueretur, eidem aſſignarentur: cur ei aſſenſum negauit Rex. Hæ induciæ tam feliciter,totq; humanitatis officiis inter procuratores vtriuſq; Maieſtatis ſtabilitæ,eiuſmodi ſunt, vt, cum ab vtroq; horum prin-

cipum,

cipum, tanquam pax, habeantur, & hæc ſperetur quamprimum, Pontifici eximiam attulerint animi hilaritatem & gaudium, adeo vt vix magis exhilaratum ſe fuiſſe putauerit, cum euectus eſt ad Pontificatum, quemadmodum nobis, aliiſque conteſtabatur.

Nos profecto mandatorum, quæ nobis tum Senatus iniunxerat, non immemores, nunquam de induciis mentionem vllam fecimus, niſi cum Pontifex nobis retuliſſet, ſed de pace concludenda nihil amplius ſpei habere: imo in principio tractationis cum Pontifex de ſublimitatis V. opinione circa inducias nos interrogauiſſet, ei reſpondimus, veritatem celantes, nos in mandatis habere, vt de pace tantummodo loquamur, tanquam de re, quæ ſola communi vtilitati conduceret: vtque verum fateamur, de induciis tunc nihil diximus non ſine aliquo remorſu conſcientiæ, ne forte erraremus, Pontifici, qui neutri parti addictus, & totam negotii ſeriem ſolus tractabat noſtra ſubticentes conſilia, dum ipſe nobiſcum liberrime agebat: nihilominus maluimus ita dicere, ne intempeſtiue mentio induciarum inueheretur. Verum quando omnis pacis ſpes euanuerat, vt eadem mandata exequeremur, Pontifici longas inducias ſuggeſſimus, tanquam minus malum, de quibus tamen neque cum Imperatore, neque cum Rege antea locuti ſumus, niſi quod publicatis induciis dum ipſorum Maieſtatibus gratularemur ipſas collaudauimus, præſertim ob adiunctam ſpem, quod liberam reliquerint pacis tractationem: quæ quidem exoptatiſſimum erat, vnicumque præſentibus Reipublicæ malis remedium.

Cur autem ambo tantam præſetulerint pertinaciam, Imperator ſcilicet ſtatum Mediolani in præſens denegando, & Rex fœdus abnuendo, neque amicitias dictas abdicando, niſi ſtatus Mediolani ſtatim tradatur; quoad Cæſarem creditur hæc eſſe cauſa, quia nullo modo hanc ditionem Regi velit conſignare, ſed ſibi retinere cogitet, Regique verba dare. Verum profecto hanc opinionem Cæſar iniquam eſſe, fortaſſe oſtendit, ea propoſita conditione Depoſitarii, per quem re ipſa illo ſtatu ſeipſum priuabat, eumque ad alterum transferebat, qui etſi frater, tamen ob ſupradictas rationes ab eodem Cæſare plurimum diſcrepabat: item exuebat ſe ſtatim omnibus ipſius reditibus, atque vtilitatibus, quas Duci Aurelianorum decedebat, totque addebat cautiones, & obſidum fideiuſſiones, præter oppidorum & caſtellorum poſſeſſionem, vt iis ſolis retentis conſenſerit Rex decennalibus induciis abſque vlla ſpe Mediolani vnquam recipiendi: & nihilominus poterat credere, poſt triennium omnino hunc ſtatum ſub Cæſaris dominatu non futurum. Idcirco verior altera cauſa exiſtimanda eſt, quam Cæſar, ipſiuſque amici allegant, nequaquam ſe Regi confidere poſſe, dubitantes, fore, vt Rex nihil eorum, quæ polliceretur, obſeruet: imo ſtatim atque in Italiam pedem inferret, bella moturum aduerſus Florentinos, Genuenſes, Ducem Vrbini,

Regnum Neapolis; itaque dum Cæſar crederet ſibi pacem quæſiuiſſe, & ſocium ſibi aggregauiſſe ad Turcicum bellum, maiore ac periculoſiore bello ſe implicaret, quo cogeretur non ſolum Turcas omittere, ſed ad ſua tuenda (neque mediocri cum periculo & labore) retraheretur, poſtquam hoſti vires addidiſſet, & in ſuam domum induxiſſet.

Hanc ſuſpicionem augebant plerique, quos Cæſar ſecum habebat: hi enim, ſicuti Pontifex aliquando mihi dixerat, huiuſmodi conſilia Cæſari diſſuadebant; inter quos præcipue Genuenſes à Rege, ſi forte Mediolani Ducatu poriretur, ſibi maxime timebant. præſertim Princeps Doria, qui, vt aiunt, Imperatori dixit, ſi Rex Mediolano dominaretur, ſe cum ſuis triremibus in Hiſpaniam migraturum: præter hunc etiam Marchio Vaſtius, aliique, qui per hæc tempora Ducatum illum gubernant, nollent ab eiuſmodi adminiſtratione remoueri, ideo omnes ingenii ſui neruos adhibent, vt Cæſari perſuadeant, ne ſe de præſenti priuet eo imperio, illudque tam potenti Regi concedat: proinde Cæſar cogitat, ſi adhuc triennio retineatur, fore interim, vt filia Regis Romanorum, quæ modo nouem aut decem circiter annos expleuit, viripotens fiat: quod ſi Rex contra Turcas fœdere iungeretur, & Concilio aſſentiret, amicitiaſque dictas relinqueret, hoc pacto poſſet Cæſar ſi lere cum Regis conſtantiæ, tum Ducatus ſtabilitati, vt ſcilicet Duci & poſteris ſuis ſubiectus permaneat, non regno Franciæ fiat acceſſio.

Quod vero attinet ad Regem, non deſunt, qui dicant, ipſius conſilium eſſe Mediolanum regno adiicere, non Duci Aurelienſium concredere, ideoque ſtatum illum incontinenti peti, ne amicos, quorum opera vtitur, & vtetur, donec eandem ditionem acquirat, à ſe abalienet, & deinde pro hac reſtituturum alteram, quæcunque ſibi videbitur opportunior.

Si vero ipſius amicitiæ attendantur, poteſt etiam fieri, vt hoc in negotio Regis mens pura & ſincera ſit, & filio illum ſtatum depoſcat propter Domus, & Coronæ ſecuritatem & pacem. Nam quia Rex ex Claudia prima ipſius vxore, & olim Duciſſa Britanniæ plures ſuſcepit filios, inter quos ſecundo genito & poſteris ſuis Ducatus hæreditas debetur, Rex autem eum Ducatum Coronæ vnire deſiderat, ideoque Delphino populi obedientiæ iuramentum præſtiterunt: contra vero Ducatus Mediolani iure ſucceſſionis ad primogenitum Franciæ, hoc eſt, Delphinum ſpectat, vnde inter duos filios bellum oriri poſſet, præſertim cum ſecundogenitus nobilitati, patrique percharus ſit: hoc modo, vtroque viribus ſuis decedente, totus Franciæ ſtatus Coronæ vniretur, omniſque bellorum occaſio à filiis remoueretur.

Quamobrem in Rege eandem militauiſſe cauſſam, quæ in Cæſare, dicendum videtur, mutuam ſcilicet incredulitatem & ſuſpicio

nem,

nem, quam ipſe Rex de illo concepit ne poſt deſertos amicos, & exhauſtos contra Turcam theſauros, Cæſar nihilominus ſtatum Mediolani non reſtitueret, ſed ſibi retinere mallet: altera cauſa eſſe poteſt, quia hæc triennii conditio non minimam honori ſuo notam, & ignominiam inurere poſſet, dum ipſe ſuæ fidei quaſi pignus Cæſari ſtatum Mediolani poſſidendum relinqueret, & non ab eo potius fidē illius cautelam aliquam exigeret: tertia, quod Regem pudeat amicos ſuos abiicere, & contra Turcas pecuniam ſuam pigeat erogare; cum præſertim in bello nuper confecto contra Cæſarem ſe ipſum pene exinaniuerit, & Franciam exhauſerit ob magna & crebra tributa, quæ imperauit, adeo vt nonnulli dicant, fuiſſe ab ſe alienatum totum fere patrimonium, & ad Nicææ conuentum proficiſci non potuiſſe, quin prius nouum regno vectigal ad ſumptus faciendos imponeret.

Idcirco maluiſſe aiunt Regem. (vt parceret ſumptui, & populos paulisper inſtauraret, & occupato in bellis aduerſario, accumularet pecuniam) inducias, quam pacem acceptare, & arces, atque oppida Sabaudiæ, & in partibus Picardiæ abſque Mediolani ſtatu eiuſque promiſſione poſſidere, quam pacem inire cum depoſito Mediolani, eiuſdemque reditibus per triennium: proinde aſſeuerant, libentius inducias his conditionibus, quam pacem cum ditione Mediolanenſi à Rege concluſam fuiſſe.

Quis exitus hanc tractationem maneat, equidem altioris eſſe videtur indaginis. cum propter innumeras, & ingentes horum Principum controuerſias, tum propter ſuſpicionem, ac mutuam æmulationem: propter quam Rex ex vna parte ſumptibus in Turcico bello faciendis minime contributurus videtur, ne Cæſarem æmulatorem ſuum ſuis viribus extollat, magiſque glorioſum efficiat: ex altera contributurus videtur, ne, ſi Cæſar ſolus aduerſus Turcas victoriam conſequatur, & Rex imperii, quod acquireretur, gloriæque particeps non eſſet, vituperetur ipſe, & maiorum ſuorum laude, gloriaque deſtituatur: Cæſar vero gloria atque exiſtimatione, nec non imperio creſcat.

Verumtamen dum conſidero, ab vno extremo ad alterum non niſi medio pertranſiri, & quo magis mobile aliquod ab vno extremo remouetur, eo magis ad contrarium vergi, cumque videantur hi duo principes (olim inter ſe infenſiſſimi, adeo vt ſine ira & odio nominari inuicem pati non poſſent) modo manſuetiores facti remiſiſſe multum de priſtina maleuolentia, & Rex bis Reginam ad inuiſendum Imperatorem miſerit, quocum etiam cœnauit, & ſimul cum Delphina filia apud Cæſarem pernoctauit: præterea cum munera precioſa vltro citroque miſſa fuerint, & modo tranſeuntem Maſſilia Cæſarem viſuri, amplexuri, & allocuturi ſint: inſuper cum Imperator duram, ac pertinacem illam opinionem

in

in poteſtate ſua retinendi Status Mediolanenſis ſuæ cautelæ gratia abdicauerit, imo depoſito conſenſerit, adiectis conditionibus, quibus pars in præſenti & omnia triennii ſpatio tradi videntur: Rex vero ex altera parte dixerit, ſi ſibi Mediolanum tradatur ſpatio ſex, aut ſeptem menſium, perinde ſibi eſſe, ac ſi de præſenti habeat; Ex his omnibus videtur mihi certam eſſe fouendam ſpem, fore, vt Pontifice tractationem pacis proſequente, tandem inter ipſos concilietur, præſertim cum idem Pontifex apud vtrumque ſummam ex præteritis rebus ſibi fidem ſtruxerit.

Hæc autem pax facilius, certiuſque ſanciri poteſt, ſi decretum Turcicum bellum continuabitur: Nam, cum Cæſar ad illud adeo propenſus, & animatus eſſe circumferatur, vt ipſemet proficiſci ſtatuerit, ideo, quo inſtructius, & maiore victoriæ ſpe ſuſcipiatur, omnem nauabit operam, vt Rex quoque contribuat, vireſque maiores adiungat, quam rem pacis ope aſſequi poteſt: quod ſi huius expeditionis cupiditas eum non vrgeret, fortaſſe parum curaret Cæſar Mediolani Statum concedere, vt pacem conſequatur.

Pari ratione Rex, ſi Imperatorem in eo bello implicitum ſpectare mallet, & Chriſtiani ſuccumberent, ſolus idem Rex tantum, adeoq; potentem tyrannum ex noua victoria factum validiorem ſuſtinere non poſſet, ac proinde ipſe quoque ſimul cum excidio cæterorum Chriſtianorum in prædam ac ſeruitutem communis hoſtis duceretur: at ſi Chriſtiani ſuperarent, Imperator omnem gloriam atque exiſtimationem lucrifaceret, adeo vt ipſe Rex omni parte victoriæ deſtitutus ignominiam ſubiret, Cæſarique inferior fieret, ſic, vt nulla inter eos amplius proportio futura eſſet; ideoque alterutrum horum ſequi deberet: Verum niſi bellum Turcicum continuaretur, hic reſpectus Regem non commoueret.

Vt autem obſtaculum illud remoueatur, ne Imperator viribus vitibus Gallorum Regiſque contributione potentiam ſuam augeat, putarim ego, poſſe aliquam rationem iniri, qua Rex tanquam ſocius idem bellum tractare, cum prædæ partem accidere poſſet, ad antiquam ſcilicet Franciæ regni gloriam conſeruandam, & ad conſequendam gloriæ, victoriæ, imperiique debitam portionem, vtque ne Cæſar cuncta ſibi vindicet: id autem dupliciter: primo modo, ſi Rex ſeparatis exercitibus Hieroſolymam & Syriam (in quibus partibus olim amici eius contra infideles egregias victorias conſecuti ſunt) inuaderet: altero, ſi coniunctim cum Imperatore Chriſtianiſſimus Rex hoſtem adoriretur, ſed ſuis militibus præficeret Ducem Aurelienſium, qui hoc caſu ſub Cæſare militaret, & locorum, quæ caperentur, portionem ſibi acquireret. Verum hæc caliginoſa nocte premit Deus, cui ſoli rerum omnium exitus noti ſunt; quæ vtinam cito viderem in augmentum gloriæ ipſius ac Chriſtianæ religionis, patriæque noſtræ.

Huc-

Hucuſque omnia, quę ad primam partem faciebant, expoſuimus: vidimus enim in tractatione pacis, quomodo egerit Pontifex, quas difficultates inuenerit, quę vtrinq; propoſitæ fuerint conditiones, cur omnes reiectæ fuerint, exitum induciarũ decennalium, demum quis exitus ſperetur huius pacis. Modo ad alteram partem deueniendum eſt, quæ de rebus bellicis tractabit, & de rebus iis, quæ ad oppugnandos Turcas pro præſenti, & quæ pro ſequenti anno requiruntur: ſimul Serenitas Veſtra, & Dominationes Veſtræ excellentiſſimæ intelligẽt, quid ab Imperatore petierimus, & quale retulerimus reſponſum, curque ſubſidia Cæſarea Maieſtas expoſcat ad annum futurum aduerſus Turcas; ipſius certam, & deliberatam huius expeditionis ſuſcipiendæ voluntatem, cum ipſemet ad bellum proficiſci decreuerit, demum Cæſaris, & Pontificis erga hanc excellentiſſimam Rempublicam ſtudium, animique propenſionem beneuolam.

Nos igitur, Sereniſſime Princeps, vt mandata nobis impoſita à Sublimitate V. & ab hoc Excellentiſſimo Senatu exequeremur, cum primum à Cæſare auditi ſuimus, eique periculum, quod Sublimitatis V. rebus impendet, niſi à confœderatis cito validæ ſuppetiæ ferantur, præterquam de pace facienda precibus obnixis egimus, eius Maieſtatem verbis Sublimitatis V. vehementer rogauimus, poſtquam in Italiam veniſſet, vt hinc nolit diſcedere, ſed ſtatim Principem Doriam cum claſſe, quam in promptu habebat, in Orientem mitteret, vbi cum noſtra coniungeretur, ſimulque ea perficerent, quę ad Rempublicam Chriſtianam tuendam aduerſus tam potentem hoſtem in tanto periculo perficienda eſſent: eadem deprecatus eſt Pontifex, cum hac de re ipſe & Cæſar egerunt, quemadmodum nobis antea pollicitus fuerat. Verum Cæſarea Maieſtas, cum à Pontifice diſceſſiſſet, per Conſiliarios ſuos excuſauit ſe nobiſcum, quod ipſemet in Italia remanere non poſſet, cum quia erat ei neceſſe ad ſua regna reuerti, quæ, vt citius ad conuentum hunc accederet, paulum confuſa reliquerat, tum etiam, quia deerat hic apparatus, neque talis fieri poterat, vt cum dignitate ſua remanere, & de inferendo Turcis offenſiuo bello commode agi poſſet: minus etiam poterat ob eandem cauſam rediturus in Hiſpaniam Principem Doriam modo cum claſſe in Orientem mittere; Verum vt in hac re, quoad fieri poſſet præſtare aliquid, cum propter anguſtiam temporis à capitulationibus fœderis præſcripti, neceſſariæ res ad hoſtem oppugnandum apparari nequiuerint, decreuiſſe mittere illuc ſtatim omnes Neapolis, & Siciliæ triremes vna cum quinquaginta, vel ſexaginta nauibus, & numeroſis copiis ſub imperio D. Ferrantis Proregis Siciliæ, donec Princeps Doria ſuperueniret, quem, cum primum in Hiſpaniam peruéniſſet, in Orientem ſtatim expediturus erat, quemadmodum ſummopere expetebatur. Curauimus quoque ſummo ſtudio, ac diligentia, vt decreta ſua omni celeritate, ſe abſente, executioni mandanda iuberet;

ſed

ſed quia cuncta hæc in dies ad Excellentiſſimas DD. VV. perſcripſimus, ea repetere prolixum, & ſuperuacaneum eſt.

Inter hæc agenda obſeruauimus, quoniam anno præterito tardæ admodum conſultationes fuerunt, eos virium apparatus decerni non potuiſſe, qui ſequenti anno hoſti offendendo ſatis futuræ eſſent, quemadmodum hæc eadem verba ad Serenitatem V. ſcripſimus: quæ eadem verba à Cæſareis Conſiliariis non minus, quam ab ipſo Pontifice percepimus.

Poſt hæc reſponſum, quoties ſimul congrederemur, poſtulauimus: quod nunquam accipere potuimus antequam Nicæam perueniremus. Cum vero Cæſar cum Pontifice ad Sinegiam (qui locus inter Nicæam & Sabaudiam ſitus, Doriæ domui paret, ibique Princeps natus eſt) colloquium habuiſſet, apparuit, Cæſarem illo contentum minime fuiſſe: itaque quamuis in Sabaudia remanere decreuiſſet, recta Genuam profectus eſt, vt nihil omitteret ante ſuum ex Italia diſceſſum, quo à Sublimitate V. reſponſum aliquod clarius obtineret; cui reſponſo adeo incumbebat, vt, cum diſſoluto conuentu, & Induciis concluſis ad Villamfrancam iuiſſemus, diſceſſum noſtrum ſignificandi, & veniam petendi cauſa, renuerit nos dimittere, dixeritque; ſe venturum Sauonam vſque commitandi gratia Pontificis, vbi iterum colloquium nobis daretur. Nobis itaque Genuam aduentantibus, Cęſar per octiduum cũ Pontifice ſeſe detinuit, cumq; ab eodem Pontifice diſcedendi veniam peteremus, conſuluit, è Rep. fore, ſi biduum adhuc ſubſiſteremus, vt interim Venetiis reſponſum, quod Cæſari magis placeret, afferretur: itaque expectauimus, quouſque Pontifex Genua diſcederet, ſcilicet dubitantes, ne diſſolutio conuentu, ad quẽ miſſi eramus, forte erraremus, niſi vtriq. tam paruam motam petenti ſatis faceremus. Reſponſum autem Sublimitatis V. obſcuris atq; ambiguis verbis conceptum, adeo vt intelligi non poſſet, noſtræq; Reip. neceſſitati congruere non videretur, quam iniucundum Cæſari acciderit, quantumq; ipſe vrſerit, vt aliud apertius reſponſum curaremus, pluribus non explicabo, quia literis id copioſe ſignificaui, quarum memoriam Excellentiſſimæ DD. VV. adhuc recentem habere poſſunt. Verum vt hanc petitionem, quoad poſſumus, ex aliorum opinione interpretemur, equidem circumfertur, Cęſarem nequaquam hanc expeditionem ſuſcepturum eſſe, nihilque amplius facturum, quã hoc anno præſtiterit, ſed potius ſeſe excuſaturum, quod hic Senatus obſcurum reſponſum dederit. Ego vero opinionem hanc damnandã puto: nam ſi id intenderet, ſatis illi fuiſſet, ſemel Senatum rogauiſſe, & niſi reſponſum veniſſet, hanc excuſationem obtendere, vel, ſi reſponſum ambiguum foret, illius declarationem non expetere: his enim artibus facilius ſeſe excuſauiſſet, neq; nouum reſponſum petere & vrgere debebat; quod quidem contra ipſius voluntatem, ſi huiuſmodi cogitationem aluiſſet, ſuperuenire

poterat

potetat. Verum ipſe quidem priori reſponſo noluit acquieſcere, imo per Pontificem ſæpe nos rogatos eſſe voluit, vt reſponſionē eiuſmodi procuraremus, quæ Sublimitatis V. conſilium certo declararet antequam ipſe ex Italia excederet. Diſceſſit ex Villafranca Sauonam verſus, vnde Genuam recta contendit, vbi octiduum manſit cum Pontifice, & eo amplius, donec triremes, quæ eundem Pontificem vlterius conduxerant, reuerterentur, cumque nos dimiſiſſet, iuſſit nobis efficaciſſimis verbis, vt Venetias redeuntes, ipſius verbis Excellentiſſimas VV. DD. obnixe rogaremus, vellent hac de re tempeſtiue adeo conſilium capere, vt ſaltim toto Iulio menſe præſenti certam habeiet reſponſionem, vt ipſe ſua Hiſpania regna inuiſens poſſit pecuniam, milites, naues, commeatus & munitiones congregare, adeo vt per totum Februarium menſem, qui ſequetur, omnibus ad tantum bellum neceſſariis conquiſitis in Italiam ſe transferre, hoſtemq; aggredi poſſit, priuſquam ille ad ſui defenſionem ſeſe inſtruxerit. Qua de re nihil dubito, Sereniſſime Princeps, quin hæc ab eo poſtulentur eo animo, firmoque conſilio, vt anno futuro ipſemet omnino hanc expeditionem ſuſcipiat: cuius rei adeo ſe cupidum verbis ſuis oſtendit, vt nihil ſupra; neque vero nos tantum, ſed quicunque eum allocuti ſunt, id vnanimi voce confirmant. Pontifex certe, qui ſæpius, quam cæteri, & fidentius de omnibus rebus, ac præſertim de hac expeditione cum eo ſermonem habuit; Cæſarem ſtatuiſſe, & ſummopere cupere hoc bellum, teſtatus nobis eſt, ideoque eum curare, eiuſmodi ſecum vires adducere, vt tutus ipſe, & certa cum ſpe victoriæ proficiſci queat. Hoc igitur animo Sublimitatis V. reſponſum æſtimantet petit, vtque ex eius verbis conieci non vnis de cauſis: Prima ea eſt, quoniam fruſtra tempus contetere videtur, longum bellum aduerſus Turcas ſuſtinendo tantum defenſionis gratia; Et ne tempore, atque vſu & experientia belli doceantur oppida ſua præcipua more noſtro munire, vnde inexpugnabiles fiant, bono publico fœderatorum congruere, & præſertim noſtræ Reipublicæ, quæ damno, ac periculo certiori expoſita eſt, valde conducere bellum aggredi offenſiuum, & in hoc nihil opis, aut temporis omittere, ſed cuncta ad vernum tempus futuri anni ita parata habere, vt in hoſtem impetus fieri poſſit: altera cauſa eſt, vt in Hiſpaniam reuertens munitiones bellicas tempeſtiue, & copioſe prouidere poſſit, non autem cum tanta temporis iactura, vt factum fuit anno præterito, ſic, vt cum opus fuerit, præparari nequeant; neque periculo, ſimul & damno, ac dedecori liceat obuiam procedere: quam moram valde timet, dixitque haud raro, ex hac cauſa hoc anno ſe non potuiſſe opportuno tempore neceſſarias res congregare, cumque Sublimitatis V. reſponſum ei prælegimus (cum ſcilicet bellum hoc & ſequente anno iam decretum ſit, argumentum nobis proponendum poſſe temporis progreſſu conſiderari) eius Maieſtas eo reſponſo

minime

minime ſatisfacta,& preſentis anni ſucceſſu examinato,non ſine aliquo iracundiæ argumento reſpondit; Num facturi ſimus, ſicut anno præterito, quo conſultationem quatuor menſibus protraximus, & inde ad res conſultas exequendas vnum menſem tribuimus, cum tamen contra faciendum ſit,hoc eſt,vno menſe deliberandum,& quaterni menſes executioni, atque inſtructioni tribuendi? Cum ab Imperatore veniam diſceſſus noſtri petiuimus, vnde tertia cauſa colligi poſſet,nobis dixit,Quod ad ſe ipſum attinebat,corpus ſibi iam defatigatum,& laboribus debilitatum,theſauros quoque diminutos eſſe in bellis, quæ in Germania,in Africa, in Italia geſta ſunt;proinde ſe quietis indigere poſſe ſpatio ſaltem quadriennii, aut quinquennii, vt vires reparet, accumuletque pecunias: tamen quià conſpicabatur, hanc moram hoſti profuturam,præbituramque commodum, & occaſionem tanto magis vires Chriſtianorum,& potiſſimum Sublimitatem Veſtram debilitandi,atque offendendi,noſtra loca deprædando,ac deſtruendo,ex quibus potentior,ac validior fieret, & ex altera parte ipſe Imperator podagra interim,aliiſque morbis laborans,poſſet in dies magis ac magis robore corporis declinare:præterea Pontifex,& Princeps Doria vltimæ ſenectutis mala, & citam mortem expectant,quibus viris deficientibus, magnum bello huic momentum deeſſet: his de cauſis percupere ſe aiebat, hoc Senatus decretum, ne diutius tam nobilis expeditio procraſtinaretur.

Quarta ſupradictis cauſa adiici poteſt, cum videret Cæſar expectatiſſimum hoc reſponſum minime afferri, in ſuſpicionem adductum fuiſſe, ne forte hæc Reſpublica conſtantem admodum in fœdere voluntatem retineat,verum ſi pacis conditiones à Turcis ei proponantur,fore, vt illas acceptet,& confœderatos derelinquat. Quam rem vltimo die, quo ad Villamfrancam eum allocuti ſumus, aperte nobis ſignificauit, cum diſceſſuri eum ſalutaremus; etſi huiuſmodi ſuſpicionem aduerſus nonnullos ex ſuis ſe animo concepiſſe diſſimulanter aiebat. Verum hæc eadem ſuſpicio ex reſponſo allato non minimum confirmata eſt:ex quo,vt mihi narrabat,quæ ſibi concluſio elicienda foret, neſciebat, eumq; tabellarius ad claſſem,quæ tunc inter Nicæam & Sauonam erat, peruenit, Cæſar idem reſponſum manifeſtauit Pontifici, de quo ambo, cum ad littus deſcendiſſent, diu diſſeruerunt, quemadmodum eis Sanctitas tunc mihi narrauit, cum Ænobarbi Piratæ claſſis expeditionem ſimul cum eodem reſponſo nuntiauiſſem apud Genuam, vbi veſperi portum cepimus; ideoque Pontifex nos hortatus eſt, vt omnino talem ſuſpicionem ex animo Cæſaris euelleremus,eique animos adderemus. Sed eandem ſuſpicionem vni ex Cardinalibus noſtris, quem plurimum diligit, multique facit, & quo cum maxima fiducia loquitur, detexit: nam colloquens cum illo reſponſum hoc defendente, honeſteque interpretante, addidit amplius Cæſar, videri quibuſdam, Venetos rerum

ruſtica-

ruſticarum peritos eſſe: & pleroſque affirmare, Rempubl. in fœdere minus conſtantem fore, non ſolum Chriſtianorum rebus ſic, vt modo, ſtantibus, verum etiam ſi cum Rege ipſe pacem iniret: imo præterea fore, vt, ſi honeſta aliqua pacis conditio Reipublicæ à Turcis proponeretur, ipſam accipiat, amoto omni fœderatorum reſpectu: ſubdiditque alios opinari, Senatum anno præterito tardam reſponſionem dediſſe, vt ipſe res neceſſarias prouidendi commoditate deſtituerentur, ac proinde omiſſis propter temporis anguſtiam rebus neceſſariis, Reſpublica prætexeret ſibi cauſam, cur expenſas non amplius continuaret. Quam ſuſpicionem nos ex ipſius animo remouere conati ſumus, aſſerẽtes, Sublimitatem veſtram conſulto fœderatis ſeſe coniunxiſſe, & conſultationem hanc ſæpe examinatam approbauiſſe, contemptis pacis conditionibus, quæ afferebantur à Turca, etiam cum eius Maieſtas adhuc bello detineretur cũ Rege Chriſtianiſſ. & Rempublicam fidei atque conſtantiæ argumenta quælibet præſtituram, quemadmodum ſui moris eſt, vt nunquam ſocios ſuos deſertos eſſe velit: quamuis haud dubiam foueat ſpem, fore, vt pariter fœderati non ſint ei defuturi in auxiliis, quibus neceſſario indiget, ferendis. Et reuera, Sereniſſime Princeps, nobis minime probatur, vt apud Cæſarem ſuſpicio hęc radices permittatur diutius agere, quoniam poſſet hęc non modo impedimenta plurima afferre communibus Chriſtianorum conſiliis & vtilitatibus, ſed etiam ipſum remorari in auxiliis, quæ nobis, in periculo maximo conſtitutis, neceſſaria ſunt, ſubminiſtrandis.

Cum hactenus deſiderium, quo Cæſaris animus flagrat belli cum Turcis gerendi, eiuſdemque deſiderii cauſas declarauerim, quo conſilio idem bellum expediendum ſit, ex iis, quæ intellexi, nonnulla mihi referenda ſuperſunt. Dico igitur, etſi Cæſar in bellicis preteritis theſauros exhauſiſſe, reditusque ſuos oppignoraſſe, & Regna, ſtatusque tot tributis oneraſſe videtur: nihilominus credibile eſſe, cum eius Maieſtas ipſamet profectura ſit ad bellum tam pium, tam ſacrum, tam omnibus exoptatum, vt illum neque pecunia, neque militum copia defectura vnquam ſit; alioquin ſpontaneo bello abſtineret. Quod ſi Viennam ſe tranſtulit, tot exercitibus ſuis, præter eos, quos Germania ſuppeditauit, ſtipatus aduerſus potentiſſimum Turcarum exercitum, itẽ in Africam tanta claſſe, quantam vnquam inſtruxerint Chriſtiani, in Galliam quoque penetrauit tanto claſſium apparatu, & peditatu, atque equitatu, vt ſemper opinarentur omnes, ei pecuniã defuturam, neque tamen vnquam defuit; & præterea, ſi ſuſtinuit, & cogitabat perſeuerantius Franciæ bellum ſuſtinere, quod bellum fieri non poterat abſque ingenti ſumma pecunię, credi etiam poteſt, in hoc bello, ad quod ipſemet proficiſcetur, nihil ei pariter

defuturum, præſertim clientibus ac populis ſuis in ipſum egregie animatis, promptiſque ad pecuniam non ſolum ſubminiſtrandam, ſed etiam ad eum certatim concomitandum: prætereà quãquam multos ex reditibus ſuis oppigneraüit, vt iis qui pecuniam mutuo dederant, exſolueret, non ideo ſequitur, eum deſtitui bonis aliis, quæ diſtrahat obligetque, quin etiam veriſimile eſt, eũ cuncta oppigneraturum, ea ſpe, vt non ſolum pignora poſtmodum redimat, ſed etiam noua bona, nouoſque ſtatus per victoriã acquirat. Demum, vt Oratoris noſtri apud eam Maieſtatem literis certiores facti ſumus, indubitatum eſt, iam ipſi Pontificem Cruciatæ vectigal conceſſiſſe, item reditus bonorum Eccleſiæ vacantium ad triennium, nec non facultatem, vt quartam beneficiorũ partem alienare poſſit. Ex quibus omnibus rebus (vt ipſe etiam Orator ſcribit) duos & amplius milliones aureorum collecturus eſt: miles deinde, & pecunia eum nequaquam poteſt deficere; vt ex hiſce cauſis ſperandum eſſe videatur, eum feliciter hãc expeditionem ſuſcepturum eſſe, ſtantibus cum Rege induciis, multoq; magis, ſi pax, quæ certe non eſt deſperanda, inter ipſos concludetur. Quoniam vero de hiſce viribus eius nonnulli dubitare malunt, ac forte animum ipſum aggrediendi belli huius in dubium reuocant, quod præſenti anno claſſem cum militibus, quos noſtrę claſſi in Oriente aggregare tenebatur, mittere diſtulerit; neceſſarium eſſe mihi videtur, vt de dilationis cauſis nonnihil attingam, easq; potiſſimum, quæ ab ipſo allegantur.

Primam igitur dixit fuiſſe in decernendo fœdere tarditatem, quod fœdus cum non niſi Februario menſe concluſum fuiſſet, ſatis temporis non habuit ad prouidenda offenſiuo bello neceſſaria, imo neque ad defenſiuum potuiſſe antehac ſe præparare, cuius tamen cauſa ſe iuſſiſſe, vt triremes ſuæ, quas in Regnis Neapolis, & Siciliæ habet, ſimul cum quinquaginta, vel ſexaginta nauibus, & decem millibus peditum, in Orientem nauigent: quibus viribus hoſti etiam damna non mediocria per occaſionem inferri poſſunt.

Alteram cauſam dixit fuiſſe hunc Nicææ Conuentum, ad quẽ cum accedere decreuiſſet, à Pontifice, & a Sublimitate V. rogatus, propter ſuſpicionem claſſis Regiæ, quæ in portu Maſſiliæ morabatur, coactus eſt Principem Doriam cum triremibus eius ſecum adducere, donec in Hiſpaniam reuerteretur. Hic autem Conuentus cum præter omnium, ſuamque opinionem dilatus fuerit, Principem Doriam cum claſſe in Orientem, vt ſe noſtræ coniungat, dimittere non potuit, quem nihilominus omnino dimiſſurus eſſet, cum primum Barcinonem perueniſſet.

Tertia, quia, cum Rex Chriſtianiſſimus ſimul cum viginti-

quinque armatorum millibus ad Conuentum accederet, cogebatur ſibi cauere, ideoq; hanc partem claſſis, quam Duce D. Ferrante mittere potuerat, retinuit; cumque ſuum perpetuis ſumptibus ærarium exhauſtum ſit, non adeo promptam ad nouum hûc ſumptum faciendum pecuniam habuit, neque auſus eſt eam erogare, antequam trimeſtres induciæ à Rege obtinerentur, quas obtinuit, cum primum Rex decreuit ad Villamnouam accedere: ideoq; Cæſar moratus eſt, donec id ſuccederet, aut Conuentus declararetur, cuius occaſione vires ad bellum Turcicum contribuendas deliberaret.

Poſſet quoque cauſa quarta conſiderari, propterea quod Imperator pecuniam ſuam parciſſime ſolet expendere, adeo vt in ipſo rerum ſuarum periculo tantam interponere conſueuerit moram, vt aliquod prius incommodum perpeſſæ fuerint: cumque præterea opinaretur, Turcam maximo terra marique apparatu hoc anno Chriſtianos aggreſſurum, cum bellum offenſiuum iuxta capitulationem deſignatum pro rei neceſſitate inſtrui non poſſet, neque defenſiuum bellum adeo ſibi neceſſarium videretur, cuncta maluit procraſtinare, vt tanto plus pecuniæ ad offendendum hoſtem ſibi ſuppeteret. Fortaſſe vice quintæ cauſæ adnecti poteſt, Principem Doriam nõ permiſiſſe, vt à quoquam alio Duce hoc bellum gereretur, vt ipſemet totum tractare poſſit; & Imperatorem libenter diſtuliſſe, vt eiuſdem viri ſingulari virtute & experientia vteretur, ac proinde diem ex die expectans, & ſpectatus, tempeſtiue Principem rediturum, cuncta ad bellum opportuna retardauerit. Verum quæcunque harum cauſa verior ſit, exploratum eſt, Cæſarem ſæpe confeſſum eſſe, quo tardiores futuri eſſent apparatus, eo validiores & inſtructiores fore. Neque tamẽ ſuſpicandum videtur, id à Cæſare malo animo; vt quiſpiam putat, effectum fuiſſe: nulla ſiquidem cauſa ſubeſt, cur id ſuſpicemur, præſertim cum iure poſſit dubitare, vt ſubtractis auxiliis facilius ad conditiones pacis à Turcis accipiendas propendeamus: quocirca potius exiſtimandum eſt, propter aliquam ex ſupradictis cauſis, vel propter multas ipſarum ſimul, ipſum non potuiſſe, & propter dictos reſpectus diſtuliſſe: at modo, cum nullo diſtinetur bello, ad hoc omnibus viribus ſuis hoc anno, & altero dubio procul incumbet diligenter.

Imperatoris & Principis Doriæ animus eſt, quemadmodum ex illorum ore audiuimus, hoc anno cum claſſibus Regia, & Cæſarea & noſtra, cumque decem millibus Pontificiis militibus & noſtris aggredi claſſem Turcicam; quod ſi in iis partibus non inueniatur repugnantia, in Peloponneſo opportunum aliquem ſitum intercipere, ibique ſedes figere, atque inde vſque ad vernum tempus cætera infeſtare: Cumque Principem ante

noſtrum Genua diſceſſum inuiſeremus, bonum aliquem in Oriente portum memorauit: quo occuparo, cogitant, claſſem ibi ſubſiſtere debere tota hyeme, vel, ſicuti dixit Imperator, Meſſanæ vel Brunduſii anno futuro: Imperator vero, cum Genuæ eum vltimo vidimus, dixerat, videri ſibi, augendas eſſe vires in capitulatione præſcriptas tam in equitibus, quam in peditibus, nec non in nauibus, aliiſque rebus: hoc eſt, equitibus addendos eſſe alios quater mille, & octingenti eſſent more Burgundionum armati, præterea non pauciores Vaſtatores Italici, quam quinquies mille, neque minus quam ducentæ naues, non enim pauciora ſufficerent tot peditibus, equitibus, aliiſque apparatibus ferendis.

Ipſe vero Cæſar nauigiis, quæ in Hiſpania curaturus eſt, profitetur, ſe menſe Martio in Italiam aduenturum, & claſſem ſuam claſſibus fœderatorum coniuncturum, vt hoſtem, antequam inſtructus ſit, aggrediatur, & damno afficiat. His copiis & claſſibus ſimul iunctis recta Conſtantinopolim contendere meditatur: quam vrbem parum munitam eſſe, intellexit, & claſſem Turcicam, ſi vſquam reperiretur, expugnare, certa cum ſpe victoriæ.

Quod ſi claſſis hoſtium ad Euxinum portum confugeret, hoc pacto fœderatorum claſſis mari dominaretur, & anguſtias Helleſponti (Dardanellos vocant) expugnare poſſet, quas ab vna parte inualidas eſſe, & captu faciles audiuit: quibus ſuperatis Conſtantinopolis facilius poſſet expugnari: qua vrbe capta Euxinus, totumque Turcicum imperium victori cederet; cumque illic nullæ arces exiſtant, & vndique, præſertim in Europæ regionibus innumeri habitent Chriſtiani, iis regionibus penitus priuaretur: In Aſia quoque magno afficeretur detrimento, totque præſertim maritima oppida occuparentur, vt facile afflictum, & deſtructum remanſurum eſſet imperium. Quoniam vero de his iam ad Serenitatem veſtram perſcripſimus, neque dum eorum fortaſſe irrepſit obliuio, Relationi meæ finem imponam.

DE STATV POLITICO IN DANIÆ REGNO,

DISCVRSVS XL.

DANIÆ Regnum amplum & valde populoſum vulgo Danmarchia, quaſi Danorum tractus ſiue regio appellatur, quæ autem horum Danorum fuerit origo, ne ipſis quidem Danis ſatis cõſtat, niſi quod quidam à Dano primo ipſorum Rege, & aliqui à Dahis Aſiæ populo, eam repetant. Dudo autem Sanquintinus, Gulielmo Camdeno referente, eos è Scandia in veteres Cimbrorum ſedes veniſſe aſſerit, videntur autem ab aquis dicti, quia *Aha* ſiue A apud illos fluuium ſignificat, & ipſi ſe Daneman, quaſi viros aquaticos & fluuiales vocant.

Diſtincta eſt autem vniuerſim Dania in Præfecturas centum & octoginta quatuor, quæ *Haret* dicuntur, & à totidẽ Præfectis legũ Danicarũ peritis adminiſtrantur. Habent Regẽ magis ex procerũ electione q̃ ex natalium ſucceſſione. Eius eligendi vetꝰ mos fuit, vt quũ ſuffragia ferrent, in apto campo lapidibus inſiſterẽt, eo facto, nempe ſubiectorum lapidum firmitate, electionis conſtantiam deſignantes. Iam vero coronantur Reges Hafniç, in tẽplo D. Mariæ, ante altare, & in prædictum templum à Regni Senatoribus ducuntur; & inſignia Regia illis præferuntur, vt ſunt enſis, globus, corona. Neque hæc munera ſunt certis & propriis familiis attributa, vt in reliquis fere regnis, ſed vt quiſque virtute ac dignitate præcellit, ei muneri adhibetur. Poſtea oportet Regẽ iurare, articulos præſcriptos, qui in vſu ante aliquot tẽpora fuerunt, ſe ſtricte ſeruaturum, & religionem Chriſt. iura ac conſuetudines regni defenſurum. Deinceps vngitur ab Epiſcopo Rotſchildienſi, & ab omnibus Regni Senatoribus primo illi corona imponitur, qui Maieſtati ſuæ tunc iuramentum præſtant, ſi ante coronationem non fuerit factum. Rex poſtea ex Nobilitate & Proceribus Milites aut Equites auratos leni percuſſione enſis deſignat, qui antea in bello & pace egregiam operam præſtiterunt. Et ſic maiores Danorum optimum politiæ ſtatum & monarchiam conſtituerunt, nec vlla vnquã natio eos planę ſubegit, vel patrios ritus & priuilegia ſuſtulit. At contra populi ſeptẽtrionales, vt Dani, Sueci, Noruegi, totã pœne Europã deuaſtarunt, & in

Dania Præfecturæ.

Mos Regis eligendi.

Septẽtrionalium populorũ expeditiones.

& in nonnullis locis regna etiam conſtituerunt. Nota eſt enim apud omnes Hiſtoriographos Cimbrorum in Italiam expeditio, Longobardorum regni in Italia conſtitutio, Gothorum Hiſpaniæ ſubactio, Normanorum in Gallia habitatio, Regni Neapolitani & Siciliæ erectio, Gotfridi contra Carolum Magnum in Friſiam eruptio, Anglorum per aliquot annos in Britannia inſula ſubiectio. Canutus etiam cognomento Magnus, quinque Imperia tenuit. Rex enim Daniæ, Sueciæ, Noruegiæ, Angliæ & Normaniæ fuit, nec non Henrici III. Imperatoris ſocer. vnde hi verſus extant:

Deſine mirari quos garrula laudibus effert
Græcia, quos iactat Roma ſuperba, Duces.
Dania non vlli veterum virtute ſecundum
Edidit, hyberno terra propinqua freto.
Facta mihi Magni pepererunt inclita nomen:
Quinque ſub imperio regna fuere meo.
Me ſibi delegit ſocerum qui tertius orbis,
Arbiter Henricus nomine ſceptra tulit.
Iuſtitia præclarus eram, regeſque potentes
Subiectos docui legibus eſſe ſuis.

Ex quibus conſtat, vt etiam ex ſequentibus bellis, quæ varii Reges ex Oldenburgenſi familia geſſerunt, gentem Danorum eſſe bellicoſiſſimam, & terra mariq; profligandis hoſtibus felicẽ. Liberam ſemper habuerũt Proceres ac Senatores Regni poteſtatem eligendi Reges, vt adhuc habent: ſed plerumq; filium Regis primogenitum deſignarũt, niſi grauiſſimis cauſſis impedirẽtur, nihilominus tamen a regiæ familiæ linea vel proſapia numquam deflexerunt. Regnum diuidi, niſi coacti inteſtino aliquo bello, non permiſerunt. Iuniores filios aut fratres Regis in alias prouincias ablegarunt, quum participes Regni fieri nõ poſſent. Inde tot expeditiones ſuſceptæ, quum etiam Nobiles ac plebeii omnes honeſtum in patria locum habere non poſſent, vel vt loca opportuniora adipiſcerentur. Septemtrionales enim populi valde fecũdi ſunt, propter ſanguinis abundantiam ac calorem pugnaces & rixoſi, plurimi cibi & potus (aer enim frigidus appetitum excitat) quem tamen concoquunt, propterea viuaces etiam, formoſi, proceræ ſtaturæ, fidei tenaces, Viuaces eſſe argumento eſt, quod Reges ipſorum valde diu regnis præfuerint, multi XXX. omnes nonnulli XL. annis aliqui etiam diutius.

[P]rimus Re[gn]i Status, [s]ecundus Nobili[t]as.

Porro regnum vniuerſum in quinq; Status ſiue Ordines diuiſum eſt. Primus eſt Regis, & Regiæ familiæ. Secundus, Nobilitatis. Sed hic ſciendũ inter nobiles hos nullos eſſe Comites aut Barones, multo minus Duces; ſed oẽs longa ſerie maiorũ nobilitatẽ demonſtrare poſſe. Clypeos geſtãt ſimplices, quos mutare aut

augere,

augere, dedecori eſſe antiquitati illorum putanr. Viuunt adhuc nonnullæ familiæ quæ adfuerunt tractationi inter Carolū Magnū & Henningū Danorū Regem, ſuper Lidora fluuio factæ, vt Vren, & alii. Hi poſſident ſua bona cū minori ac maiori ſiue capitis Iuriſdictione, liberam etiā habent venandi aucupandiq; poteſtatē in ſuis bonis, quemadmodū Comites in Germania. Bona illorum in toto regno non ſunt feudataria, ſed hæreditaria ſiue allodialia. Omnia caſtra, prædia & bona, tam mobilia q̄ immobilia a parentibus relicta, æquis portionibus diuiduntur inter fratres. ad ea ſorores etiam admittuntur, ex ſingulari priuilegio, ita tamen, vt frater duas partes, ſoror vero vnam tantum capiat, filiiſq; arces & caſtra cedant. Sic multa prædia ad primogenitum venire non poſſunt, ſed diuiduntur. Et nonnulli honeſtis familiis prognati, & virtute præditi, poſſunt per matrimonia, Regibus adiuuantibus, ad amplas poſſeſſiones promoueri.

Ex hoc Nobilium ordine eliguntur Senatores Regni, quorum numerus XXVIII. raro excedit. Senatorib⁹ omnibus honeſta decreta ſunt alimenta a Rege & Regno. Singuli n. arces habent quādiu Senatoriā obtinēt dignitatē, de quibus nihil Regi depēdunt, ſed tantū coguntur equites aliquot alere pacis & belli tēpore, & quandocunq; a Rege euocantur, ei propriis ſumptibus in Regno p̄ſto eſſe. Si Legati extra Regnū ablegantur, honeſte illis ꝓuidetur ex fiſco, vt tanquam Regii Legati Principum more, in itinere viuere ac ſeſe oſtentare poſſint. Reliqui Nobiles etiā honeſtum à Rege habent ſtipendium, ſiue in aula Regia viuant, ſiue ab ea diſcedant. Nā habet Rex prædia, quæ Danico nomine Verlehenínge, id eſt beneficia vel feuda vocantur. His ꝓuidet bene de ſe Regnoque meritis, ad vitam aut aliquot annos: De his coguntur equites aliquot alere, & fiſco certa pecuniæ ſummā ſingulis annis dependere, eo tamen modo, vt pro labore & propriis ſeruitiis etiam aliquam prouentus partem accipiant. *Senatores Regni.*

Eſt etiam ſalutaris in Daniæ Regno conſtitutio, qua Rex ꝓhibetur bona immobilia emere a Nobilibus, eā potiſſimū ob cauſſam, ne aliqua diſſenſio inter Regē & proceres Regni oriatur. Rex enim alioqui poſſet loca quædam ad ſe ꝑtrahere & occupare, quę Nobiles vendere nollent: proinde per hanc conſtitutionem huic rei à proceribus Regni optime prouiſum eſt. Licet tamen Regi permutare bona cum Nobilibus, Econtra Nobilibus non licet vlla bona à Regiis emere ruſticis. Nam aliqui ruſtici habent bona hæreditaria, & fere libera, vt antea dictum eſt.

Præcipuarum vero familiarū nobilium quę in Dania inueniūtur, nomina fere ſunt: Kaas, Guldēſtern, Mūk, Roſenkrātz, Grabbe, Walkendorp, Brahe, Schram, Pasberg, Hardenberg, Vlſtand, Bing, Belou, Vipfert, Gore, Sehefeld, Ranzou, Schelen, Frieſe, *Nobilium apud Danos familiarū nomina.*

Iud, Bilde, Dreſſelberch, Green, Brockenhauſen, Holke, Trolle, Knuten, Biorn, Seheſtede, Ienſen, Stuege, Mattieſſen, Lunge, Geleſchut, Glambeke, Banner, Luck, Raſtorp, Kruſen, Faſſi, Linderman, Suon, Santbeke, Quitrou, Lange, Crabbe, Marizer, Cragge, Achſel, Beck, Rutſtede, Negel, Witfeld, Splitlof, Appelgard, Iuenam, Podeſſen, Reutter, Podenbuſch, qui fuerunt quõdã Barones ex Ducatu Pomeraniæ, quorũ familia adhuc ibi inuenitur, Vren, qui vixerunt tempore Caroli Magni, Bilck, Galle, Vogerſen, Baſſi, Solle Daac, Bax, Baſelich, Venſterman, Hoken, Lindou, Bille, Ruten, Hundertmark, Heiderſtorper, Volde, Papenheim, Spar, Falſter, Narbu, Vorm, Bilde, Bockholt Budde, Suaben, Santberch, Gram, Lutken, Vhrup, Spegel, Bãmelberg, Roſenſpart, Duue, Hube, Schaugard, Muſt, Gris, Falke, Brune, Laxman, Duram, Baggen, Norman, Goſs, Matre, Roſengard, Totten, Ronnou, Krumpen, &c.

Magiſter aulæ. E Nobilitate eligitur aulæ Magiſter ſiue præfectus. Hoc officium fere tale eſt cuiuſmodi Maiordomus in Gallia. Is enim plerumque reſidet Hafniæ, tanquam Vicarius Regius, & dirigit res à Rege ad ſe deſtinatas.

Mariſcalcus Admiralius. Deinde Mariſcalcus tempore belli & pacis ea q̃ ad expeditiones ptinent procurat. Admiralius naues ædificat, veteres reſtaurat, & ſingulis annis ea ordinat, quæ ad tutandum Oceanũ & res nauticas ſpectãt. Habet & is ſub ſe conſtitutũ alium Admiraliũ, & in ſingulis nauibus præfectum, equeſtri genere prognatum.

Cancellarius. Ad Cancellarium Regni ex omnibus prouinciis & inſulis prouocare licet; à quo ad Regem & Senatum Regni viciſſim appellatio deuoluitur.

Hæret ſiue Præfectura. Singulæ prouinciæ diuiſæ ſunt in HÆRET ſiue Præfecturas, aut diœceſes, ſub quibus multę ſunt parochię. Ibi primum de iure diſputant, ſi forte inter aliquos cõtrouerſiæ fuerint ortæ. Hinc licet appellare ad Iudicem terræ iſtius; deinde ad Cancellarium; poſtremo ad Regẽ & Regni Senatores, vbi finalis ſententia fertur & promulgatur. Habent ius ſcriptum, compilatum à Voldemaro primo Epiſcopis & Senatoribus, legi naturę valde congruum, & non multum a Romanis legibus diſcrepans, cuius tamen vigore & ſimplicitate lites citius decidi poſſunt, lataque ſententia paratum habet exſequutionem. Primo iudices ſi iniquam tulerint ſententiam, in dimidiam partem bonorum condemnantur, quorum Rex vnam capit ſemiſſem, & læſus iniuſtæ ſententiæ alteram. Senatoribus adhibuit Voldemarus primus (ni fallor) Epiſcopos, quos rurſus Chriſtianus III. propter certas cauſſas ac rebellionem Senatu amonit.

Cancellarius regis. Cancellarius Regis, qui plerumq; in aula Regẽ ſequitur, habet ſibi adiũctos VII. vel VIII. nobiles Secretarios & ſcribas; omnia

vero

vero negotia tractantur è Rege ipſo. Si autem aliquid magni accidat, vt ſi de pace aut bello, de fœderibus ineundis, de finibus defendendis, &c, ſit deliberandum, concilium Senatorum à Rege indicitur. Nec licet Regi vllum tributum imponere Regno ac Nobilium ruſticis, abſque conſenſu Senatorum & Procerum.

Ærarij præfectus. Ærarii item Præfectus, omnes totius Regni reditus, tam caſtrorum quam prædiorum nec non vectigalia tam in mari quam in terra colligit & aſſetuat rationes audit, examinat, inquirit, acceptilationes pecuniam ſoluentibus reddit. Hic habet adiunctos duos ex Nobilitate, & ſcribas multos è plebe; qui omnes annuum habent ſtipendium.

Tertius Status Eccleſiaſticorum. Tertius eſt ſtatus Eccleſiaſticus, in quo fuerunt Epiſcopi ſeptem, vt Archiepiſcopus Lundenſis, Epiſcopus, Rotſchildienſis, Ripenſis, Ottonienſis, Viburgenſis, Arhuſenſis & Sleſuicenſis: ad quem cæteri etiam Canonici referuntur. Hi habent decimas in regno: quæ tamen in diuerſis prouinciis, diuerſo modo diuiduntur, ſemiſſem enim decimarum percipiunt Epiſcopi, ſemiſſem Rex, aliquam partem Canonici, Paſtores, &c pars etiam ad ædificanda templa confertur. Et quantum ad Pontificium ius attinet, ſemper in hoc regno, quemadmodum etiam in Gallia, nominationes & ordinationes Prælaturarum Epiſcopatuumque, à Regibus ad hoc vſque tempus collatæ fuerunt, vt etiam ex reſponſo Voldemari I. vt opinor, Daniæ Regis, quod hic annectere libuit, conſtat. Quum enim Pontifex Romanus à Rege hæc & ſimilia poſtularet, fertur reſcripſiſſe Rex: *Regnum habemus à ſubditis, vitam à parentibus, religionem à Romana Eccleſia: quam ſi repetit remitto per præſentes.* Et quemadmodum non nullis (iure an iniuria non diſputo) Caroli V. decretum vt prudens laudatur, ne in poſterum Eccleſiaſticis perſonis in Belgio vllam rem immobilem coemere liceret ſine Principis conſenſu: ſic Chriſtianus III. non minus prudenter conſtituit, ne Eccleſiaſtici aliquid vendant abſque expreſſo Regis mandato. Alioqui id genus hominibus in toto regno optime prouiſum eſt à Chriſtiano III. & Scholæ in multis locis erectæ, & duæ in vltima Islandia, vbi etiam propriam habent typographiam.

Academia Hafnienſis. Vna tantum eſt in toto regno Academia, Hafniæ ſcilicet, quæ fundata eſt à Chriſtierno I. permiſſu Sixti Pontificis, Anno Chriſti MCDLXXVIII. quam Fridericus II. quamuis bello Suecico ſeptennali implicitus, locupletauit, & eius prouentus ſexaginta tallerorum millibus.

Quartus ſtatus Mercatorum. Quartus Status eſt Ciuium & Mercatorum, in vrbibus & oppidulis habitantium. Hi ſua quoque habent priuilegia, quibus fruuntur, & his attributi ſunt agri proprii, & ſyluæ certis limitibus circumſcriptæ. Mercaturam exercent ſatis copioſam, tam terra quam mari, in omnibus partibus Europæ. Ex his, quemadmodum etiam ex ru-

ſticorum liberis,eliguntur Epiſcopi,Canonici, Paſtores, Senatores oppidani,Scribæ in caſtris & arcibus, magiſtri ac gubernatores nauium:aliqui etiam vectigalibus aliiſque percipiendis reditibus præficiuntur. Iudicia omnia inferiora ex his conſtituuntur,præſide interdum vno ex Nobilitate.

Quintus Ruſticorū. Quintus ſtatus Ruſticorum horum duo ſunt genera. Primum vocant ***Freibunden***,id eſt liberos Colonos. Hi poſſident agros hæreditarios,paullulum tamen inde ſingulis pendunt annis. Hi etiam mercaturam & piſcaturam exercent. Seruitiis præſtandis non opprimuntur,nec tributa pendunt,niſi con'currentibus Regni Senatoribus. Alterum genus eſt eorum, qui non poſſident bona hæreditaria, ſed à Rege, Nobilibus, aut Eccleſiaſticis ea conducunt, & ſeruitia multa inde dominis præſtare coguntur, prout cum agri domino conuenerunt.

Hæc fere ſunt quæ de Politia Danica comperta nobis,& hoc loco exponenda viſa ſunt:ex quibus patet Monarchiam ſiue regnum Danicum iam ab antiquis vſq; temporibus optime fu iſſe conſtitutum, & penes Nobilitatem,liberam Regis electionem ſemper fuiſſe,attamen ex Regia familia, vt antea dictum eſt, plerumque, immo fere ſemper,niſi ſumma neceſſitate aliud imperante, Reges ſibi petiiſſe: vnde hoc commodi Dania conſequuta eſt,vt nulla inteſtina habuerit bella ac diſſenſiones, niſi quæ ortæ fuerunt inter Regiam familiam,quæ tamen Nobilitatis interuentu, cito ſunt compoſitæ, præſertim quum Regum filii nullam capiant regni partem.

Deinde quum omnes ſint tantum Nobiles in Regno, & Baronum,Comitum Ducumque nomina & titulos ignorent, nullus tantis pollet opibus,vt iis confiſus, Regi aut Regis familiæ ſeſe opponere audeat, eo quod inter filios & filias ſemper paterna hæreditas diuidatur.

In Dania ſumma dignitas eſt Equitum,quos ab ornamentis,quæ illis tribuuntur,Auratos vocant.ſed illa nemini niſi tempore pacis & belli bene de Republica meritò confertur.

Ita habent Daniæ Reges optime florentem Rempublicam, quæ facile contra exteros hoſtes defendi poteſt, quum ſubditi vnanimes cum Rege vt naturali ſuo domino, terra marique hoſtibus reſiſtere queant.

FINIS PRIMI TOMI.

RERVM POLITICARVM SIVE DE STATV IMPERIORVM, ET RERVMPVBLICARVM, earumque perfecta cognitione & adminiſtratione,

TOMVS SECVNDVS,

Continens

DISCVRSVS ET RELATIONES, *Ducatus ſiue Principatus, totius orbis terrarum concernentes.*

DE INFERIORI GERMANIA, EIVSQVE BELGICIS Prouinciis & Rebuſpublicis,

DISCVRSVS I.

NONNVLLA inferioris Germaniæ pars communiter ſub nomine Flandriæ comprehenditur. Huius inferioris Germaniæ, ſiue Belgii Septemdecim ſunt Prouinciæ, quanquam ſub vno titulo reguntur: hoc eſt, Ducatus quatuor, Brabantiæ, Limburgi, Luxemburgi, & Geldriæ, Comitatus ſeptem Flandriæ, Arteſiæ, Hannoniæ, Hollandiæ, Selandiæ, Namurci, & Zurphaniæ: Marchionatus Sacri Imperii: Quinque *Prouinciarum numerus.*

etiam

etiam Dominia, Friſiæ Occidentalis, Mechliniæ, Vltraiecti, Tranſiſalanæ, & Groningæ: Regiones omnes cultiſſimæ, quæ omnes ab vno Principe pendent, & ſub vno Flandriæ nomine continentur. In vnum autem corpus hoc pacto coaluerunt. Nam Ludouicus de Mala Comes Flandriæ vxorem duxit Margaritam filiam vnicam Iohannis Tertii: Quo coniugio Dux etiam Brabantiç, Luxemburgi, multorumque ſtatuum vltra Moſam factus eſt. Hæc Margarita nupſit Philippo Audaci Duci Burgundiæ, cuius hæreditas ad prædictos ſtatus iure ſucceſſionis obuenit, excepto dominio Vltraiecti, Tranſiſalanæ, & Groningæ, quæ Carolo Quinto Imperatori obrigerunt. Defecit linea Ducum Burgundiæ cum eo Carolo, qui apud Nanceium ab Heluetiis anno milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo cæſus eſt: ex quo vnica tantum filia fuit ſuperſtes Maria omnium ſupradictorum ſtatuum hæres, exceptis iis, quos Carolus Quintus ſibi pepigerat: quæ Maria, cum nupſiſſet Maximiliano filio Imperatoris Federici Auſtriæ, qui paulo poſt fuit Imperator, omnia illa dominia in domum Auſtriacam intulit: ex Maximiliano nempe deuoluta ſunt ad Philippum eius filium, ex hoc ad Carolum Quintum, ex quo ad præſentem regem Catholicum.

...us dominy.

Aer in his regionibus humidior eſt, ſed tamen, qui incolarum ſanitati conducat: æſtates iucundæ, peramœnæ, & temperato calore tolerabiles, non feruent æſtu, non abundant muſcarum, culicumque examinibus, non tonitru quatiuntur: terræmotus vero rariſſimi. Hiemes longe ventoſæ. Spirante Aquilone, vel Euro ſubitum excitatur & arctum gelu; Auſtro vero & Zephyro tepeſcit aer, frigusque in pluuias conuertitur.

Natura prouida.

Ager planus eſt, paucis collibus aſſurgens, exceptis regionibus Luxemburgi, Namurci & parte quadam Hannoniæ. Multis etiam locis ſabuloſus eſt, præſertim qua Flandriæ, Selandiæ, Hollandiæ litora Oceano pulſantur: hic enim aduerſus fluctuum impetum natura colles ſabuloſos inſtar obicum prætendit; mirabili & nunquam ſatis prædicanda prouidentia. Solum ipſum pingue eſt & fertile, ſed alibi pinguius, alibi ſterilius. Gignit frumentum, hordeum, ſiliginem, linum, canabin, pyra, mala, nuces, auellanas, ceraſa, pruna; quæ tamen aliunde quoque maxime in Hollandiam magna copia importantur. Arborea materies ad cotidianos vſus, ſtructuraſque ædificiorum aliquibus prouinciis non deeſt: Hollandi tamen ligna fere omnia exſtruendis nauibus, è Noruuegia aliiſque regionibus Septentrionalibus petunt. Vites paucæ, niſi forte Louanii, & in tractu Luxemburgico, è quibus vinum premitur non inſipidum: reliquis locis vuas habent menſis ſecundis, quam vino aptiores. Boues, equi, oues, pecora, armentaque nuſquam terrarum felicius naſcuntur, aut aluntur. Equi inprimis grandes, robuſti, bello apti, Boues optimi, præſertim in Hollandia & Friſia, quibus vnus bos pondere ſæpiſſime

me 1200, libras excedit. Ludouicus Guicciardinus, qui Belgicam accuratiſſime veriſſimeque deſcripſit, refert Comiti Hochſtratano Mechliniæ bouem dono datum, cuius pondus fuerit bis mille quingentarum viginti octo librarum: quem is propterea in palatio ſuo depingi curauit. Ouium lanæ paulo duriores ſunt Hiſpanicis & Anglicis, quod ex pratorum paſcuorumque humiditate hic colligitur, & per omnes Europæ oras magno cum lucro diſtrahitur. Fodinæ metallicæ magni momenti nullæ. Fontes rari, & non niſi montoſis in locis, lacus, ſtagna, paludes non tantum ad aquarum vſum, ſed ad piſcium quoque capturas valde frequentes. Flumina hic perpauca oriuntur: ſed alibi orta maxima & plurima his locis vel in Oceanum ſeſe exonerant, vel in aliud flumen maius. Præcipua ſunt, Rhenus, Moſa, Scaldis, Amiſius, Minota, Moſella, Liſa, Aa, Sambra, Dela, Dieſa, Vidrus (Vechta vulgo) Scarpa, & alia permulta. Habent præterea regiones quædam ſyluas & nemora. Arduenam ſyluam hic ſtatuit Cæſar, quam idem tradidit à Rheno fluuio per fines Treuirorum ad Neruios, & initium Rhemorum pertinere, & millibus paſſuum amplius quingentis patere in longitudinem, attingere Menapios, Eburones, Aduaticos, vſque ad Scaldim: at noſtro tempore multo eſt minor, neque ex milliaria exuperat Mare vero toti Belgicę non tantum nauigationes commodas præſtat, ſed etiam piſces, qui & huic regioni ſufficiunt, & ad vicinos quoque exportantur. Incolæ ſunt formoſi, quieti, parum cholerici, parum ambitioſi, parum ſuperbi, non admodum rebus Venereis dediti, ciuiles, aperti, comes, blandi, ad omnia prompti, ſalſi, & interdum dicaces, laborioſi, induſtrii, fideles, grati in benemeritos, artium omnium ſcientiarumque capaces, libertatis & auitorum priuilegiorum etiam ad mortem vſque tenaces & ſtudioſi. Mulieres formoſæ, pudicæ, ſobriæ, rei familiaris ſtudioſiſſimæ, adeo vt & mercaturam domi exerceant, & interdum ad vicina oppida & regiones commeent, ſine vlla vel leuiſſima criminis alicuius, impudicitiæ maxime ſuſpitione. Bello autem iam olim nobiles: Cæſar lib. 1. Commentariorum, omnium Gallorum eos vocat fortiſſimos Secundo libro, ſolos eſſe, ait, qui patrum memoria, omni Gallia vexata, Teutones Cimbroſque intra fines ſuos ingredi prohibuiſſent: eaque re factum, vti rerum iſtarum memoria magnam ſibi authoritatem, magnoſque ſpiritus in re militari ſumerent. Experti id noſtro ſeculo tot peregrini exercitus, qui tanquam veterani cum tironibus congreſſi, in ciuibus, ruſticis, nautis ferociam & vim veteranorum deprehenderunt. Inprimis vero dediti ſunt artibus mechanicis, non ſordidis quidem & vilibus, ſed nobilioribus, panni contexendi, lanificia tractandi, aulæa & tapetia conficiendi; quæ non tantum ipſius regionis vſibus inſeruiant, ſed etiam vlterius in Galliam, Hiſpaniam, Germaniam, reliquamque Europam, atque adeo in Africam & Aſiam deportentur. Æſtus maris

(quo

Bos mirus.

Flumina Belgij.

Arduena ſylua.

Mores gentis.

Mechanica florent.

Oceani natura.

(quo mare, motu in ſe replicato, accreſcit, decreſcitque) varius ac diuerſus eſt: pleriſque tamen in locis ſenis horis intumeſcit Oceanus, ſenis detumeſcit. Tam vehemens vero æſtus eſt, vt Caleti, & in Flandria, ac Sellandiæ littoribus ad duodeuiginti pedes aſſurgat, ac multo altius, vbi fretum eſt anguſtius, vt Briſtollæ in Cornuallia Angliæ prouincia, vbi ſexaginta, in Britannia vero circa Sanmalum & Sanmichaelem nonaginta pedes mare intumeſcit. Neque vero ſemper eadem ſunt momenta fluxus & refluxus. Singulis enim diebus vna fere hora tardiùs mare accreſcit: quod ipſum argumentum eſt, fluxus cauſam eſſe Lunam, quæ pro diuerſis ad Solem adſpectibus maiores minoreſve æſtus ciet, ita vt in ſingulis Nouiluniis binæ quadraturæ tumorem Oceano, & rurſus aliæ binæ detrimentum afferant.

Halecum piſcatio pretioſa.

Præter ingentes, qui è terra acquiruntur, reditus, piſcationes in quibuſdam Belgicæ prouinciis, ſed inprimis in Hollandia, ſunt quæſtuoſiſſimæ: ac primo halecum, quos Haringos vocant. Hi poſtquam ex Arctoi maris latebris diſceſſerunt (quod præcipitante iam vere ſolet fieri) velut commutatis ſedibus in æſtiua contendunt palabundi, tanta interdum multitudine, vt oppoſitis retibus ſiſti eorum nequeat impetus. Tum vero claſſes variæ, partitæ inter ſe certas ac definitas ſtationes ſub Britannia, Scotiæ ora, & Orcadibus, ſingulæ pro viribus iſti piſcium generi inſidiantur, nauigiis in eum vſum extructis, aluo panda, obtuſa prora, quæ Buſas appellant: captas partim ſale & muria condunt, partim domum delatas fumo durant. Aiunt ex vna hac piſcatione quotannis vnum millionem & quater centena ac ſeptuaginta circiter aureorum millia confici. Magnus quoque fit quæſtus, dimidii ſcilicet millionis, ex Aſellorum piſcatura, Cabelian, & Lapperdan vocant: nec minor ex Salmonum captura.

Salis copia aduecta ad ſalſamenta.

Ad condituram hanc piſcium ingens Salis vis abſumitur, quem atrum & ſordidum è Gallia, Hiſpania, Luſitania allatum, ſingulari artificio excoquunt, magnis atque amplis lebetibus, redduntque ita purum, & candidum, vt eum niue etiam certare poſſit. Rudi Hiſpanico vel Armorico adfundunt aquam, decoquunt, colliguntq; ex centum libris ſalis Hiſpanici centum quadraginta quinque libras puriores: eaque ars iam quadringentis circiter annis, in Selandia maxime, ſummo cum incolarum emolumento, vicinorum etiam commodo, fuit vſurpata. Hunc ſalem per Galliam, Angliam, Daniam, Germaniam, & reliquam Europam diuendunt.

Forma regiminis.

Forma regiminis apud Belgas pro regionum diuerſitate varia quoque eſt & diuerſa. In vniuerſum quidem omnibus Princeps imperat, at ſinguli cuiuſque prouinciæ Status ſuis priuilegiis, iure & libertate vtuntur, & ſecundum ea Remp. adminiſtrant. Princeps Gubernatorem omnium prouinciarum conſtituere ſolet; cui Burgundiæ quoq; Comitatus paret. Ei tria Conſilia ſunt adiuncta. Primum

Con-

Conſilium Status dicitur, ſecundum Priuatum;tertium Finantiarum ſiue Ærarii. Conſilium Status Præſidem vnum habet,& Conſiliariorum numerum indeterminatum: inque id,prout viſum Principi fuerit, vel plures vel pauciores leguntur. In hoc res omnes ad Statum ſiue ſummam Reipub. pertinentes tractantur, ſcilicet de bello & pace,de Legatis vel alio mittendis, vel audiendis,de fœderibus & amicitia vicinorum atque exterorum Principum; & ad hoc à cæteris Conſiliis res omnes grauiores referuntur. In Conſilio priuato 12. fere ſunt Iuriſconſulti, & doctrina atque experientia præſtantes viri, ad hoc munus ab ipſo Principe & Gubernatore electi. Eis quoque vnus Præſidis nomine præeſt. In hoc conſilio res ad iuriſdictionem ſpectantes diſcutiuntur,agiturque de priuilegiis, gratiis & remiſſionibus,legibus,ſtatutis,edictis, regionum finibus, controuerſiis, ac ſi grauior quæpiam cauſa occurrat, eam cum Conſilio ſtatus communicant;& viciſſim Status etiam Conſilii res ad Iuriſdictionem & Iuſtitiam pertinentes ad priuatum hoc Conſilium referre ſolent. In Conſilium Finantiarum tres ſunt è Belgicis Primatibus, vnus Theſaurarius,vnus Receptor,vt vocant,& alii, quibus pars aliqua publici ærarii commiſſa eſt. Conſilium hoc Principis patrimonium & ſubſidia moderatur,& vtraſque tabulas tam accepti quam expenſi in bello ac pace ſeruat,ac rei nummariæ curam habet. Eſt præterea Camera Rationum huius Finantiarum Conſilii quaſi membrum, in qua ſeptem ſunt Rationum magiſtri, cum aliquot miniſtris ſiue minoribus Officiariis: coram quibus omnes, qui nummos Principis in Brabantia, & adhærentibus regionibus,Ducatuque Luxemburgenſi tractant, rationes reddunt, & acceptilationes recipiunt. Licet vero aliæ etiam præter illas, quæ Bruxellis vna cum tribus Conſiliis reſident, ſint Cameræ; omnes tamen Finantiarum Conſilio, tanquam capiti,ſubſunt.

Conſilium Status.

Conſilium priuatum.

Finantiarum Conſ.

Camera rationum.

Præter iam dictos Magiſtratus & Conſilia vtplurimum ſingulis prouinciis Gubernator particularis præeſt, quem tamquam Principis vel generalis Gubernatoris vicarium, de ſumma rei, ac potiſſimum de iis,quæ ad bellum pertinent, refertur.

Habet inſuper Princeps in ſingulis fere regionibus aliud quoque publicum conſilium, vt Mechliniæ in Brabantia, quod Cancellaria,& alibi aliter appellatur. In hoc XII interdum,interdum XVI. nonnunquam etiam XVIII. ſunt Conſiliarii, cum vno Præſide: quibus annumerantur quoque Principis Aduocatus, Procurator Fiſcalis, & alii magiſtratus minores à Gubernatore generali conſtituti; quorum omnium tam in cauſis ciuilibus quam criminalibus magna eſt poteſtas atque autoritas,ad hoc enim Conſilium non priuati tantum omnes & Officiarii, ſed ipſe quoque Rex, ſi ei cum ſubdito aliqua in cauſis Iuſtitiæ ſit controuerſia, vocari & citari poſſunt, ſententiam accipere coguntur. Ad idem à cæteris Curis

Gubernatores particulares.

prouoca-

prouocationes fiunt, alibi vero vt Mechliniæ in Brabantia, in Hannonia, Geldria, & Friſia, ſententiæ diffinitiuæ ſine prouocatione feruntur.

In omnibus his Curiis ſiue Magiſtratibus ius obtinet commune, niſi municipale, aut priuilegia, aut edicta Principis ei aduerſentur.

Præter dictos illos magiſtratus quotannis à Gubernatore Generali Commiſſarii quidam mittuntur, qui rationes omnes tam accepti, quam expenſi diligenter inſpiciant, omniaque minutatim excutiant. In Brabantia quoque iidem ex Pontificis conceſſione atque authoritate Monaſteria atque Hoſpitalia viſitandi ius habent.

Quomodo congregentur Status.

Quoties Princeps cum Statibus, vel de nouis ferendis legibus, vel de ſubſidiis contribuendis, vel quacunque alia de re grauiori tractare vult, in iis congregandis hac vtitur ratione. Per ſingulas prouincias literas circummittit, ac ſtatibus certum locum atque tempus conſtituit, vbi cum plenis Prouinciæ quiſque ſuæ mandatis compareant: & plerunque eiuſmodi conuentus Bruxellis in Brabantia habentur. In omnibus vero Prouinciis, Comitatibus, & oppidis ſcitur, quot & quinam in Comitiis ſuffragiorum ius habeant: quorum numerus ſane magnus eſt. Horum tres ſunt ordines. Primus Eccleſiaſticorum, ſecundus Nobilitatis, tertius Ciuium ſiue oppidanorum. Deputatis facultas eſt Communitates ſuas obligandi, non tamen quicquam ſtatuendi, niſi ſub expreſſa hac conditione, ſi omnibus Statibus ita videatur, omneſque ex more ad Comitia vocentur. Deputatis, Gubernatore præſente, vel Præſes Conſiliariorum aliquis rem, de qua tractatur, exponit, blandiſſimis verbis, ſimulque validis rationibus ad perſuadendum vtens. Audita propoſitione, Status tempus deliberandi ſumunt: ſinguli deinde mature omnia expendunt, ac ſcripto tandem reſpondent. Id reſponſum ſi Principi non placuerit, negotium retractatur, Gubernatore interim ſummam adhibente diligentiam, vt Status in id, quod Princeps rogauerit, conſentiant. Quibus quicquam concedere recuſantibus, patienter ferendum, ac totum negotium in aliud commodius tempus differendum eſt.

Modus conſultationis.

Quamuis autem totius imperii ſumma ac Maieſtas penes Principem ſit; ſingulæ tamen regiones & ciuitates ſuas leges, ritus, & particularia habent priuilegia, eiſq; in adminiſtranda Republica vtuntur magna cum libertate. Ritus hi, leges, & priuilegia valde inter ſe differunt, quum olim Belgicæ prouinciæ non ſolum diuerſos habuerint Principes, ſed inter ſe etiam diu crudeliſſima bella geſſerint. Menſurarum quoque, ponderum, & morum diſcrepans eſt ratio, ac diuerſæ quoque linguæ, ac ingenia tam varia, vt cum Imper. Carolus V. ſæpius de prouinciis omnibus in vnam regni formam redigendis conſultationem ſuſcepiſſet, nullum vnquam huius ſui conſilii inuenire potuerit exitũ. Omnes nihilominus iis in rebus conueniunt,

Diſcrepant hæ prouinciæ inter ſe. Caroli V. Conſilium.

quibus

quibus Status aut Reſpub. formatur aut firmatur, & particularis ſingulorum membrorum adminiſtratio in nullo fere alio differt, niſi eorum, qui publicas res tractant, numero. Nobiliorum ciuitatum adminiſtratio quatuor velut membris conſtat. Primum eſt Noui Senatus, quo omnes magiſtratus tam maiores, quam minores comprehenduntur. Secundum eſt Senatus Veteris, in quo ii ſunt, qui magiſtratu aut dignitate aliqua perfuncti ſunt. Tertium eſt ciuium, quorum veluti Duces ſunt Vicorum magiſtri: quorum fere idem munus eſt, ac Romæ eorum, qui Caporoni dicuntur; & alibi plures ſunt, alibi pauciores, pro loci ſcilicet ac ciuitatis cuiuſque magnitudine; Antuerpiæ eiuſmodi Vicorum magiſtri viginti ſex ſunt. Quartum membrum opificiorum magiſtros, ſiue Decanos (ſic enim appellant) complectitur pro loci itidem qualitate numero differentes. Antuerpiæ Decani eiuſmodi ſunt LIV. Ex omnibus his membris particularis cuiuſque ciuitatis gubernatio conſtituitur. Exemplo ſit Antuerpia: à quo cæterarum vrbium adminiſtrationes parum differunt, excepto Senatorum & magiſtratuum numero, qui, vti diximus, pro locorum diuerſitate varius quoque eſt & diuerſus. Modus vero eligendorum Magiſtratuum in modo dicta vrbe talis eſt. Præſens Magiſtratus è nobilibus familiis nouem deſignat; ac totidem Vicorum magiſtri. Octodecim his è præſenti Magiſtratu alteri adiunguntur XVIII. ita vt in vniuerſum Candidati fiant XXXVI. Horum nomina ad Principem aut Gubernatorem generalem mittuntur; èque his XVIII. eliguntur, quos antiqua Gallica voce Scabinos appellant: his ius eſt duos eligendi Conſules ſiue Burgomagiſtros, quorum vnus plerunque ciuitatis negotia apud Principem, & cæteros Prouinciæ Ordines tractat, alter domi tã ciuium, quam exterorum cauſas cognoſcit. Sic ergo vrbis Antuerpienſis magiſtratus ex Scabinis duodeviginti & duobus Cõſulibus conſtituitur: & Conſulis quidem vrbani magna eſt autoritas tam in cauſis ciuilibus, quam in criminalibus: Sed Iuſtitiæ exequendæ duo Principis Vicarii poteſtatem habent; quorum ille, qui ciuilibus cauſis præeſt, Ammanus; qui criminalibus, Scultetus vocatur. Munera hæc à Principe conferuntur, nec temporanea ſunt, ſed ad vitam perpetua. Sculteti officium eſt delinquentes apprehendere, iuſtitiam à ſupremo magiſtratu petere, & ſententias exequutioni demandare. Ammanus pro tribunali in cauſis ciuilibus ius dicit, Senatus inſuper ſiue vrbanus magiſtratus etiam non interueniente autoritate Principis minores conſtituit magiſtratus. Inter alios duo Ærarii Tribuni è Nobilium ſiue Patriciorum ordine à plebe; & viciſſim Receptor vnus è plebe à Nobilibus deſignatur: à quibus nummi omnes ſupremi magiſtratus iuſſu recipiuntur atque erogantur. Ex eodem magiſtratu Conſi-

Ciuitates quomodo regantur.

Google

liarii è plebe creantur, qui Nautarum, hortulanorum, fabrorum ſunt Decani: Mechliniæ magiſtratus vrbicus æquali portione eſt diuiſus. E duodecim enim Senatoribus ſex ſunt Nobiles, ſex plebeii, opificiorum ſcilicet Decani, ſiue Tribuni, vt Piſcatorũ, piſtorum, hortulanorum, coctorum ceterıſiæ. Cõſiliarii hi plebeii non modo in Senatum veniendi, ac ſententiæ dicendæ ius habent, verum etiam tumultuoſe plerunq; & cum ſtrepitu negoria tractant, præſertim ſi de contribuenda pecunia agatur, quã plebs ægre fert in Nobilium manus venire. Quin etiam tanta eſt illorum inſolentia, inconſtantia, & perpetua aduerſum Nobiles æmulatio atque inuidia, vt etiam ſine vllo ſupremi magiſtratus reſpectu ipſorum ſæpe Principum voluntati & decretis reclament, atque aduerſentur. Hinc factum eſt, vt è XXXV. à Ludouico Hatlembequio primo Flandriæ Comite ad Philippum Regem Catholicum, vix tres fuerint: qui non ſeditione aliqua, ſiue populi rebellione fuerint exagitati. Harum ciuitatum quædam magnos habent reditus. Sola Antuerpia ad ducenta & quinquaginta ſcutatorum millia quotannis è publicis reditibus percipere dicitur: ſed tam hæc, quam cæteræ vrbes, durante hoc bello, graui ære alieno obſtrictæ ſunt: nec ſpes eſt, eas tam cito exoneratum atque liberatum iri, decreſcente quotidie mercaturæ & opificiorum tractatione, in quibus duabus rebus Flandriæ ac totius Belgii opes conſiſtunt. Damnum quidem quod Antuerpia ex mercaturæ detrimento accepit, vix æſtimari poteſt. Guicciardinus eam iniuit rationem, vt demonſtrauit commercia Antuerpię excedere 12. milliones coronatorum: cuius calculus rebus Antuerpianis florentibus non modo non ſuperauit, at ne æquauit quidem iuſtam æſtimationem. At hæc fuere; nunc enim Mars Mercurium pepulit, atque alio, maxime vero Middelburgum in Selandiam, Amſtelredamum atque Roterodamum in Hollandiam abduxit.

Plebeii magiſtratus ſeditioſi.

Ciuitatum reditus.

Antuerpiæ opes.

Baronum & Nobilium, qui oppida & arces in Belgio tenent, poteſtas ac iuriſdictio anguſtis admodum terminis eſt circumſcripta: neque enim ſubditis ſuis & clientibus fiduciariis tributũ vel imperare, vel etiam vltro oblatum accipere poſſunt, niſi de Principis conſenſu: ſed relictis populo ſuis priuilegiis, immunitatibus & libertatibus, titulis tantum & bonorum patrimonialiũ prouentu ſumma cum modeſtia gaudent & fruuntur. Sunt tamen inter Principes & Nobiles, qui particulares quaſdam tam iuriſdictiones, quam ditiones poſſident, tam abſoluti imperii, vt neminem ſuperiorem niſi Deum ipſum agnoſcant.

Baronum limitata poteſtas.

Status Eccleſiaſticus in omnibus Belgii regionibus potens admodum eſt, atque opulentiſſimus: adeo quidem vt Carolus V. Imper. legem ferre neceſſe habuerit, qua cauetur, ne quis Ordinis

Status Eccleſiaſticus potens

Eccle-

Eccleſiaſtici res ſoli, ſiue bona immobilia quocunq; titulo comparare ſibi poſſit, niſi permiſſu & aſſenſu Principis. In extraordinariis, quæ Principi dantur, ſubſidiis, idem Ordo partem ſuam confert ſeparatim. Eidem Principi eædem fere intercedunt, quo ad Eccleſiaſticam iuriſdictionem, cum Pontifice conuenriones, quæ Franciæ Regibus: Principis eſt enim nominare ſiue deſignare Prælatos, Pontificis confirmare: neque vllum reſcriptum ſine Principis conſenſu exequutioni demandari; neque ſubditi vlla ex cauſa ad aliud tribunal extra patriam citati aut vocari poſſunt; ſed omnes cauſæ, quæcunque illæ ſint, coram Ordinariis cuiuſq; loci, aut regionis magiſtratibus, ſiue Commiſſariis, ventilari, ac diſceptari debent. Titulus extraordinarius, quo Ordinis huius caput, ſiue Princeps vtitur, eſt, vt ſe inſcribat Canonicum S. Seruatii, & Abbatem S. Gertrudis (quod eſt celeberrimum ac ditiſſimum Monaſterium) Vicariumque Imperii ad Dietmarſos vſque in Daniæ finibus, per vniuerſam Friſiam: quem titulum ſiue dignitatem Maximilianus Primus Cæſar pro ſe ſuiſque ſucceſſoribus ab Imperatore & patre ſuo Friderico obtinuit. Sed de politia Belgica deque harum ſeptemdecim prouinciarum adminiſtratione, qui plura ſcire volet, adeat Franciſcum Guicciardinum, cuius de hac re præclarus extat in Belgicæ deſcriptione Commentariolus. *Titulus Principis Belgarum.*

In his regionibus Princeps alios milites alere nō ſolebat olim, quam qui in finibus per præſidia erant diſpoſiti. Carolus V. Imperator tria circiter equitum millia magna ex parte leuiter armatorum è regionum incolis conſcripſit, eamq; militiam perpetuam & ad omnes caſus ſubitos paratam eſſe, iuſſit, Præfecturis inter Nobiles & Barones cuiuſq; Prouinciæ diſtributis, vulgo vocant Turmas Ordinarias. *Militia & præſidia.*

Reditus, quos Princeps ex hiſce capit Prouinciis quotannis tres circiter Auri milliones conficiunt, non additis extraordinariis ſubſidiis, & confiſcationibus: Et harum quidem tertia tantum pars ad Principem redit, niſi in cauſis læſæ Maieſtatis. *Principis reditus.*

DE DVCATV FERRA- RIENSI,

DISCVRSVS II.

QVONIAM in quolibet Principe, imo in homine quolibet, dotes cum internæ, cum extrinſecæ conſiderandæ ſunt (extrinſecas dotes appello, ſtirpem, ex qua ortus eſt, ſtatum quem poſſidet, amicos, hoſtes: Internas voco, animi corporiſq; qualitates) ideo relationem meam ad quatuor hæc capita redigam, videlicet ad Nobilitatem, Imperium, Amicos, Inimicos, denique ad Principis huius Celſitudinem deueniam.

Nobilitas Eſtenſis.

Nobilitate, & generis ſui antiquitate Dux Ferrariæ cunctos Italiæ Principes longo poſt ſe interuallo relinquit, excepta tamen Sereniſſima Venetorum Republica. Nam Sereniſſima hæc Domus ſeptingentis circiter abhinc annis, regionibus, quæ modo illi ſubiacent, magna ex parte dominatur, cum huius ſanguinis Principes latius quoque imperitauerint, & vrbes non mediocres olim poſſederint, vt eſt oppidum Ateſte, vnde cognomen deriuant, Rhodigium, Parma, & Placentia. Habuerunt quoque Principes huius Domus titulos diuerſos, ſed vltimis temporibus Anno 1452. die 15. Maii Marchio Borſius ab Imperat. Federico III. in foro Ferrarienſi inſignitus eſt titulo Ducis Mutinæ, ac Regii cũ omnibus illis priuilegiis, honoribus, dignitatibus, prærogatiuis, & iuribus, quibus maiores Germaniæ Duces cohoneſtantur.

Magnus Dux Ferrariæ.

Idem Dux Borſius Anno 1451. cum Romam iuiſſet, à Pontifice Paulo huius nominis Secundo, natione Veneto, genere Balborum die 14. Aprilis donatus fuit titulo magni Ducis Ferrariæ, primusque hic fuit, excepto Mediolani Duce, qui in Italia hunc titulum obtinuerit, poſſidetque non vnum, ſed tres Ducatus, Ferrariam, Mutinam, Regium, fuitque à Pontifice & ab Imper. magni Ducis & Principis Imperii priuilegiis decoratus: quę quidem iura, & prærogatiuæ ad nullum alium Italiæ Ducem ſimul iuncta vnquã pertinuere. Et hoc eſt fundamentũ iuriũ, q̃ prætendit in controuerſia ſua aduerſus, Magnũ Ducem Etruriæ: qui in huiuſmodi contentione ſuperior euadere cupiens, ſumma

is cũ ma- no Duce lorentia.

ope

ope nixus eſt annis præteritis, vt à Pontifice duplex Ducum declararetur ordo: alter Ducum prouinciarum, alter ciuitatum, idque ea de cauſa, vt Ducibus Saxoniæ, Bauariæ, Sabaudiæ, qui prouinciarum Duces ſunt, inſereretur, ſed cum ipſe inter prouinciarum Duces, & in primo atque honeſtiore ordine connumeraretur, abſque vlla difficultate Duci Ferrariæ præcederet, vtpote qui Dux ciuitatum, non prouinciarum, in ſecundo gradu & ordine Ducum cõputandus foret. Verum eius Celſitudo cũ ſeſe ad Aulã Cæſareæ Maieſt. tranſtuliſſet, an. 1574. die 14. Apr. curauit, promulgari decretũ, quo ipſe declarabatur locũ habere inter Duces Imperii, qui in German. exiſtunt, idq; vt cõprehenderẽtur Saxoniæ, Bauar. Cliuiæ, Lotharingiæ & Sabaudiæ Duces, atq; obtineret, Ferrariã, Florentiam, & Mantuam vnius claſſis, atq; ordinis eſſe Duces, & hoc pacto Ferrariæ Dux voti ſui cõpos factus eſt. Hæc controuerſia iſtorum Principum adeo coram Cæſare pendet, vt etiãſi quædam interlocutoriæ ſententiæ natæ ſint, tamen definitiuæ ſentẽtiæ ſpes nulla affulgeat, quia Cæſar ita procedit, vt amborũ ſpes lactet, atq; ſuſtentet. Idcirco Orator Florentiæ cũ ſupplicaſſet admitti non tantum vt legatus magni Ducis, ſed etiam Reip. Florentinæ (qua in re totius negotii momẽtum vertebatur, cum dubio procul Reſp. Florentina Duci Ferrariæ præcedat) Imperat. tandẽ Florentino fauit, declarans, hunc actum & interlocutoriam ſententiam Duci Ferrariæ nihil detrimenti afferre debere: quod decretum re ipſa nihil continebat aliud, quam anterioris decreti reuocationem, ne ſcil. diſpliceret Ferrarienſi, & Florentino Duci gratificaret. Ex quo prudentiores aulici quidam opinãtur, eius Maieſtatem nunquã ſententiam diffinitiuam pronunciaturã, nã cũ ſuæ vtilitatis rationem habeat, cognoſcit, dum lis pendet ſub iudice, ſe poſſe ab vtroque Ducum plurima officia, atque obſequia expectare, verum quotieſcunque diffinitiue eius dixerit, de eo, contra quem ſententiam tuliſſet, vel parum, vel nihil ſibi polliceri poſſet: rurſus ille, pro quo decreuiſſet, non adeo prompte Cæſari morem gereret, quantum eundem Cæſarem cæteroquin propitium ſibi efficere conaretur propter cauſæ expeditionem, eiuſque animi alienationem timeret.

Ducum diſtinctio.

Decretum pro Florentino Duce.

Cauſa indeciſa.

A Borſio ad præſentem vſque Ducem quinq; fuerunt Duces, Borſius, Hercules primus, Alphonſus primus, Hercules ſecũdus, & Alphonſus ſecundus, qui hodie dominatur, eſtque nobiliſſim⁹ Princeps non modo propter tot maiores ſuos Principes lineæ maſculinæ, ſed etiam quia materno latere ex regio ſanguine Galliæ deſcendit, auunculumque ciet magnum regem Ludouicum Duodecimum, qui parens fuit Claudiæ, & Reneæ: ex illa natus eſt Henricus Rex pater Chriſtianiſſimi regis, quem habemus: ex hac Dux hic, & Illuſtriſſimus Cardinalis Eſtenſis.

Argumentum relationis.

In huius Principis imperio quatuor, vt mea fert ſententia, in primis conſideranda ſunt: Status ſiue ipſum imperium, ſoli ac regionum qualitas, ſubditi, vires ac reditus. Ad Statum ſiue Imperium Ducis Ferrarienſis quod attinet, eſt id ſane peramplum, tum commodiſſimo loco ſitum. A mari Adriatico ad Tyrrhenum vſque in longitudinem patet C L X. milliaria; Latitudo ad maris vſque litus circiter L X. milliaria comprehendit, hoc modo: A Primara ad Magnauaccam I X. ſunt milliaria. A Magnauacca Volanum vſque X V I I I. Volano Gorrum totidem; à Gorro ad Venetorum confinia V I. inde ad Fanum S. Ambroſii in territorio Bononienſi, non procul à Caſtelfranco V. numerantur milliaria; à Mutina Regium X V. à Regio ad Barſellam totidem: omne hoc ſpatium his finibus comprehenſum alibi latius expanditur, alibi coartatur & reſtringitur. Præter Ferrariam Dux inſignes duas, & principali dignitate ornatas, vrbes poſſidet, Mutinam, & Regium, ciuium multitudine & opibus florentes: in paludibus Adriaticis Comaclum, in Romandiola multas arces & caſtella: in Hetruria Graffinianum; Carporum denique oppidum, multas ad res tenentibus opportunum, inprimis vero ad infeſtandum Ferrariæ Ducatum. Eſt enim in meditullio eius poſitum à Carolo Quinto Imperatore; qui ad res ſuas in Italia ſtabiliendas Ducis amicitiam modis omnibus conciliãdam ſibi putabat, ei feudi Imperialis loco conceſſum, & à Marco Pio Carporum Principe ob rebellionem ablatum. Id tamen Ferrarienſis Dux Saxoli dominii permutatione redemerat: Sed Leonellus Pius Cardinalis Carpenſis pater, nunquam adduci potuit, nec prece nec precio, vt in eam permutationem conſentiret. Quocirca Ferrarienſis, Imperatore aſſentiente, eum poſſeſſione deiecit; interim vero centum ſcutatorum millia apud Venetos depoſuit: quos, Leonello accipere recuſante, Imperator recepit, & Ferrarienſi poſſeſſionem Imperiali auctoritate tribuit, & confirmauit. Habet vero multas & magnas commoditates Ferrarienſis Ducatus: quum eius ditio, vti dictum eſt, à mari ad mare pertingat, & in Adriatico quidem aliquot habet portus, vt ad Volanum & Magnauaccam: qui licet magnarum nauium capaces non ſint, non maximis tamen impenſis & laboribus capaces reddi poſſent. Horum portuum, ſed inprimis Padi, fluuiorum in Italia omnium regis, beneficio, & domeſticæ opes & ſuperfluæ in alias regiones exportari, & neceſſaria aliunde cõuehi queunt: inprimis vero mercibus omnibus, quæ è Pedemontio, Lombardia, Tuſcia ſiue Hetruria Venetias tranſportantur, Ferrarienſis Ducatus tranſitum præbet. Vno tamen non exiguo laborat incommodo, quod Padi (vel potius rami eius) alueus obſtructus, Reni maxime fluminis è Bononienſi territorio decur-

Latitudo Ducatus.

Carpenſes ad Ferrarienſem quomodo deuoluti.

Padi vtilitas.

rentis impetu accumulatis arenis, nauigationem infra Ferrariam difficilem reddit; vt verendum ſit, niſi operibus & molibus fluminis curſus adiuuetur, ne nauigatio plane intercludatur: Sed huic incommodo Dux maximis impenſis medetur, ductis hinc inde foſſis, aliiſque excitatis operibus, quibus circiter 20. hominum millia quotidie occupantur. Quoniam vero nec amplitudo, nec commoditas ſola ditionem aliquam, ſecuram ac tutam reddunt, ſed duo præterea requiruntur, vt ſcilicet eadem tam natura, quam operibus munita ſit, vtque rerum omnium neceſſariarum copia abundet (facile quippe eſt copiis præualenti regionem nullis munitionibus firmatam, ſed omnium iniuriis quaſi expoſitam occupare, ac ſub iugum mittere: vti Carolus Octauus Galliarum Rex regnum Neapolitanum. Sultanus Selymus Anno MDXIV. & MDXV. Ægyptum & Syriam; eiuſque filius Solimannus magnam Hungariæ partem domuit: quod tā facile nunquam ipſis futurum erat, ſi vel paucis munitionibus regiones eæ fuiſſent firmatæ, quibus oppugnādis primum eumque acerrimum hoſtis impetum ſine dubio fregiſſent: nec vero ſterilis & ab annona inops regio diu contra hoſtes ſe tueri poſſit, præſidiariis neceſſario commeatu deſtitutis) quum, inquam, ditionis ſecuritas in duabus prædictis rebus, munitionibus ſcilicet & commeatuum copia præcipue poſita ſit: Ferrarienſem Ducatū contra vim quamcunque firmiſſimum eſſe affirmare auſim, vtpote qui multa loca habeat munitiſſima, & rerum omnium ad vitam neceſſariarum incredibili copia abundet.

Regiones natura & arte parum munitas facile occupari.

Munitiones præcipuæ ſunt. Ferraria, Mutina, Regium, Carpi, Barſella ad ripam Padi, Seſtola, Caſtellum nouum, Verruca in Hetruria, Graffinianum.

Ferraria Metropolis totius Ducatus, vnde & ei nomen, ambitu comprehendit ſex aut ſeptem millia paſſuum: Vrbs inexpugnabilis fere habetur. Ab vno enim latere, vbi veruſto muro cincta eſt, Padum habet præterlabentem, qui parti illi, veluti ampliſſima foſſa, prætenditur, & ab omni aſſultu tutam reddit. Eſt enim Padus ibi latus vltra centenos paſſus, ac tantæ profunditatis, vt nullibi vado tranſmitti poſſit. Reliqua vrbis latera fortiſſimis propugnaculis vallo craſſo admodum & lato, & foſſis profundis cincta ſunt. Quum ſolum ſit humidum & aquoſum, cuniculi agi, aut munitiones ſuffodi nequeunt. Qua Francolinum ſpectat, hoſtium caſtris obſideri non poteſt, non propterea tantum, quod planicies illa ex vrbicis propugnaculis tota infeſtari, verum etiam aquis obrui poſſit. Vrbs ipſa plateis peramplis, magnificis palatiis, ac ædibus ſplendidiſſimis, inprimis vero auguſta Arce exornata eſt. Eſt quoque ibidem celebre litterarum Gymnaſium, in quo præclari viri hu-

Munitiones Ferrarienſis Ducatus Ferraria.

Digitized by Google

Soli fertilitas.

maniora ſtudia, Iuriſprudentiam & Medicinam profitetur. Territorium vbi ſubiectum magna ex parte planum eſt Pado, Reno, & Canali à Mutina ducto irrigatur: ſolo tam fertili, vt ſi bona ſit meſſis, duas tertias; ſi mediocris, ſemiſſem frumenti ad vicinos mittat; nunquam vero tam ſterilis ſit, quin ſuperſit potiꝰ aliquid incolis, quam deſit. Ferraria & Romandiola feuda ſunt ſeu prædia fiduciaria Sedis Romanæ: pro quorum inueſtitura Dux quotannis Pontifici dependit ſena ſcutatorum millia: Ferratienſe territorium confine eſt Rauennati & Bononienſi. Sed Rauenna ab ipſa vrbe Ferratienſi admodum longe diſtat; at Bononienſe territorium vix quatuor milliaribus ab ipſa vrbe abeſt. Venetorum etiam fines attingit ad villam Pelaſellæ: Mirandulani Comitis ditionem quoque ad fanum S. Bernardi habet finitimam; ad Stellam vero oppidum, Mantuanum attingit Ducatum.

Mutina vrbs & ager.

Mutina antiqua valde ciuitas, Galliæ Ciſalpinæ olim, quæ hodie Lombardia dicitur, fuit caput. Natura & opere munita eſt & ampla; ciues opulenti ſunt & bellicoſi. Territorium fertile habet, & inprimis vini optimi & delicatiſſimi ferax, vbi in colles aſſurgit. Montium ei parti, quæ Fregnana dicitur, Sextula inſidet loci ingenio & ſitu quum opportunus, tum præſidio & arte munitus valde locus, quod in ipſis Pontificiæ & Florentinæ ditionum confinibus ſit poſitus. Mutinenſe territorium conterminum eſt Bononienſi & Mirandulano, in montanis vero locis, ſed multis ab ipſa vrbe milliaribus, Florentini quoque Ducis imperium attingit.

Regium Lepidi.

Regium Lepidi, quod à Marco Æmilio Lepido Triumuiro cognomen accepit, eoq; ab eo, quod in Calabria ſitum eſt, diſtinguitur, vrbs eſt lauta, nobilis, frequens, munita; ſolo ſita valde fertili; loco pulchro, amœno. Territorium partim in campos & planiciem ſeſe explicat, partim in montes attollitur. Præter Regium Ruberia eſt caſtrum firmiſſimum, & Berſella; Ruberia ditionem Mediolanenſem ſpectat; & Ducatum Mantuanum; cui confine eſt Regienſis vrbis territorium; vt & Principatui Parmenſi, & dominio Corregiano. Regium Nicolaus Tertius Marchio Areſtinus à Duce Mediolanenſi an. MCCCCXXI obtinuit: poſtea vero anno MCCCCLII. Borſus, vti ſupra diximus, fiduciariæ clientelæ nomine vna cum Mutina ab Imperatore accepit. Tandem Carolus V. Imperator inter Clementem VII. & Ducem Alphonſum arbiter electus, duos hos Ducatus, Mutinenſem & Regienſem, Areſtino adiudicauit.

Graffiniana.

Graffiniana Tuſciæ ſiue Hetruriæ pars eſt, in qua ferri ſunt fodinæ, ex quibus Dux magnum percipit emolumentum. In

eadem prouincia in ipſo aditu Verrucula eſt, oppidum munitiſſimum. De cæteris nihil addo: quorum deſcriptio ex Ghorographorum libris peti poteſt.

In ſubditis hæc præcipue conſideranda ſunt; vtrum bellicoſi ſint an imbelles; quieti & obedientes, an turbulenti; Principem ne ament an oderint: quarum rerum conſideratio non magni tantum eſt momenti, ſed multum etiam ad conſeruandum & deſtruendum Principatum facit. Sultanus Selymus Maluchotum regnum in Ægypto nullam etiam ob cauſam breui tempore radicitus deleuit, quam quod ſubditi plerique omnes nequam eſſent, & Turcicum Imperium peſſime odiſſent. Hodie quidem Galliæ pacem nihil magis turbat, quam inquieta incolarum & turbulenta ingenia, quibus pace diuturna nihil moleſtius. A temporibus Ludouici VI. ad Franciſci II vſque regnum Galli, bellis externis diſtenti, aut fines ſuos defendere coacti, pacem inter ſe coluerunt: at nunc, pace cum vicinis vndique compoſita, arma in ſua ipſorum viſcera, & contra Regem ipſum conuerterunt.

In ſubd. qua atten-denda.

Quos odium, quos amor populi fructus ſoleant patere, plurima exempla demonſtrant.

Quam enim aliam ob cauſam Alphonſus Arragoniæ Rex Neapolitano Regno exactus eſt, vlrto accito Carolo VIII. Galliarum Rege, quam quod ſubditis parum charus eſſet? At quum Galli multa & ipſi licenter contra ſubditos patrarent; iidem qui Gallos ante aecerſiuerant, ad Ferdinandum Regem defecerunt. Idem ſubditorum amor & beneuolentia Franciſcum Mariam Vrbinatum Ducem, à Leone X. P M. Ducatu eiectum, reſtituit ac reduxit: eodemque munitus Alphonſus I. Ferrariæ Dux Iulii II. Leonis X. & Clementis VII Pontificum Ateſtinæ familiæ infeſtiſſimorum odia & inimicitias acerbiſſimas ſenſit quidem, ſed ſuperauit tandem & contempſit. Superiori quoque tempore Illuſtriſſimæ Venetorum Reipublicæ ab hoſtibus vndique circumſeſſæ & oppugnatæ, nihil tam præſidio fuit, quam ſubditorum amor & beneuolentia, multis nominibus, ſed inprimis humanitate, iuſtitia & clementia acquiſita. Sed vt ad inſtitutum noſtrum redeamus; populi Duci Ferrarienſi ſubditi bellicoſi admodum ſunt, & Ateſtinæ familiæ amantiſſimi, Nobiles inprimis In vniuerſum vero Lombardi (quorum regione ii magna ex parte comprehenduntur) natura inquieti ſunt & feroces.

Subditorũ natura turbulẽta multas inuexit vbique calamitates.

Ad vires quod attinet, habet Dux præter corporis ſtipatores, qui quinquaginta ſunt equites leuis armaturæ, & centum Germani pedites lectiſſimi, tam in vrbe quam eius territorio ſupra XXVII. hominum millia armis aſſuetorum, quibus ad omnes caſus vti poteſt. E nobilitate quidem, ſi opus ſit, idem magnum equitum numerum poſſit colligere. Armorum enim tractatione Nobiles hic maxime delectantur, ac plerique aliquem militiæ vſum & experien-

Militia Ducis & ſtipatores.

iam habent; atque facultates ſuas omnes, imo vitam quoque in Statu Principis ſui defendendo profundere non dubitarent. Tormentis vero, aliiſque bellicis commeatibus idem Dux non mediocriter eſt inſtructus.

Reditus. Reditus omnes exeurrunt ad quinquies centena ſcutatorum millia: magna ex parte in vectigalibus conſiſtunt: quum in vrbe nihil omnium rerum exportetur aut importetur, quin decima pars iuſti valoris ſoluatur. Decimæ quoque ex omni contractu, emptione, locatione, venditione, donatione, Ducis ærario penduntur. Nec contemnendus eſt reditus, quem Dux menſibus Octobri & Nouembri è ſtagno Comaclino (Comacchio vulgo) percipit, vbi incredibili Cephalorum & Anguillarum copia fiſcellis excepta, & ſale dein condita aut fumo ſiccata, ad reliquas Italiæ ciuitates exportatur, adeo vt quadragena ex hoc piſcaturæ genere ſcutatorum millia quotannis conficiantur. Sed nihil Principis ærarium æque auget ac locupletat atque Officiatiorum ſiue Magiſtratuum reſpectus, qui ſine vllo impedimento munia ſua adminiſtrant, ac ſubditis quod Princeps iuſſerit imperant: neque hi vel minimum quid detrectare auſint. Et vero firmiſſimus Imperii neruus ſubditorum eſt obedientia: vulgus hic nil æque cauet, quam ne fiſcum defraudaſſe deprehendantur: ſi quidem deprehenſi non mercibus tantum priuantur, ſed pœna etiam arbitraria multantur. Sic igitur vnoquoque ſine fraude vectigalia atque eiuſmodi onera ſoluente fiſcus ſiue ærarium Principis valde collocupletatur: neq; exiguum emolumentum inde accedit, quod hominum cultura ad littus maxime manſuefactus ager, ſemina ſiue fructus magno cum fœnore reddit.

Piſcatio lucroſa.

Expenſa. Porro expenſis non ita magnis Dux grauatur. In vniuerſum enim ſumptus, quos Dux facit in ſuam ipſius perſonam, præſidia, penſiones in cognatos, donationes, cæteros excipiendos, fabricas, aulicam familiam (quæ ſplendidiſſima eſt, & Nobilitate domeſtica abundat) ſtabulum (in quo quadringenti fere ſemper equi aluntur) ad bis centena ſcutatorum millia aſcendunt.

Diuitiæ Ducum. Hercules quidem Ateſtinus Ferrariæ Dux Henrico Gallorum Regi decies quinquies centena aureorum millia mutuo dedit: neque vero credibile eſt, omnem illum ſuam pecuniam erogare voluiſſe, ſed ad ſuas neceſſitates aliquid, & fortaſſe plus reſeruaſſe. Coniiciunt nonnulli, quum tot iam annos pacifice Principatum, qui hodie rebus præeſt, Alphonſus Dux adminiſtrat, vltra decem auri milliones in loculis habere, quibus belli tempore vti poſſit. Quæ ſane res magni eſt momenti, ne ſcilicet Princeps ingruente bello, tum, quum populus omni belli clade vexatur, tributis quoque ſubditos grauare, atque ita afflictis afflictionem ſuperaddere neceſſe habeat; qua quidem re in omni motu nihil eſt periculoſius. Et ſane publica etiam hominũ fama Dux Ferrarienſis rei nummariæ facultatibus & præſentanea

Lector exēplum cape. Mortuo nihil inuentũ eſt.

p.cunia

pecunia etiam potentiſſimis ac maximis Principibus non par tantum, ſed ſuperior quoque eſſe perhibetur.

Ferrarienſis ditio finitimos habet Pontificem Romanum, Regem Catholicum, Venetos, Ducem Florentinum, Mantuanum, & Parmenſem, Rempublic. Lucenſem, Comites Mirandulæ, & Dominos Corregii, Pontificis idem & Sedis Romanæ eſt obſeruantiſſimus, vtpote Catholicus inprimis Princeps & religioſus, à qua etiam obſeruantia nunquam deflectet, quam diu per Pontifices licebit. Huius quidem auus Dux Alphonſus à Iulio II. Leone X. & Clemente VII. diu ac vehementer fuit exagitatus; huic quoque, qui iam rerum potitur, Pius IV. & Pius V. multum negotij faceſſiuerunt: inſtigante maxime Duce Florentino, ob duplicem, de ſale ſcilicet, & finibus controuerſiam. Illa quidem de finibus cum agro Bononienſi vetus admodum eſt, & à Venetis olim tempore Borſi Ducis arbitris electis, deciſa, determinatis finibus, quibus iam loco motis, & ſignis ablatis, nuper eadem quæſtio exagitari cœpit.

Amici Ducis, aut inimici.

De ſale controuerſia non minoris etiam eſt momenti. Habent enim Duces Ferrarienſes ſalis conficiendi antiquitus priuilegia, niſi iuſtis de cauſis id Pontifex vetuerit, hac tamen conditione, vt Ferrarienſis certo pretio magnam ſalis vim è Pontificis ditione ad ſubditorum ſuorum vſum comparet. Poſtea vero Pontifex Ducem ab ſale conficiendo abſtinere iuſſit, quin etiam Commiſſarium in ipſa vrbe Ferrarienſi conſtituere voluit, qui Sedis Romanæ nomine rem ſalariam procuraret, & vectigal perciperet. Dux econtra illud prætendebat, ab Auo ſuo Alphonſo mutatis conditionibus, præiudicium ſibi & ſucceſſoribus fieri non poſſe: neque æquum eſſe, cum Princeps ſit ſui iuris, vt alterius Principis Commiſſarium & hominem in ſuæ iuriſdictionis detrimentum admittere cogatur. At cum hodierno Pontifice Duci bene conuenire videtur. Et quamuis de Pontificum animis nihil fere certi quiſquam ſibi promittere poſſit, ob frequentem mutationem, & ingens ſuos euehendi deſiderium, quo plerique omnes in dignitate illa conſtituti flagrant, adeo vt hanc ob cauſam Italiæ quies non raro turbata ſit: credibile tamen eſt omnes iuſtos & pios Pontifices & Mediceæ familiæ non obnoxios paterno amore prædictum Ducem complexuros; aut etiam ſi minus eum amauerint, à vi tamen omni & iniuria ſibi temperaturos, non ſolum Imperatoris, Regis Catholici, & Venetæ Reipublicæ reſpectu; ſed illo etiam metu, ne Ducis inſtigatione Principes Germani Lutheranæ ſectæ addicti in Italiam exercitum ducant, & Pontificis tam authoritatem, quam ſtatum vniuerſum conuellant, ac labefactent.

Salis conficiendi priuilegium, occaſio controuerſia cum Pontif.

Imperatorem ſiue Cæſarem Dux Ferrarienſis comiter obſeruat, & magna veneratione proſequitur: Imperator viciſſim beneuoli erga eundem animi manifeſta ſigna oſtendit: idque fecit inprimis Pii IV. & Pii V. Pontificum temporibus.

Venetam Rempublicam idem Dux amat & honorat; vtpote qui in eius amicitia magnum ſecuritati ſuæ præſidium poſitum eſſe, non ignoret. Gallia non tantum longe diſſita, ſed afflicta etiam atque exhauſta eſt, neque erga Ducem, vt olim, animata. Hiſpania quoque & longe à Ducis Imperio abeſt, & grauiſſimis bellis implicita, ſuis ipſa opibus eget: quod vero peſſimum eſt, pleraque eius regni negotia à miniſtris auaris & ambitioſis adminiſtrantur. Cum Germaniæ Principibus idem Dux nimis arctam amicitiam colere, aut ea ad res ſuas ſtabiliendas vti ſe non poſſe intelligit, niſi omnes Italiæ Principes offendere, diuina & humana permiſcere, Statum ſuum manifeſto periculo exponere, famæ denique & exiſtimationi probrum ac dedecus conciliare velit; quum Veneti propinqui ſint, & non minus viribus quam authoritate valeant, ad quorum opem ſine iuſta cuiuſquam offenſione vel querela in neceſſitatibus perfugium ſibi habet paratum. Cum Mantuæ & Parmæ Ducibus cognatione idem, & firma amicitia eſt coniunctus, qui quod ſub Pontificis, Imperatoris, & Catholici Regis viuant protectione, pari eundem beneuolentia & officiis proſequuntur. De magno Hetruriæ Duce aliquid dicere nihil attinet. Nota enim eſt, quæ inter duos hos Principes de præeminentia intercedit, & coram Imperatore iam diu agitatur, controuerſia.

Et ſolenne eſt Principibus animi ſenſa, quantum fieri poteſt, occultare, & tum demum, quum occaſio ſe obtulerit, expromere: interim vero in rebus omnibus beneuoli animi indicia præ ſe ferre. Quũ vero ex omnibus Principibus Imperatoris Romani & Galliarum Regis præcipua ratio habenda ſit, quod etſi Ferrariæ Ducatui non ſunt finitimi, ab Italia tamen non longe earum ditiones & regna abſint: de vtroque aliquid addam. Auus & pater moderni Ducis è Gallica ſtirpe orti ſunt: ipſeque Dux è Renata Ludouici XII. filia natus prima iuuentutis ſuæ tyrocinia in Galliis fecit, vbi fortibus factis, & variis dignis Principe virtutibus apud Henricum Regem auunculum gratiam ſingularem & amorem eſt adeptus; eundemque Franciſcus nepos plurimum coluit & obſeruauit.

Poſtea vero iratus, quum ob mutuam pecuniam ſæpius poſtulatam, ſed non redditam, tum ob prælatum ſibi in præeminentiæ gradu, Reginæ matris potiſſimum opera, Ducem Florentinum, ex aula diſceſſit, atque exinde in Hiſpanorum & Caroli Imperatoris partes pronior fuit: cum Galliæ tamen Rege inimicitias nullas aperte geſſit, quod id rebus ſuis minime expediret, vtpote qui vicies millenum ſcutatorum reditus annuos ex illo Regno percipiat.

Imperator & Sereniſſimi eius fratres ſummum erga Ducem amorem & beneuolentiam demonſtrant, quamuis affinitas, quæ inter ipſos fuit, Barbaræ Ducisſę morte iam quodammodo rupta ſit &

ſublata;

ſublata; Eandem vero beneuolentiam Dux omni officiorum genere alere ſtudet.

Eidem cum Germaniæ quibuſdam Principibus, Palatino inprimis, Saxoniæ, & Brunſuici Ducibus (qui ex eodem ſtemmate Ateſtinorum deſcenderunt) magnæ ſunt neceſſitudines, quas tam literis, quam Legatis vltro citroque miſſis vtrique conſeruare ſtudent. Quo tempore Pius IV. Ferrarienſem acerbis odiis eſt inſectatus, iidem firmiſſima tam peditum quam equitum auxilia Duci obtulerunt: quibus licet Dux non ſit vſus, nec fortaſſis vſurus ſit, magni tamen propterea fieri, ac hoſtibus ſuis formidabilior videri debet.

Reliquum eſt, vt de internis atque externis Principis huius virtutibus aliquid dicamus. Statura corporis procera eſt, membris bene & decenter compoſitis, facie venuſta, vultu graui, firma valetudine, & totius corporis robore, natus annos circiter quinquaginta ſeptem. Vxores tres habuit; Primam Coſmi Florentinorum Ducis filiam. Secunda Imperatoris, Auſtriaca familia prognata, ſoror fuit. Tertia vero, quam in Matrimonio habuit, è Gonzaga fuit familia, Mantuani Ducis ſoror. Ex quibus omnibus nullos procreauit liberos; quam ob cauſam incertum eſt, niſi quod naturali quadam ad generandum impotentia laborare exiſtimetur. *Mores Ducis.*

Ad animi dotes, & primum ad Religionem, tanto magis Principi neceſſariam, quanto plus is Deo debet, quod attinet; Dux Ferrarienſis Catholicam Religionem ſummo ſtudio & zelo amplectitur. Iuſtitiæ ſimul & clementiæ laudem affectat; at multa cum humilitate & ſummiſſione adiri vult & rogari. In audientia & congreſſionibus comem admodum, & facilem ſe præbet; omnibuſque, ſi non ſemper re ipſa, verbis tamen humanioribus ſatisfacere ſtudet. Pacis ante omnia eſt ſtudioſus, & ſubditorum diſcordias in ipſa herba ſtatim extinguit, non ignarus, quantum inde ad Principis ſtatum redundare poſſit detrimentum & periculum, dum ſcilicet æmuli Principes iis ſeſe immiſcent, & ad ſua compendia abutuntur. Et concordia quidem Ferrarienſis Nobilitatis tanta eſt, vt in Italia vix quicquam ſimile reperiatur. Voluptatibus Dux Ferrarienſis moderate vtitur: quę virtus tanto in Principe eſt laudabilior, quanto maiorem ſumma rerum poteſtas peccandi licentiam ſubminiſtrat: prudens admodum eſt: eaque virtus in multis ipſius actionibus hactenus eluxit. Cum enim initio ſui principatus æmulum haberet potentem admodum & ditiſſimum Florentinorum Ducem; animaduerteret vero in Gallicis auxiliis, cum maiores ipſius maxime à Iulio Secundo, Leone Decimo, & Clemente Septimo, exagitarentur, parum ſibi ſpei eſſe, imo potius regnum illud ipſummet ciuilibus diſſenſionibus fractum & peſſundatum externo potius auxilio egere, quam aliis quidquam opis præſtare poſſe: ad Auſtriacæ familiæ clientelam & protectionem confugiendũ ſibi exiſtimauit: eaque re omnes omnium ſuorum

æmulorum

æmulorum conatus & conſilia diſturbarit. Quum vero ad res ſuas ſtabiliendas tali ſubſidio opus ſibi eſſe intelligeret, quod non aliunde dependeret; idem vero noviſſet, quantopere Lutherani Germaniæ Principes in Italiam cum exercitu deſcendere expetant: eoſdem omnibus officiis demereri ſtuduit, adeo vt certum ſit vel minimo eius nutu, quantum voluerit, Germanorum numerum in Italiam irrupturum fuiſſe. Qui vero intimas eius cogitationes & conſilia norunt, exiſtimant, hanc cum Germanis amicitiam eo tantum ſpectaſſe, vt Pontifices & Ducem Florentinum illorum metu tanto ſibi haberet æquiores; neque vnquam Germanos in Italiam adducturum fuiſſe, quorum inconſtantiam probe haberet perſpectam, cum pecunia fide quoque eorum deficiente. Vt vero Dux ipſe Italiæ quietem non facile turbaturus exiſtimatur, ita quoque ſi quis tantis virtutibus ornato, tantis opibus & affinitatibus munito arma inferre velit, grauiſſimum ſine dubio hoſtem ſibi & aduerſarium ſit excitaturus.

DE MAGNO DVCATV HETRVRIÆ, RELATIO SIVE

DISCVRSVS III.

CVM ad perficiendum legationis meæ munus à Serenitate Veſt. mihi nuper iniunctum, eidem omnia ſignificare teneat, quæ digna ſcitu, atque relatu explorate mihi contigit; minuendi tædii cauſa breuibus agam, neq; tamen quidquam momenti alicuius omittam. Vt vero aliquis in ſermone meo eluceſcat ordo in duo ipſum capita diſtinguam: Primo quidem iura Imperii Principis illius declarabo, deinde peculiares illius animi, corporiſque dotes, & Principum amicitias referam. Quo ad primum, quemadmodum Principum cogitationes eo tendunt, vt pax tanquã vltimus eorum finis ſit, bellum vero quaſi medium quoddã, ad pacem ducat, ita quaſdam res ii poſſident, quæ belli propriæ exiſtunt, aliæ vero ad pacẽ ſpectant: tertio loco aliæ communes ſunt vtriq;: & de poſtremis hiſce prius inſtituam ſermonẽ, cũ duatũ præcedentium baſim & fundamentum eas eſſe putem: ſunt aũt imperii & ſubditorũ conditiones, item res pecuniaria, quę hodie neruus eſt belli, & pacis ornamentum.

Poſſidet Magnus Dux, cũ iam coniunxerit Status trium Rerump. Florentinæ nempe, Piſanæ, & Senenſis prouinciam Etruriæ, aut eius partem maiorem, nobiliorem, pulchrioremq;. Neq; in præſentia laborem hunc mihi aſſumam, vt pleraq; enarrẽ bella ciuilia, & externa,

crebras

crebras ſingularũ politiæ mutationes, eum, quia longa ac tædio referta eſſet enarratio, tum quia ſuperuacaneum eſt ea explicare, quæ hiſtoriis paſſim celebrantur. Verum ad rerum præſentem ſtatum attendam, cõſiderans ante omnia, Prouinciam hanc à natura omnibus iis priuilegiis coniunctim inſignitã eſſe, quæcunq; alibi ſeparatim liberaliter cęteris Prouinciis indulſit: ſitus vero felicitate nulli locorum concedere, cũ in meditullio atq; vmbilico Italiæ collocata refulgeat, tribus partibus altiſſimis montibus præcincta: quarta vero parte, quę mari, ac territorio Romæ terminatur, vbi natura defuit, ars ſuppleuit, cum territorium Senenſe arcibus permunitum ſit, vt ſuo loco dicetur. Occupat hic Status in longitudine ſpatium ducentorum circiter milliarium Italicorũ: in anguſtiore parte claudit circumferentiam ſuam ſpatio quinquaginta millium paſſuum. Finitimos habet Regem Catholicum ob arces, quas eius Maieſtas in Statu Senenſi poſſidet, Telamonem, Portum Herculis, & Orbetellum: Pontificem propter Flaminiam, & agrum Bononienſem: Vicinos quoq; habet Ducem Vrbinatem: Ducem Ferrariæ, Genuenſem Rempublicam, Marchiones Maſſæ, Malaſpinam, & ſanctæ Floræ. *Hetruriæ felicitas.*

Habet hic Princeps in ſuo Statu vnico quindecim ciuitates, in Statu nempe Florentino, & Piſano, Piſtorium, Volaterrã, Aretium, Burgum S. Sepulchri, Cortonam, & Montẽ Politianum. In Statu Senenſi ſunt ſeptem ciuitates, Senæ, Mons Alcioni, Groſſetum, Suuana, Pientia, & Maſſa; quæ ciuitates omnes, exceptis Senis, & Piſis populo ſatis frequentes ſunt: nam poſteriores duę libertate diu gauiſæ, ſeruitutis iugum ægre, inuiteque ferentes, vacuæ fere derelictæ ſunt, exemploq; ſunt aliis, quam durum ſit iis inſeruire, quibuſcum diu contenderis. Sed huic malo Princeps ſingulari induſtria ſtudioq; remedium afferre ſtudet, ipſaſq; ciuibus frequentes reddere: Piſis nempe erecto ſtudio, quod nunc ibi non mediocriter floret, nomenque adeptum eſt per Italiam: fabricari quoq; ibidem curat Princeps triremes, aliaque ad rem maritimam ſpectantia: iuſſit quoque ibidem habitare equites Ordinis S. Stephani: degitque præterea Dux ibidem quotannis duobus aut tribus menſibus hibernis, procurat quoque culturæ idoneas reddere multas paludes, vt aerem male ſanum, purum ſanumque efficiat. Ciues denique Piſanos (quod ſummum eſt) multis oneribus liberat, eoque medio illos ciues, qui patrios lares deſeruerant, allicit, inuitatque, vt redeant in patriam, quamuis ſub iugum miſſam, ſed quæ nunc à multis, extremiſque malis liberata ſit, videturque hæc res ad votum ſuccedere, poteſtque ſtatus Piſanus populoque frequens dici, cum in eo, Florentinoque ſint pluſquam octingenta hominum millia, & in Statu Senenſi pluſquam ſexcenta. Populus hic omni arti, exercitioque aptus eſt, docetq; id abunde ſingularis ſplendor artium mœchanicarum, liberaliumque huius Prouinciæ, induſtria in mercimoniis exercẽdis. Strenuitas in armis, & ingenium *Piſa.*

Senenſis & Florentinus ager.

multorum huius regionis in bonis literis excellens. Fertilitate quoque gaudet hæc prouincia omnibuſque rebus abundat: Florentinum vero territorium etſi frumento non abundat, attamen habet eius loco vini, cannabis, aliarumque rerum neceſſariarum magnam copiam, præter eam, quam habet Senenſis ditio, cuius agri mari adiacentes fertiles adeo ſunt, vt Appuliæ agris nihil cedant: neq; enim Senenſes agri ſupplent tantummodo, præſtantque, quod Florentia opus habet, ſed etiam elargiuntur Genuenſibus, Lucenſibus, aliiſque vicinis regionibus. Etruria itaque ſua fertilitate, inquilinorumque induſtria abundãs, multamq; ſuarum rerum exteris impertiens, ipſa paucarum rerum externarum indiga, magnas coaceruat opes. Eæ enim aut induſtria parantur, aut ex reditibus percipiuntur, qui multi magnique eſſe ſolent in regionibus fertilibus, ſed in regionibus ſterilibus florent artes mœchanicæ, mercaturaque. Cum autem Senenſis ditio eximie fertilis exiſtat, percipiunt eius inquilini opimos reditus, negliguntque mercaturam; in ditione autem Florentina parant ſibi multi magnas opes mercatura, induſtriaque. Sunt enim in ea ciuitate multi artifices, ſuntque in ea nobilia, eximiaque opera. In textrinis texuntur magna induſtria, diligentiaque variæ res ex lana, ſerico & auro, nec in ea re cedit Florentia Flandriæ: parantur hic quoque panni ex auro pulcherrimi: in primis abundat Florentia iis, qui ſe exercent ſerico, & lana, quod & faciunt nobiles, ditioreſque eius ciuitatis cum honore & lucro ipſorum, totiuſque populi. Quod autem Florentiæ confectum eſt, non ſolum in eius ditione venditur, ſed per totam diſtribuitur Italiam, imo per vniuerſam Europam, vtque mihi magnus Dux narrabat, in Indiam vſque, vbi mercatores merces valoris centum aureorum vendunt centum quinquaginta. Obſeruatum fuit, vno anno Florentiæ confectos fuiſſe pannos (quos vulgo raſcie vocant) valoris duorum millionum aureorum: ingens profecto ſumma. Ciuium Florentinorum opes multo maiores fuerũt, cum libertate fruerentur, geſſerunt enim tunc grandia bella, impenderuntque multum in onera publica, in magnum palatiorum, ſumptuoſorum numerum expenſis permagnis, à priuatis ciuibus, in ciuitate ædificatis, ſed adhuc maioribus extra ciuitatem, ſicut videtur in planitie, & collibus circa vrbem.

Mercatura vbi magis floreat.

Florentini liberi ditiores.

Clerus quoque, Epiſcopatus nempe, Abbatiæ, Præpoſituræ, Xenodochia ditiſſima ſunt, ſicut & multa monaſteria, percipiuntque hi (vt fama fert) quotannis ex reditibus quinquaginta aureorum nummum millia. Opes priuatorum valde ditant Principis ærarium: facultates enim priuatorum nihil aliud ſunt, quam Principis theſaurus in multorum loculos diuiſus, præcipue cum priuatorum facultatibus vti poteſt Princeps, quod magno Duci facile eſt, medio onerum, quæ in vſu ſunt Florentiæ. Ex dotibus percipit octo pro vnoquoque centenario; tantundem ex venditione & emptione bonorum

Priuata opes ærarium Principis.

immobi-

immobilium & domuum. Locatores domuum pendunt decimam precii partem; Litem inſtituentes certam ſummam pecuniæ, quæ ſportula dicitur, Duci ſoluunt. Datium autem, ſeu vectigal quoque penditur Duci pro animalibus, quæ Florentiam ducuntur. Carnis pondere vendita libra pendit nummum, vulgo quattinum. Cambia pendunt certum quid pro centenario: vt abſoluam, omne, quod Florentiam infertur, aut ibidem laboratur, habet, vt dici ſolet, ſuam campanulam. Vtebatur Princeps, cum opus eſſet, facultatibus ſuorum ſubditorum modo perfacili: nam cum ſibi opus erant centum aut ducenta aureorum millia, conficiebatur catalogus eorum, quibus paratæ erant pecuniæ, eoſque probe notat Princeps. Iiſdem pecunioſis ciuibus imponebatur pecunia petita, ſed exigebatur ab vnoquoque pecunia maior aut minor ſecundum eius facultates, ſed ab vno nũquam vltra quinque nummum millia exigebantur. Facta diuiſione ſignificabatur vnicuique, quantum intra dies aliquos numerare deberet in depoſito, terminumq; præfixum nunquam elabi ſinebant, cum timore pœnæ, tum ne principis gratia, fauoreq; exciderent. Qui pecuniam impoſitam numerarat, creditor inſcribebatur pecuniæ numeratæ, quæ ei reddebatur poſt 28. menſes, intra quod tẽpus, in toto principis ſtatu, pecunia ab eo petita colligebatur. Hac ratione vtebatur Princeps, cum opus eſſet, facultatibus ſubditorũ abſque eorum magno damno. Sed magnus Dux, qui nunc ad clauum ſedet, cum pecuniis non egeat, adeo benignus, magnanimusque eſt, vt mutuo det ſuam pecuniam aliis, tantum abeſt, vt ſuo populo grauis eſſe velit.

Vectigalia Principis.

Reditus publici aſcendunt ad aureorum nummum millionem & ſemis: percipitur enim ex datiis, vectigalibus, aliiſq; oneribus ſumma aureorum ſexcentorum millium. Sena numerat centum quinquaginta millia: Telonium Liburni reddit centum triginta millia: datia, ſiue vectigalia rerum maritimarum per vniuerſum ſtatum, excepta Sena, aſcendit ad centum octuaginta millia: ex datio, ſiue vectigali carnis, excepta Sena, percipiuntur centum ſexaginta millia: ex ſale, mineriſq; ferri, argentique tantundem, nempe centum ſexaginta millia Duci accreſcit. Lucrum quoque percipit magnus Dux ex depoſititiis pecuniis, cuius magnam vim deponit apud menſarios: lucratur quoque ex locatione duarum magnarum triremium, quæ merces alio deferunt.

Summa redituum.

Fama fert, ipſum magnam paratæ pecuniæ vim habere, putantque aliqui, eundem in Theſauro magni Ducis mortui, repeiſſe plus minus decem millionum, & in clenodiis valorem duorum millionum, poteſtque hoc facile colligi, ſi cõputentur reditus, & impenſæ, quas Magnus Dux mortuus fecit multis iam annis. Eſt itaque Magnus Dux Etruriæ tam qualitate ſua, quam

amplitudine ſtatus, numeroque populorum, pecuniaque, quam habet, pacis tempore colendus, belli autem magnifaciendus. Eius Status poteſt dici Ferreus: præter enim naturalem fortitudinem montium, qui ipſum à tribus lateribus cingunt, tanquam muri, habet ad quartum latus multas validasque arces, nempe in ditione Senenſi, in qua numerantur quinque ciuitates munitæ: Sena nempe, quæ à natura & arte munita eſt, ſicut & mons Alcioni, Groſſettum, & Sauana. Vltra has ciuitates ſunt & aliæ arces alicuius momenti, Radicofanum nempe, Monsfalco, Lucignanus, Monſrigonius, aliæque: ſed præterquam, quod in earum forma aliquid deſideratur, nimis paruę ſunt, nec multos defenſores capere poſſunt, nec iiſdem ſe ipſis tuendis, ſubducendisq; locus eſt.

Situs Imperii.

In ſtatu Florentino ciuitates omnes, quæ numero ſeptem ſunt, mediocriter munitæ dici poſſunt (excepto Montepolitano) præcipue autem Florentia, quamuis vndequaque muris, ſicut nunc fiunt, munita non ſit: ſunt in ea duæ arces, vna fanum Miniati, in colle ſita, ea vniuerſæ ciuitati imperat; altera arx planitiei dicitur, tempore libertatis ædificata. Ambæ arces quamuis ædificatæ ſint, vt iis, tanquam frenis populus coërceatur, neceſſitate tamen vrgente iis ſe defendere poſſunt Florentini contra exteros hoſtes. Sed præterquam, quod earum forma laudari non poteſt, nec ex iis hoſtes offendi queunt, laborant etiam paruitate. In fano Miniati habet Magnus Dux quadraginta, in altera arce centum pręſidiarios milites. In ſtatu Florentino, & Piſano ſpectantur adhuc aliæ arces, Empoli nempe, Pratum, Liburnum, Caſtrocarum, in Romandiola Saxum: Omnibus iis multa neceſſaria deſunt, ſuntque omnes paruæ atq; incapaces. Quas arces nō deſcribam, cum quia tempus me deficit, cum quia ab oculato teſte relatio certior haberi poteſt.

Arces Florentiæ & cætera.

Quod ad vires magni Ducis attinet, primumque terreſtres: habet Dux validam grandemque militiam peditum, in ſuo ſtatu conſcriptorum, ad triginta ſex millia vſque, vel etiam ad triginta octo millia, vt ipſemet Dux faſſus eſt. Hæc militia egregie ſe habet: natura enim diſciplinæ militari aſſueuit, eſtque id proprium ei prouinciæ: temporibus enim antiquis, modernisque egregios, validosque dedit milites, nunc vero eos in arte militari exerceri curat diligenter Magnus Dux, vtiturque in hoc negotio multis Capitaneis præclaris. Vnuſquiſque militum quoque ſtudet ſclopeta probe diſplodere tam ſe ipſum oblectando, quam præmiis à principe allectus. Suppeditat hanc militiam magni ducis ditio, & ciuitates, excepta Florentia, quod forſan magno Duci ſecurum non videatur arma populo Florentino in manus dare. Ex conſcriptione militum nemo excluditur præter presbyteros,

Milites.

& ſcholaſticos, iiſque, qui nomina militiæ non dedere, haud permittitur arma ferre nec in ciuitatibus, nec extra ipſas, nulliſque, qui conſcripti non ſunt, ſtipendia mereri, nec domi, nec extra apud alios ſub pœnis grauiſſimis permiſſum. Gaudent hi conſcripti milites multis priuilegiis, immunitatibuſque: propter debita incarcerari non poſſunt, ſicut alii, cúmque hæc priuilegia inuiolabiliter obſeruentur, multi veterani milites, belliſque in Etruria, Francia, regionibuſque orientalibus geſtis exercitati, huic militiæ magni Ducis libenter dant nomina, habeturque ea militia, cum propter numerum, tum propter militum virtutem ex præcipuis Italiæ: vnuſquiſque eorum tenetur arma ſibi à magno Duce vſui data conſeruare, nitidaq; ſeruare, vt iis neceſſitate vrgente poſſit vti, abſq; magni Ducis diſpendio. Militiam hanc poteſt magnus Dux intra 6. aut 8. dies, congregare, adunareque in ciuitate Florentia, cum quod ea ſit in meditullio Etruriæ, & tanquam centrũ ditionum magni Ducis, æqualiter vicina omnibus eius partibus, tũ propter commodam regulam, ſummamque facilitatem, qua hoc fieri poteſt. Eſt præterea alia deſcriptio, qua continentur magno numero vaſtatores, ſiue foſſores: his vtitur etiam pacis tempore in ædificandis arcibus, ducẽdis fluminibus, meliorandiſq; agris, cui negotio magna diligentia incumbebat magni Ducis pater. Equites centum inſtructos ordinarie habet apud ſe magnus Dux, datque eorum cuique pacis tempore ſeptẽ aureos menſtruarim: belli autem tempore ordinatium ſtipendium: præter hos ſunt quadringenti equites læuis armaturæ, quibus menſtruatim numerat tres aureos pacis tempore; cum autem viget bellum, recipiunt ordinatium quoque ſtipendium. Hi equitatus conſcribuntur in Magni Ducis ditionibus, vltraq; ſtipendium gaudent multis immunitatibus realibus & perſonalibus, euaduntq; ſtrenui milites. Quãdo egreditur ex Algerio magna piratarum manus ad deprædandum, non plene fidit magnus Dux præſidiariis militibus, in turres ad id ſtructas diſtributis, quæq; ſibi inuicẽ ſigna faciũt, ſed turres ſecuras reddit equitibus, equiteſq; ipſis turribus. Præter hunc equitatum habet adhuc vnã turmam equitum magnus Dux. Hæ ſunt ordinariæ ipſius vires, ſed extraordinarie multo plus viriũ ſibi parare poteſt, eius enim ditio populoſa, numeroq; ſupradicto referta eſt: exterorum quoque militum talem numerum conſcribere poteſt, qui ſufficiat, eiſque ſtipendium, ſicut alii Principes, erogare.

Militum priuilegia.

Equitatus.

Maritimæ rei multam curam impendebat rex Coſmus, ſciens, in ea caput rerum ſitum eſſe, neminemque principem magnum dici poſſe, qui mari potens non ſit: motus itaq; his rationibus, inſtigatuſq; a ſuis propriis deliberationibus, quæ ad maiora ſemper adſpirabant, procurauit, obtinuitque per Carolum V. Imper.

Maritimæ vires.

Elba Inſula.

à Domino Plumbini, vt is ſibi cederet Inſulam Iluam, ſiue Elbam ei ſubditam, quod is dominus Plumbini eam aduerſus piratas tueri non poſſet, erat enim ab iis vaſtata, poteratque ea Inſula, ſi ſegniter defenderetur, occupari à Turcis: quod ſi accidiſſet, magnam calamitatem, damnumque toti Italiæ afferrẽ potuiſſet, propter Inſulæ Elbæ ſitum, cuius reditus tamen, gubernationeque villarum, locorumque muris carentium domino Plumbini manſerunt. Eſt in hac Inſula Portus, Ferrarus dictus, magnæ cuiuſcunque claſſis capax, huc tanquam in loco ſecuro appellunt fere omnes naues ex Occidente venientes, quæ deinde tendunt Liburnum, ibique merces magno principis commodo deponũt. Si Inſula Elba in alicuius poteſtate eſſet, qui numerum ſufficientem triremium haberet, aliiſque vellet damnum inferre, is facile maritimas regiones ſuperiores Barbariam, inferioresq; Prouinciam, Liguriam, Etruriamq; infeſtando, ſibi dominium eius maris parare poſſet, ita vt nemini liceret eo in mari nauigare, quam cui id permitteret. Poſſidet in hac Inſula magnus Dux paruam turrim, quam eius pater à ſuo nomine dixit Coſmopolim, ſuntq; ad cuſtodiam portus in ipſius ore in apice duorum montiũ duæ arces, quæ cum nunc ſint perfectæ, habentur pro munitis, & fere inexpugnabilibus cum ſitu, tum artificio. In iis ſunt multa tormenta bellica, omneq; munitionis genus.

Nauale Piſanum.

Eſt Piſis Nauale magni Ducis, in eoque magna abundantia lignorum, ſtupæ, cannabis, aliusque materiæ ædificiis idoneæ, poſſentq; ibi armari multæ triremes. In territorio Piſano eſt magna dictarum rerum abundantia, quibus olim Piſani nominis ſui famam late propugnauerunt, imperiumque amplificauerunt. In hoc Nauali parum laboratur, plusq; naues reficiuntur, quam nouæ parantur. Eſt adhuc aliud Nauale magni Duci in Inſula Elba, vbi ſunt eius triremes; opificumq;, qui in eo operas faciunt, pars maxima eſt naturalium in ditione Serenitatis Veſtræ, vel exilio abacti, vel allecti lucro. Habet duodecim triremes, nempe octo inſtructas, duas autem nondum paratas; prætereaque tres naues, vulgo galeaſſas dictas, quæ mare ſulcarunt, præter adhuc duas, quæ nondum ſunt nauigationi idoneæ: quales vero eæ ſint, cum biennio ſimul cum claſſe veſtræ Serenitatis nauigauerint, poterit id intellexiſſe ab Excellentiſſimis Generalibus, plurimique teſtes oculati melius hanc rem edocebunt, quam poſſim ego auritus tantum. Id conſtat, eas neque robore, neque magnitudine noſtratibus comparandas eſſe. Duos quoque Galeones habet, alterum magnum, multis hominibus, multiſque tormentis capacem, alterum minorem, neque incognitum Serenitati Veſtrę. Hi ambo nunc principis emolumento cum mercibus nauigant. Armat magnus Dux triremes ſuas mancipiis, homini-

Triremes magni Ducis.

busque

buſque damnatis, liberos enim non admouet remigationi, ne ſtatum ſuum exhauriat, cum enim alias in Africam octingentos homines miſiſſet cum claſſe Cæſarea ad expeditionem Pignori, maior eorum pars occubuit, ſicuti nouis militibus euenire ſolet: hiſce tamen ſi vellet vti, ſatis bonum triremium numerum poſſet inſtruere. Officiales & miniſtros triremibus imponit homines peregrinos, vtpote Siculos, Corſos, Græcos, interq; hos nonnullos Seren. Veſtræ ſubditos. In triremibus habet fere eundem, quem habet veſtra Serenitas, militum numerum, qui Scapoli dicuntur, ſed tormenta pauciora. Et Liburni bis cocti panes fiunt, quotidieque ad quadraginta millia menſurarum laborantur. Hoc loco non deſunt funes omnis generis, anchoræ, omniaque nauium, armamenta, vt peregrinæ naues appellere poſſint libentius, cuncta neceſſaria accepturæ. Multa mihi prædicabat magnus Dux de quadam triremi, cui nomen Vera, per eam velociſſimos pyratas Algerii captos, capitaneam triremem Neapolis victam fuiſſe, demum toto orbe non putat præſtantiorem inueniri.

Vt militiæ maritimæ vires, maioremque reputationem pararet, magnus Dux Coſmus inſtituit ordinem Equitum S. Stephani, obtinuitque à Pontifice Pio V. multa priuilegia, licentiamque percipiendi penſionem ſuper bona Eccleſiaſtica ad ducentos aureos vſque, poſſuntque ij equites vxorem ducere, ſed in claſſe militare debent, nec poſſunt frui commendis; beneficiiſq; ordinis, niſi in triremibus per annos tres militauerint. Vt huic Ordini nomen, dignitatemq; pararet, magnus Dux eius Magiſter eſſe voluit, inque id officium ſucceſſit eius filius, diſtribuitque maiora officia inter ſuos miniſtros præcipuos. Militiæ terreſtri, maritimæque, vt vigeat, præfecit Dux multos præclaros Capitaneos, militareſque viros Italiæ, largiturque eis opima ſtipendia. Inſtrumentis bellicis probe inſtructus eſt magnus Dux, ſuntque eorum in arce Florentina plus minus centum quinquaginta, nempe tormenta campeſtria, ſuntq; eius arces probe inſtructæ, præcipue eæ, quæ ſunt in Elba. In arce Florentina eſt magna vis pulueris pyrii, globorum, rerumque victui neceſſariarum, nempe frumenti, milii, carnis ſalitæ, aceti, caſei, & ſimilium. *Equites S. Steph.*

Cum igitur hactenus ea, quæ pacis & belli communia ſunt, ab hoc Principe poſſeſſa, itemque ea, quæ propria belli ſunt, retulerim: reliquum eſt, vt, eum pax ſit quies, & ſummum bonum omnium hominum, & conſequenter omnium Principum, enarrem hoc loco, quæ ipſius propria ſunt, hoc eſt, iuſtitiæ adminiſtrationem, diſtributionem magiſtratuum, formam bene viuẽdi, ciuitatis ſplendorem, & res huiuſmodi, quæ à pace dependent. Quod pertinet ad Imperii regimen, etſi in voluntate vnius

Conſiliarii pauci cur.

Principis conſiſtit, tamen in omnibus ſolet ille Secretarii ſui Vſimbardi conſilium exquirere: præter quem amicos ſuos quoſdam aliquando contulit, ſed neque ſemper, neque de omnibus. Inter eos Horatius Oricellaius eminet, vir multæ ſagacitatis. Hic paruus Conſiliariorum numerus efficit, vt (præterquã quod Princeps abſolutior eſt dominus, quia dum caret Conſiliariis, nemo poteſt dicere; ita decreuit Conſilium, ſed oportet, vt dicat; ita iuſſit Princeps) res etiam conſultæ arcanæ magis ſint, ac magis forſitan ſecuræ.

Magiſtratuum vocabula retenta.

Quo ad alteram partem, quæ Iudiciorum eſt: hæc penes magiſtratus & tribunalia ſunt, prout erant libertatis tempore, tam in rebus ciuilibus, quam in criminalibus: illæ ſiquidem iudicantur à quodam numero doctorum virorum nomine Rotæ, vt ſit Romæ, ac Bononiæ: criminalia vero, vt antea, iudicantur, cum iidem ſint magiſtratus, excepto Confallonerio, cuius nomen tantum immutatum eſt, diciturque Locumtenens: ſunt iidem Conſiliarii, Octouiri, omneſque vrbani magiſtratus, & Præfecturæ, exceptis principalibus ciuitatum Gubernatoribus, qui à Principe mittuntur, eodemque modo arcium præfectis, vtque tempore Reipubl. ita nunc eorum nomina ſorte ex vrna extrahuntur, in qua omnes Nobiles triplici ordine iuxta hominum conditionem atque profeſſionem includuntur. Ex prima vrna maiores magiſtratus extrahuntur: ex altera mediocres: ex tertia inferiores, & vnuſquiſque Patricios quinque extrahit: ille vero electus intelligitur, qui plura ſuffragia obtinuerit. Quolibet quinquennio renouantur vrnæ, & qui ab vna ad alteram tranſire vult, hoc tempore permittitur. Hæ vero electiones à Principis arbitrio ſpiritum & autoritatem capiunt, ad ſe ipſum enim vult pertinere confirmationem.

In rebus tamen ad magiſtratus pertinentibus nunquam fere ſe immiſcet: habet nihilominus Secretarium, quem Criminalium vocant, cuius munus eſt omnes maiores momenti proceſſus tam intra, quam extra vrbem formatos recognoſcere, Principique referre ipſius tenorem ſimul cum ſententia. Quod ideo fit, cum vt magiſtratus ſcientes, acta ſua ſciri à Principe, atque examinari, timore infamiæ pœnæque retracti iuſtitiam adminiſtrent eo candore, qui decet, tum etiam vt directe ad vnum cuncta referantur. Hoc genus politiæ Magnus Dux retinet, quia cum neceſſarii ſint, qui ius dicant, vult per hanc minimam priſcæ libertatis vmbram aliqua ex parte ciuium cupiditatem ſolari, eiſque anſam præſtare, vt ſuæ ſatisfaciant ambitioni, & ex iiſdem honoribus, ac muneribus publicis emolumentum aliquod acquirant.

Hoc idem Senis obſeruatur, eademque de cauſa, cum iidem

priſci magiſtratus,& conſilia retineantur, eadem Palatii autoritas, vbi reſidet ſupremus Magiſtratus, demum reliquiæ, atque vmbræ, & vocabula iam mortuæ Reipublicæ adhuc ſeruantur; ſed habet illic Magnus Dux Gubernatorem ſuum generalem, virum, qui immediate ſupremam Principis autoritatem repræſentat, cunctaque prouidet, nihilque illo inſcio executioni demandatur, imo in rebus arduis Princeps ipſe conſulitur. Hac igitur facie ciuitatum illarum politiæ cernuntur, quantum per hæc tẽpora nobilitate celebres, tantum olim ob libertatem præclaræ. Verum quia ſplendor, quo Principes viuunt, pacis ſoboles,& propago videtur eſſe, neceſſe eſt, vt hoc loco ad hanc rem nonnihil ediſſeram. Detinet Magnus Dux Aulam, ſiue familiam valde conſpicuam, quæ Ducalis dignitatis terminos excedens, ad regalem tamen pompam non attingit; nam ſatis multos nobiles viros alit in duplici claſſe conſtitutos: aut enim ordinarie ſeruiunt, aut cum opus eſt, magnificentiæ cauſa; adeſt quoque ingens officialium, ac miniſtrorum multitudo. Vtitur etiam inter ſeruitia filiis nobilium virorum, numero pluſquam ſexaginta,& nonnulli Principum virorum filii ſunt, quos omnes magno ſtudio, ac liberaliter educandos curat. Stipatores habet centum allabarderios, quos memoraui; ſex & triginta ſtapedarios, alioſque plurimos ad neceſſaria ſeruitia, in quibus ſatis notabilem fecit ſumptum, præter Gynæceum, quod magnæ Duciſſæ aſſiſtit. In ſtabulis ſuis viſuntur circiter centum quinquaginta equi ex ſuis equitiis geniti: inter quos extant plerique ad curſum apti, alii agilitate præſtant, & ſinguli decenti pulchritudine conſpiciendi. Quod ſpectat ad Palatia, Princeps hic maiorum ſuorum æmulator (qui maiores ſui in priuata fortuna animo regali præparauerunt ædificia poſteris ex progenie ſua orituris Principibus) eandem ipſe quoque oblectationem præ ſe fert, pleriſque in locis ædificando: Et in foro ad Palatium, quod habitat, pluſquam quinquaginta conclauia ſuperadditurus eſt, vna cum ingenti aula ad vſum comœdiarum agendarum, eo artificio, vt pauimentum accliue ſit, vt qui eminus ſpectant, à populo ſcenæ proximiore ne impediantur. In hac parte ædium inſignes viros hoſpitio excipere meditatur, Equites, Legatos, alioſque huiuſmodi, eritque hoc Palatium inter clariſſima Italiæ ædificia connumerandum. Ædificatur præterea in nobiliſſimo illo Pithiorum palatio; quod ob amplitudinem ſuam, nobilitatem, atque architecturam, item propter ornamenta, hortorum amœnitatem, fontes, ſtatuas, quemadmodum æquabit cuiuslibet in Italia ſplendorem, ita Vltramontanorum Regum etſi maximorum, magnificentiam ſuperabit. Ædificator primus olim animum geſſit præaltum, ac viri-

Splendor domeſticus Principis.

Ædificia.

Pithiorum palatium.

bus carentem, Lucas dictus cognomine Pithius, qui proſpectum anterioris partis fabrefecit, verum paupertate inde contracta coactus fuit Duci Coſmo ædes totas vendere: poſtea læſæ Maieſtatis reus damnatus eſt: præter hoc palatium fruitur alio Magnus Dux in loco, ſituque ſyluarum frequente, quod Pratolinum appellatur, multis porticibus aulisque perornatum, ſcaturientibus vndique aquis, vt Tyburtinum palatium: & reuera magnificentiſſimum eſt. Duo alia habet palatia, alterum vocatur Podium, alterum Caſtellum; quæ ſitu, ædificio, ornamentis omnigenis, fontibuſque præſtantiſſima ſunt: vt etiam ab hac parte beatum Principem illum appellare queamus.

Cum iam, quæ poſſidentur ab iſto Principe, tam pacis & belli propria, quam vtriuſque communia enarrauerim, externarum rerum caput me abſoluiſſe puto.

Proinde ad res internas tranſeuntes perpendimus, huius vniuerſi imperii, harumque opum, & iurium patronum ac dominum eſſe hodie Ferdinandum Medices ex hac (vt ita dicam) fatali domo progenitum: quo nomine recte vti poſſumus: in tanta enim rerum viciſſitudine, atque varietate non ſolum ſeruata eſt, ſed etiam eum in modum aucta, vt amplitudinem ſuam ex perſecutionibus, & bellorum ærumnis propemodum deriuauerit, & ab inimicis ſuis gloriam quæſiuerit: qua de re Coſmus ille magnus, tanquam felix planta, germinauit Coſmum huius magni Ducis patrem, qui ex priuata fortuna ad Principatum euectus, & in ipſo ab eadem fortuna, ac ſimul virtute prouectus, victis ac debellatis hoſtibus, detectis coniurationibus, aucto armis atque prudentia imperio, & exiſtimatione, demum filio ſuo cuſtodiæ Caroli V. mancipato, ad poſteros ſuos ſucceſſionis ius tranſmiſit. Coſmus hic, dum gubernaculo præſedit, curauit incorruptæ iuſtitiæ æquilibrio, ſummaque temperātia animos populorum ſibi ſubiicere: qui populi alioquin deſperatione ducebantur: ſed vxore defuncta, & filio in Imperii ſucceſſione ſtabilito, cum vndique omnia tuta eſſe facta videret, ſuis cupiditatibus habenas adeo laxauit, vt ab iis pertractus, in exitialem adeo ceciderit morbum, vt quadriennio ſimul cum motu corporis ingenii vim amiſerit, & poſt hæc vitam plantæ magis, quam humanam vixerit, demum vita defunctus imperii ac felicitatis ſuæ hæredem filium reliquerit.

Tertius additur Leo XI.

Duos habuit hæc domus Pontifices, Cardinales plurimos, Duces quatuor: hic autem Dux ex Hiſpana matre ortus eſt præcipuæ familiæ, & dupliciter affinitate vinctus Duci Ferrarienſi: habet enim vxorem Chriſtiernam filiam Ducis Lotharingiæ, religionis & morum optimorum exemplar, tantum animi do-

tibus,

tibus, quantum corporis forma inſignem Vtque ad affinitates reuertar, plurimos habet magnus Dux affines, videlicet Mantuæ Ducem, Sforciadum familiam, aliaſque adeo, vt ſi affines omnes amici eſſent, hic Princeps pro virili ſua polleret amicitiis. Quod ſi maiorum ſuorum veſtigia ita imitatus fuerit, vti præclara habet domeſtica exempla, credendum eſt, ei nihil ad ſummam felicitatem defore: duos & quadraginta agit annos, medioctis eſt ſtaturæ, crines habet ſubflauos, egregiæque formæ Princeps eſt, quemadmodum DD. VV. excellentiſſimæ, quæ ipſum in hac vrbe conſpexerunt, meminiſſe queunt: venatione, aliiſque laboribus magnopere delectatur. Præditus eſt alto, ac fœcundo iuxta ac pater, ingenio, ſed pacis amantior, pollet ſagacitate iudicii, in ſermone circumſpectus, & cautus, loquentiæ parum habet, & facta verbis anteponit: de omnibus tamen appoſite dicit, præſertim de Mathematicis, atque Geographicis, quarũ peritus eſt, Rerumpubl. ſollicitus explorator, & miniſtros ſuos adprime diligentes ac vigilantes eſſe deſiderat: profitetur ſe pollicitorũ obſeruantiſſimum, ac pacis amantẽ, & prudenter enititur in animis eorum, quibuſcum loquitur, præſertim hominum publicorum, eam inſerere opinionem, vt credant, eum non cupere fines imperij protendere, ſed tantum ſeruare: iuſtitiam exercet, ac tuetur incorruptam: vrbem pulchriorem ditioremque efficere curat, ornatque illam ædificiis & arcibus: qua in re mirum in modum elaborat. Liberalis potius, quam ſtricti moris habetur, populo gratiſſimus, quod publicis commodis ſtudeat. In priuatis aliquibus fortaſſe viget priuatarum offenſionum, publicæque iniuriæ memoria.

Mores Ferdinandi magni Ducis.

Cum itaque hæc ſint, quæ de corporis animique dotibus huius Principis conijcere atque inueſtigare potui, digna, quæ à Ser. V. reſciantur; reliqua eſt vltima pars, quæ erat de amicitiis, quas cum Principibus cæteris colit, aut refugit: quæ quidem pars, vt præ cæteris refert plurimum, ita quoque difficilior eſt, cum de latebris, atque receſſibus animorum mihi loquendum ſit, quæ quidem latebræ vbique abſtruſæ ſunt atque reconditæ in pectoribus hominum, & præſertim Principum ingenia inperſcrutabilis ſunt profunditatis: tamen dicam, quæ obſeruaui, atque ex ipſius vtilitatibus atque commodis cognoui: vtilitas enim ea eſt, quæ affectus hominum, maxime Principum gubernat.

Cum Pontifice Princeps hic optime conuenire ſtudet, cum quia maximum ab Eccleſiaſtico dominatu damnum capere poteſt, quoties infeſtum habere Pontificem, tum etiam quia ex eo bene animato plurimas colligere poteſt vtilitates: neque enim à quoquam ſibi valde timere debet, cum Pontificem beneuolum habuerit, quia hoſtis in eius ditionem ingredi aliunde non poteſt, quam à Romano Imperio, cingentibus totam prouinciam vndequaque montibus, qui exercitibus perdifficilem aditum præſtant, præſertim bellicis tor-

Amicitia principis.

mentis, cumque hoſtis ingreſſus fuiſſet, commeatus aliunde accipere commodius nequit quam ab Eccleſiæ ditione, cum cætera fere omnia loca ſterilia ſint. Quamobrem pauci exercitus nihil efficerent, numeroſi fame premerentur, potiſſimum quia in Etruria hæc viget conſuetudo, vt pacis tempore (ne belli tempore nouum videatur) commeatus in ciuitates importentur, & agreſtes loci pene exhauriantur, quo indies annona ſubminiſtratur.

Pontificia ditionis opportunitas aduerſus Florentinos.

Verum ſi à parte Pontificis exercitus ingrueret, ad tum potentiorem haberet, & commeatus facile ſupportarentur, cum ex Latio, tum ex Lombardia, & Bononia: cuius rei experientiam magiſtram habet, cum vrbs Florentia nunquam graue aliquod paſſa fuerit periculum, quin per illam Pontificii Dominii portam intrauerit, præſertim ſedentibus Leone, & Clemente, qui patriam ſubuerſam familiæ ſuæ ſubiecerunt. Hæc præterea cum Pontifice coniunctio magno Duci commoda eſt cum propter exiſtimationem, quam in ſuis negotiis ad tutelam Imperii ſui inde colligit, cum quia multa ab eo auxilia, & commoda refert in amicis ſuis per Eccleſiaſticas opes ditandis. His reſpectibus atque euentis edoctus, curauit ſemper, ne eicetur Pontifex, qui aliquo modo ei obligatus non ſit, & hac ratione plurimos Cardinales ſibi conciliare ſtudet, eos maxime, qui præcipui ſunt Pontificatus candidati: ſed ſanctæ Sedi etiam non minori cedit emolumento hæc amicitia propter tutelam, ac exiſtimationem, quibus munitur ex coniunctione cum Principe, qui finitimus eſt, viribuſque pollet: ſic enim ex duobus Imperiis vnum quaſi conficitur, cumque mutuæ ſint vtilitates, credendum eſt, huiuſmodi animorum coniunctionem omnibus temporibus, caſibuſque ſeruatum iri, præſertim cum præſenti Pontifice, erga quem Magnus Dux perofficioſe ſe gerit, & ab eo plurima refert beneficia, iamque hæc beneuolentia ſummopere adaucta eſt.

Cæſarem Princeps hic ſingulari proſequitur obſeruantia, & plurimis obſequiis eius gratiam aucupatur; qua in re Imperatorem ipſum abunde compenſat, plurimam præ ſe ferens erga ipſum beneuolentiam: quem etiam plurimi facit idem Cæſar, cum propter commune affinitatis vinculum, tum etiam vtilitatis cauſa, cum Magnus Dux & milites & pecuniam ad bellum Hungaricum ſuppetias miſerit: diciturque propter inueſtitutam integrum huius tituli, & alias pluribus vicibus diſtribuiſſe hactenus inter illius Aulæ miniſtros munera æſtimanda pluſquam 300000 aureorum: neque tamen Maieſtatis Cæſ. ſpes hic terminantur, cum hinc plura officia ſemper expectet, adeo vt beneuola hæc animorum propenſio admiranda non ſit. Erga Regem Galliæ officioſiſſimus eſſe conſueuerat Magnus Dux tanquam erga æmulum Hiſpani Regis, vt ſcilicet Italiæ ſtatum æquilibrio illo firmaret, vehementerque ambiebat exiſtimari Princeps magnus, & ſapiens, authoritate, conſilioque & viribus in Italia pol-

lens,

lens, demum ante omnia qui à nullo dependere & liber eſſe vellet.

Cum Rege Catholico Principem hunc non bene conuenire credibile eſt, quia etiam illius Maieſtas, monita ex quibuſdam præteriti Ducis actionibus, vnde ad maiora adſpirare noſcebatur, Magni Ducis felicitatem ægris oculis aſpicit, eiuſque vires non minus veretur, quam ipſe Hiſpanicas extimeſcat, vtque audio, illibenter Senenſem ditionem ſub Magno Duce videt, neque adeo prompto animo inueſtituræ, quam Imperator eius parens conceſſit, aſſenſum ſuum præſtitit. Hanc ſimultatem Magnus Dux mortuus inſtituit, quo tempore Genua tumultuata eſt, nam cum Magnus Dux maxime timeret ne ciuitas hæc ad manus Hiſpanorum deueniret, commeatu, aliiſque ſubſidiis iuuit ciues eos, qui intra ciuitatem dominabantur, & cum eiectis ciuibus egit acerrime, præſertim cum Andrea Doria, aliaque fecit eiuſmodi.

Cum Germanis Principibus bonam amicitiam nititur conſeruare, cum Duce Bauariæ præſertim, quocum & crebræ literæ, & mutua munuſcula ſæpe intercedunt.

Cum Duce Sabaudiæ, etſi extrinſecus non videntur niſi beneuoli animi argumenta, mutuaque honoris officia; tamen cum alter alterius felicitati opibuſque inuideat; non ignorat V. Serenitas, vbi grauis eſt æmulatio, ibi fieri non poſſe, vt amplificatio riualis multum deſideretur, vtque ibidem amor aliquis retineatur: & forte in re clara non opus eſt his coniecturis.

Cum Duce Ferrariæ propter fines ſtatuum nonnunquam non mediocrium rixarum occaſiones naſcuntur: & in hiſce Galliæ turbis cum hi Principes cogitationibus ſuis in diuerſum tendant, non poſſunt non occulto odio ſe inuicem habere, etſi multis humanitatis officiis ſe mutuo proſequuntur.

Cum Duce Mantuæ præter arctum affinitatis nodum ſummo amore coniunctus eſt, creduntur que ambo iiſdem finibus duci ad ſui conſeruationem.

Cum Duce Vrbini, quia ipſum opibus ac viribus ſuis longe inferiorem putat, negligitque, minime conuenire videtur, & ſimiliter limitum occaſione ſimul haud raro iunguntur. Quod attinet ad Rempublicam Genuenſem, cum Magnus Dux defunctus parti ciuium eiectorum fauerit, quo tempore diſſenſione ciuili agitabantur, dubitandum non eſt, quin alteram factionem parum amicam ſemper ſit habiturus, præterquam quod ad Corſicæ dominium, tanquam olim Piſanorum adſpitat, & multa accidunt quotidie propter fines, & aliis de cauſis, quibus ſtudia ipſorum immutari neceſſe eſt. Lucenſes vero apud Magnum Ducem ita ſe habent, vt coturnix apud accipitrem, nempe in anxietate, ac timore perenni, cum in medio illius Status ſiti ſint, clauſi vndique, annonæ omniumque rerum neceſſa-

riarum indigentes, quas aliunde, quam à Magno Duce, vel per eius ditionem acquirere nequeunt: adeo vt ſuo arbitratu hic Princeps eos ſubiicere poſſe videatur: verum abſtinet, diuque forſitan abſtinebit, cum quia non poſſet id efficere abſque Imperatoris offenſione, cuius patrocinio commendatur, tum etiam, quia magis ſibi forte conducit, vt ea ciuitas ſua libertate fruatur, quam vt ſibi ſeruiat, cum in hoc Statu inde multa ſubſidia obtineat, & nunquam ſuarum petitionum repulſam ferat. Quod ſi tyrannidem eius occupare mallet, dubium non eſſet, quin homines illi libertati, de qua mire gaudent, ſeque iactitant, aſſuefacti, & diuites magis pecunia numerata, quam agris, patrium ſolum deſerentes, mœnia, non ciuitatem concederent: quo pacto Magnus Dux præſenti commodo deſtitueretur.

Cum hucuſque dixerim de amicitiis, quas gerit hic Princeps cum cæteris finitimis, ſiue remotis Principibus, reliquum eſt, vt referam, quæ ſit eius voluntas, animuſq; erga hanc Sereniſſimam Rempubl. Quod vltimo loco ideo reſeruaui, quoniam ſcopus hic eſſe videtur legationis meæ, cognitu multo vtiliſſimus. Si igitur exterioribus officiis, honoribus, ac beneuolentiæ argumentis intimus animi affectus detegitur; ſi propria vtilitas & ratio imperandi aliquid in hac re præſtare poteſt: equidem omni dubitatione caret, Magnum Ducem erga V. Serenitatem optime animatum eſſe; cum quia legationem hanc chariſſimam habuit, & honorifice ſuſcepit; tum etiam quia cum Sereniſſima Rep. firmandæ amicitiæ cupiditate eum flagrare cognoui: Nam cum Magnus Dux cum Principibus magnis vltra montes amicitiam non habeat, excepto Cæſare, quem Hiſpanorum ſtudia ſecuturum non dubitat, neq; minus in Italia, excepto Pontifice; ſperat, fore, vt Eccleſiæ coniunctus, & V. Serenitatis beneuolus poſſit ſuam exiſtimationem egregie tueri adeo, vt quiſquis contra ipſum aliquid machinaturus ſit, ſpe ſua deiiciatur: prætetquam quod ſui natura pacis amicus eſt, quam deſiderat tam ob externas, quam ob inteſtinas rationes, cum imperet populis libertati aſſuetis, mobilibus, rerumque nouarum cupidis, quibus neſcio an in turbationibus ſimilibus fidendum ſibi eſſet: in pace vero theſaurum accumulans commodo temporis fruitur, auget exiſtimationem, rerum præteritarum memoriam minuit, ob externas vero cauſas pacem antepoſit, quia eiuſdem mentis cernit Serenitatem V. eoſdem timere vicinos, communes fere habere omnes reſpectus, ideoq; ſperat hanc ſocietatem, ac vehementer eam cupit, vt communibus viribus procul amoueantur bella, & propria exiſtimatio, nec non Italiæ pax confirmetur, creditque per tres hos Principes (adiuncto nempe Pontifice) quaſi totidem bene reſonantes chordas, mirabilem harmoniam ſaluti communi conſecututam. Sic Aula, ſic Princeps ille arbitratur.

DE

DE INSVBRIÆ, SIVE MEDIOLANENSI DVCATV AD legatum, quomodo ea regenda, monita, ſiue

DISCVRSVS IV.

QVANQVAM, Illuſtriſs. & Excellentiſs. Princeps, Excellentia V. in rebus ad Imperium rite adminiſtrandum pertinentibus tam bene eſt exercitata, vt ambitioſus vel ineptus merito videri debeat, qui eandem ſuis præceptis erudire conetur: nihilominus tamen ab eadem, cui vnice deuinctum & obnoxium me fateor, iuſſus, & omnia potius, quam vt gratificandi meam Veſtræ Excellentiæ voluntatem deſiderari patiar, facturus, pauca hic de iis, quæ ad Mediolanenſem Prouinciam recte gubernandam ſpectant, diſſeram: idque tanto lubentius, quod toto illo quinquennio, quo Mediolani Ferdinando Gonzaga Imperium adminiſtrante vixi, multas res & grauiſſima pericula vidi, notaui, atque etiam quibuſdam interfui, quibus bonus ille Eques, durante ipſius gubernatione, eſt perfunctus. Quæ certe tot ac tanta fuerunt, vt neſcio, an cuiquam vel plura vel grauiora accidere poſſint. Nam & vno eodemque tempore cum vicinis potentibus valde bellum ei fuit gerendum in magna publici ærarii, atque etiam priuatorum ciuium inopia, ſubleſta & dubia miniſtrorum fide, imo aperta quorundam contumacia, magno vniuerſæ Hiſpanicæ gentis odio atque inuidia; & grauiſſimæ eundem cum Atrebatenſium Epiſcopo apud Carolum V. Imperatorem valde gratioſo, exercuere ſimultates. Ex quibus omnibus incommodis damna quoque & multæ offenſiones promanarunt: hinc Imperatoris in Gonzagam odium; ex hoc furioſa illa ſyndicatio, ſiue inquiſitio, quam Franciſcus Pacecus, & Bernardus de Bolea, tam acerbe inſtituerunt, atque executi ſunt, vt non memoriam ſolum prædicti Domini Gubernatoris, ſed perſonam quoque ipſam quodammodo obruerint & ſepeliuerint, proceſſit. Horum omnium malorum vna tantum radix & ſcaturigo fuit, Ioannis ſcilicet Maonæ hominis rapaciſſimi, & ad omne ſcelus rebus ſuis vel tantillum profuturum proiecti (qui Gubernatori tanquam ſecretarum rerum arbiter adiunctus fuerat) flagitia. Id ergo tantum in hac

Propoſitio argumenti.

mea

rrea ſcriptuta agam, vt oſtendam V. Excell. quibus modis dictus ille Gubernator & nimia ſua facilitate, & miniſtrorum ſuorum perfidia in tam miſeram ruinam præcipitatit. Sed vt iis, quæ à nobis dicentur, ordo aliquis conſtet, nouit V. Excell. in omni ſtatu gubernando duo conſideranda eſſe rerum genera: vnum earū quæ intrinſecæ, alterum, quæ extrinſecæ dicuntur. Intrinſeca ſiue interna ſunt tria: Iuſtitię adminiſtratio, Ærarii ſiue publicorum redituum cura, & rerum ad militiam pertinentium diligens procuratio. Externa tria itidem ſunt: Modus cum vicinis conuerſandi, Diligentia in negotiis eorum & rebus, quas ſcire intereſt, peruestigandis. Dexteritas eorum animis ita ſe inſinuandi, & tantam fiduciam ſibi comparandi, vt Gubernator earum rerum, quæ in Comitiis apud ipſos tractantur, aliquam habeat notitiam, eiſque quodammodo interſit.

Quæ in imperiis conſideranda.

Iuſtitia recta ad miniſtratio quanti ſit momenti.

Iuſtitiæ adminiſtratio in omni prouincia præcipuum eſt Gubernatoris munus: ſed in iis maxime regionibus & oppidis, quæ in finibus alicuius imperii ſunt poſitæ, & præcipue ſi nouum illud ſit, & vetuſtate nondum bene confirmatum. Vix enim vllus vnquam fuit populus, qui, iuſtitia æqualiter omnibus adminiſtrata, communi conſenſu ad res nouas aſpirarit; & vetere expulſo, nouum dominum acceſſiuerit, neque profectò omnibus moleſtiis, quibus ſubditi in confinibus plerunque vexantur & premúntur, commodior afferri poteſt medicina, quam æquabilis quædam, & recta iuſtitiæ adminiſtratio: cuius quidem rationes, ob magni Senatus autoritatem, in Mediolanenſis ditionis Imperio ita conſtitutæ ſunt, vt ſi Gubernator muneribus illis dignos atq; idoneos præficiat homines, omnia, quæ ad caput hoc pertinent, facillime & ſua tantum inſpectione dirigere, atq; etiam efficere poſſit. Senatus ab Imperatore Carolo conceſſa authoritas ſiue poteſtas his verbis continetur. Senatus Mediolanenſis poteſtatem habeat conſtitutiones Principis confirmandi, infirmandi, tollendi, diſpenſandi contra ſtatuta, habilitationes, prærogationes, reſtitutiones faciendi. A Senatu ne prouocare poſſint rei: & quidquid is faciet, parem vim habeat, vt ſi à Principe factum & decretum eſſet; non tamen poſſit delictorum veniam & gratiam tribuere, aut literas ſaluiconductus reis criminum dare. Vt horum vel minimum violare vel tollere Gubernatori periculoſum, ita ſingulis plenas habenas permittere, neque vbi opus ſit reſtringere, ipſis ſubditis quoque valde fuerit damnoſum. Quoniam vero & Princeps ipſe facile decipi, & Iudex corrumpi; Iuſtitiæ quidem adminiſtratio tum optime ſe habebit, quando huius integritatem illius exſtimulabit vigilantia atque inſpectio. Quæ inſpectio tanto magis eſt neceſſaria, quanto maior eſt Tribunalium auctoritas, maxime ſi in Iudicis manu quodammodo poſita ſit iuſtitia, ſi ab eius ſententia nulla detur prouocatio, ſi aliquandiu magna fuerit ſubditorum licentia, vt in hoc, de quo loquimur, imperio, ob parum prudentem & proſperam trium proximo-

Autoritas Senatus Mediolanenſis.

rum Gubernatorum adminiſtrationem. Gubernator vero, qui cum Magiſtratibus colliditur, & ſimultates ſuſcipit, tres grauiſſimos committit errores. Primus eſt, quod vniuerſam Iuſtitiæ harmoniam, ſiue concentum corrumpit & tollit, cum magno totius Reipub. damno. Secundus, quod iis, qui inferiores ſunt, æqualem ſe facit: qui ordinarius eſt æmulationis ſiue competentiæ effectus. Tertius, quod latum eis, qui in eodem verſantur munere, malignandi atque offendendi aperit campum. Inprimis tamen vtile fuerit oculos ſemper in Magiſtratuum actionibus habere defixos. Iudiciorumque obſeruare proceſſus: hoc ſiquidem metu tam hi, quam illi in officio continebuntur; Gubernatori vero ſuprema conſeruabitur authoritas. Ferdinandus quidem Gonzaga ſibi ipſi & familiæ ſuæ debet imputare: nam quatuor modis cum Senatus contentiones exercuit.

Superior cũ inferioribus magiſtratibus contendens tripliciter errat.

Primus modus fuit, quod cum Maona eo modo, quo in Sicilia fecerat, venalem proſtituere vellet Iuſtitiam, Gubernatorem in magnam de Senatu eiuſque deliberationibus adduxit diffidentiam, tantumque effecit, vt in omnibus cauſis grauioribus, quæ ſua intererant, Gonzaga Senatus decreta aut vi impediret, aut Senatorũ minus grauium opera adiutus, cauillatione eluderet, aut Senatusconſultis intercederet, prout ſcil. partium alteri facturum ſe recepiſſet: tam miſere bonus ille gubernator erat faſcinatus? Secunda diſſidii cauſa eiuſdem fuit Maonæ auaritia, qui gratias itidem ſuo arbitrio vendere volebat. Erat enim ibi moris, vt rebus iudicatis condemnati ad Gubernatoris recurrerent gratiam, qui tum à Senatu plenius omni de re informabatur, vtrum ſcilicet cauſa illa gratiæ capax eſſet, vel minus, tam ipſius cauſæ, quam eius, qui veniam & gratiam petebat, reſpectu: quod primis aliquot menſibus à Gonzaga obſeruatum, quum Maona parum quæſtui ſuo & rebus conducere animaduerteret, Gubernatori perſuaſit, ne ad Senatus arbitrium gratias ſuas diſpenſaret, atque ita auctoritatem ſuam vileſcere pateretur: quod conſilium Gonzaga ſequutus, nihil tale poſtea ad Senatum retulit, ſed ſuo & Maonæ arbitrio in his pro regula eſt vſus, vnde factum eſt, vt multæ gratiæ, quas Gonzaga conceſſerat, ab Aulico conſilio reuocatæ & irritæ pronuntiatæ fuerint, vt in cauſa Marchionis Soncini, & aliorum. Tertia diſſenſionis cauſa fuit, quod quum ante Gubernatores in conferendis quibuſdam officiis biennalibus Senatus iudicium de iis, quibus ea conferenda eſſent, ſolerent exquirere, eique, vt par erat, plurimum tribuerent, Maona vero id quoque ſuo quod ex officiorum venditione captabat, lucro obſtare cerneret; Gonzagæ itidem auctor fuit, vt in hac quoque re ſuo ipſius ſtaret iudicio, nec Senatus authoritatem ſequeretur. Id ægre ferens Senatus, quum poſtea in Officiarios inquiſitio inſtitueretur (ſyndicationem appellant) id muneris hominibus demandauit, qui, vt dici ſolet,

Conſilium vtilitatis ſuæ cauſa datum.

nodum

nodum etiam in ſcirpo quærerent,& quæſtiones acerrime haberent, quo Gubernatoris in malis eligendis miniſtris & officiariis imprudentia & temeritas tanto omnibus fieret manifeſtior. Quartam diſcordiæ inter Gubernatorem & Senatum cauſam, præter Maonæ praua conſilia, ipſius Gubernatoris domus & familia præbuit. Vix enim quidquam Iuſtitiæ & æquitati tam eſt inimicum, quam cum aut vxor, aut liberi, aut alii, qui Gubernatori vel ſanguine coniuncti ſunt,aut ſingulari apud eum gratia florent,ac proinde Iudicibus ſunt formidabiles cauſis ſeſe immiſcent, & calida nimis ſua ſtudia & fauorem oſtendunt: vt quidem eo tempore facere ſolebat Principiſſa Hippolyta, & multo magis Fabricius Columna Gonzagæ gener. Quocirca rem faciunt bonis Iudicibus gratiſſimam, litigantibus vero vtiliſſimam, & Principi ipſi inprimis honorificam, qui prohibent, ne vel conſanguinei, vel quicunque alii, quorum aliquis eſt apud Iudices reſpectus, aliorum cauſis coram tribunali diſceptandis ſeſe ingerant,eaſve amplectantur. Gubernatoris cum Senatu diſſidium, in apertam eiuſdem cum Senatus Præſide inimicitiam erupit; Ioannem vero Varanam Senatorem Hiſpanum eo vſque inſtigauit, vt non ſolum Gubernatori ſeſe opponere, ſed perniciem quoque & ruinam minari, & moliri ſimul auderet; quam etiam tandem eidem attulit,inquiſitione ſiue ſyndicatione contra Gubernatorem eiuſque actiones inſtituta. Hæc omnia incommoda facile euitabit is, qui à ſe ipſo dependet, neque ad miniſtrorum lubitum circumagi ſe ſinit; ſed potius hanc præcipuam curarum ſuarum & muneris partem eſſe exiſtimat, vt in vitam actioneſque miniſtrorum diligenter,adhibita,qua par eſt,prudentia,inquirat. Hac enim ratione illud efficiet, vt Iudices Gubernatoris vigilantia excitati, Iuſtitiam æquabiliter ſine cuiuſquam odio vel gratia adminiſtrent;omnes vero tam publica munera, quam gratias ab eodem impetrandas ſibi intelligant, ſalua tamen & integra Senatus quoque authoritate iis in rebus, vbi ea vti vel neceſſitas, vel mos iubet.

Si mei non fuerint dominati, &c.

Princeps ſe ipſum audiat, non miniſtros.

Secundum Gubernatorii muneris caput eſſe diximus Ærarii, vel Redituum curam: cuius quidem ſummam laudem V. conſecuta eſſe dicitur Excellentia, erogato in Fœderis ſumptus ſeſquimillione, neque tamen vlla publicorum agrorum aut redituum parte oppignorata. Quæ quidem res tanto magis ſtatui Mediolanenſi eſt neceſſaria, quanto is minori ſemper egeſtate conflictatur: quæ in omnibus quidem prouinciis periculoſa eſt,ſed longe periculoſiſſima in iis,quæ in finibus poſitæ, non niſi auxiliis è longinquo petitis iuuari poſſunt,& vicinæ ſunt iis, quibuſcum aut grauia olim bella geſſerunt, aut pacem habent parum ſecuram. Equidem interfui ſæpenumero ſermonibus, quum Galliarum Regis Oratores Abinius & Foxius rebus ſuis vtiliſſimam fore dicerent hanc publicam Inſubriæ egeſtatem, & populi nimiis exactionibus grauari animos parum æquos, ſi Rex

Ærarij cura quantum referat.

ipſorum

pſorum bellum eſſet ſuſcepturus. Quod quidem periculum vt audientibus illis eleuaui tum, atq; irriſi; ita V. Excellentiæ minime illud contemnendum eſſe in autem inſuſurro; maxime ſi mori aliquem contingat, vnde populus res nouandi ſumeret occaſionem, quod facile poſſet contingere, partim ob turbas & inuaſiones extrinſecas, partim ob intrinſecas infirmitates & morbos, quibus nulla poteſt alia adhiberi tum medicina, quam ex præſentibus, licet tenuibus valde & acciſis opibus: niſi quis irritare crabrones, & tributum imponendo ſeditioni anſam præbere velit.

Redituum vero tam conſeruandorum, quam augendorum modi ſunt quatuor: Vectigalia augere, Fœnora & vſuras moderari, ſuperfluos ſumptus reſecare, Miniſtrorum manus & actiones diligenter obſeruare. Vectigalium, & quæ ſub hoc comprehenduntur nomine, exactionum augmentatio hodie in tota Italia feliciter vſurpatur. Diuturna enim pax negotiationem ita aluit, atque eo prouexit, vt omnes, tam Principes, quam mercatores non medioctem ex ea faciant quæſtum. *Reditus publici quibus modis augeantur.*

Equidem obſtupui, cum intellexiſſem, in quantum Pontificiæ ditionis reditus paucis annis aucti eſſent. Solum enim Romæ vectigal in tres menſes auctum, viginti ſcutatorum millia plus ſolito reddidit: quamuis Romæ mercatura nequaquam ita floreat, vt Mediolani.

Quantum vero vtilitatis habeat vſurarum moderatio, nemini eſt obſcurũ. Eſt enim Fœnus ſiue Vſura cancri inſtar, ſiue gangrenæ, quæ quicquid complexa eſt, exedit ac depaſcitur. Hanc quidem adhibere moderationem nunc in tãta pecuniarum apud menſarios copia facile eſt: vt iam in regno Neapolitano contigiſſe videmus, vbi vſuræ nomine ſepteni nunc pro centenis ſoluuntur; quum antea multo fuerit maior. Idem quominus hactenus in ſtatu Mediolanenſi factum ſit, in cauſa eſt miniſtrorum ſiue imprudentia, ſiue malitia, quibus nunquam fere promiſſa ſoluentibus mercatores pecunias ſuas credere volunt, niſi immanes vſuras ſtipulati.

Superfluos ſumptus reſecare illius tantopere à priſcis laudatæ Parcimoniæ præcipuum eſt munus: quam iidem veriſſime magnum eſſe vectigal dixerunt. Fiunt autem ſuperflui ſumptus, vel in nimis magnis, etiam eorum, quorum opera neceſſaria eſt, miniſtrorum ſalariis vel ſtipendiis, vel in ſalariis quamuis mediocribus aut nihil aut parum vtilium ac neceſſariorum; in penſionibus; in honorariis; in mercedum augmentationibus, quas nõ facile ſit moderari, aut rurſus plane abolere. In his vero moderandis ita verſandum, atque ad viuum ita omnia reſecanda ſunt, vt non minori cura ac parcimonia Principis facultates, quam noſtram ipſorum rem familiarem tractemus.

Inſibulanda ſunt manus miniſtrorū. Manus vero miniſtrorum diligenter obſeruare, eorumq; auaritiæ & rapacitati fibulam ponere Gubernator inprimis debet. Tot enim exactionum & concuſſionum ſunt modi, quibus miniſtri paſſim cum Gubernatoris probro, Principis damno, & populi vexatione vtuntur, vt enumerari vix queant. An vero cautione hac in Mediolanenſis prouinciæ adminiſtratione opus ſit, trirum ſermone indicat prouerbium, quo regii in Sicilia miniſtri rodere, in Neapol. regno comedere, in Mediolanenſi Principatu deuorare dicuntur.

Triplex peculatorum genus. Nouas ærarii cum populi grauamine augendi rationes comminiſci, hoc quidem tempore minime ſuaſerim. Quanto enim maior eſt populi de Veſtra Excellentia: vt Italiæ Principis benignitate & æquitate expectatio, fore ſcilicet, vt veteribus tributis ſubleuetur potius, quam nouis oneretur; tanto acrioris, ſi contra accidat, percipiet ſenſum doloris. Hanc quidem publici ærarii partem Don Ferdinandus Gonzaga à Maona ſuo deceptus ita debilitauit atque exhauſit, vt bello ardente, exiguæ pecuniæ defectu, à periculo totius ſtatus perdēdi parum ſæpe abfuerit. Maona enim in ſuſpicionē adductis, & ſummotis omnibus iis, quorū in hoc omni de reditibus & vectigalibus augendis negotio conſilia antea exquiri ſolebant, effecerat, vt penes ſe vnum hac in re decernendi eſſet facultas; ad conſilium vero tantum in ſpeciem & dicis cauſa, referebat, aſcitis ſibi duobus aliis concoloribus, quorum ſocietatem Magnus Cancellarius Taberna Triumuiratum appellare ſolebat: qui ipſe deinde, re à Syndicatoribus ſiue Recognitoribus peruestigata, & fraude eorum detecta, Dom. Ferdinandum ab omni culpa eſſe liberum, cōfeſſi ſunt, niſi quod miniſtro ſcelerato & auaro nimis facile in omnibus fidem habuiſſet. Is vero (Maona) vt Gubernatori fœnori accipiendæ pecuniæ erat auctor, ita deciſa ſibi aliqua lucri parte, mercatoribus ſuadebat, vt quantas poſſent vſuras ſtipularentur; adeo vt Recognitorum vnus Franciſcus Paccecus dixerit, Tres viros illos multo plus ex vniuerſo Inſubriæ ſtatu emolumenti percepiſſe, quam ipſum Imperatorem, confectis in eam rem rationibus, quarum exemplum ad V. Excellent. mitto.

Hæ tam ſiniſtræ à Maona introductæ & vſurpatæ, Gubernatore vero approbatæ, vel ſaltim toleratę tractandi ærarii rationes Magnum Cancellarium Tabernam, & Ioannem de Luna Arci Mediolanenſi præfectum excitarunt, vt rem omnem ad Aulam detulerint, & inuidioſe exaggerarint. Multo ergo ſatius, imo neceſſarium fuerit, vt in tractandis ærarii rebus Gubernator eorum omnium, quibus aliqua eius curæ pars demandata eſt, conſiliis vtatur: Sic enim & ſinceritatis ſuæ manifeſtum dabit ſpecimen, & officiariis ſuam conſeruabit auctoritatem & gradum, &

quod melius atq; vtilius fuerit, multo facilius perſpiciet, ac procurabit, & omnis doli ac fraudis anſam præcidet.

Militia curanda. Non minor rei militaris cura eſſe debet; vt ſcilicet milites ſub diſciplina contineantur, militiæ ducibus ſatisfiat, & ſua conſtet apud militem auctoritas, munita conſeruentur præſidia, cohortes tam equitum, quam peditum integrum habeant militum numerum, commeatuum denique omnis generis copia in promptu ſit. Et quamuis vbique hæc ſummo ſtudio procuranda ſint; maxime tamen circa prouinciarum fines, ne cum damno & ignominia negligentiam hanc luamus.

Heluetiorũ perfidia. Heluetios Inſubria ſemper experta eſt malos ac iniquos vicinos, vtpote qui non ignobilem eius partem etiam pacis tempore vſurpare non dubitarunt, ac potiſſimum Belinzona occupata ſub Ludouico Duodecimo Gallorum Rege. Quum enim is totam Inſubriam ſui iuris feciſſet, & Heluetios, quorum opera eo in bello vſus fuerat, dimiſiſſet, non ſtipendiis tantum ad aſſem perſolutis, ſed honorariis etiam ac penſionibus donatos: illi ipſi domum reuerſi, vt dixi, Belinzonam ſummã cum inſolentia occuparunt, neque vllam aliam facti ſui rationem reddiderunt, quã quod eo loco ad aperiendum in Inſubriam aditum opus ſibi eſſe, dicerent: Ludouico vero Rege locum illum repetente, multo ferocius, Muratam quoque & Locarnam popoſcerunt, atque etiam ipſo facto occuparunt, vt aditus ipſis ad libitum in Italiam pateret: neque Rex eorum locorum vnquam ab eis impetrare potuit reſtitutionem. Tanti ſcilicet eſt eiuſmodi vicinos habere, qui quum ipſi nihil habeant, quod perdant, facile ad vim aliis inferendam prouocantur; ipſi interea in latibulis ſuis, ab omni aditu à Natura ipſa ſecluſis, deliteſcentes. Iidem Luganum ſuæ poteſtatis fecerunt: idemque de Valle Telina dici poſſit a Rhætis ſiue Griſonibus occupata, ſi modo contractui inter eoſdem & Statum Mediolanenſem Anno priori, quam Voltolinam illi inuaſiſſent inito, fides conſtet. At iidem Diuionem in Burgundiã cum extremo Galliæ periculo ſuam ſub poteſtatem redegerunt, neque ab eius poſſeſſione prius quam ingens ipſis à Tremolio pecuniæ depenſa eſſet ſumma, depelli potuerunt. Pacis tempore ab iiſdem Carolus Dux totã fere Sabaudia, à Franciſco vero Primo Breſſana Valle & magna Pedemontij Ducatus parte fuit exutus. Quod ſi vnquam Heluetiorum gens Inſubribus formidabilis fuit & damnoſa, hodie certe multo eſt formidabilior: quando ſcilicet omnem cupide expectant occaſionem, fines ſuos eouſque proferendi, & in ſuo ipſorum imperio ſementem poſſint facere, meſſemque colligere. Neque enim ferendum ſibi exiſtimant, vt quibus ferrum ſuperabundat, iis panis deſit. Hoc ipſorum conſilium ex vltimo cum Gallis *Heluetii Inſubribus periculoſi.*

renouato fœdere perſpicue apparet. Nunquam enim poſt percuſſum primum Anno M C C C C L X X. ſub Ludouico XI. rege cum Francis fœdus, omnes ſimul pagi vno & eodem fœdere cōprehendi voluerunt, niſi nuper paucos ante menſes: non quod is Franciæ ſit ſtatus, vt magnum aliquod priuatum compendium, vt olim, ab ea ſperare poſſint, ſed quod arbitrantur, fore, vt propediem inſignis aliqua contingat mutatio, qua imperium, ampliſſimum illud quidem, ſed nec antiquum, nec vnitum, nec armis nec opibus bene inſtructum, neque ſucceſſionbus ad tantam ſuſtinendam machinam aptis fultum perturbetur, & ſi non totū, ſaltem pars eius aliqua prædæ ipſis relinquatur. In tali vero & ſimili caſu vſurpatores plerumq; arma cum iis coniungere ſolent, qui ius aliquod prætendunt.

Aduerſus vicinos, quæ curanda.

Qui igitur cum vicinis eiuſmodi conflictantur, qui poſſunt, volunt, & ſolent offendere, non ſolum ea, quæ ad bellum & rem militarem pertinent, procurare debent; ſed multas quoque alias cautiones adhibere, & quaſi ſemper è re nata conſilium adhibere. Sunt enim incommoda, quæ rebus, præſertim politicis, interuenire ſolent fungorum inſtar, qui vna nocte naſcuntur. Quod ſi V. Excel. in omnibus aliis rebus ſumptibus parcat; hanc vero (militarem) ſedulo procurarit: equidem prudenter valde & temporibus conuenienter facere videbitur: ſiquidem V. Excel. gubernatio per naturæ curſum propius, quam ſuperiorum Vicariorum abeſt ab iis accidentibus, quæ impellere alteram in lancem illud æquilibrium poſſunt, quo pax hodie & quies in Republica Chriſtiana conſeruatur. Hæc breuiter de internis.

Externa imperiorū.

De externis ſequitur: quorum primum caput eſt, quomodo vicini ſint tractandi, in quo vt plurimum magno cum damno & periculo peccari ſolet. Modus vero huius tractationis pro finium quoque, quos Gubernator ſibi habet propoſitos, diuerſitate diuerſus quoq; eſt. Aliis enim rationibus, aliiſq; conſiliis vtitur, qui pacem cum aliquo colere conſtituit; aliis, qui vel vni vel pluribus bellum inferre parat.

Pax. quibus modis cum vicinis ſeruetur.

Qui pacifice cum vicinis viuere animum induxit, ad ſeptem has regulas vniuerſales tanquam ad Cynoſuram reſpicere debet.

Primo, vt fœdera & contractus cum ipſis initos accurate obſeruet.

Secundo, ita ſe gerat, idq; in omnibus rebus vnice præſeferat, vt ne minimum quid ad cuiuſquam præiudicium facere, nec vt ſibi fiat, pati velle videatur.

Tertio, mercaturam ſiue commercia reciproca, ex quibus aliqua ad ſubditos & Principis ærarium redit vtilitas, omnibus viribus promoueat.

Quarto, in diſſenſionibus vicinorum & diſcordiis (ſine tamen ſuſpicione quaſi anxie illud ambiat) arbitrum & ſequeſtrum ſe ferat.

Quinto, cum dexteritate quadam & ſagacitate inter eoſdem, ſi qua exiſtit, diffidentiam alat, cum primis ſi mutua ipſorum confidentia & conſpiratio damnum ſtatui aut periculum poſſit creare.

Sexto, eos qui tanquam imbecilliores ad ipſius opem & tutelam confugerunt, nunquam deſertos patiatur, multo vero minus eos, qui in eadem cum Principe tuo ſunt naui, ſiue fortuna.

Septimo, in fauendo, auxiliando, & protegendo, vbi neceſſitas inſignem aliquam alacritatem non requirit, ita moderate verſetur, vt ne alii ad æmulationem nouaſque quærendas inimicitias excitentur. Hac quidem in re Dominus Franciſcus Gonzaga vehementer errauit, qui Doriæ Principis arte, nouas ſemper ei ſuſpiciones inſtillantis, deceptus, tanto ſtudio atque ardore conſilium eius de vlciſcenda Ioannetini morte, aliiſque Petri Aloiſii Farneſii, cum ipſius ruina, factis, promouit, vt non prius conquieuerit, quam Imperatorem in ſuam quoque ſententiam pertraxiſſet; amotis omnibus obſtaculis, quæ ſane plura & grauiſſima ſeſe obiiciebant. Initio enim Imperator non cunctanter tantum agebat, ſed dementiam quoque exiſtimabat, rebus in Germania dubiis, Gallico regno ac Rege opibus ac viribus florente, ac recentibus inter vtrumque odiis & æmulationibus, Pontificem irritare, Italiam periculoſiſſimis tumultibus & turbis implere: eamque ob cauſam aliquandiu obſtinatiſſime coniurationis capitibus ſubſcribere recuſabat, priuſquam ea ad finem eſſet perducta. Sed ſuperatis tandem Gonzagæ maxima diligentia omnibus difficultatibus, Aloiſius quidem à coniuratis trucidatus eſt: Farneſii vero ad Gallorum Regis opem confugerunt, vnde grauiſſimum inter duos hos Principes potentiſſimos bellum exarſit, quod vtriuſque regiones & ſtatus vehementer afflixit. Et ex hac quidem protectione ſtatim illud, de quo diximus, incommodum ſequutum eſt, Gallorum Rege æmulo potentiſſimo in Italiam introducto, cum quo, Senatum vrbe occupata, bellum Imperatori eiuſque miniſtris & clientibus gerendum fuit valde periculoſum, & vno prælio non de Hetruriæ tantum, ſed omnium etiam, quas Imperator in Italia habebat, regionum poſſeſſione decertandum: quod proſpere ad Senas geſtum, Imperatori quidem eiuſque adhærentibus ſecuritatem peperit; at ſi idem infeliciter cecidiſſet, de eius in Italia fortunis actum fuiſſet. Et hæc quidem damna & pericula vnius miniſtri Ferdinandi Gonzagæ impruden-

tia vel temeritas acceſſit,callidis enim vſi conſiliis, vbi cunctabundis & maturis opus erat.

Diffidentiæ ſiue diſſenſiones, quæ hodie inter Inſubriæ,ſiue ſtatui Mediolanenſi vicinos intercedunt, hæ ſunt.

Inter Sabaudum & Mantuanum,Montis Ferrati cauſa.

Inter Genuates & Sabaudum,ob Sauonam: maxime poſtquã Octauianus Ferrerius,quod cum Immanuele Philiberto Sabaudiæ Duce colluſiſſe argueretur, a Genuatibus gladio eſt percuſſus.

Inter Florentinum & Genuates;finium cauſa.

Inter Ferrariam & Lucam, eandem ob cauſam.

Inter Florentinum & Parmenſem, ob multas ſuperioris temporis offenſiones, quarum memoria & ſenſus etiamnum forſan viuit.

Inter Ferrarienſem & Sabaudum,& Florentinum, ob titulum & præeminentiam.

Vicinorum actiones obſeruandæ.

Secundum rerum extrinſecarum ad Gubernationem pertinentium genus in diligenti eorum, quæ apud vicinos aguntur, peruestigatione conſiſtit; quæ diligentia licet belli tempore inprimis ſit neceſſaria,tamen neque in pace omitti debet. Incidunt enim ſæpe eiuſmodi res, quibus niſi mature obuiam eatur,pacem turbare,bellumque conflare, aut damnum conciliare, aut vtilitatibus detrimentum aliquod afferre poſſint. Rationes,quibus harum rerum cognitio acquiri poteſt, duæ ſunt. Aut enim Amicorum opera, aut Exploratorum hic eſt vtendum. Hi vt plurimum infideles ſunt; illi parum ſinceri: at iudicii trutina vtrique probe ſunt expendendi. Quum vero vix vllus odioſus magis hominum ſit affectus, quam in aliorum inueſtigandis rebus curioſitas; ea prudenter admodum & ſolerter celanda eſt, ne ſubodorati illi aliquid, ſua clam habeant, ac caute omnia ac circumſpecte agant; tum ne ſuſpectos & odioſos pacis præſertim tempore, nos ipſos faciamus. Magnopere laudatus fuit Briſſacus Galliæ Mareſcallus, Pedemontani Ducatus olim Gubernator, quod, etiam ardente bello, nunquam ipſe cum Exploratoribus ſermonem miſceret, ſed Sauaſano miniſtro ipſius audiendi eos, atque examinandi negotium daret.

Quomodo exploretur. Curioſitas odioſa ideo celanda.

Amicorum opera in exquirendis vicinorum negotiis Ferdinandus Gonzaga prudenter atque vtiliter fuit vſus. Is vero variis officiorum generibus apud Bernatium Rempublicam ſibi conciliauerat,Nicolaum Zerchintem à Secretis, Hieronymum Hirlaeum Senatorem,& Præſidem Battiuellam: quorum opera illud effecit, vt Bernates à fœdere cum Gallis percutiendo abſtinuerit,nec milite eos iuuerint: ac ſimul non ea tantum, quæ alii Principes cum Republica illa tractabant, verum etiam in-

tima omnium pagorum apud Helaetios conſilia & inſtituta eſt expiſcatus: quo quidem nihil ad ſtatus Mediolanenſis conſeruandam incolumitatem erat opportunius. Anno autem milleſimo quingenteſimo quinquageſimo parum abfuit, quin eorundem amicorum eiſque cognatorum opera cum vniuerſa Heluetiorum gente de defendenda ditione Mediolanenſi fœdus fuerit percuſſum: quod vt rebus ſuis vtiliſſimum, ſummopere hactenus Imperator exoptarat. Id vero quum Gallorum Regis comperiſſent miniſtri, omni ſtudio, multiſque largitionibus illud impediuerunt, nihilominus tamen Imperator Battiuellæ filio, quamuis res non ſucceſſiſſet, promiſſam in Burgundia arcem donauit.

Ea quoque, quæ de vicinis renunciata nobis ſunt, diligenter ruminanda, & mature iudicio ſuo ponderanda, periculoſum quippe eſt omnia credere, & ad ea conſilia dirigere. Quum Ferdinando Gonzagæ Genua renunciatum eſſet, Horatium Pecium, & Georgium Tricerchium, nobiles Senenſes, cum Gallis de Mediolanenſi arce occupanda conſilium agitare; res ea Gonzagæ tam abſurda viſa eſt, vt totum hoc commentitium eſſe arbitraretur: neque enim credibile exiſtimabat, duos hos peregrinos, opibus & amicis deſtitutos, vel cogitationem tanti facinoris ſuſcipere audere. Paucis tamen poſt diebus veriſſimum id fuiſſe deprehenſum eſt; neque quicquam arci illi ſaluti fuit, quam quod ſcalæ duobus palmis iuſto breuiores fuerant: qua amiſſa, quæ conſecuta fuiſſent, facile eſt cuiuis colligere. E contrario idem Gonzaga facile fidem habebat iis, quæ Doria de Petri Aloiſii contra Mediolanenſem ſtatum machinationibus ſingulari quodam artificio ad ipſum deferri curabat: quæ res Aloiſio necem tanto magis accelerauit. Alius, cuius nomini parco, eidem Gonzagæ perſuaſerat, Sabaudum ad Gallos defectionem cogitare; multas quidem ob cauſas; ſed inprimis ob acerbam Caroli V. Imper. reprehenſionem, quod Gallorum equitatum in loco quodam opportuno non inuaſiſſet. Quod Gonzagæ non tantum veriſimile viſum fuit; ſed dignum etiam, quod ad Imperatorem referretur, inde præter multa alia diffidentiæ ſigna erga Ducis in Pedemontio miniſtros palam oſtenſa, vicinis ſuis præſidiis tam numeroſum militem impoſuit, ac ſi periculum illud certo certius, & iam in foribus eſſet. Et hæc quidem ipſemet, quum in Anglia vterque eſſemus, Sabaudiæ Ducem mihi narrare memini, non ſine acerbiſſimi doloris ſenſu. Inde poſtea iam apertas inimicitias contra Gonzagam geſſit atque exercuit, & in ruina eius accelerandâ diligentem operam nauauit. Idẽ Ferdinandus Gonzaga, quum Salaſſiorum Marchio ei fidem non habuiſſet; in ex-

Nuntii, & res nunciata quomodo trutinanda.

Credulitas & incredulitas aque nociua imperantibus.

tremum fere periculum vniuerſum ſtatum Inſubriæ adduxit. Monuerat is Ferdinandum Gonzagam, Dominum de Neriu de Vercellarum oppido Gallis prodendo conſilia tractare; ac ſimul auxilia rebus ſuis poſtularat. Lectis his literis, Gonzaga ſibi perſuaſit, ideo tantum à prædicto Marchione confictum eſſe, auxilia vt tanto facilius impetraret, idque etiam ſequenti mane nonnullis non ſine riſu narrauit. At vix menſis exierat, cum Vercellarum oppidum, Domini de Neriu potiſſimum opera, in Gallorum poteſtatem venit: ac niſi arx, cuius ope deinde oppidum fuit recuperatum, hoſtiles manus effugiſſet, vniuerſus Inſubriæ ſtatus ad incitas, ſiue extremum periculum fuiſſet redactus. Quod quidem periculum & alia multa nunquam incurriſſet Gonzaga, ſi Regulas de eiuſmodi aliorum monitis & nuntiis ſedulo obſeruaſſet, ex quibus præcipuæ ſunt: Audire omnia: Secreta habere omnia: Examinare diligenter omnia, expenſis omnibus circumſtantiis & conditionibus perſonarum, rerum, loci, temporis, & aliis, ex quibus aliquo modo vel falſum inueſtigari poteſt.

Monita quib. regulis accipienda.

In iis quoque, quę circa ipſum fuerint, ſobrie & caute tractandis, diligentem adhibere cautionem Gubernator debet; ac præcipue in Agentibus, quos vocant, qui Legatorum, ſiue Oratorum apud alios Principes ſuccenturiati veluti ſunt, & Optiones, & plerunq; rerum tractandarum non peritiſſimi: hinc iidem nimis ſubtiliter omnia excutientes, & nodum ſæpe in ſcirpo quærẽtes, res ab omni ratione abhorrentes comminiſcuntur, & dominis etiam ſuis perſuadere conantur. Coſmus Medices Hetruriæ Dux apud Ferdinandum Gonzagam Agentem quendam habebat, qui neſcio quas opinionum Chimæras ſibi ipſe fingens animum Principis ſui à Gonzaga vehementer alienauit, adeo vt is cũ Ioanne de Luna contra prædictum Producẽ ſeſe coniunxerit. Gonzaga optimæ voluntatis ſuæ ſibi conſcius mirabatur, nec tamen ſciebat, quænam illius eſſet offenſionis cauſa: donec tandẽ Agentis leuitas & mendacia in apertum fuere producta.

Cum legatis circumſpecte agendum.

Venetorum ibidem Agens, ſiue Subdelegatus, cũ quodam die Gonzaga de bello, quod in Corſica tum gerebant Genuates, libere ſermonem cum ipſo contuliſſet, abſurdã ex illius verbis fabulã commentus eſt, Gonzagam ſcilicet de ædificanda Genuæ arce cogitare. Quod, licet vaniſſimũ & imprudens mendacium, ꝑ totam Italiam fidem inuenit; Genuæ vero incredibiles turbas excitauit, adeo vt ciues, quum forte per id tempus Hiſpaniarum tum Princeps, iam Rex, eo appuliſſet, aperta diffidentiæ ſigna præ ſe ferrent. Hinc prudentior factus Gonzaga, dicere ſolebat, Agentes eiuſmodi hominum eſſe genus, quibus cum circumſpecte admodum, & quaſi alia aſſumpta perſona loquendum ſit.

Reſtat

Reſtat vltimum rerum extrinſecarum caput, quod eſt, ita ſe vicinorum animis inſinuare, tantamque confidentiam ſibi conciliare, vt deliberationum & conſiliorum, quæ in conuentibus ipſorum tractantur, quodãmodo ſis particeps. Quanti vero interſit Principis, ita à vicinis amari, vt fiduciam quoque in ipſo ponant, omnibus perſpicuum eſt, nec vllis ad demonſtrandum exemplis eget. Quibus vero modis amor ille & fiducia acquiri poſſit, nemini quoque politicarum rerum paulo peritiori eſt obſcurum. Verum ita ſe gerere, vt Amor hic integer conſeruetur, neque Fiducia illa diffidentiæ quadam nube obducatur, ſingularis eſt prudentiæ & dexteritatis. Quum enim dolor interdum & moleſtia eorum, quæ fiunt, ita premi, & celari non poſſit, quin eius indicia ſeſe prodant; fit plerunque, vt multo tempore collecta gratia vno effundatur momento. Quod vt vitetur, duo præcepta notanda ſunt. Primum eſt, Ne vlla offenſionis vel ſimultatis ſigna erga eos oſtendamus, quos fidere nobis volumus. Alterum, In doloris ſenſu id ſemper operam demus, vt culpa in miniſtrum aliquem conferri, & emendari queat; mente tamen & tacito animi ſenſu, quod ad rei ipſius ſummam, diſſimulata.

Acquirenda fidei præcepta duo.

Illud de annonæ & rerum victui inſeruientium cura, quæ ad vtraſque res tam intrinſecas quam extrinſecas pertinet, ſingulari capite à nobis erat explicandum: quum vero in mea hac ſcriptura nihil aliud mihi propoſitum ſit, quam ea V. Excell. quaſi intento digito commonſtrare, in quibus Ferdinandus Gonzaga, Maonæ ſcelere & malitia ſupplantatus, lapſus eſt: illud tantum dicam, nullam rem magis probroſam eiuſdem nomini & exiſtimationi fuiſſe, quam hanc eandem. Neque enim vlla eſt natio, vel gens, quæ annona vel ob ullum ingrauescente, facilius omnia ad Gubernatoris trahat infamiam, quam Lombardorũ, etiam tum, cum inopiam à ſterilitate proficiſci non ignorant. Cauſa vero eſt miniſtrorum auaritia, qui vt plurimum quanto annona eſt grauior, tanto maiori cum licentia fraudes & impoſturas multiplices committunt: neque curatu facile eſt hoc vulnus iam inueteratum. Spero tamen, quæ eſt ſingularis V. Excell prudentia, rara integritas, & incredibilis ſapientia, eiuſdem diligentia & opera malis omnibus conuenientem adhibitum iri medicinam, ac fore, vti (quod dici ſolet) Panis ſit in Foro, Iuſtitia in Curia, ſecuritas & pax vbique, gubernante ſcilicet eo, cuius ad audiendum facilitas, ad credendum cunctatio, in deliberando maturitas, celeritas in exequendo, in moribus integritas, publicis rebus pariat ſecuritatem; qui denique familiam ſuam ipſe gubernet, ipſe vero à nemine ſuorum familiarium & miniſtrorum, ſed ab ipſa tantum ratione regatur.

Annona procuratio apud Lombardos cur difficilior.

DE SABAVDIÆ DVCATV,

DISCVRSVS V.

DOMINIVM Ducis Sabaudiæ patet in longitudinem ad C C C. milliaria Italica, initium faciendo à finibus Comitatus Burgundiæ Breſſæque, progrediendoque ad fluuium Seſiam ſupra Vercellas eius latitudo eſt C L X. milliarium, incipiendo à monte Sancti Bernhardi & Valle Auguſtæ, ad mare Liguſticum vſque, vbi eſt Nicæa Prouinciæ, vulgo *Nizza en Prouinza*, taliſque eſt eius forma vt in ambitu nongenta milliaria comprehendat. Totum hoc Dominium ad Orientem habet Statum Mediolanenſem & Marchionatum Montisferrati; ad Occidentem ei eſt fluuius Araris, vulgo *la Saone*, & Liber Comitatus Burgundiæ; à Meridie iungitur Prouinciæ & Delphinatui, & Liguriæ, Comitatuſque Nicææ alluitur mari Liguſtico; ad Septentrionem habet Heluetiam.

Sabaudia.

Diuidi poteſt Dominium Ducis Sabaudiæ in partes duas, ſicut & Alpes id diuidunt, in *Sabaudiam* nem, & *Pedemontium*. In Sabaudia ſunt Epiſcopatus Tarentaſienſis, Maurianenſis & Beleienſis, habetque Dux nominationem Epiſcoporum. Sunt quoque in Sabaudia tres Arces ſiue Caſtella, vulgo dicuntur *Bourp en Breſſe*, Mommelium, Nuntiata. Sabaudiam inhabitant, quingenta circiter animarum millia. Solebat Dux ſtipendia largiri aliquot Turmis equitum leuioris armaturæ, Sabaudis, qui ſe ſtrenue gerebant in præſidiis Breſſæ & Chamberiaci, ſed Dux vt ſumptus, quos in eam militiam faciebat, belli tempore melius colloçaret, omnes illos milites dimiſit. Nobilium virorum Duci feudatoriorum magnus eſt numerus, qui ſe in armis exercent; quod ſæpe cum Francis bella geſſerint Sabaudi.

Pedemontium.

Pedemontium nihil ſimile cum Sabaudia habet. Hæc enim montoſa eſt, Pedemontii autem pars maxima planæ æqualiſque eſt, aſpectu iucunda, nec ſolum delectat eius amœnitas viſum, ſed eius campi fertilitate eximii, multum lucri adferunt colonis. Frumenta enim ſuppeditāt Sabaudiæ & Heluetiis, aliquandoq; Genuenſibus; quod ſi nō fieret, vili in Pedemontio viui poſſet; ſed dicti vicini adeo magnam annonæ copiam inde petunt, vt ipſum Pedemontium penuria aliquando laboret, acciditq; vt Frumenti modius, qui Scuto aut nummo Aureo & ſemis venundari ſo-

lebar,

Digitized by Google

lebat, aut ad ſummum duobus, Scutis aureiſve nummis tribus, aliquando quatuor væneat. Pedemontio includitur Ducatus Auguſtæ, vulgo *Ducche d' Aoſta*, dictus. continet is magnum Arcium numerum; Feudorum quoque, quæ nobiles poſſident. ſinguli horum non magnis pollent diuitiis, ſed omnes ſimul magnas poſſident opes. In Pedemontio ſunt quoque territoria Vercellenſe, Canauenſe, Comitatus Niceæ. Suntque in eo ſeptem Ciuitates, Auguſta nempe, quam ædificauit Auguſtus, à quo nomen eſt adepta. munita haud eſt *Auguſta*, ſed pulchris valde muris cincta. Secunda ciuitas, *Vercella* dicitur. Tertia *Inurea*. Quarta appellatur *Aſta*. Quinta *Mondouium*. *Nicea* ſexto loco numeratur. Septimæ *Taurinum* vulgo *Turino* nomen eſt. hæc Archiepiſcopi ſedes eſt, ſæpeque hic verſatur Dux. In Pedemontio ſeptingenta millia incolarum ſunt, quorum numerus quotidie maior fit. Hic populus haud vilis eſt, ſed multi eorum ſtrenui ſunt milites, pauci artibus mechanicis incumbunt; nec eas magni faciunt. ſufficere ſibi putant victum & amictum. in eo imitantur nobiles, qui mercaturam haud exercent, quamuis commoditate, quam Padus fluuius eis offert, mercaturam cum Mediolanenſis Status incolis, & multarum ciuitatum ad ripas Padi ſitarum exercere poſſent; immo & cum Venetis ſed hoc ipſi non curant, extranei autem mercatura Telæ, Canabis, Lanæ, & pauci Serici, magna ſimul parant diuitias: dici itaque poſſet, quidquid mercatores lucrantur, id eis à Pedemontanis dono dari, quod ipſi ſibi parare poſſent, ſi velint. Pedemontani in id ſolum incumbũt vt Penuarium probe ſit inſtructum, vtque laute viuant, ipſique Artifices mechanici ferina carne aliiſque preciosis cibis veſci volunt, vt verum ſit, Pedemontanos quidquid habent inſumere in luxum. Ducem id quidem male habet quod ciues induſtrii non ſint, offertque ipſis modum exercendi mercaturam, conſequendique lucrum; Aquæductus fieri curat, omniaque tentat, vt ſomnum eis excutiat. In Pedemontanis induſtria requiritur, ſed id obedientia erga ſuum Principem penſant, vt vitæ quoque innocentia: ſunt enim adeo ſimplices manſuetique, partim naturali inſtinctu, partim timore Fiſci, vt amanter quieteque inter ſe viuant, raraque ſint inter ipſos homicidia vulneraque. Habet Dux plus minus viginti virorum millia ſelectorum, qui armis inſtructi ſunt, nempe partim Pectoralibus, partim Sariſſis Sclopetiſque. Iidem in certas turmas & ſigna ſunt diuiſi ſub Capitaneis, qui alios ſuperiores agnoſcunt, ii vulgo *Colonnelli* dicuntur. Hi milites ſemper ſe exercent, fiuntque eorum luſtrationes certis temporibus. In Pedemontio numerantur plus quam octingentæ Arces, quæ nobilibus in feudum ſunt conceſſæ, Feudatariorumque communi voce plus minus ſeptem millia eſſe dicuntur; ſique ii præſtarent quod debent tenenturque facere, eſſet Dux Sabaudiæ potens admodum. Mari habet ordinarie tres Triremes inſtructas.

Ducatus Auguſta.

Ciuitates.

Incolæ.

Militia.

Redi-

Opes.

Reditus Ducis Sabaudiç ordinarii extraordinariique accedunt ad quingenta Aureorum millia, nempe Vectigal Salis 50000. Telonium Suſæ 24000. Vectigal mercium exterarum 18000. Alia vectigalia, cum eo quod Villafrancæ ſoluitur dicunt accedere ad 25000. Ordinarium antiquum cum eo, quod Baliaggi dicitur accedit ad 70000. Taxa ordinaria Pedemontii, cum mutatione Salis, ab alio montium latere, in Vectigal ordinarium perpetuumque 263000. Confiſcationes bonorum, condemnationes, augmentum ſubſidiorum, compoſitiones delictorum, Cenſuales, qui vulgo *Tagliabel* dicuntur, & de ſuis bonis diſponere haud poſſunt, niſi pendant aliquam pecuniæ ſummam Duci pro eius arbitrio; & Tributum quod pendunt Iudæi, & ex ſimilibus rebus percipitur 50000. Summa totalis eſt Aureorum 50000. De expenſis nihil certi dici poſſet, tamen hoc ſcitur in militiam impendi Aureorum 10000. In Aulam Ducis 60000 In Duciſſam 20000. In Triremes 22000. Duci Nemoroſio cognato Ducis, penduntur Aureorum millia 14. In Stipendia Officiariorum ab vtroque Alpium latere, Senatum, Cameras Iudiciarias aliaque, impenduntur 90000. In Legatos & res extraordinarias inſumuntur Aureorum 16000. In Donatiua 12000. In Veredarios & eos qui Duci ſunt à pedibus 10000. Dux impendit in res ei gratas 10000. Summa harum impenſarum accedit ad 38000. Aureorum.

Expenſa.

DE DVCATV FERRARIENSI,

DISCVRSVS VI.

Fines & amplitudo.

IN omni Imperio quatuor, meo quidem iudicio, in primis conſideranda ſunt: Status ſiue ipſum imperium, Soli ac regionum qualitas, Subditi, Vires ac Reditus. Ad Statum ſiue imperium Ducis Ferrarienſis quod attinet, eſt id ſane peramplum, tum commodiſſimo loco ſitum. A mari Adriatico ad Tyrrhenum vſque in longitudinem patet C L X. milliaria; Latitudo ad maris vſque litus circiter L X. milliaria comprehendit, hoc modo. A Primara ad Magna vaccam I X. ſunt milliaria, à Magna vacca Volanum vſque X V I I I. Volano Gozzum totidem; à Gozzo ad Venetorum confinia V I. inde ad Fanum S. Ambroſii in

terri-

territorio Bononienſi, non procul à Caſtelfranco, V. numerantur miliaria; à Mutina Regium X V. à Regio ad Berſellam totidem: omne hoc ſpacium his finibus comprehenſum alibi latius expanditur, alibi coartatur & reſtringitur. Præter Ferrariam Dux inſignes duas & Principali dignitate ornatas vrbes poſſidet, Mutinam & Regium, ciuium multitudine & opibus florenteis: in paludibus Adriaticis Comaclum, in Romanula multas arces & caſtella: in Hetruria Graffinianum; Carporum denique oppidum, multas ad res tenentibus opportunum, inprimis vero ad infeſtandum Ferrariæ Ducatum. Eſt enim in meditullio eius poſitum: à Carolo V. Imperatore, qui ad res ſuas in Italia ſtabiliendas Ducis amicitiam modis omnibus conciliandam ſibi putabat, ei feudi imperialis loco conceſſum, & Marco Pio Carporum Principe ob rebellionem ablatum. Id tamen Ferrarienſis Sextulani dominii permutatione redemerat. ſed Leonellus Pius Cardinalis pater, numquam adduci potuit nec prece nec pretio, vt in eam permutationem conſentiret. Quocirca Ferrarienſis imperatore aſſentiente, cum poſſeſſione deiecit; interim vero centum ſcutatorum millia apud Venetos depoſuit: quos Leonello accipere recuſante, Imperator recepit, & Farrarienſi poſſeſſionem Imperiali auctoritate tribuit & confirmauit. Habet vero multas & magnas commoditates Ferrarienſis Ducatus; quum eius ditio, vti dictum eſt, à mari ad mare pertingat. & in Adriatico quidem aliquot habet portus, vt ad Volanum, & Magna vacam: qui licet magnarum nauium capaces non ſint, non maximis tamen impenſis & laboribus capaces reddi poſſent. Horum portuum, ſed in primis Padi, fluuiorum in Italia omnium regis beneficio, & domeſticæ opes & ſuperfluæ in alias regiones exportari, & neceſſaria aliunde conuehi queunt: in primis vero mercibus omnibus quæ è Pedemontio, Lombardia, Tuſcia ſiue Hetruria Venetias tranſportantur, Ferrarienſis Ducatus tranſitum præbet. Vno tamen non exiguo laborat incommodo, quod Padi (vel potius rami eius) alueus obſtructus, Deni maxime fluminis à Bononienſi territorio decurrentis impetu accumulatis arenis, nauigationem infra Ferrariam difficilem reddit; vt verendum ſit, niſi operibus & molibus fluminis curſus adiuuetur, ne nauigatio plane intercludatur. Sed huic incommodo Dux maximis impenſis medetur, ductis hinc inde foſſis, aliiſque excitatis operibus, quibus circiter X X. hominum millia quotidie occupantur. Quoniam vero nec amplitudo nec commoditas ſolę ditionem aliquam ſecuram ac tutam reddunt, ſed duo prætereà requiruntur, vt ſcilicet eadem tam natura quam operibus munita ſit, vtque rerum omnium neceſſariarum copia abundet (facile quippe eſt copiis præualenti regionem nullis munitionibus firmatam, ſed omnium iniuriis quaſi expoſitam occupare ac ſub iugum mittere: vti Carolus VIII. Galliarum Rex regnum Neapolitanum; Sultanus

Carpi.

Portus & flumina.

Selymus

Selymus Anno M D XIV. & M D X V. Ægyptum & Syriam; eiuſq; filius Solimannus magnam Hungariæ partem domuit: quod tā facile nunquam ipſis futurum erat, ſi vel paucis munitionibus regiones eæ fuiſſent firmatæ, quibus oppugnādis primum eumq; acerrimum hoſtis impetum ſine dubio fregiſſent: nec vero ſterilis & ab annona inops regio diu contra hoſtes ſe tueri poſſit, præſidiariis neceſſario commeatu deſtitutis) quum, inquam, ditionis ſecuritas in duabus prædictis rebus, munitionibus ſcilicet & commeatuum copia præcipue poſita ſit: Ferrarienſem Ducatū contra vim quamcunque firmiſſimum eſſe affirmare auſim, vtpote qui multa loca habeat munitiſſima, & rerum omnium ad vitam neceſſariarum incredibili copia abundet.

Munitiones præcipuæ ſunt. Ferraria, Mutina, Regium, Carpi, Barſella ad ripam Padi, Seſtola, Caſtellum nouum, Verruca in Hetruria, Graffinianū, &c. *Ferraria* Metropolis totius Ducatus, vnde & ei nomen, ambitu comprehendit VI. aut VII. milliaria. vrbs inexpugnabilis fere habetur. Ab vno enim latere, vbi vetuſto muro cincta eſt, Padū habet præterlabentem, qui parti illi, veluti ampliſſima foſſa, prętenditur, & ab omni aſſultu rutam reddit. Eſt enim Padus ibi latus vltra centenos paſſus, ac tantæ profunditatis, vt nullibi vado tranſmitti poſſit. Reliqua vrbis latera fortiſſimis propugnaculis vallo craſſo admodum & lato, & foſſis profundis cincta ſunt. Quum ſolum ſit humidum & aquoſum, cuniculi agi, aut munitiones ſuffodi nequeunt. Qua Francolinum ſpectat, caſtris includi non poteſt, nō propterea tantum quod planicies illa ex vrbicis propugnaculis tota infeſtari, verū etiam aquis obrui poſſit. Vrbs ipſa plateis peramplis, magnificis palatiis, ac ædibus ſplendidiſſimis, in primis vero augusta Arce exornata eſt. Eſt quoq; ibidem celebre literarum gymnaſium, in quo celebres viri humaniora ſtudia, Iuriſprudentiam & Medicinā profitentur. Territorium vrbi ſubiectum magna ex parte planum eſt Pado, Reno, & Canali à Mutina ducto irrigatur: ſolo tam fertili, vt ſi bona ſit meſſis, duas tertias; ſi mediocris ſemiſſem frumenti ad vicinos mittat; numquam vero tam ſterilis ſit, quin ſuperſit potius aliquid incolis q̄ deſit. Ferraria & Romanula feuda ſunt ſeu prędia fiduciaria Sedis Romanæ: pro quorū inueſtitura Dux quorannis Pontifici dependit ſena ſcutatorū millia. Ferrarienſe territorium confine eſt Rauennati & Bononienſi. Sed Rauenna ab ipſa vrbe Ferrarienſi admodum longe diſtat; at Bononienſe territorium vix quatuor milliaribus ab ipſa vrbe abeſt. Venetorū etiam fines attingit, nec nō Pelaſellæ ciuitatis. Mirādulani Comitis ditionē quoq; ad fanum S Bernardi habet finitimam; ad Stellam vero oppidum Mantuanū attingit Ducatum.

Ferraria.

Mutina antiqua valde ciuitas, Galliæ Ciſalpinæ olim, quæ hodie Lombardia dicitur, fuit caput. Natura & opere munita eſt, & ampla;

Mutina.

ciues

ciues opulenti ſunt & bellicoſi. Territorium fertile habet, & inprimis vini opimi & delicatiſſimi ferax, vbi in colles aſſurgit. Montium ei parti quę *Fregnana* dicitur, *Sextula* inſidet loci ingenio & ſitu quum opportunus tum præſidio & arte munitus valde locus, quod in ipſis Pontificiæ & Florentinæ ditionum confinibus ſit poſitus. Mutinenſe territorium conterminum eſt Bononienſi & Mirandulano, in montanis vero locis, ſed multis ab ipſa vrbe milliaribus, Florentini quoque Ducis imperium attingit.

Regium Lepidi. Regium Lepidi, quod à Marco Æmilio Lepido Trium viro cognomen accepit, eoq; ab eo quod in Calabria ſitum eſt diſtinguitur, vrbs eſt lauta, nobilis, frequens, munita; ſolo ſita valde fertili; loco puleto amœno. Territorium partim in campos & planiciem ſeſe explicat, partim in mõtes attollitur. Præter Regium Ruberia eſt caſtrum firmiſſimum, & Berſella Ruberia ditionem Mediolanenſem ſpectat, & Ducatum Mantuanum: cui confine eſt Regienſis vrbis territorium; vt & Principatui Parmenſi, & dominio Corregiano. Regium Nicolaus III. Marchio Areſtinus à Duce Mediolanẽſi Anno MCCCCXXI. obtinuit: poſtea vero Anno MCCCCLII Borſus, vti ſupra diximus, fiduciariæ clientelæ nomine vna cum Mutina ab Imperatore accepit. Tandem Carolus V. Imperator inter Clementem VII & Ducem Alphonſum arbiter electus, duos hos Ducatus, Mutinenſem & Regienſem, Ateſtino adiudicauit.

Graffiniana. Graffiniana Tuſciæ ſiue Hetruriæ pars eſt, in qua Ferri ſunt fodinæ, ex quibus Dux magnum percipit emolumentum. In eadem prouincia in ipſo aditu Verrucula eſt, oppidum munitiſſimum. De ceteris nihil addo: quorum deſcriptio ex chorographorum libris peti poteſt.

In ſubditis quæ conſideranda. In ſubditis hæc præcipue conſideranda ſunt; num bellicoſi ſint an imbelles; quieti & obedientes, an turbulenti; Principemne ament an oderint: quarum rerum conſideratio non magni tantum eſt momenti, ſed multum etiam ad conſeruandum & deſtruendum Principatum facit. Sultanus Selimus Mamaluchorum regnum in Ægypto nullam etiam ob cauſſam breui tempore radicitus deleuit, quam quod ſubditi plerique omnes nequam eſſent, & Turcicum imperium peſſime odiſſent. Hodie quidem Galliæ pacem nihil magis turbat quam inquieta incolarum & turbulenta ingenia, quibus pace diuturna nihil moleſtius. A temporibus Ludouici VI. ad Franciſci II. vſque regnum Galli belli externis diſtenti, aut fines ſuos defendere coacti, pacem inter ſe coluerunt: at nunc pace cum vicinis vndiq; compoſita, arma in ſua ipſorũ viſcera & contra Regẽ ipſum conuerterunt. Quos odium, quos amor populi fructus ſoleant parere, plurima exempla demonſtrant. Quam enim aliam ob cauſſam Alphonſus Aragoniæ Rex Neapolitano regno exactus eſt, vltro accito Carolo VIII. Galliarum rege, quam quod ſubditis parum charus eſſet? At quum *Subditorum amor & beneuolentia tutiſſimum præſidium.*

Galli

Galli multa & ipſi liceriter contra ſubditos patrarent, iidem qui Gallos ante acceſſuerant, ad Ferdinandum regem defecerunt. Idem ſubditorum amor & beneuolentia Franciſcum Mariam Vrbinatum Ducem, à Leone Decimo P. M. Ducatu eiectum, reſtituit ac reduxit: eodemque munitus Alphonſus I. Ferrariæ Dux, Iulii I I. Leonis ex Clementis VII. Pontificum Ateſtinæ familiæ infeſtiſſimorum odia & inimicitias acerbiſſimas ſenſit quidem, ſed ſuperauit tandem & contempſit. Superiori quoque tempore illuſtriſſimæ, Venetorum Reipublicæ ab hoſtibus vndique circumſeſſæ & oppugnatæ, nihil tam præſidio fuit, quam ſubditorum amor & beneuolentia, multis nominibus, ſed imprimis humanitate, iuſtitia & elementia acquiſita. Sed vt ad inſtitutum noſtrum redeamus; populi Duci Ferrarienſe ſubditi bellicoſi admodum ſunt, & Ateſtinæ familiæ amantiſſimi, Nobiles inprimis. In vniuerſum vero Lombardi (quorum regione ii magna ex parte comprehenduntur) natura inquieti ſunt & feroces.

Ad vires quod attinet, habet Dux præter corporis ſtipatores, qui quinquaginta ſunt equites leuioris armaturæ & centum Germani pedites lectiſſimi, tam in vrbe quam eius territorio ſupra 27. hominum millia armis aſſuetorum, quibus ad omnes caſus vti poteſt. E nobilitate quidem, ſi opus ſit, idem magnum equitum numerum poſſit colligere. Armorum enim tractatione Nobiles heic maxime delectantur, ac plerique aliquem militiæ vſum & experientiam habent, atque facultates ſuas omnes, immo vitam quoque in ſtatu Principis ſui defendendo profundere non dubitarent. Tormentis vero aliiſque bellicis commeatibus idem Dux non mediocriter eſt inſtructus.

Reditus omnes excurrunt ad quinquies centena ſcutatorum millia. Magna ex parte in Vectigalibus conſiſtunt: quum in vrbem nihil omnium rerum exportetur aut importetur, quindecima pars iuſti valoris ſoluatur. Decimæ quoque ex omni contractu, emptione, locatione, venditione, donatione, &c. Ducis ærario penduntur. Nec contemnendus eſt reditus quem Dux menſibus Octobri & Nouembri è ſtagno Comaclino (*Comacchio* vulgo) percipit, vbi incredibilis Cephalorum & Anguillarum copia fiſcellis excepta, & ſale dein condita, aut fumo ſiccata, ad reliquas Italiæ ciuitates exportatur: adeo vt quadragena ex hoc piſcaturæ genere ſcutatorum millia quotannis conficiantur. Sed nihil Principis ærarium æque auget ac locupletat atq; Officiariorum ſiue Magiſtratuum reſpectus, qui ſine vllo impedimento munia ſua adminiſtrant, ac ſubditis quod Princeps iuſſerit, imperant: neq; hi vel minimum quid detractare auſint. Et vero firmiſſimus imperii neruus ſubditorum eſt obedientia. vulgus hic nil æque cauet quam ne fiſcum defraudaſſe deprehendatur: ſiquidem deprehenſi, non mercibus tantum priuantur, ſed pœna

etiam

etiam arbitraria multantur. Sic igitur vnoquoq; ſine fraude vectigalia atque eiuſmodi onera ſoluente fiſcus ſiue ærarium Principis valde collocupletatur: neq; exiguum emolumentum inde accedit, quod hominum cultura ad littus maxime manſuefactus ager, ſemina ſiue fructus magno cum fœnore reddit.

Expenſa. Porro expenſis non ita magnis Dux grauatur. In vniuerſum enim ſumptus, quos Dux facit in ſuam ipſius perſonam, præſidia, penſiones in cognatos, donationes, cæteros excipiendos, fabricas, aulicam familiam (quæ ſplendidiſſima eſt, & Nobilitate domeſtica abundat) ſtabulum (in quo quadringenti fere ſemper equi aluntur) ad bis centena ſcutatorum millia aſcendunt.

Hercules quidem Aeſtinus Ferrariæ Dux Henrico Gallorum Regi decies quinquies centena aureorum millia mutuo dedit: neque vero credibile eſt, omnem illum ſuam pecuniã erogare voluiſſe, ſed & ad ſuas neceſſitates aliquid, & fortaſſe plus reſeruaſſe. Coniiciunt nonnulli, quum tot iam annos pacifice Principatum, qui hodie rebus præeſt, Alphonſus Dux adminiſtrarit, vltra decem auri milliones in oculis habere, quibus belli tempore vti poſſit. Quæ ſane res magni eſt momenti, ne ſcilicet Princeps ingruente bello, tum, quum populus omni belli clade vexatur, tributis quoque ſubditos grauare, atque ita afflictis afflictionem ſuperaddere neceſſe habeat; qua quidem re in omni motu nihil eſt periculoſius. Et ſane publica etiam hominũ fama Dux Ferrarienſis rei nummariæ facultatibus & præſentanea pecunia etiam potentiſſimis ac maximis Principibus non par tantum, ſed ſuperior quoque eſſe perhibetur.

Principes finitimi. Ferrarienſis ditio finitimos habet Pontificem Romanum, Regem Catholicum, Venetos, Ducem Florentinum, Mantuanum, & Parmenſem, Rempublic. Lucenſem, Comites Mirandulæ, & Dominos Corregii, Pontificis idem & Sedis Romanæ eſt obſeruantiſſimus, vtpote Catholicus inprimis Princeps & religioſus, à qua etiam obſeruantia nunquam deflectet, quamdiu per Pontifices licebit. Huius quidem auus Dux Alphonſus à Iulio II. Leone X. & Clemente VII. diu ac vehementer fuit exagitatus; huic quoque, qui iam rerum potitur, Pius IV. & Pius V. multum negotii faceſſiuerunt: inſtigante maxime Duce Florentino, & ob duplicem, de ſale ſcilicet, & finibus controuerſiam Illa quidem de finibus cum agro Bononienſi vetus admodum eſt, & à Venetis olim tempore Borſi Ducis arbitris electis, deciſa, determinatis finibus, quibus iam loco motis, & ſignis ablatis, nuper eadem quæſtio rurſus exagitari cœpit.

De ſale controuerſia non minoris etiam eſt momenti. Habent enim Duces Ferrarienſes ſalis conficiendi antiquitus priuilegia, niſi iuſtis de cauſis id Pontifex vetuerit, hac tamen conditione, vt Ferrarienſis certo pretio magnam ſalis vim è Pontificis ditione ad ſubditorum ſuorum vſum comparet. Poſtea vero Pontifex Ducem ab ſale

conficiendo abſtinere iuſſit, quin etiam Commiſſarium in ipſa vrbe Ferrarienſi conſtituere voluit, qui Sedis Romanæ nomine rem ſalariam procuraret, & vectigal perciperet. Dux econtra illud prætendebat, ab Auo ſuo Alphonſo mutatis conditionibus, præiudicium ſibi & ſucceſſoribus fieri non poſſe: neque æquum eſſe, cum Princeps ſit ſui iuris, vt alterius Principis Commiſſarium & hominem in ſuæ iuriſdictionis detrimentum admittere cogatur. At eum hodierno Pontifice Duci bene conuenire videtur. Et quamuis de Pontificum animis nihil fere certi quiſquam ſibi promittere poſſit, ob frequentem mutationem, & ingens ſuos euehendi deſiderium, quo plerique omnes in dignitate illa conſtituti flagrant, adeo vt hanc ob cauſam Italiæ quies non raro turbata ſit: credibile tamen eſt omnes iuſtos & pios Pontifices & Mediceæ familiæ non obnoxios paterno amore prædictum Ducem complexuros; aut etiam ſi minus eum amauerint, à vi tamen omni & iniuria ſibi temperaturos, non ſolum Imperatoris, Regis Catholici, & Venetæ Reipublicæ reſpectu; ſed illo etiam metu, ne Ducis inſtigatione Principes Germani Lutheranæ ſectæ addicti in Italiam exercitum ducant, & Pontificis iam authoritatem, quam ſtatum vn uerſum conuellant, ac labefactent.

Imperatorem ſiue Cæſarem Dux Ferrarienſis comiter obſeruat, & magna veneratione proſequitur: Imperator viciſſim beneuoli erga eundem animi manifeſta ſigna oſtendit: idque fecit inprimis Pii IV. & Pii V. Pontificum temporibus.

Venetam Rempubl. idem Dux amat & honorat; vtpote qui in eius amicitia magnum ſecuritati ſuæ præſidium poſitum eſſe nō ignoret. Gallia non tantum longe diſſita, ſed afflicta etiam atque exhauſta eſt, neq; erga Ducem, vt olim, animata. Hiſpania quoque & longe à Ducis imperio abeſt, & grauiſſimis bellis implicita, ſuis ipſa opibus eget; quod vero peſſimū eſt, pleraq; eius regni negocia a miniſtris auaris & ambitioſis adminiſtrantur. Cū Germaniæ Principibus idem Dux nimis arctam amicitiā colere, aut ad ea res ſuas ſtabiliendas vti ſe non poſſe intelligit, niſi omnes Italię Principes offendere, diuina & humana permiſcere, Statum ſuum manifeſto periculo exponere, famæ deniq; & exiſtimationi probrum ac dedecus conciliare velit: quum Veneti propinqui ſint, & non minus viribus quam auctoritate valeant, ad quorum opem ſine iuſta cuiuſquam offenſione vel querela in neceſſitatibus perfugium ſibi habet paratum. Cum Mantuæ & Parmæ Ducibus cognatione idem & firma amicitia eſt cōiunctus: qui quod ſub Pontificis, Imperatoris & Catholici Regis viuant protectione, pari eundem beneuolentia & officiis proſequuntur. De magno Hetruriæ Duce aliquid dicere nihil attinet. Nota enim eſt quæ inter duos hos Principes de præeminentia intercedit, & coram Imperatore iam diu agitatur controuerſia.

Et

Et ſolemne eſt Principibus animi ſenſa quantum fieri poteſt occultare,& tum demum quum occaſio ſe obtulerit,exprimere: interim vero in rebus omnibus beneuoli animi indicia præ ſe ferre. Quum vero ex omnibus Principibus Imperatoris Roman. & Galliarum Regis præcipua ratio habenda ſit, quod etſi Ferrariæ Ducatui non ſint finitimi, ab Italia tamen non longe earum ditiones & regna abſint: de vtroque aliquid addam. Auus & Pater moderni Ducis è Gallica ſtirpe orti ſunt: ipſeque Dux è Renata Ludouici XII. filia natus, prima iuuentutis ſuæ tyrocinia in Galliis fecit, vbi fortibus factis & variis dignis Principe virtutibus apud Henricum Regem auunculum gratiam ſingularem & amorem eſt adeptus; eundemq; Franciſcus nepos plurimum coluit & obſeruauit. Poſtea vero iratus quum ob mutuam pecuniam ſæpius poſtulatam,ſed non redditam, tum ob prælatum ſibi in præeminentiæ gradu, reginæ matris potiſſimum opera Ducem Florentinum, ex aula diſceſſit, atque exinde in Hiſpanorum & Caroli Imperatoris partes pronior fuit: cum Galliæ tamen rege inimicitias nullas aperte geſſit,quod id rebus ſuis minime expediret, vtpote qui vicies millenûm ſcutatorum reditus annuos ex illo regno percipiat.

CumGallia Rege.

Imperator & Sereniſſimi eius fratres ſummum erga Ducem amorem & beneuolentiam demonſtrant,quamuis affinitas quæ inter ipſos fuit, Barbaræ Duciſſæ morte iam quodammodo rupta ſit & ſublata. Eandem vero beneuolentiam Dux omni officiorum genere alere ſtudet.

Cum Imperatore.

Eidem cum Germaniæ quibuſdam Principibus, Palatino inprimis, Saxoniæ & Brunſuici Ducibus (qui ex eodem ſtemmate Ateſtinorum deſcenderunt) magnæ ſunt neceſſitudines, quas tam literis quam Legatis vltro citroque miſſis vtrique conſeruare ſtudent. Quo tempore Pius IV. Ferrarienſem acerbis odiis eſt inſectatus, iidem firmiſſima tam peditum quam equitum auxilia Duci obtulerunt: quibus licet Dux non ſit vſus, nec fortaſſis vſurus ſit, magni tamen propterea fieri, ac hoſtibus ſuis formidabilior videri debet.

Cũ Germania Principibus.

Reliquum eſt, vt de externis atq; internis Principis huius virtutibus aliquid dicamus. Statura corporis procera eſt, membris bene & decenter compoſitis, facie venuſta, vultu graui, firma valetudine, & totius corporis robore, natus annos circiter LVII. Vxores tres habuit. Primam Coſmi Florentinorum Ducis filiam. Secunda Imperatoris Auſtriaca familia prognata ſoror fuit. Tertia vero quam in matrimonio habuit, è Gonzaga fuit familia, Mantuani Ducis ſoror. Ex quibus omnibus nullos procreauit liberos; quam ob cauſſam, incertum eſt, niſi quod naturali quadam ad generandum impotentia laborare exiſtimetur.

Externa dotes.

Interna. Ad animi dotes, & primum ad Religionem tanto magis Principi neceſſariam quanto plus is Deo debet, quod attinet; Dux Ferrarienſis Catholicam religionem ſummo ſtudio & zelo amplectitur. Iuſtitiæ ſimul & clementiæ laudem affectat; at multa cum humilitate & ſummiſſione adiri vult & rogari. In audientia & congreſſibus comem admodum & facilem ſe præbet; omnibusque ſi non ſemper reipſa, verbis tamen humanioribus ſatisfacere ſtudet. Pacis ante omnia eſt ſtudioſus, & ſubditorũ diſcordias in ipſa herba ſtatim extinguit, non ignarus quantum inde ad Principis ſtatum redundare poſſit detrimẽtum & periculum, dum ſcilicet æmuli Principes iis ſeſe immiſcent, & ad ſua compendia abutuntur. Et concordia quidem Ferrarienſis Nobilitatis tanta eſt, vt in Italia vix quidquam ſimile reperiatur. Voluptatibus Dux Ferrarienſis moderate vtitur; quæ virtus tanto in Principe eſt laudabilior, quanto maiorem ſumma rerũ poteſtas peccandi licentiã ſubminiſtrat. prudens admodum eſt: eaq; virtus in multis ipſius actionibus hactenus eluxit. Quum enim initio ſui Principatus æmulum haberet potentem admodum & ditiſſimũ, Florentinorum Ducem; animaduerteret vero in Gallicis auxiliis, quibus maiores ipſius, maxime quum à Iulio II. Leone X. & Clemente VII. exagitarentur, parum ſibi ſpei eſſe, immo potius regnum illud ipſummet ciuilibus diſſenſionibus fractum & perſundatum, externo potius auxilio egere, quam aliis quidquã opis præſtare poſſe: ad Auſtriacæ familiæ clientelam & protectionem confugiendum ſibi exiſtimauit; eaque re omnes omnium ſuorũ æmulorum conatus & conſilia diſturbauit. Quum vero ad res ſuas ſtabiliendas tali ſubſidio opus ſibi eſſe intelligeret, quod non aliunde dependeret; idem vero nouiſſet, quantopere Lutherani Germaniæ Principes in Italiam cum exercitu deſcendere expetant: eoſdem omnibus officiis demereri ſtuduit, adeo vt certum ſit vel minimo eius nutu, quantum voluerit, Germanorum numerum in Italiam irrupturum fuiſſe. Qui vero intimas eius cogitationes & conſilia norunt, exiſtimant, hanc cum Germanis amicitiam eo tantum ſpectaſſe, vt Pontifices & Ducem Florentinum illorum metu tanto ſibi haberet æquiores; neque vnquam Germanos in Italiam adducturum fuiſſe, quorum inconſtantiam probe haberet perſpectam, cum pecunia fide quoque eorum deficiente. Vt vero Dux ipſe Italiæ quietem non facile turbaturus exiſtimatur; ita quoque ſi quis tantis virtutibus ornato, tantis opibus & adfinitatibus munito arma inferre velit, grauiſſimum ſine dubio hoſtem ſibi & aduerſarium ſit excitaturus, &c.

DE

DE DVCATV VRBINATI, DISCVRSVS VII.

IOANNES Franciſcus Gonzaga patri Ioan. Franciſco, Domino Mantuæ ſucceſſit. A Sigiſmundo Cæſare Mantuæ in magnificentiſſimo Tribunali in foro D. Petri primus Marchio creat⁹, Anno à Chriſto nato 1433. conceſſis ipſi inſignibus Aquilæ nigræ, albo in campo, cum cruce rubente. Obiit rerum geſtarum gloria clarus, principatu inter filios diuiſo Anno MCCCCXLIV.

Ludouico Gonzagæ, pater Ioannes moriturus Mātuam, Macheriam, Goitum, omniaque ad Veronam ſita tribuit. Patre viuo Piccinino & Mediolanenſibus militauit contra Venetos, à quibus captus Lytrum perſoluit. Cum fratre Carolo diu dimicauit. ad extremum tamen victor. Fridericum Tertium Imp. & Chriſtianum Primum Daniæ Regem hoſpitio ſplendidiſſime excepit Anno 1469. in vrbe multa ædificauit magnifice: Ædis D. Sebaſtiani fundamenta iecit: templi S. Andreæ horologium abſoluit abſolutiſſimum. Fato conceſſit Anno MCCCCLXXVIII.

Federicus Mantuæ Marchio Tertius, bello & pace multa ſapienter egregieque geſſit. In ciues ſuos tanta fuit beneuolētia, vt re ſua familiari pecuniaq; mutua præter vllam cōpendii fructuſve ſpem eos iuuaret: plurimas in vrbe artes opificiaq; exerceri voluit; deſidiam & otium ante omnia deteſtatus: ingenia ſuorum temporum humanitate, liberalitate, gratiaq; ſumme fouit. Hoſpites præcipuis honoribus habuit. Obiit Anno 1484.

Franciſcus ſecundum fata patris Federici, principatus inſignia cepit Anno 1484. primum omnium Italiæ Principum barbam perpetuo aluit. Diſciplinæ militari ſtudioſiſſime vacauit; quapropter non apud Italiæ ſolum magnates ſummum exiſtimationis gradum tenuit, ſed etiam apud Maximilianum Primum Imp. & Ludouicum XII. Regem Francorum; à Venetis item ob illuſtrem animi magnitudinem, & immenſum pugnacis ingenii ardorem, delectus imperator gemino bello victor extitit cum inſigni gloria. Cæterum vir prædicatur bonus, & dexter, erga ſuos

milites liberalis, erga hoſpites magnificus, erga ciuitates amans. Poſt inſignem rerum egregie bello geſtarum gloriam ſupremum diem finiit Anno Chriſti 1519.

Federicus Marchio Mantuanus Quintus 3. Non. Aprilis Ann. Chriſti 1519. ſolenni ritu Sceptrum Imperii ſumpſit in porta templi Cathedralis, nulla re patri inferior, commendatione militaris virtutis fuit; quamobrem cum à Leone X. Pont. Rom. tum à Florentinis, copiarum præfectus, ætate adhuc prima eſt conſtitutus. Carolum V. Imp. poſtquam Auguſtalem coronam à Clemente VII. Pont. Rom. Bononiæ ſumpſerat, ſplendidiſſime hoſpitio excepit; à quo in Ducem Mantuæ electus, inſequenti anno, qui fuit 1531. vxorem duxit Margaretam Gulielmi Palæologi Montisferrati Marchionis filiam, cum dote illius Marchionatus. Obiit Anno 1540.

Franciſcus Dux Mantuæ & Marchio Montisferrati ſecundus, puer ſeptennis ſolennia Principatus cepit, ſub tutela patrui ſui Herculis Cardinalis. Non multo poſt nuptias cum Catharina Ferdinandi Imp. filia celebratas, quum fortuito in Mincium fluuium incidiſſet, ab corpis ſyncope febrem continuo traxit, quæ eum breui conſumpſit, Anno Chriſti 1550.

Gulielmus ſacris initiatus Franciſco fratri ſucceſſit in vtroque Mantuæ & Montisferrati principatu: à Maximiliano II. Imp. in Ducem Montisferrati eſt inueſtitus, & magnis priuilegiis donatus Anno Chriſti 1573. Obiit Anno 1587.

Vincentius poſt patris Gulielmi fata rerum gubernacula ſuſcepit.

1. Ottone vel Odone Antonii Vrbini & Monfeltrii Principe, ob libidines in quaſuis mattonas, præſertim virginem nobilem, populari furore trucidato, ſucceſſit in gubernatione Fridericus vir prudens, facundus, literatus, in Mathematicis diſciplinis excellens, & ingeniorum amator, bello felix, pace clarus, apud Italiæ Principes honoratus, à ſuis dilectus, Vrbinum ſplendidis ædificiis exornauit, præcipue ſumptuoſa illa domo, cum Bibliotheca magnifice inſtructa, quam ingenti multitudine voluminum optimorum, Auro, Argento, Serico mirifice opertorum ornatorumque, repleuit. à Sixto IV. Dux Vrbini primus renunciatus eſt, educatus à ſocero in omnibus artibus liberalibus vſque ad XI. ætatis annum, quo Mantuam miſſus, p biennium literis incubuit honeſtis ſub Victorino Feltrio. a Sigiſmundo Imp. Eques Auratus creatus eſt. Variis in bellis feliciter rem geſſit, generalis Florẽtinorũ contra Alfonſum Regem Neapolitanum An. 1447. cõſtitutus. In ludicro certamine equeſtri oculũ amiſit dextrum Anno MCCCCL. Senis obſit An. 1452. pacẽ cũ Malateſta fecit An. 1459 Pio II. PP. pacem cõponente, & Forum Sempronii precio ...

Aureorum nummûm ab eodem Galeatio Malateſta emit. In bello ꝙ Veneti aduerſus Herculem Eſtenſem Ferrariæ Ducẽ geſſerunt, Padana aura inſalubri febrim concepit, qua extinctus eſt Ferrariæ Anno 1482. ætatis 60. Corpus Vrbinum portatum, & in S. Bernardini monaſterio ꝙ extra vrbem ædificauerat, ſepultum eſt. Tria ferramenta, ex quibus ignis excutitur trigonice poſita, & in medio Silex cum inſcript. *Non quoduis tero.*

2. Guido Vbaldus vel Guido Baldus Ducis Friderici filius, Dux Vrbini ſecũdus fuit. Educatus in diſciplina Ludouici Odaſii Paduani, ſub quo in literis Græcis & Latinis plurimum profecit. Patre defuncto militiam ſequutus eſt, inſeruitque Innocentio Octauo PP. contra Ferdinandum Neapolitanum Regem. Ciuitates rebelles in obedientiam reduxit. Florentinis contra Piſanos militauit, & horum Rempubl. prorſus euertit. Dux copiarum Alexandri VI. PP. aduerſos Vrſinos in hoſtium poteſtatem, amiſſo exercitu venit Anno 1497. Poſtea à Cæſare Borgia circumuentus, vim eius & carcerem vix euaſit, Anno 1501. mox Paulo Vrſino Grauinæ Duce, Vitellocio & Oliueroto Firmiano ad Senegalliam captis, profugere coactus, ſed Alexandro Sexto PP. mortuo, rediens, ſumma omnium voluntate & lætitia receptus eſt. Iulio Secundo PP. gratus. Reliqua vita tranquille acta moritur ſine liberis Foſſoubronæ Anno 1508. ſepultus iuxta patrem, cum adoptaſſet Frãciſcum Mariam, nepotem ex ſorore Ioanna, Princeps & moribus, & virtutibus & literis præſtans Elephante cingulo ligato, multiſque muſcis infeſtato, pro Symbolo vſus eſt, cum inſcript. *Virtus vnita.*

3. Franciſcus Maria Roboreus natus Anno 1491. adoptatus in familiam Monfeltriam, Feltrii cognomen accepit, & Dux Vrbini III. a Guidone Baldo affine & anteceſſore deſignatus eſt. Patri in Soræ, Senegalliæque principatu ſucceſſit. Iulii II. patrui copias duxit, ſed a Ioan. Iacobo Triultio fuſus eſt. Alidoſium Cardinalem, apud Rauennam trucidauit, quod Bentiuolis Bononiam reddidiſſet. Reconciliatus patruo Pontifici Iulio II. cum Galliæ Regis Ludouici XII. partes ſequi in animo haberet, Piſauri Principatu donatur An. 1512. 12. Februarii, cuius poſſeſſionem accepit Anno 1513. A Leone X. tota Vmbria ac Piſauro pulſus, Vrbini Ducatum amiſit, quem PP. dedit Laurentio Medici. Exercitu itaque collecto, qui confecto bello Veneto, à Gallicis ducibus dimittebatur, magnum terrorem Pontifici & Florentinis incuſſit, verum deſertus à ſuis nihil effecit, ſed ad Lotrechium ſe conuertit. Leone decimo defuncto Vmbriam, & Ducatum Vrbini, vt legitimus hæres recepit, auxilio Hiſpani, Anno 1517. & Imperator Veneti exercitus factus, cunctando hoſtes, vt prudens princeps vicit, Pauiam eis eripuit Anno 1582.

multas ciuitates ad dandum Tributum coegit. A Paulo III. afflictus eſt, ob Camerini negocia, quam ciuitatem ratione nurus ſuæ poſſedit. Sapientiſſimus & grauiſſimus Capitaneus comparandus etiã cum quouis ex antiquioribus, à Carolo V. dilectus, veneno ab inimicis necatur Piſauri, Anno 1538. ſepultus Vrbini in templo S. Claræ, Symbolo vſus, Olea, cum inſcript. *Se ſibi.*

4. Guibaldus II. Roboreus vel Monſeltrius, patri Franciſco Duci ſucceſſit, Dux Vrbini IV. Piſauri Dynaſta, Soræ & Senogalliæ dominus, Literatus & Muſicus celebris, iudicio & in Architectura inſignis. bella plurima ſedauit, Capitaneus generalis vel Imperator totius exercitus a Iulio III. creatus, cum bellum in Hetruria arderet, Anno 1553. quo in officio & dignitate ſeruiit etiam Venetis ac Philippo Regi Hiſpaniarum. A Carolo V. Eques Ordinis Aurei Velleris creatus. Corruptus à miniſtris malignis, ſubditos inprimis Vrbinates & Eugubinos exactionibus onerauit, ideoque in odium populi incidens tumultum eius expertus eſt, & melancholia grauatus in febrim quartanam incidit, qua menſe integro laborans, moritur Piſauri Anno 1578. ſepultus in monaſterio Corporis Chriſti. Symbolum eius fuit, Pyramides tres Ordine caneæ quadratæ impoſitæ.

5. Franciſcus Maria II. Roboreus vel Monſeltrius, Dux Vrbini V. natus Anno 1549. Hiſpaniam in iuuentute adiit, & vixit in Aula Regis Philippi, vnde rediens in patriam Anno 1571. Capitaneus claſſis contra Turcas factus, interfuit prœlio ad Echinades facto. Gubernationem Vrbini Ducatus accepit Anno 1578. Princeps humanus, literarum ſtudioſus, in Mathematicis, Theologicis ac Philoſophicis rebus excellens, Bibliothecam ſibi collegit copioſiſſimam & inſtructiſſimam. Symbolo vtitur: Leone erecto, qui dextero pede anteriore tenet gladium, cum inſcript. *Non deeſt generoſo in pectore virtus,* 2. Palma, cuius altera pars lapide premitur, cum inſcrip. *Inclinata reſurgo.* Vxor Lucretia Eſtẽſis, filia Herculis ſecundi Ducis Ferrariæ, quæ pro Symbolo vtitur Palma ad litus maris poſita, in quam flat ventus, cum inſcrip. *Vi creſcit.* Poſſidet Dux Vrbini 7. ciuitates & plus quam 300. Caſtella, ciuitatum nomina ſunt, Vrbinum, Eugubium, Cagliũ, Foſſembrono, hæ ſunt Ducatus Vrbini. Fanum Leonis caput eſt Comitatus Monſeltrii, Sinigalia & Piſaurum. Dominium Ducis Vrbini eſt admodum fertile, floridum, omnibuſque ad vitam commode tranſigendam abundans, bona eius dominii pars ſita eſt ad Mare Adriaticum, quod apprime opportunum commodumque eſt inuectioni rerum omnium, quæ vndequaque facile fieri poteſt, poſſuntque multa inde commode euehi deferrique ad alia loca. Extenditur hoc dominium in longitudinem ſexaginta miliaria, in latitudinem 35. conter-

minum

minum imo inſertum eſt ditioni Romanæ Eccleſiæ, cuius Vrbini Dux Feudatarius eſt: attingit quoque dominium Ducis Vrbini fines Florentinorum, ſoluitque Dux Vrbini quotannis Romano Pont. pro cenſu recognitioneque Aureorum 2200. Reditus Ducis Vrbini quos percipit ex bonis hereditariis, Gabellis aliiſque prouentibus æſtimantur accedere ad centum Aureorum millia quotannis, at ſi vellet Dux ſuis ſubditis imperare multo maiorem pecuniarum ſummam, ab ipſis poſſet conſequi, ſed ipſe inſiſtens veſtigiis ſuorum anteceſſorum, volenſque à ſubditis armari, eos non grauat inſuetis oneribus, mauultque minus pecuniarum poſſidere.

LAVRENTII MOCENICI DE SVA AD VRBINI DVCEM Legatione,

DISCVRSVS VIII.

SERENISSIME *Princeps, Excellentiſſimi Senatores & Patres conſcripti.* Legationis meæ ad Guidum Vbaldum Vrbini Ducem, hiſtoriam & euentum pro more expoſiturus, breuitati ita ſtudebo vt nec vel veſtra patientia, vel ocio meo abuti videar: nec tamen quidquam omittam earum rerum quarum cognitio Seren. Veſtræ in grauiſſimis his negociis alicui vſui eſſe poſſit.

Heic auctor noſter Vrbinatium Ducum Genealogiam ſubiungit; quam nos ſuperiori illa contenti, ne actum agamus, prœterimus. Reliqua ergo ſequuntur.

Poſſidet Vrbini Dux aliquam Vmbriæ partem; in Marca vero Anconitana ſeptem ciuitates, & trecenta circiter caſtella & pagos.

Ciuitates ſunt, *Vrbinum, Eugubium, Caglio, & Foſſombrunum.* Et hæ quidem ad Vrbini Ducatum pertinent. *San Leo* Montis Feltrii Comitatus eſt metropolis, cum *Se*[illegible]*llia & Piſauro* *Ciuitates.*

Ager fertiliſſimus eſt, & om[illegible]rum tam ad neceſſitatem, quam voluptatem copia abundat. Regio fere omnis ad maris Adriatici litus poſita eſt, eoque multas habet opportunitates recipiendis exoticis mercibus. In longitudinem patet hic Ducatus ſexaginta milliaria; latitudo vero triginta quinque milliaria comprehendit. Coniunctus quodammodo & inſertus eſt S. Romanæ Eccleſiæ di- *Ager.*

tioni,cuius quoque idem Dux cliens eſt fiduciarius ſiue vaſallus, ei que cenſus & recognitionis nomine quotannis bis mille ducentos & quadraginta ſcutatos dependit. Ab altera vero parte Ducem Floren tinum habet finitimum.

Reditus. Reditus omnes tam in poſſeſſionibus quam vectigalibus ad centum ſcutatorum millia excurrunt. Quod ſi populo tributum imponere velit, ſine dubio maiorem longe ſummam Dux poſſit colligere. At maiorum exempla ſequutus, pecunia idem carere quam acerbis exactionibus populi ſe in odium concitare mauult.

Matrimonia. Idem Dux in matrimonio habuit duas coniuges. Primam Iuliam Varanam, Camerini Duciſſam: quem Ducatum Dux quoque viuo patre Franciſco Maria, poſſedit. Quamuis enim Camerini Duce ſine liberis defuncto, Paulus III. Pontifex in eius ditionem ius ſibi vindicauerit, tamquam ad Sedem Romanam deuolutam: bello tamen tam magnanimum Principem laceſſendum ſibi non putauit, quum præſertim eumdem ad ſui defenſionem omnia comparare videret. Franciſco autem Maria è viuis ſublato, & Guidone Vbaldo nondum pueritiæ annos egreſſo, Pontifex prædictum Ducatum nullo negocio occupauit, & Petro Aloiſio filio ſuo conceſſit, poſtea vero cum Parmæ & Placentiæ Principatu permutauit; cuius permutationis formulæ omnes Cardinales, Piſanis exceptis, ſubſcripſerunt; quod Eccleſiæ Romanæ rebus percommodam & vtilem eſſe Pontifex aſſeueraret. Altera Ducis coniux fuit Victoria Farneſia, quæ etiamnum viuit, nata annos circiter LX. Principiſſa prudens admo dum, omnibus Gratiarum donis exculta, & Duci marito ardentiſſi me amata Eadem quum in omni re tum præſertim in ſermone exi miam quandam modeſtiam & prudentiam oſtendit: ac nuper mihi in ſermone familiari ſummum ſuum Sereniſſimæ noſtræ Reipublicæ gratificandi deſiderium, tum immenſum ex eiuſdem periculis & difficultatibus dolorem exponens, ſignificare me Seren. Veſtræ iuſſit, quum ipſa vtpote mulier, præſentibus malis medicinam facere non poſſit, ſe Deum votis omnibus comprecaturam, vt Sereniſſimam Veſtram Rempublicam omnibus ærumnis liberatam, tandem glorioſa de omnibus hoſtibus ſuis victoria donare clementiſſime & cumulare velit: vtque eædem preces ad Deum fiant, per omnia ſuæ ditionis monaſteria edicturam. Equidem tam ex his verbis quam factis omnibus, dum me tamquam Serenit. Veſtræ Legatum eximio cultu & humanitate tam ip[illegible]m Dux eius maritus ſemper proſequuti ſunt, ſingularem qu[illegible]n vtriuſq;, ſed illius maxime, erga Remp. noſtram amorē & beneuolētiam notare potui atq; obſeruare.

Liberi & eorum matrimonia. Habet Dux ſex filios, duas filias naturales, & vnam legitimam, è Camerini Duciſſa natam, ex præſenti vero coniuge vnum ſuſcepit filium, Principem & hæredem, & duas filias. Filiarum naturalium vna Antonio Landriano olim nupſerat: quo mortuo eadem in Petri

An-

Antonii de Luna Mediolanenſis Patricii opulentiſſimi, & Caſtellæ domini matrimonium conceſſit. Alteram duxit Guido Vbaldus Regneri filius, domini Montini nepos qui in Veſtræ Serenitatis iam eſt ſeruitio. E Camerini Duciſſa nata filia Friderico Borromæo Pii I V. Pontificis nepoti nupta fuit. Promiſerat quidem initio Pontifex ſe Camerini Ducatum eidem feudi loco conceſſurum; at Friderico defuncto, res infecta manſit. Hodie eædem Ducem Grauini, ex Vrſinorum familia, magnæ auctoritatis Principem in matrimonio quũ habuiſſet, partu filia extincta fuit, magno cum prædicti Principis dolore. Moriens teſtamento hæredem ſcripſit patrem ſuum Ducem Vrbinatem: eaque hæreditas auri & argenti facti atque infecti variorumq; cimeliorum ad centies & octuagies centena ſcutatorum millia æquare dicitur. Ex filiabus è præſenti Duciſſa natis maior natu Biſignano Principi, è Sanſeuerinatium familia, homini ditiſſimo, & maximæ in vniuerſo regno auctoritatis, nupſit. Is ex annuis reditibus centum circiter ſcutatorum millia quotannis habere fertur; ſed idem multo ære alieno eſt obligatus. Ducillæ nomen eſt Iſabella, multis tam animi quàm corporis dotibus ornata, & marito perchara. Altera filiarum iuuencula eſt, eximia forma & magno animo prædita. Princeps filius, ab auo paterno Franciſcus Maria dictus, ingenio prompto & facili. Corporis exercitiis valde eſt deditus, pilæ ſcilicet, venationi, aliſque talibus quæ armorum velut quoddam ſunt tyrocinium. Militiam enim paullo firmiori ætate ſequi Princeps con ſtitutum habet: eoque tam aſſidue prædictis vtitur exercitiis vt metus ſit ne valetudinem offendat. Præter hæc omnibus Principe dignis rebus oblectatur, equeſtri ſcilicet arte, ad cuius vſum multos eoſque exquiſitæ bonitatis equos continuo alit; tum ſtudiis Mathematicis, & quæ munitionibus exſtruendis inſeruiunt. Idem iam vxorem duxit Lucretiam Ateſtinam, Ducis Ferrarienſis ſororem, formæ quidem gratia floreutem, ſed ætate paullo prouectiorem. Nata enim iam eſt annos vndequadraginta: ideoque matrimonium hoc impar quodammodo videtur, quum Princeps eius maritus viceſimum quintum ætatis annum nondum exceſſerit: ac tanto idem ipſi Principi, aulicis, omnibus denique ſubditis minus gratum eſt, quanto minor ſpes eſt hæredis. Cur vero Dux matrimonium hoc filio ſuo conciliandum ſibi exiſtimarit hanc nonnulli adferunt cauſſam, quod Princeps regis in Hiſpania aulam ſequens, virginem ibi efflictim deperierit, adeoque in matrimonium ducere conſtituerit, licet genere & conditione imparem. Id veritus pater, alio filii animum occupandum amore cenſuit.

Sed quum animaduerteret illas cum Hiſpanica puella nuptias ſine illius gentis offenſione diſturbari nõ poſſe, niſi multo ſplendidiori cum præcipua aliqua totius Italiciæ Princiſſa matrimonio; illuſtriſſimam hanc fœminam ex antiquiſſima Ateſtinorum ſtirpe, Duciſq;

Fer-

Ferrarienſis filiam, vxorem ei dedit. Dotis nomine eidem à fratre data ſunt centum & quinquaginta millia. Quum nupèr miro quodam vrbis veſtræ viſendæ deſiderio flagrare ſe mihi in ſermone familiari dixiſſet, reſpondi, conſpectum eius Sereniſſimo Principi,& Senatui ac populo Veneto ſemper fore gratiſſimum: eorum tamen nomine rogare me vt paullo lætius tempus expectare velit,quo tanto honorificentius excipi & tractari poſſit.

Dux Vrbinas Capitaneus generalis,&c.

Dux hic vt Veſtra nouit Serenitas, veſtræ olim Reipublicæ egregiam vt generalis militiæ Præfectus,operam præſtitit,idem deinde à Pontifice ſummus militiæ in Eccleſiæ Romanæ ditionibus præfectus fuit conſtitutus, hodie à Philippo Hiſpaniarum Rege Catholico vt generalis in Italia militiæ Capitaneus, duodenum aureorum millium annuo ſtipendio eſt conductus. Ad alios inſuper vſus Rex Catholicus eidem Duci quotannis triginta quinque aureorum millia tranſmittit; quæ pro Ducis arbitrio in homines militares diſtribuuntur

Quamuis autem idem Dux Regiæ Catholicæ Maieſtati ſeruitium lubenter atque vltro etiam præſtare videatur, à qua etiam eximium honorem & remunerationem accepit;quantum tamen ex eius & aulicorum ſermone intelligere potui, idem ad Serenitatis Veſtræ ſeruitium non omnino difficillime reduci queat. Et ſane eumdem vehementer pœnitere videtur, quod à V. Serenitatis ſeruitio diſceſſit:ſed quod factum eſt, infectum fieri nequit.

Piſaurum.

Annos habet Dux circiter LVII.ſed firma adhuc vtitur valetudine, niſi quod podagræ interdum doloribus vexatur. Solebat olim hyeme Piſauri degere: quæ ciuitas à litore maris Adriatici non procul abeſt,circuitu duo milliaria complectens, & ad morem hodiernum propugnaculis & munitionibus firmata. Harum munitionum fundamenta Dux Franciſcus Maria iecit, hic vero Dux conſummauit;tum armaria omni bellici apparatus genere inſtruxit,&c.

Amici.

Lætam & iucundam Dux cum Aulicis ſuis agit vitam Familiares eius præcipui ſunt,quique ab eius latere vix vmquam diſcedunt, Petrus Bonarellus,Duci inprimis charus,generalis Equitum Magiſter, qui fere vnus apud Ducem omnia poteſt: Comes Fabius Landrianus,qui neptem Ducis vxorem habet: Regenetus de Monte, generalis pedeſtris militiæ Præfectus: Comes Montis-belli,cui ſupradicti Petri Comitis ſoror matrimonio eſt coniuncta. Hunc quidem Montis-belli Comitem Dux mihi à principio huius belli eum percupidum ſemper Veſtræ Serenitati operam ſuam præſtandi fuiſſe dixit. Et quum de ſeruitio eius ante actum, idque etiam quodammodo acceptatum ſit; rogare vt eumdem Veſtræ Serenitati commendem; neque dubitare quin opera eius Reipublicæ vtiliſſima futura ſit,nam & eundem ſatis magnum militum numerū

facile

facile poſſe ſecum adducere. Quamuis autem hac de re nullum adhuc in Collegio verbum fecerim; quum tamen Ducis hæc commendatio diligenter mihi conſideranda videatur, eam heic Serenitati Veſtræ aperiendam atque rem omnem explicandam duxi. Mihi quidem omnia diligenter perpendenti difficilis admodum futura videtur peditum conſcriptio, nō tantum quod Pontifex omnia quæcumque poteſt obiiciat impedimenta, ſed etiam quod publica fama veſtri milites in præſidiis paſſim multa dictu fœda, perpeſſu aſpera exantlaſſe dicantur; eoque pauci ſine dubio nomina militiæ noſtræ dare velint. Ab eodem Duce & illuſtriſſimo Cardinali nonnulli alii militiæ duces mihi commendati ſunt, quorum nomina Collegio exhibui. Neq; hoc contentus, omnium ducum militarium qui in Ducis aula iam degunt, nomina expiſcatus ſum, & in tabulas referri curaui, vti Veſtra Serenitas in omnem euentum eorum quorum copia fuerit, opera vti queat.

Grauiſſimas Dux Vrbini ſuſtinet expenſas. neq; enim ipſe tantum, ſed Princeps etiam filius, Duciſſa & Principiſſa, ſinguli familiam aulicam alunt ſplendidiſſimam. tum magni quoque in hoſpitibus excipiendis & magnifice tractandis fiunt ſumptus. Erga miniſtros liberalis eſt: & quos ſemel in gratiam & fauorem recepit eos omnibus officiis deuincire ſibi non ceſſat. Vnde magna hominum ad aulam illam vndique concurrit multitudo.

Huius quidem Principis amicitiam magni omnino faciendam cenſeo, quippe qui è ditione ſua duodecim lectiſſimorum & in armis exercitatorum virorum millia poſſit colligere. Et quamuis prouentus ſiue reditus non maximos percipiat; animos tamen ſubditorum ita ſibi habet deuinctos & obnoxios, vt ſi neceſſitas poſtularit fortunas omnes, imo vitam ipſam pro ſalute Principis, lubenter omnibus periculis ſint expoſituri. Huius amoris non obſcura ſigna nuper in Principis nuptiis apparuerunt, quando Piſaurienſis imprimis & Vrbinates in Arcus triumphales & eiuſmodi publicæ lætitiæ monumēta, vltra decem ſcutatorum millia impenderunt. Illud etiam magni eſt quod ingens frumenti vis ex eius ditione poteſt colligi. Prætérquam enim quod ager fertiliſſimus ſit; in Senigallia quoque, quæ in Agri Vrbinatis & Pontificiæ ditionis confinibus, eſt poſita, ingens mercatorum eſt numerus: qui tam ex hac quam ex illo magnam frumenti eo copiam conuehunt, atque inde diſtrahunt, inſcio fere Pontifice & ſine ipſius conſenſu. Sed illud magnam Duci gratiam conciliat & auctoritatem, quod & ſuopte ingenio prudens admodum eſt, & quum omnium bonarum artium, tum imprimis bellicarum apprime gnarus, quarum cognitionem & propria experientia ſibi acquiſiuit, & è Patris, cui merito Princeps inter omnes ætatis ſuæ belli duces locus merito, omnium iudicio aſſignatur, ſcriptis & monitis hauſit: quæ idem Dux diligenter admodum inter chariſſimas res ſibi

adſeruat

adſeruat, & quotidiana fere lectione & meditatione tetit ac verſat. Nuper quidem quum Foro Iulienſium reru incidiſſet mentio idem mihi dixit, tanto lubentius ſe de iis verba facturum, quod ea ſibi iam olim Pater quaſi præiuiſſet, & quid heic faciendum, præſignaſſet: qua de re prolixius iam ante ad S. V. ſcripſi, neq; cum faſtidio heic ea repetam ex Patris monitis, vrgebat idque inprimis curæ vobis eſſe debere dictitabat, vt vel Vtinæ collocatæ præſidio, & excitatis munitionibus, vel ad Liuentiam collocato propugnaculo Foro Iulienſis ager à Turcarum excurſionibus & rapinis defenderetur. Miſerrimum enim & probroſum ſimul Reipublicæ Sereniſſimæ fore ſpectaculum agtum fertilem diripi, vaſtari atque incendi, & fideliſſimos ſubditos magno numero in quauis morte triſtiorem ſeruitutem abduci. Hac quidem in re Serenitas veſtra pro ſumma ſua ſapientia & prudentia ſingulari, quod viſum fuerit fieri curabit, dabitque operam eo quo placuerit modo, ne ibi detrimentum aliquod accipiatur. Cetera, de quibus idem Dux ſermonem mecum contulit, repetere heic nihil opus eſſe exiſtimo, de Federe ſcilicet, de Portubus, de militibus melius tractandis, &c. Ad quæ tum quidem pro exiguo ingenii mei modulo & intelligentia illis annis quibus in rebus arduis Veſtræ Serenitati inſeruiui acquiſita, reſpondi: eadem vero fuſius ad Seren. Veſtr. perſcripſi. Qua in re ſi Veſtræ Serenitati & Excellentiſſ. Dominationibus ſatisfeci, eſt quod Deo gratias agam, & mihi ipſi gratuler; ſin minus, vos ego, Dux Sereniſſime, Domini Excellentiſſimi humiliter rogo atque oro, vt imbecillitati meę quod defuerit condonetis, neque tam facultate, quam voluntate factum meum metiendum vobis exiſtimetis. Vnum tacere non poſſum, publicis rumoribus paſſim tam multa circumferti, quæ Sereniſſimæ Reipublicæ veſtræ milites pati cogantur, vt nemo eius amans ſine ſummo ea dolore audire poſſit. Sed his omnibus, & ſi qua alia ſunt, incommodis remedium à vobis allatum iri, nihil dubito.

Tanto etiam pluris à Serenit. Veſtr. & Excell. Dom. Dux hic fieri debet, quanto maiori beneuolentia & amore vniuerſum Reipublicæ veſtræ Statum complectitur. Mihi quidem ab Sereniſſima Republica ad ſe miſſo, omnibuſque meis comitibus omni officiorum genere abunde ſatisfecit; quamuis ſibi ipſe numquam ſatisfaceret, domeſtico ex filiæ morte luctu occupatus. Sed vt hæc falſa ſunt & inania ſæpe argumenta, quibus ſimplices facile decipiuntur; ita alia intrinſeca quamplurima ſigna, de prædicti Ducis animo dubitare non ſinunt. Nam & de rebus, ad Veſtram Rempublicam pertinentibus, non aliter loquebatur quam de ſuis ipſius; & ex illius periculis & difficultatibus non minorem ſentire ſe moleſtiam quam ſi ipſe iis premeretur, ſignis minime fallacibus declarabat. Mihi quidem aliquoties humaniter admiſſo non autem tantum & animum præbuit, ſed conſilia ſua libere & ſincere, quantū ex omnibus rebus colligi poteſt,

impertiuit; quin etiam diſceſſum iam meditanti per Secretarium mandauit, Serenit. V. & excell. D monerem, vt ad Famaguſtæ defenſionem, quo mille quingentos milites à vobis miſſos dixeram maius præſidium mari, adhuc ab hoſtili claſſe libero, quamprimum mitteretur: quod iam a Seren. Veſt factum conſpicantibus animis & iudicus video. Non minor in Rempublicam noſtram amor eſt & obſeruantia Illuſtriſſimi Cardinalis, Ducis fratris, nec non Principis, ſiue hæredis & filii, qui, vt in ceteris omnibus virtutibus patris & maiorū veſtigia ſequitur, ita in amanda hac veſtra & complectenda Republica, nequaquam, vti certa ſpes eſt, degenerabit. Licet autem in vniuerſum tota hæc Illuſtriſſima familia omneſq; ex ea prognati Reipubl. veſtræ ſint amantiſſimi: in Duce tñ ſingulare quoddam S.V. & Excel. Dom. inſeruiendi & gratificandi deſiderium animaduertere licet.

Quo vero animo & affectu ceteros Principes idem conſequatur, vt ſuperuacuum fortaſſe, ita non minus difficile dictu videri debet, vtpote de rebus occultis admodum & abſtruſis, de internis ſcilicet animi motibus, cuius altiſſimi ſunt receſſus, & obſcuriſſimæ latebræ, quæ non niſi coniecturis quibuſdam peruestigari poſſunt. Neque committendum mihi videtur, vt his atque eiuſmodi commemorandis Seren. Veſtr. & Excell. D. D. aures, atque cogitationes grauiſſimis Reipublicæ cuius iam occupatas, detineam, atq; ita in publica commoda peccem, Verbo abſoluam: Eſſe ſcilicet Ducem Sedis Romanæ feudatarium ſiue vaſallum, Catholici Regis miniſtrum, Ducis Parmenſis cognatum, Mantuani quaſi fratrem germanum, & nouum Ferratienſis ad finem.

Secretario in mea Legatione vſus ſum Octauiano Mario; quo morbi vi correpto, id munus M. Antonius Maſſa à me accitus, tanto lubentius ſuſcepit, quod iam olim omnem ſuam operam, ſtudium & ſeruitium Sereniſſimæ huic Reipublicæ addixerit: de cuius virtutibus, & inprimis ſumma diligentia, qua in omnibus rebus ſui muneris vſus eſt nihil dicam, quum is Serenit. Veſtr. Excell. D. D. iam ante ſatis notus ſit, neque virtutes ipſius meo egeant præconio. Illud tantum dicam, talem ac tantum virum, in extremo iam quaſi fortunæ apice collocatum (quod tam pater quam reliqui fratres omnes in fratre ſuo qui ad Nicoſiam captus fuerat, redimendo facultates omnes & totum patrimonium impenderint) dignum eſſe, qui Veſtræ Serenitatis & Excellentiæ D. D. liberaliſſima ope ſubleuetur.

De me etiam etſi fortaſſe quidquam addere ſuperuacuum eſt illud tamen affirmare poſſum, nullum me laborem, nullos ſumptus, poſthabitis etiam omnibus priuatis vtilitatibus ſubterfugiſſe in mādatis Ser. V. exequendis, & munere diligenter obeundo: idque porro quoque omnibus in rebus quas fidei meæ concedere Serenit. V. videbitur, facturum polliceor & recipio. Quod ſi quid forte in hoc omni

negocio

negocio deſideretur: velim non voluntatem mihi, ſed facultatem ſingula melius exequendi defuiſſe perſuaſum habeatis. Mihi certe nihil gratius erit, quam non operam tantum, ſed vitam quoq; ipſam Reipublicæ impendere, cui totum me meaque omnia iam inde ab initio, quo publicarum rerum tractationi admotus ſum conſecraui & deuoui.

DE MAGNO DVCATV MOSCOVIÆ,

DISCVRSVS IX.

Fines. MAGNVS Dux Moſcorum eſt dominus ampliſſimæ regionis, inter cuius fines comprehendũtur multæ ditiones. Septentriones verſus pertingit eius ditio ad Oceanum Septẽtrionalem, protenditurque a Sinu Graduico, ad Obi fluuium: à Meridie continuatur eius imperium, ſecundum curſum fluuii Volgæ, ad Mare Caſpium vſque: ad Occaſum attingit fines Liuoniæ, habetque fere pro termino Boriſthenem, ſicut ab Ortu Volgam. Dicunt aliqui totum hoc imperium in longitudinem protendi ad tria milliarium millia, in latitudinem ad mille, quingenta. quo ſpacio continentur XV. Ducatus, XVI. prouinciæ, & duo regna. Moſci quondam Tartaris ſubditi erant; nam Boido eorum Princeps Anno MCXL. ſubiugauit totam Moſcouiam, ſed Ioannes primus Magnus Dux confiſus diſcordiis Tartarorum, qui ſe mutuo vexabant, negauit eis Tributum. Progreſſu temporis, cum à Tartaris Precopenſibus ſuperatus eſſet Ammetes, vltimus ſucceſſor Boidi, qui mortuus eſt Vilnæ, adiunxit Magnus Dux ſuæ ditioni Permiam, Vcatlam & Iugtiam, quæ Ammeti ſubditæ erant. Creſcentibus itaque ſemper Magnorum Ducum viribus, cœpit Baſilius Cazan, & Ioannes ſecundus Cittachan Prouincias, quæ nomina regnorum habent. Vt dicatur quod verum eſt: Magni Duces valde dilatarunt ſuum imperium. Cœperunt magnum ducatum Seuerienſem & Smolozcenſem, Bielſchienſem, Pleſcouienſem, Nouoguardienſem, Iaroslauienſem, Roſcouienſem, partim à Polonis, partim ab aliis Principibus. Occuparunt magnam Liuoniæ partem, feceruntq; ſe terribiles vicinis. Principes & primariæ ciuitates harum prouinciarum ſunt Moſqua, vbi Metropolita habitat. Roſcouia &

Ciuitates.

Nouo-

Nouogardia ſedes Archiepiſcoporum. Cortiſia, Reſania, Columna, Suſdalia, Caſanum, Vologda, Tueria, Smolenzco, quæ Epiſcopatus ſunt. Deinde Pleſcouia, Porcouia, Staricia, Sloboda, Iaroſlauia, Volodomeria (vnde imperii ſedes translata eſt, per Ioannem ſecundum, in ciuitatem Moſquam) Moſca, fanũ Nicolai, Sugana, Vſtiud, Cargapolia. Princeps habitat in ciuitate Moſqua, quæ nomen ſumit à Moſco flumine, quod XC. milliaria altius oritur. Fuit ciuitas Moſqua quondam maior, quam nunc eſt, habebatque in circuitu nouem milliaria, ſed poſtquam Anno MDLXX. direpta, flammisq; tradita fuit à Tartaris Precopenſibus, non habet nunc in ambitu vltra quinque miliaria, ſtabulanturq; in ea cum hominum XXX. millibus, boues aliaq; talia pecora, ſecundum Relationem, quam Poſſeuinus, non minus iudicio bonus, quam diligens ſcriptor fecit. Nouogardia cognomen magnæ habet, & tamen idem ſcriptor ei non attribuit vltra XX. habitatorum millia, ſicut & Smolenzio & Pleſcouiæ; quod mihi difficile creditu videtur, ſi verum eſt, quod alii ſcribunt, ſcilicet, quod cum Pleſcouia obſideretur à Stephano Rege Poloniæ, in ea fuiſſe L. peditum, & VII. equitum millia. Is numerus adeo magnus eſt, vt quamuis totus ex indigenis compoſitus non fuiſſet, requirat tamen frequentiam hominum ſupradicta maiorem. Vbi enim Princeps intrudit implicatque LXXVII. pugnatorum millia, neceſſe eſt, vt ordinarius inhabitatorum numerus multo maior ſit. Volunt quidam hanc regionem, præteritis temporibus, multo frequentius inhabitatam fuiſſe, ſed quod poſtea tribus de cauſis habitatoribus infrequentior facta ſit. Prima fuit peſtis, (res noua in Moſcouia) quæ multa hominum millia abſtulit: altera Principum crudelitas, qui multos, potiſſimum nobiles occiderunt: tertia, excurſiones, & deprædationes Tartarorum Præcopitarum, & Nagaiorum, qui nunquam quieſcunt, nec vicinos quiete frui ſinunt. Non deprædantur ſolum agros, ſed & abducunt totos populos: quos poſtea vendunt Turcis aliisque gentibus. Vt vno verbo dicam, Magnorum Ducum irruptiones in longinquas regiones magnam fecerunt vaſtitatem. Nulla in re melius perſpicitur Principis prudentia, quam in bene diſpiciendo, quæ expeditio ſuo Statui ſit futura damnoſa aut vtilis, & dum duci ſe non patitur vana ſpecie amplitudinis arripiendæ, quæ non ſit ei futura firma & ſtabilis, ſed ſecuritatem ſuam turbatura. Is enim, qui ea ſpe ductus, vt ſtatum ſuum amplificet, eum aut populo, aut opibus eneruat, mihi ſimilis eſſe videtur illi, qui vt muros & tecta ſuæ domus altius tollat, conſcindit fundamenta ædificii. Totius dignitatis caput eſt, conſeruare: ſed acquiſitiones illæ, quæ fiunt diminuẽdo vires proprias, illi Legi aduerſantur: cumque acquiſitiones ſint tanquam inſitiones, condi-

Moſca vrbs.

tionem imperii meliorem, non deteriorem facere debent. Sicut enim fiunt inſitiones, aut ad nobilitandam, aut ad domeſticam reddendam arborem ſilueſtrem, aut ad plantam infrugiferam emendandam, & vt fertilis ſit faciẽdum: ita & expeditiones Principum tales eſſe debent, vt commoda & beneficia referant, alias ſunt inutiles labores, qui plus deſtruunt, quam ædificant, & plus perturbationis quam ſecuritatis reddunt. Eiuſmodi ſunt ordinarie bella, quæ mouentur ad acquirendum regiones longe diſſitas, quæque nihil contigui cum noſtris habent: cum enim tam procul abſunt, requirunt maiora præſidia, quam noſtræ facultates vt eas conſeruemus, ferunt. Omnis itaque deliberatio expeditionum, tribus capitibus inniti debet. Prima eſt cauſæ æquitas. Altera facilitas vincendi. Tertia fructus victoriæ. Bella autem quæ ſuſcipiuntur, ſine ſpe alicuius fructus, ſunt meræ amentiæ. Magni Duces, ſæpe terminos ſui imperii dilatarunt, ſed potentiam non auxerunt. Nemo expeditiones longinquiores, maiorumque expenſarum fecit, quam Magnus Dux Ioannes. Cœpit enim regna Cazàm ad Volgam, & Aſtrachan ad mare Caſpium: ſubiugauit bonam partem Liuoniæ. In quibus expeditionibus periit magnus hominũ numerus, in itineribus, in prœliis, adſultibus, ferro, morbo, fame, aliiſque incommodis. Poſtquam ea acquiſiuit, fuit opus ibi habere magna præſidia, deducendo eo totas colonias. Cum itaque homines eſſent longe à domibus, implicati aut in acquirendo alieno, aut in conſeruando parto, manſerunt domi vxores, quaſi viduæ abſque prole. Cum itaque homines in extremis regni finibus conſumebantur, remanſit regni meditullium tanquam cor exangue, priuatumque alimento, cumque ab Stephano Rege Poloniæ impeteretur, defuere ipſi domi vires ad reſiſtendum, amiſit itaque Polotiam aliaque magni momenti loca, quæ ei erepta fuere, ac neceſſe habuit tradere Polonis totam Liuoniam. Vt ad noſtrum inſtitutum reuertamur, Moſcouia magna ex parte eſt occupata ſyluis immenſis, & Lacubus. Syluæ ſunt rami Herciniæ, quæ ſe per totum Septentrionem diffundit, ſed plus forſitan in hac prouincia, quam in alia. Hic arbores immenſæ magnitudinis videntur, ſuntq; propter earum ſpiſſitudinem ſolis radiis impenetrabiles. Ex iis arboribus incredibilis Reſinæ & picis quantitas effluit. Hic producitur copia mellis & ceræ inexhauſta. Apes enim abſque cura humana, faciunt Aluearia in corticibus & cauitatibus arborum. Hic eſt copia omnis pecoris & ferarum: vt ſunt, Mattures, Zibellini, Lupi, ex quorũ pellibus fit diues mercatura. Ex his ſyluis exſcinditur fere omnis materia, tam domibus quam munitionibus fabricandis apta: muri enim ciuitatum fiunt ex trabibus ſimul coniunctis in quadrante, implentq; vacuum gleba, & terra. Faciunt quoq; ex iiſdem trabibus

turres tantæ altitudinis & craſſitudinis, vt omne tormentum bellicum quantumuis magnum ferant. Cito flammis corripiuntur, ſed non tam cito cedunt quaſſationi quæ fit tormentis bellicis. Diſputant aliqui, quales munitiones meliores ſint, num ex lapide aut ex calce, aut ex terra. Pro vltima ſententia adducunt tales cauſas, quod citius fiant, & minori expenſa, meliusque reſiſtant quaſſationi, & quamuis facile deſtruantur, reficiantur quoque breui tempore: faciliusque mutatur (ſi caſus & occaſio neceſſitasque requirit) latus ex terra conſtructum, quam lapide. Sed his non obſtantibus debent præferri munitiones quæ muros ex lapide habent. Cum enim quatuor modi offendendi munitionem ſint, Tormenta, Cuniculi, Ignis, Exciſio (quæ ligone & ſarculo fit.) Murus ex lapide, forte minus, reſiſtendo, quam terra cedendo tormentis bellicis præſtabit, ſed aduerſus cuniculos, ignem & exciſionem, longe excellit murus ex lapide. Et adiungendum muro, quod in munitionibus ex ligno ex terra conſtructis boni eſt, eriguntur Aggeres intrinſeci. De Aquis nihil opus eſt dicere. Moſcouia enim eſt mater fluuiorum & lacuum: Duinæ, Boryſthenis, Volgæ, Deſuæ, Onegæ, Moſcæ, Voliſcæ, & fama celeberrimi Tanais, Lacus Inę, ad quem eſt Magna Nouogardia, Voloppo multorumque aliorum. Aquarum abundantia reddit aërem magis frigidum, quam generationi animalium, & propagationi plantarum requiritur, etſi frigus calore ſalubrius eſſe æſtimatur. Pecudes paruæ ſunt, & ſegetes aliquando non perueniunt ad maturitatem. Terra fere ab aquis abſorpta, vt plurimum leuis eſt, & arenoſa, ideoque & ſiccitas & pluuia immoderata, facile conſumunt fruges. Hyems durat nouem menſes paulo plus aut minus, & tamen hic copia eſt frugum, hordei & paſcuorum, & ex conſequenti carnium, tam ferinarum quam manſuetarum. Moſcouia producit Poma, Nuces, Corylos, aliorum frugum vix habent notitiam Moſci, qui ex piſcibus faciunt magnum lucrum, eorum ſiquidem maximam abundantiam habent. Indurant eos frigore & vento, ſicut fit in Noruvegia, aliisq; in locis Septentrionalibus, ſeruantque eos pro bona annona, tam in præſidiis munitionum, quam in domibus priuatorum. Regio enim eſt multum mercaturæ dedita, quia indigenæ ſuapte natura non ſunt admodum induſtrii. Nec poſſunt ibi eſſe multa mercimonia, vbi non florent artes & artificia: tum quod Moſcis non licet ditione ſui principis excedere. Ob has cauſas non habent vllum vſum maris. Commutant tantum ea quæ Regio fert, nempe Pelles, Reſinam, Ceram, cum panno, aliiſque quæ Armeni perferunt in Aſtrachan ad mare Caſpium, & Angli ad Fanum Nicolai ad Sinum Graduicum.

Fluuii. *Fructus.*

Magnus Dux Moſcorum regit ſuos populos magis Deſpotice, *Regimen.*

quam vllus alius Princeps, quem nouimus: diſponit enim abſolute de perſonis ſubditorum, & ipſorum rebus. Ideo dicebat Mahumetes Veſirus, quod Moſcus & Turca, ſoli inter Principes eſſent domini ſuorum Dominiorum, eaque de cauſa putabat, expeditionem Stephani Regis Polonorum, plenam difficultatibus fore. Vt in ſua potentia & autoritate ſe Magnus Dux conſeruet, vtitur artificio & induſtria incredibili. Primo non licet cuiquam ſuorum vaſallorum exire regni fines, ſub pœna mortis. Hac de cauſa nemo ſubditorum ſuorum nauigat, nec cum Legato externi Principis loqui poteſt, nec vti opera externi medici, in ſuis morbis, niſi cum venia. Vtitur apparatu inæſtimabili in veſtitu, addens ornatum Pontificii cum maieſtate Regis: fert capite Mytram, Margaritis & gemmis precioſiſſimis nitentem. Si eam capite non gerit, habet eam coram ſe in ſuo Throno, mutatq; eam ad ſuſtentandam amplitudinem multis vicibus. In ſiniſtra manu tenet Paſtorale ditiſſimum, indutus veſte, aut tunica longa, illi non abſimili, quam Papa gerit ingrediens ſacrarium digitos annulis aureis refertos habet. Imago Chriſti ad dexteram, & ſanctiſſimæ Matris Virginis ſuper cathedram in qua ſedet, eſt. Regia & proregia camera eſt plena viris, veſtibus auro depictis, vſq; ad talos indutis. In ceremoniis ad Religionem ſpectantibus vtitur exquiſita ſagacitate ſolertiaque. Cum aſſidet menſę, quoties mutantur patinæ, aut vult bibere, multa ſigna Crucis edit. In Ieiuniis exhibet ſingularem venerationem, & in templo præ deuotione fronte terram percutit, ſicut & alii. Ne alius plus ipſo ſcire poſſit, nullæ ibi ſunt ſcholæ præterquam in quibus docetur legere & ſcribere. Nihil legunt præter Euangelia, & aliquam hiſtoriā, aut deſcriptionem vitarum Sanctorum, aut homiliam Sancti Ioannis Chryſoſtomi aut alterius: haberetque eum ſuſpectum, qui demonſtrationem faceret, ſe velle in literis maiorem progreſſum facere, nec impune ferret. Id facit, ne aliquis plus ipſo, aut quantum ipſe ſapiat. Indeque accidit vt Scribæ, & ipſimet Antiſcribæ ordinarie, nec ſcribant nec reſpondeant Legatis Principum externorum, niſi in quantum Magnus Dux eis dictat. Cum negociantur, nunquam Magnus Dux nominatur, quin omnes aſſurgant in pedes, cum magna veneratione. Idem etiā ad menſam fit, quādo ipſe ad bibendum inuitat, aut participem facit ſuæ patinæ aliquem, fit id quoque in mille aliis ſimilibus occaſionibus. Docentur à pueris Moſci credere & loqui de ipſorum Principe, ſicut de Deo. Deus ſolus (dicunt) & Magnus dominus ſcit hoc: magiſter noſter dominus ſcit omnes res. Omne quidquid habemus, ſanitatis & cōmodi, procedit à Magno Domino. Accidit inde, vt ſubditi, videntes tantam amplitudinem maieſtatemque in ſuo Principe, nec aliarū quam eius rerum notitiā habentes, reue-

reantur ipſum, obediantque ei, non ſicut ſubditi, ſed tanquam mancipia, habeantque eum pro Deo potius, quam pro Principe. Non habet ſub ſe dominos titulis inſignes, ſicut inter nos ſunt Duces,& Barones. Si ipſe alicui pagum aut prædium concedit, non tranſit ad hæredes, niſi id ipſe confirmet. Et ſi ipſe aliis ea conceſſerit, villici tamen perſoluunt ei portionem fructuum, debentque ei operas: Id in cauſa eſt, vt vnuſquiſque à nutu Magni Ducis dependeat,& quanto aliquis ditior ſit, tanto ei plus debeat. Vt obuiet ſeditionibus, transfert integras familias ex vno loco in alium, mittitque in præſidia quos vult longe à domo tanquam in exilium.

Ex iis, quæ dicta ſunt, fieri poteſt indicium de eius diuitiis opibuſque. Cum itaque ipſe adeo abſolute omnium rerum dominus ſit, vtitur opera ſubditorum pro libitu, & tali parte ipſorũ bonorum, ſicut ipſi placet. Arrogat ſibi ex ferarum exuuiis talem portionem ac vult, & ex piſcibus omnis generis, quantum vult: pellicea vendit aut dat dono, prout libet. Piſces vero ſiccati ſeruantur pro munitione. In foro nemo ſua vendere poteſt, niſi Principis primum vendita ſint. Mineras auri aut argenti nullas habet. Ciuitates mercimoniis celebriores, vnde ipſe maximam redituum partem percipit, ſunt Aſtrachan ad mare Caſpium, quo deferuntur merces Perſiæ & Armeniæ: & Fanum Nicolai ad Sinum Graduicum, quo appellunt naues Anglorum & Hollandorum oneratæ ære aliiſque mercibus, quæ inde Vologdam ducuntur. Vbi Legati domum ſunt reuerſi, aufert eis Lautia quæ à Principibus acceperunt, dando aliquid in illorum vicem, aliquando nihil. Vt finem faciam ſibi metit, capitque, quidquid in ſua ditione aut boni aut precioſi eſt. Putatur aliquem theſaurũ habere, in Arcibus Moſquæ, Iaroſlauiæ & lacus Albi, quod veriſimile eſt. Magnus enim Dux Ioannes ſpoliauit calicibus, reliquiis, crucibus, & argento totam fere Liuoniam. nec concedit Aurum & Argentum ſua ditione efferri, niſi in redemptionẽ bello captiuorum, aliorumq; qui in captiuitatem abducti ſunt. Verum quidem eſt, ꝙ amiſſione Liuoniæ, quam An. MDLXXXII. ceſſit Stephano Regi Poloniæ priuatus fuit ea regni parte, quæ erat ditiſſima, propter commercium Maris Balthici, & meliori ditione quam habebat, in qua erant XXXIV. Arces. *Opes.*

Munimentum regionis conſiſtit, & in pluralitate paludum fluminumque,& in denſitate nemorum. In vſu habent Moſci, loca hoſtibus proxima depopulari, vt denſæ ſyluæ ibi creſcant, quod & fit ob terræ humiditatem, ſuntque eæ ciuitatibus non ſecus ac Sepes, ac Valla pro munitione. Multum laboris id Polonis attulit. Vt enim ſibi itinera ad oppida hoſtium pararent, neceſſe eis fuit exſcindere ſyluas & magni temporis iacturam facere. Ha- *Munitiones.*

bet Magnus Dux Munitiones, quæ partim ex lapidibus, Italico more, conſtructæ ſunt, ſed abſque lateribus & arte ædificatoria: tales ſunt Arces Moſquæ, Nouogardiæ, Pleſcouiæ, Porcouiæ, Staricæ, Slobodæ, Alexandri; partim ex gleba viminibus contexta & probe calcata, qualis eſt Smolenzco. Sed ordinarie extruuntur muri locorum fortium ex magnis trabibus, inter quas conſtipant terram, relinquendo ad defenſionem foramina pro Pyrobolariis. Talis ædificatio commoda eſt defenſioni, contra tormenta bellica, ſed non reſiſtit igni. Subditi Magni Ducis inſeruiunt ſuo Principi in bello, ſicut ante de ſuo Regimine agentes diximus, ſed potius timore pœnæ (ſi ſe non ſtrenue geſſerint) quam promptitudinem alacritatemque monſtrant. Capitaneis ad nutum præſto ſunt, patiuntur omnem incommoditatem, nō curant frigus nec pluuias, patiunturque incredibiliter inediam famemque, ſuntque paruo contenti. Æſtimantur itaque aptiores defendendis caſtris, quam prœliis campeſtribus. Illis enim multum valet patientia & tolerantia; hic autem requiritur audacia animuſque. Poloni ſunt meliores conflictibus campeſtribus, quam propugnandis Arcibus. Magnus Moſcouiæ dux Ioannes, experientia edoctus de ſuorum in velitationibus & prœliis ignauia, & de Polonorum audacia animiſque, dicebat ſuos opus habere calcaribus quibus impellerentur, Polonos freno quo retinerentur. Vires præcipuæ huius Principis conſiſtunt in equitatu, ſed quem equorum numerum educere poſſit difficile dictu eſt. Nec tamen credo ipſum trecenta millia armis inſtruere poſſe (ſicut aliqui dicunt) habet enim ditionem vaſtam, & pro maiori parte incultam. Ab Caſſano enim Aſtrachanum vſque vix inuenitur pagus, quamuis inter ea oppida aliquot dierum iter ſit. Bello quod ei intulit Stephanus rex Poloniæ (qui tamen non vltra LX. millia tum equirum tum peditum habebat) ipſe tantum militum colligere non potuit, quo non dico ſe ei aperto Marte obiiceret: ſed nec potuit ipſum diuertere ab oppugnationibus Polotiæ, Vilicoluci aliorumque locorum, nec ab obſidione Pleſcouiæ. Anno M D L X X. penetrauit Princeps Tartarorum Præcopitarum, cum L X X X. equorum millibus, vſque in viſcera ſui Imperii, tradiditque flammis ipſam Moſquam vrbem Regalem. Sed ij qui dicunt Magnum Ducem C C. & Regem Poloniæ C C. equorum millia educere poſſe, potius numerant capita equorum, quam equitum. Etſi enim tot equorum millia ſint, non tamen omnis equus bello bonus eſt, nec vnicuique equitandi ars, aut ſe armandi facultas. Vni deeſt animus, alteri opes non ſuppetunt, alteri vires corporis, alteri animi fortitudoque alacritaſque deſunt. Quamuis in Moſcouia, tot equorum hominumque millia eſſent, quot illi dicunt, admodum difficile tamen eſſet,

Vires.

Equitatus.

ſet, (immo vix poſſibile) eos in vnum locum cogere, nec Principi in hoc ſuppeterent pecuniæ, nec commeatus ſufficerent. Ducenti enim equi prœliatores requirerent in Moſcouia ter centum clitellarios, ac alios totidem miniſtros, quibus omnibus oporteret ſufficere commeatus, ſicut & Annonariis, Mercatoribus, Artificibus, Famulis, qui in bello requiruntur. Neceſſe itaque eſſet totam Moſcouiam in vnum cogi, ac tum verendum, ne in tanto itinere ab vna parte regni, in regionem directo contrariam & hominum & iumentorum vires labaſcerent. Quamuis etiam poſſibile eſſet, tantum numerum (ſicut dictum eſt) equorum colligere, id tamen Statui non expediret. Neceſſe enim eſſet denudare confinia præſidiis, Prouincias neruis, ciuitates Magiſtratibus, campos agricolis. Inde clare apparet, Principem cuius Status C L. millia equitum cogere poſſet, abunde præſtare, ſi tertiam eorum partem, in exercitum Regalem educat. de bellis, non excurſionibus loquor. Scribunt aliqui, qui in affirmando magis moderati ſunt. Moſcum cogere poſſe C L. equorum millia, ſi neceſſitas ſe defendi id requireret: & quod Ioannes tertius eduxit in expeditionem Aſtrachanenſem, C X X. equitum, & X X. peditum millia. Idem adortus eſt Liuoniam, tempore Regis Alexandri, magnis exercitibus, retinuitque adhuc alium ad Regni ſui fines. Equitatui addidit Magnus Dux Ioannes aliquot millia Pyrobolariorum quos ipſe inſtituit, inter quos erant multi externi milites, qui ipſi præſtiterunt egregiam operam, in defenſione ſuarum vrbium. Quoquo ſecundo aut tertio anno, deſcribi per Regiones bello aptos. In commentarios referuntur filii nobilium & numerus famulorum equorumque. Equites, ditiores præcipue vtuntur Thoracibus æneis, galeis, & laminis ſubtilibus & tenuibus, quæ ex Perſia adferuntur, & lanceis. Alii geſtant thoraces, goſſypio quam optime farcitos, qui ſagittis reſiſtunt. Hi vtuntur Arcu, multi eorum Sclopeto, omnes enſe & pugione. Ei inſeruiunt quoque Germani in bellis & in fortificandis locis.

Principes finitimi. Magno Moſcorum Duci iunguntur Præcopus Princeps Tartarorum, Tauricæ Cherſoneſi Circaſſii quinque montium (inhabitant hi regionem quæ ſe ad V I I. dierum iter extendit, reguntur que à ſeptem Ducibus, Heluetiorum modo) Tartarus Nogay: Reges Suecicæ & Poloniæ. A Præcopo percipit multum damni, nec ei ſpes eſt de ſumenda vindicta, quia cum Turca confederatus eſt Præcopus, inſtruiturque à Turca ſclopetis tormentiſque bellicis, habetque in ſua ditione loca fortia, cum præſidio Turcico. itaque cum inuadere difficile factu arduumque eſſet. Concitaret enim in ſe potentiam illius. Præcopo commodum eſt (ſicut & pluries fecit) ſu-

bitas excurſiones facere in Prouincias Magni Ducis, ſicut & poteſt facere in Prouincias Regis Poloniæ, diripereque obuia. Quod Magnus Dux ſubiugauit Tartaros Caſſanenſes, & Aſtrachanenſes, accidit id beneficio tormentorum bellicorum quibus illi carebant. Duxit inter alia contra Caſſanenſes aliquas huiuſmodi machinas. Temoni plauſtrorum affigebat tabulam latam & craſſam, cum multo foramine, traiiciendo Sclopeto & Moſqueto inuentam. Cum itaque ipſi grauiter ferirent hoſtes (qui ſagittis tantum vtebantur quibus Moſci lædi non poterant) non fuit difficile, eos vincere ſubiugareque. Sed Præcopus habet vſum Sclopetorum, & quod amplius eſt, amicitiam & protectionem Turcæ: qui vt ſibi iter aperiret in Moſcouiam, aut in mare Caſpium, tentauit annis iam elapſis ducere foſſam à Tanai ad Volgam, (hoc molimen altioris erat animi, quam Turcæ plerunque faciunt) ſed eius milites fugati fuere a Moſcis, in hoc adiuti a Tartaris, qui verebantur, ne plane à Turcis peſſundarentur, ſi illud opus eis ſucceſſiſſet. Nec ſolum ruperunt claſſem Turcicam ceperuntque eius partem, ſed & exitio dederunt exercitum terreſtrem, in quo numerabantur L X X X. Tartarorum & X X V. Turcarum millia, inter quos erãt ter mille Ianizari. Circaſſii viuunt (ſicut diximus) more Heluetiorum; non nituntur vt ſibi aliquid acquirant, ſed tanquam mercenarii milites militant Turcis, Perſis, Moſco; à quo tam longe diſſiti ſunt, vt non habeant occaſionem ſibi timendi ab eius viribus. Tartari Nagai magis formidandi ſunt, propter ſubitum impetum & excurſionem, quam propter iuſtam potentiam, quæ eis ſit ad ſuſcipiendas expeditiones Regias. Annis retro elapſis, cum ſemouiſſent, vt Moſco damnum inferrent, retrogreſſi ſunt placati donis quæ eis miſſa fuere. Cum hi, ſicut & Arabes, dediti ſint, latrociniis & graſſationibus, facilius eſt ipſos auertere donis, quam pugnando. Quod plus eſt, cũ ipſi nec ciuitatem, nec munitionem habeant, qua expugnata & in dominium hoſtis redacta deprimi & tanquam freno cohiberi poſſint, bellum ipſis inferre, eſt expenſas facere ſine lucro. Aduerſus hos tenet Magnus Dux magnum equitatus numerum in Cittacham, Cazan, & Viatca: habet quoque præſidium in Culugan contra Tanam, vt reſiſtant Præcopitis. Cum Rege Sueciæ iungit fines Moſcus, præcipue ad partem Finlandiæ, vbi Suecus (cum quo diu bellum geſſit) paucis retro annis ei eripuit munitiones Serenoſco, Pernauiam maiorem & minorem in Liuonia, aliaque loca, cum Moſcus impeteretur à Rege Stephano. Tenet Suecus in extremitate Sinus Finlandiæ munitionem Viburgum, magno præſidio & expenſa, vt reſiſtat Ruſſis & Magno duci. Habetque quoque in illo Mari & Portubus vicinis ſuas naues

belli-

bellicas, tum vt obuiet omni rentamento Magni Ducis, tum vt impediat, ne ex Germania in Moſcouiam vehantur arma & apparatus bellici: nec aliæ naues quam ſuæ ad illas oras appellere poſſunt, niſi permiſſione propria Regis Manu ſignata. Hoc commodum claſſis, & potentia naualis fecit Regem Sueciæ, iis locis vbi vim armorum explicare poteſt, Moſco ſuperiorem, cepitque hac via ab hoſte multa loca in ora Liuoniæ locisque vicinis. Sed vbi equitatus Duci, frequentiaque populi vſui eſſe poteſt, nempe in campis apertis, & in locis lōgè à mari Balthico diſſitis, videtur Magnus Dux potiores quodammodo partes habuiſſe; ſemper enim fere inuaſit Suecum. Non poſſunt tamen ſibi inuicem multum damni inferre, propter aſperitatem montium, frigus, glaciem, niueſque. Supereſt Poloniæ Rex, inter quem & magnum Ducem eſt differentia, quod Moſcus plus regionum habet, ſed Polonus melius habitatas ciuilioreſque. Illi plures ſubditi obedientioreſque ſunt, huic autem audaciores & animoſiores. Illi ad reſiſtendum quam aggrediendum ſunt aptiores; hi ad inuadendum. Illi ad defendendum munitiones; hi aperto prœlio pugnandum. Illi magis iuncti vnitique ſunt; hi magis deliberati ad factionem expeditionemque. Illi timent minus inediam & incommoditates, hi mortem & ferrum. Sed vtrique tantum valent, quantum eorum Principes virtute & fortitudine præſtat. Magnus enim Dux Baſilius cœpit Magnum Ducatum Smolenſcenſem, & Poloſcenſem, & ampliſſimam ditionem in Liuonia. Econtrario Stephanus Poloniæ Rex eripuit vltimo bello Iohanni Magno Duci, filio Baſilii, Poloſco, aliaque diuerſa magni momenti loca: obſedit ciuitatem Pleſcouienſem, cogitque tandem Moſcum, tota Liuonia decedere. Inde videtur populum tantum valere, quantum ingenio animoque valet Rex.

Aromata per Moſcouiam aduehi an queant.

Illud vero memorabile eſt, quod refert Paulus Iouius, Paulum quemdam Genuenſem Centurionem vehementer & ſupra æquum Luſitanorum iniuriis accenſum, acceptis à Leone Decimo Pontifice commendatitiis literis in Moſcouiā veniſſe ad Principem Baſilium, eique quum alia quædam de conſociandis vtriuſque Eccleſiæ ritibus expoſuiſſe, tum etiam oſtendere voluiſſe nouum & incredibile iter petendis ab India aromatibus per Moſcouiam. Se namque fama cognouiſſe quum in Syria Ægyptoque & Ponto negociaretur, aromata ex vlteriori India aduerſo amne Indo ſubuehi poſſe, atque inde modico terreſtri itinere ſuperatis Parapomiſidarum montium iugis, traduci in Oxum Bactrianorum amnem, qui iiſdem fere ortus montibus quibus Indus, in Hircanum mare, raptis ſecum multis amnibus ad Strauam portum effunditur. Porro ab ipſa Straua tutam facilemque nauigationem videri vſque ad emporium Citrachan, oſtiumque Volgæ amnis inde vero aduerſis ſemper amnibus Volga, Ocha & Moſca, in vrbem Moſcam; hinc terreſtri itinere Rigam,

& in ipſum mare Sarmaticum omneſque occiduas regiones, maiore compendio quam Luſitani facerent, qui tota Africa circumnauigata, aromata partim longinquæ nauigationis incommodo, partim ſentinæ vitiis corrumpi paterentur, ac poſtremum in Olyſiponenſibus conditoriis promercalibus depoſita non ante venderent quam vetera omnia & diuturno ſitu muccida diſtracta eſſent. Sed nihil impetrauit Paulus: quoniam Baſilius homini extero ac ignoto eas regiones quæ ad Caſpium mare & Perſarum regna aditum præberent, minimè aperiendas eſſe exiſtimabat. Plura & ſcitu digna de Moſcouia peti poſſunt ex Matthiæ Michouii Sarmatia.

DE REBVS PERSICIS,

VBI PRINCIPIA ET MOMENTA omnia illius belli vſque ad annũm milleſimum quingenteſimum octogeſimum octauum, aliaque multa deſcribuntur,

DISCVRSVS X.

Qvo magis deſideraui, Sereniſſime Princeps, vt de omnibus, quæcunque bello Perſico contigerunt, deque eius belli cauſis, atque principiis, quæ quidem incertiſſima ſunt, varieque narrantur, certior fierem, nihilque ignorarem eorum, quæ geſta ſunt vſque ad diſceſſum meum ex Oriente; eo maior mihi difficultas in hoc voto conſequendo ſeſe offerebat, cum quia eæ nationes mendaces ſunt natura, & interpretes rerum ignari, tum quia nimia curioſitate ſuſpicionem animis illorum iniicere non expediebat. In hac difficultate nihilominus, & nuntiorum anguſtiis non defuit occaſio, vnde ſatis luminis habuerim ad ea perſpicienda, ac perſcrutanda, quæ accidebant indies: demum eiuſmodi ſeſe dedit opportunitas, vt omnia, quæcunque inter Turcas & Perſas acta ſunt, & diſſenſionum originem, & effecta vſque ad finem mei Conſulatus diligentiſſime intellexerim. Prætermittam referre amicitias, quas iniui cum aliquibus ex primoribus, magiſque ſinceris Aleppi militibus, inter quos alter fuit Zaly-

pey Zainorum, & Spachinorum dictæ ciuitatis Dux: prætereo etiam aliquem nominare alium, qui cæteris, hæc negotia ſtudioſe tractantibus communis eſſe potuit ad progreſſuum illorum intelligentiam: tantum referam, quæ, vt hoc votum meum ſim conſecutus, in cauſa extiterunt.

Occaſio relationis.

Miſſus fuit Baſſa Aleppi quidam nomine Maxuthean, ille, quem primum legatum miſerat Conſtantinopolim Rex Perſarum, vt pacem tractaret, qui deinde à Rege defecit, & Turcis ſeſe dedidit, quemadmodum Excellentiſſimæ DD. Veſtræ ex huius ſcripturæ lectione intelligent & ex meis literis, ac forſitan à Bailis, viris clariſſimis, pro tempore cognouere.

Hic igitur, poſtquam Aleppum peruenit, fuit à me de more viſitatus: qua in viſitatione adeo ſe propenſum profeſſus eſt, & cupidum meæ amicitiæ, arctæque conſuetudinis, vt res mihi noua viſa fuerit. Non ignorabat mores noſtros, non leges; & magiſtratus huius Sereniſſimæ Reipublicæ, non ædificiorum magnificentiam, non ciuitatis huius ſitum peculiarem: callebat quoque ſubditarum ciuitatum nomina, & fines earum adeo exacte, vt in his partibus aliquod vixiſſe tẽpus videretur. In memoriã reduxit legationem, quam ad Regem Perſiæ obiuit Vincentius de Alexandris, & quomodo tractatus fuerit, & quantum Rex Thamas veritus fuerit, in eo negotio, de quo agebatur, quidquam promittere: alia pleraque mihi explicauit, varia petens, variaque reſpondens demum rogauit me, vt ego cum illo, & ille mecum aliquando priuatæ verſaremur. Ego vero, quanquam nulla in re, quæ ipſi exteriſve damnum, aut ſuſpicionem, aut moleſtiam paritura eſſe videretur, fidentius egi, & in rebus ad Rempublicam ſpectantibus omnem, quam potui, cautionem adhibui: nihilominus aliis mediis amicitiam adeo nutriui, vt turbis & incommodis illius negotii valde profuerim: & quo nihil magis optabam, multam mihi commoditatem ſuppeditauit cuncta huius belli momenta noſcendi: Etenim partim ex ſe ipſo, partim meis interrogationibus allectus, omnem ſucceſſum non minus Perſarum, quam Turcarum exercitus libere mihi patefaciebat: quas eius narrationes cum ego contuliſſem cum iis, quæ Turcæ plurimi familiares Perſarum referebant, & poſtremo cum Homar Affendi, qui Tripolim aduenerat, eorum conuerſatione eas veraces eſſe comperiebam, adeoque fidas, & indubitatas, vt quæ ſeriatim euenere, ſcriptis conſignare potuerim. Verum etſi in iis rebus noſcendis vndequaque ſatisfactus eſſem, non minimum tamen dubitabam, an expediret, cuncta Serenitati Veſtræ, & DD. Veſtris Excellentiſſimis enarrare, an quæ tempore præceſſorum meorum, & Bailorum Conſtantinopolis ſucceſſerunt, omitterem, ea ſolum deſcriberem, quæ mei Conſulatus tempore geſta ſunt. Quapropter cum ſuperuacaneum mihi videatur repetere, quę clariſſimi illi viri poſſent iã retuliſſe, non audebo in hac

relatione mea ad ea me extendere, quæ mei tempus regiminis excedunt. Et nihilominus multo melius, vtiliuſque exiſtimans, in iis, quæ Serenitati Veſtræ profutura ſunt, abundare, quam in rebus, quæ fortaſſe deſiderari queunt, deficere, etſi actum ab aliis iterum ageretur: ſaltem gaudebo id me effeciſſe ab opportunitate coactum, propter quam curauerim ſi non aliorum præclara facinora ſuperare, & exæquare, at certe, quod licet, imitari. Qua ſpe fretus Serenitatem Veſtram, Veſtraſque DD. Excellentiſſ. etiam atque etiam rogo, vt ſtudium, ac voluntatem meam magis, quam rem ipſam ſuſcipiant, meamque ineptiam excuſent, neque longiore procemio ad propoſitam narrationem deuenio.

Religio prætextus belli, non cauſa.

Dico autem, cauſam huius belli nequaquam fuiſſe antiquam, & inueteratam de Religione diſſenſionem, quemadmodum multo tempore fortaſſe creditum eſt, ſed tantum immenſam quandam Amurathi Turcarum Regis ambitionem, qua fines Imperii ſui proferre cupiuerat: quæ ambitio non adeo ipſius animum occupauit aduerſus Perſas, quin aduerſus quamlibet etiam Europæ nationem debacchari potuerit: Verum contra Regnum illud magis, quam contra alia ſeſe conuertit, quia facilius ſibi videbatur finem ſuum aſſequi ſe poſſe in iis partibus, quam in cæteris aliarum regionum nationibus.

Seditio ciuium occaſio hoſtium.

Neq; ex ſe ipſo hoc bellum aggreſſus eſt, ſed à mancipiis ſuis incitatus, à quibus occaſionem pulcherrimam prætermittendam non eſſe perſuadebatur. Etenim Taumas Rege Perſarum defuncto, inter Sultanos variæ ſecutæ ſunt diſcordiæ, quorum pleriqueRegem Aiderum in regnum vocabant: huius autem morte regnum conſeruatum eſt Hiſmaeli, qui, vt tutius imperaret, totam Perſiam cædibus acerbiſſimis ac frequentiſſimis replens, tumultus, atque ſeditiones turbulentiſſimas concitauit inter ſubditos: quæ poſtmodum inde magis auctæ ſunt, quia nouam legem Casbini publicari, & obſeruari iuſſerat, contumaces, ac reluctantes morte afficiens. Præter has tot perturbationes tota illius regni politia, & regiminis ratio confuſa erat ob necem illam Hiſmaeli à ſua ſorore Perca, quæ vna cum Sultanis iuramento obſtricta in eius mortem conſpirauerat: qua de re Perſicum Imperium exciſum eſſe funditus videbatur, penituſque ineptum ad quemlibet vel minimum hoſtilem impetum retundendum. Quæ regni imbecillitas, atque confuſio quotidie incrementum maius ſumebat, & in deterius prolabebatur, aſſumpto in regnum Maliameto Codabôda, qui modo ſceptrum tenet, homine rerum ad ciuilem felicitatem, atque ad rem bellicam pertinentium ignarum, oculis infirmum, trium gnatorum amore effœminatum, in actionibus timidum, & inconſideratum, quodque magis intereſt apud Sultanos nullius exiſtimationis: proinde ex tot rerum conuerſionibus regnum illud olim extimeſcendum in ſummã

vicinorum,

vicinorum, atque longinquorum contemptionem deuenit. Ex his nouitatibus exſuſcitatus Amurath, omiſſis cæteris bellis, huc ſuam ambitionem vertit, ea ſpe, vt quā vellet victoriam, gloriamque adipiſceretur. Dum vero huiuſmodi ſpe lactabatur, Zeltuf, qui tūc Zeani Baſſa erat, ipſum de toto Perſię ſtatu edocuit, & ad mouendum bellum impulit, eique auſus eſt fortunatos triumphos polliceri. Quamobrem in decernendo bello perſtitit: videlicet volutabat animo, non contra bellica tormenta, non ſclopetos, non contra arces, & munitiſſimas Europæ vrbes, ſed contra ſoloſentes & ſagittas, contra apertas, & incuſtoditas Aſię vrbes ſibi belligerandum eſſe, vnde nihil arduum omnia læta, & proſpera augurabatur. Et quamuis Siruanus inter Viſirios ſolus bella maritima contra Chriſtianos præferret: tamen commune deſiderium, Regiſque ambitio præualuit, qui ſuam ſententiam amplexus, bellum publicauit, incepitque plurima damna inferre verſus fines dicti Baſſæ Zeani nomine Zeltuf. Exercitus autem Ducem generalem creauit Muſtapham Baſſam anno 1577. cui omnia ad bellum neceſſaria, & omnis auctoritas ad cuncta prouidenda cōceſſa fuit. Itaque huius expeditionis gratia ad omnes commodiores Imperii partes miſſus fuit, mandatumque, vt omnes Baſſæ & ſubditarum vrbium gubernatores intra verni temporis ſpatium in ciuitate Erziro congregarentur. Erzirum autem ciuitas eſt ſex vel ſeptem circiter dies itineris, locata procul à portu Trapezuntii, mediterranea, & tranſitu tuis in Armeniam, in Georgiam, in Siruaniam, & Tauris percommoda. Ad eam igitur vrbem Syriæ exercitus ad numerum quatuor millium ſeſe contulere, item ex Caramania quatuor mille: ex Meſopotamia duodecim millia: ex Babylonia & Curdi centum millia: ex Natolia centum duodecim millia: ex Georgia centum millia: ex Iudæa & Palæſtina centum millia: Iannizzari ex vrbe Conſtantinopoli tria millia: Spacoglani, & ſimiles quatuor millia. Qui omnes aſcendunt ad ſummā fere ſexcentorum millium, omnes ſtipendiarii, totidemque voluntarii milites: conduxit ſecum præterea Muſtapha ex vrbe Conſtantinopoli tormenta belli minora, Aſprorum ingeuria pondera cum facultate ex fiſco Aleppi accipiendi cætera pro neceſſitate. Iuſſit congregari hordea, frumenta, oryzam, alioſque commeatus, & ex ſola vrbe Aleppo conducta fuere octo millia iumenta frumento onuſta, & per Pontum Euxinum maxima pars horum commeatuum tranſlata fuit ad eundem, quem dixi, portum Trapezuntinum: ipſeque tandem Generalis in eandem vrbem ad finem Maii ſeſe contulit, ex qua poſt diligentem militum omnium luſtrationem verſus Charſium contendit, oppidum in finibus poſitum, ſtudioſe ſolo æquatum à Solymano in concluſione pacis, quam cum Romaſio à Chats iniuit: inde in Georgiam ſe tranſtulit, & ſecundis caſtris vltra Charſium ſubſtitit cum exercitu ſub collibus Chiezderni in quibuſdam campis, qui ab illis montibus denominantur. In caſtris locan-

Facilitas belli.

Muſtapha dux belli decernitur.

Exercitus Turcarum.

Commeatus.

Caſtrametatio Turcica.

dis duos

dis duos colles occupauit, in quorum altero à dextris ſitus erat Beiranus Baſſa, vt ex iis collibus aduentus hoſtium exploraretur: ipſe vero cum cætero exercitu, quem ad eas partes adducebat, nihil amplius, quam cohortes, quæ duos colles occupauerant, explorare poterat. Erant autem hæ, computatis voluntariis, ac ſtipendiariis, centum ſexaginta vel octuaginta circiter millia hominum: inter quos aderat præſertim Oſmanus Baſſa voluntarius, qui deinde primus Viſirius extitit, & mortuus eſt Aſſancaſſanus Generalis, quemadmodum ſuo loco dicetur. Aderat etiam Caitarius Baſſa, & Muſtapha Baſſa, & plerique delectorum militum.

Perſica audacia.

Verum Rex Perſarum ſtatim atque audiuit, Muſtapham Conſtantinopoli expeditum eſſe, ipſe quoque exercitum contra Turcas inſtruxit, iuſſitque Tocamaſio Gubernatori Reiuani, & Manubio Chamo Gubernatori Gengi, Setapio Chamo Gubernatori Naſciuani, aliiſque Ducibus, & Gubernatoribus ciuitatum quæ Turcis conterminæ ſunt, vt copias omnes imperiis ſuis ſubditas congregarent, & collectis viribus obuiam Turcis exercitibus procederent, prælitumque inirent, quam optima poſſent, conditione. In exequendis mandatis nihil morati ſunt, ſed copiis contractis ad numerum ſexdecim, vel decem & octo millium hominum verſus Charſium contenderunt, & in planitie, quæ dicitur Chioldet, duos nominatos Baſſas in duobus collibus confidentes viderunt, credenteſque, hoſtilem exercitum ampliorem non eſſe, audacter proceſſerunt. Turcicæ copiæ idem effecerunt, relictis collibus, & prælium ſumma vtrinque virtute commiſſum eſt, in quo ferociter dimicauerunt, ſed multo maiorem virtutem præ ſe tulerunt Perſæ; qui, etſi numero multo inferiores, feliciſſimam nihilominus ex hoſtibus victoriam retulerunt, debellatis ſeptem Sanghiachis, magnoque numero proſtrato tam voluntariorum militum, quam ſtipendiariorum. Verum Muſtapha, cum excidium ſuorum obſeruaret, atque intelligeret, cum toto exercitu præcipitanter, maximiſque clamoribus aduerſus Perſas iam commixtos, & in occiſione Turcarum confuſos, prouectus eſt, & exercitu diſſipato Perſarum, cohortes maximo impetu penetrauit, & fugatis Ducibus hoſtes captiuos ad numerum trium millium effecit, & quinque millia trucidauit, non mediocri tamen ſuorum detrimento: & clades multo cruentior vtriſque contigiſſet, niſi nox ſuis vmbris dirempto prælio cunctos ad quietem debitam vocauiſſet. Scripſerunt Perſæ res geſtas Casbim ad Regem, & damna illata, nec non accepta diligenter ſignificauerunt: Turcæ ſimiliter indicauerunt cuncta Amuratho Conſtantinopolim degenti: & poſtero die iuſſit Muſtapha, vt ex capitibus Perſarum in campis illis propugnaculum ædificaretur, quod effectum eſt, nouo prorſus, atque tremento ſpectaculo. Huc Manſachiar filius Viduæ natu minimus acceſſit vt ſe clientem ac ſubditum efficeret Amurathi Regis, & Mu-

Pugna cruenta & pertinax.

Sæuitia Turcica.

ſtapha ſecutus eſt iter ſuum, atque Seruanum perrexit: In reditu vero Muſtapha in vrbem Teflis venit, quæ regia vrbs eſt in Georgia Simonis Bechi, verum à Dauto eiuſdem Simonis fratre occupata. Cum idem Simon in poteſtate Perſarum eſſet, vti ſuo loco ſcribetur, arcis Teflis diruta mœnia reſtaurauit arcemque, quam vacuam reperit, 100. bellicis tormentis inſtruxit, addito præſidio 60000. militum ſub imperio cuiuſdam Mahumethi Baſſæ, qui filius fuit Eorruti, alter voluntariorum: qui ſimul cum cæteris, audita Dauri fuga, Seruanum verſus diſceſſit. Quo in itinere legati venerunt ab Alexandro, quem Magnum appellant, Principem Zagghen, item à Georgiano, qui nomine Alexandri Principis Regi obedientiam præſtiterunt & Muſtaphę ditiſſima ac nobiliſſima munera attulerunt, idemque fecerunt alii indigenæ fere omnes ex ciuitate Hecchi, quæ intra fines Seruaniæ comprehenditur: eoque pacto Turcæ abſque præclaris facinoribus relatu dignis peruenere ad flumen Canach; quod Georgiam diuidit à Seruano, & paulo poſt in Araxem fluuium ſeſe exonerans, magno circuitu, quo per bonum ſpatium prouehitur, peninſulam quandam format fœcundam oryza, omnibuſque humano victui neceſſariis frugibus. Interim Duces Perſarum, qui ex memorato prælio profugerant, hoſtilem exercitum ſemper inſequebantur, ſperantes, fore, vt propter longitudinem itineris, quod neceſſario inter infœcunda & infructuoſa loca faciendum erat, cogeretur commeatum & quietem quærere: itaque ad memoratam peninſulam iuere, & poſt aliquot colles occultati expectauerunt, donec frumentarores, aliique milites Turcarum illuc aduenirent, cumque opportunitas videretur, è latebris prodeuntes, cruentam illorum ſtragem ediderunt: nam cum primum Turcæ ad Canach fluuium peruenere, iuſſu Muſtaphæ congregatis mille hominibus de gente ſeruili, vt commeatum exercitui quærerent, Perſæ ipſos ad peninſulam contendentes ex tempore aggreſſi, ad vnum trucidauerunt: adeo vt ne nuntius quidem ſupereſſet. Verum Muſtapha, qui non procul aberat auditis clamoribus, & ex ſtrepitu, qui ibi edebatur, excogitato infortunio, illico in equum aſcendens, illuc, vnde clamor audiebatur cum toto exercitu feſtinanter accurrit, indicibus quibuſdam profugis, quos obuios habuerat; & Perſas in præda occiſorum colligenda occupatos adoriens, vix Ducibus, vt fugam arriperent, tempus permiſit, interfectis omnibus, vel in fluuium ſubmerſis: Duces vero Perſæ triſtiſſimum hunc nuntium Regi ſuo, Casbini degenti, mittentes, omnes peſſimis modis afflicti, ad patria loca reuerterunt, à Rege ſuo mandata noua expectantes. Verum Turcę poſt captam quietem victoriam hoſtibus quidem exitioſam, ſed ſibi quoque cruentam nimis meditantes, coacti fuere, vt in Seruaniam tranſirent, flumen Canas traiicere. Qua de re Muſtapha rogauit, atque hortatus eſt omnes milites, vt ipſum ſequerentur, ſed Græciæ & Conſtantinopolis milites

Erga victorem, ac potentiorem blanditiæ.

Inſidiæ Perſarum.

Varius Martis ludus.

milites in ipſius vitam machinati ſunt; cumque iniuriis affecerunt: proinde ipſe rapidi atque alti fluminis vadum tentare, ac ſuperare audentior ſolido decreuit, omneſque eum Baſſæ inſecuti ſunt,& ſingulorum ſerui, ac fere omnes voluntarii, etſi maximo cum damno: nam 8000. hominum vndis abrepta fuerunt, cum ingenti numero equitum, camelorum, mulorum,& multorum impedimentorum iactura. Poſtero die tranſiuit reliquus exercitus, ſed longe meliore fortuna: nam arena veſtigiis illorum, qui tranſiuerant anteacto die, cōmota, & in vnum locum à fluminis aquis congeſta, aggerem quendam effecerat in alueo, ſuper quo quicumque tranſiuerat, incolumis euaſit, neque in hac parte exercitus quiſquam periit Hinc Muſtapha ad Vrbem Eres ſe contulit, quam ſimiliter omni ſtipendiario milite vacuam inuenit, à viliſſimo hominum genere habitatam, qui ſtatim ad victorē Turcā obſequia ſua attulit. Hoc loco iuſſit è veſtigio ædificari arcem in media ciuitate, cui præpoſuit Caitas Baſſam vna cum delecto milite,&quadringentis belli tormentis. Quoniam vero hyemis inclementia vrgebat,& multum viæ reſtabat, Erzitum reuerti decreuit, ſed antequam diſcederet, Viſirum gubernatorem Generalem nominauit prouinciæ Siruaniæ Vſmanum Baſſam; cui munus iniunxerat, vt Tumachium & Derbentum occuparet, Tartaroſque acciret, quos prope eam ciuitatem Derbentum adueniſſe, intellexerat. Diſceſſit Muſtapha, & in Erzirum reuertit. Oſmanus vero Sumachium occupauit, legatoſque miſit ad ciuitatem Demicarpi, qui claues vrbis reportauere cum primoribus ciuium, qui Oſmanum rogabant, vt illic reſidere vellet. Vocauit ſimiliter Tartaros, qui penes Demicarpum, ad dimidium itineris diem, caſtra fixerant ad numerum triginta millium Duce Albicherai frater Regis Tartarorum Cumanorum, qui in regionibus vicinis paludi Mæotidi habitant, dictuſq; Albicherai Capham venit, & inde Sumacchiam ſimul cum triginta millibus, vtque illi Oſmanus impetrauerat, totām Seruaniæ prouinciam vaſtauit, atque depopulatus eſt, vnde ſe ad vrbem Gengi, quæ regia eſt Emanguli Chami, conuertit Ad ripas flum nis Canai cum perueniſſet, reperit ibi caſtrametantem Areſchamum, qui è Casbino aliquid noui & ſuppetias ſibi ferri præſtolabatur. Dux Tartarus Perſæ Areſchami omnem militiam trucidauit, quem viuum captum Sumacchum miſit ad Oſmanum, qui eum iuſſit ſuſpendi extra atrium quoddam, in quo ipſe cum Gubernator eſſet, tribunal habebat. Poſthæc dictus Tartarus Gengium verſus excurrit, & forte incidit in Emangulum Chamum, qui venationi indulgebat ſimul cum vxore, Gengium diripuit, multas ſecum diuitias, hómineſque abducens: ſicque, onuſtus ſpoliis,&præda in Seruaniam ad vrbem Sumacchiam rediuit, ſed cum ad quoſdam campos viridantibus collibus circundatos perueniſſet, ſeq; cum ſuis militibus quieti dediſſet, eaque frueretur, à Perſis ex tempore laceſſitus, & afflictus fuit: Nam Perſarum

Muſtapha facinores progreſſus.

Tartarorū excurſio.

Securitas periculum.

Rex,

Rex, qui memoratis duobus prælijs damnum & excidium ſuorum acceperat, neque ignorabat, Turcas in Seruaniam contẽdiſſe, extemplo maiorem natu filium expediuerat nomine Emir Emza Minze vna cum ſuo primo Viſirio nomine Miaizen Salnas, quibus ducendos commiſerat duodecim mille circiter milites, vt Turcas infeſtis ſignis aſſequerentur.

Princeps Perſa Tauriſio emenſo, & Carachachio poſt ſe relicto, prope Eres peruenit, & obuiam habuit Caitaſium Baſſam qui fame exſtimulatus vicinas regiones incaute excurſionibus infeſtabat cum toto exercitu ſuo, quo trucidato arcem Eres ſimul cum ducentis belli tormentis recuperandi: hæc vero Sumachiam verſus miſit, vbi intellexerat Hoſmanum Baſſam detineri, cumq; ad campos perueniſſet, in quibus Tartari caſtra metabantur, etſi illos numero ſuperiores eſſe, non ignoraret, tamen animaduertens, ſomno ſopitos eſſe, eoſdem aggreſſus, ingentem atque vniuerſalem ipſorum ſtragem edidit, viuo capto eorum Duce Abdircherai, quem Casbinum patri miſit, ibidemque memorata bellica tormenta inuenit: Sumachiam vſque delatus eſt, vbi ſtatim Oſmano proteſtatus eſt, ſi ciuitatem reſtitueret vita donandum fore, ſin minus, executurũ ſe, quæ decere putauerit, Oſmanus, qui de Tartarorum occiſione nihil audiuerat, ipſorumq; reuerſionem ſingulis horis ſperabat, reſponderi iuſſit, vrbem ſe libenter reſtituturum, cæterum ſe vehementer rogare, vt tres ſibi dies concederentur, quibus res ſuas parare poſſet; videlicet ſpe ductus, fore interim, vt Tartari reuerterentur, ſed tranſacto triduo, cernens, neminem ſibi ſuppetias ferre, calamitatem, quę acciderat, ſuſpicatus eſt, cumq; locum male munitum, & ſine tormentis bellicis inſideret, ad pugnam deſcendere auſus non eſt, proinde nocturnis vmbris protectus, tutiorem atque occultiorem viam per montes ingreſſus Demicarpium confugit, vbi hilariter à ſuis exceptus eſt, & ſecure ſeſe continuit, cum locus ille mœnibus, foſſis, ſitu in monte edito eſſet, & prope mare, demum ab ipſa natura egregie munitus. Perſarum Princeps à Sumachianis, tãquam rebellibus, pœnas exegit ſeueriſſimas, cum quia hoſtem ſine vlla repugnatione receperant, tum quia ſibi victori portas non aperuerant, atque aditum grauatim conceſſerant; vnde ad vrbem Eres conuerſus, miſeram illam plebem ſimili de cauſa caſtigauit: quamobrem vtraque ciuitas deſtructa, atque deſerta eſt non minus hoſtium, quam amicorum ſæuitiæ. Perſarũ Principem reuerſum ad vrbem Casbinum Rex, & Sultani, omniſque populus ſummo gaudio excepit. Verum Tartarus Abdircherai perhumaniter à Rege tractatus fuerat: etenim in palatium receptus, tanquam amicus, non vt captiuus habitus fuerat, idq; propterea, quod ſperabat Perſa, fore, vt ipſum ſibi generum adſciſce-

Turcæ obſeſſi.

Rebelles caſtigati.

Victor honori habitus.

Captiuus Rex Tartarorũ egregie habitus.

ret, filiam ſuam ipſi in vxorem tradens, eoque pacto cum Tartarorum natione fœdere percuſſo, prouinciam Seruaniam, atque Georgiam ſeruare cupiebat;iamque inter mulieres,& ipſum Abdircherai pleraque officia amatoria agitabantur: Tartarus enim propter pulchritudinem morumque elegantiam omni humanitate dignum ſe præbebat, iamque hæc amatoria officia adeo publicabantur, vt plerique Sultanorum, qui ad eaſdem nuptias aſpirabant, Zelotypi euaderent. Tolerabatur tamen, quoad fieri poterat melius, hæc fama, & publicæ ſalutis cauſa amores nonnullorum conſopiebantur, neque quidquam turbarum concitatum fuiſſet, niſi paulo poſt rumor diſperſus fuiſſet, matrem memorati Principis factam impudicam, atque inhoneſtam ſui cubilis copiam iuueni Tartaro impudenter facere voluiſſe; nam huiuſmodi dedecore commoti, Sultani, iam Zelotypiæ furore, filiæque,& regiæ honeſtatis amore agitati, ne paterentur aduenam captiuum tantam ignominiam in regium vſque thalamum attuliſſe, omnes coniurati ex tempore in palatium ingreſſi ſunt, & Tartari cor mille ſagittis transfixerunt, ex fronte Regis, ſuæ ignominiæ ignari, publicum dedecus auferentes.

Gynaceum Tartari amore captũ.

Aiunt, impudicam quoq; Reginam regis vxorem tunc interfectam fuiſſe, verum an mandato Regis, an ex ſeipſis hoc facinus perpetrauerint, adhuc inexploratum eſt: de hoc non dubitatur, ipſam quoque extinctam remanſiſſe, atque adeo infamis & inhoneſtæ culpæ meritas pœnas dediſſe. Hæ fuerunt res geſtæ anno primo Muſtaphæ, qui in vrbe Erziro exautorato, dimiſſoque toto exercitu, quemadmodum Rex iuſſerat, ad comburendas calces incumbebat, quibus ſcilicet conflaret bipennes, tridentes,& huiuſmodi inſtrumenta ad munitionem Carſiæ, quam anno ſequenti tentare decreuerat: iamque iuxta edicta per omnes ſubditas vrbes diuulgata, in vrbem Erzirum verno tempore omnes Baſſæ conuenerant, & frequentiori numero Ægyptiæ gentes conuolauerant, quæ nihilominus cum propter difficultatem viarum, quæ inter Cairum & Gazam arenoſæ ſunt, tum propter peſtilentiam, quam, Aleppi & in vicinis ciuitatibus inuenerant, paruo numero ad memoratam vrbem ſeſe tranſtulerunt, iamque ad nouam expeditionem omnis apparatus erat promptiſſimus: cum etiam Casbini conſultatum fuit, quibuſnam modis Turcis maiora damna inferri poſſent, neque dum bene ſciebatur, quales eſſent Amuratis Regis cogitationes in munitione Carſiæ: ſed communiter æſtimabatur, Turcis omnino neceſſarium eſſe, vt Teflis præſidia validiora mitterent: quamobrem decretum fuit, vt Simon Bech, qui tunc in carcere detinebatur, extractus, in Georgiam mitteretur, nec non Alyculi Cham, pri-

Impudica Regina interempta.

Perſæ ſua tuentur intrepide.

marius

marius Perſarum Dux, cumque his ſex aut ſeptem millia hominum, & pleraq; belli tormenta, quæ ab oppido Eres accepta fuerant, vt fauces & anguſtias Tomais occluderent, & cuicunque oppidum illud ſuppetias laturo excidium pararent. Hunc in modum ſecundi huius anni principia ordinabantur, quibus principium dedit Muſtapha diſcedens ab vrbe Erziro, & Carſiam vadens, quo ſe contulit octidui ſpatio, vbi viginti quatuor dies moratus eo tempore, ſuper ruinis illius loci octuaginta circiter turres erexit, balneas fabricauit, circa muros, & intra ciuitatem ex Euphratis ibi vicini fluminis riuo aquam conduxit; deinde Aſſanum Baſſam, filium olim Mehemeti Viſiri, cum viginti millibus militum ad Teflis ſubueniendum miſit, quo aureos quadraginta mille, & pleraque neceſſaria tum victui, tum prælio cótulerat. Iuit Aſſanus ad locum illum ſuſtentandum, dumque anguſtias tranſire conatur, Alyculi Cam & Simon ex ſyluis illum aggrediuntur, nouo atque inuſitato dimicandi genere, multaque inter illos anfractus Aſſano damna intulerunt; Sed cum à ſuperiore hoſtium numero circumuenirentur, ſalutem fuga quæſiuerunt; itaque Simon in tuta loca ſeſe recepit, ſed Alyculi qui nimis audax vſque ad vallum Aſſani excurrerat, captiuus factus eſt, ſicque Aſſanus ſuperatis hoſtibus ad oppidum Teflis peruenit, vbi verbis magnificis, pecuniis, munitionibus, militibus præſidiariis animos addidit, magnoque fuit adiumento; mox denuo reuerſus eſt. Quo in reditu Simon dictas anguſtias continuo ordine tormentorum concluſit, ea cogitatione, vt cum Aſſanus reuerteretur, præparata tormenta ſimul exploderet, exercitumque vniuerſum diſiiceret. Verum Turca Dux nouum cœpit cóſilium, mandauitque, vt Alyculi coram ſe duceretur, cui dixit, ſi aliam viam ſibi oſtenderet, qua maximum illud periculum anguſtiarum euitare poſſet, donaturum ſe illi libertatem: Alyculi ſtatim viam per medium lucum indicauit, per quam Aſſanus tranſiens, arma hoſtilia nihilominus obuia habuit; nam animaduertens Simon hoſtis digreſſionem hanc, omni ſpe deſtitutus, bellica tormenta deſeruit, cæteriſque impedimentis relictis, Turcicum exercitum inſecutus eſt, quem aſſecutus, cum iam ex luco egrederetur, præter ingentem ſtragem & exciſionem poſtremæ aciei omnem Aſſani, & alterius Baſſæ ſupellectilem abſtulit, nihilque vlterius efficere valens, cecinit receptui: & Aſſanus vna cum Alyculi captiuo, cui pollicitam libertatem minime ſeruauit, Carſiam venit ad Muſtapham, à quo ſumma hilaritate atque honore ſuſceptus eſt. Omnes exinde Erzirium redierunt, vbi memoratus Alyculi carceri mancipatus eſt; atque in hunc modum ſecundi huius anni contentionibus finis impoſitus eſt.

Arx exſtruitur à Turcis.

Anguſtiæ quædam Turcis difficiles.

Muſtapha potentia corruit.

Muſtapha tunc temporis reus factus eſt ob multas querelas, quibus ad Portam delatus fuit, præſertim vero inſtigatione Sinani, quocum antiqua intercedebant odia. Ipſe Sinan creatus fuit Generalis; & ad bellum Perſicum ſupremus Dux delegatus, ſtatimque ad oppidum Sinas ſeſe conduxit. Quod cum Rex Perſarum accepiſſet, huiuſmodi Ducum mutatione in ſpem ſubleuatus eſt, fieri poſſe, vt controuerſia belli huius componeretur: neque enim ignorabat Sinani animum propenſiorem eſſe ad Europæa, quam ad Aſiatica bella: proinde Morut Can legatum ad Sinan, & ad Regem Amurath huius tractationis gratia mittendum decreuit. Igitur dictus Morut Can ſuperuenit cum facultate concludendæ pacis, quotieſcunque Amurath oppidis Teflis & Cars contentus foret; cumque ad Sinan perueniſſet, ſui Regis propenſionem ei, ac deſiderium explicauit. Cui Sinan affirmauit, fruſtra profecturum illum Conſtantinopolim, niſi certum, ac determinatum Conſilium afferret cedendi omnia, quæcunque primo anno Muſtapha occupauerat; erat autem tota Seruania: Quamobrem legatus Perſæ procedere vlterius verebatur: nihilominus ſperans, a Rege ſe impetraturum, quod Sinan negauerat, ad portam mitti voluit, vbi cum Regem, & Muſtapham Baſſam allocutus fuiſſet, nihil efficere potuit, vtque ſe ex manibus Turcarum, qui iam perpetuum illi carcerem minabantur, & ipſum tanquam exploratorem calumniabantur, extricaret, aureos montes pollicitus & profeſſus, velle ſuo Regi perſuadere, vt Seruaniam relinqueret, permiſſum fuit, vt diſcederet, inque Perſiam remearet: vbi deinde in ſuſpicionem Regis Perſarum deuenit, quaſi Seruaniam abſque eius mandato obtuliſſet, & ſuggeſtione Emircani, qui Gubernator Thauorii, cum hoc Maxut Chan inimicitias gerebat, tanta in animum Regis inſedit ſuſpicio, vt nunquam ceſſauerit, donec illi legationi inuſta fuerit aduerſus Regem rebellionis nota. Qua de cauſa commotus Rex, iuſſit, vt viuus Maxut ad ſe adduceretur: itaque Emircan duodecim ex ſuis militibus ad oppidum Caſangich, antiquum Maxut Cani feudum ablegauit, vt ad Regem ipſum traherent. Maxut, qui nonnihil ſermonis hac de re audiuerat, immoto animo horum militum aduentum expectauit, omneſque lautiſſimo conuiuio excepit, iuſſitq; iis ſacchara, fructus, carnes, & confectiones ſacchareas omnis generis afferri, omnibus exquiſitioribus blanditiis adhibitis, dumque obdormiſcerent, ligatis manibus & pedibus eos in profundum puteum demiſit, quem ingenti quodam ſaxo obturauit; ipſeque interim conuaſata pretioſiori ſupellectile, vna cum familia, vxore, filiis, fratribus, omnique theſauro ſumma pernicitate Caſengig reliquit, ſeq; Salmaſium & Ranum tranſtulit, vnde ad Portam tranſmiſſus, & à

Sinan ſubrogatus.

Suſpicaces Regum animi.

Egregia antitechna.

Reg

Rege ſuſceptus,& honorifice habitus fuit, quemadmodum ſuo loco dicetur. Verum hoc tempore Perſarum Rex in Catacuch, quod oppidum inter Seruaniam & Tauris locatum, omnibus rebus neceſſariis affatim abundat, ſeſe continebat: quo in loco exercitu triginta millium circiter hominum congregato, Sinani aduentum præſtolabatur, quem credebat, vt Muſtaphæ gloriam vinceret, tranſiturum vltra Tauris, vel Seruaniam; at quocunque iret in eodem loco Caracuch, vtpote peropportuno ad hoſtem inuadendum conſiſtebat.

Rex Perſa hoſtem expectat intrepide.

Quoniam vero exploratum erat, oportere ad oppidum Teflis in Georgia auxilium mittere, duos expediuerat primarios Duces, Tocomachium,& Mangulium Chamum, vt cum Simone arma coniungerent, Turcicisque legionibus damna, & incommoda, quanta maxima poſſent, inferrent. Sinan igitur Erzirum acceſſit, & collectis copiis, conſuetiſque munitionibus aggregatis, Carſiam petiit, & inde in Georgiam ad oppidum Teflis migrauit, eo animo, vt in iis anguſtiis Thomanis, vbi nuper maximum Turcæ euaſerant periculum, arcem exædificaret. Cum Thomanis igitur eſſet, ibi caſtra metatus eſt, vbi diebus octo totidemque noctibus maximis pluuiis infeſtatus, & inde excedere coactus, Teflis migrauit, quo in loco debitum pecuniæ atque munitionum auxilium reliquit: ſed in reditu decem millia lixarum atque calonum cum pleriſque animalibus atque munitionibus amiſit,& Triatam perueniens, intellexit, regem Perſarum numeroſo cum exercitu aduentare: Quamobrem omnia grauiora impedimenta Ardacamum verſus direxit, ipſe vero cum omnibus copiis ad campos Chielder caſtra locauit, vbi ter totum luſtrauit exercitum, exercuitque perinde ac hoſtis adeſſet, tormenta,& ſclopeta explodendo, quaſi aduerſus Regem ipſe proceſſurus: ſed inanis ac ſimulata fuit fama; quin etiam miſit interim Volachium, vt ab hoſtium Rege legatum peteret, per quem pacis conditiones tractarentur. Quod fortaſſe meditatus eſt, vt Regem a cogitatione illum inuadendi auerteret, vel quia Conſtantinopolim redire percupiebat, cum ibi à Rege ob mortem Mahumeti, ac matris,& Muſtaphæ primus Viſirius electus fuiſſet.

Teflis ſuppetia lata.

Sinani thraſoniſmus.

Rex Perſa Oratorem miſit Abraincam cum mandatis iiſdem fere, quæ Maxut Chan habuerat, fuitque à Sinane maximo exceptus gaudio, ſimulque in Erzirum iuerunt, omneſque milites fuerunt dimiſſi. Perſa in Caracach hybernauit, expectans, quem finem hæc pacis tractatio ſortiretur, nempe vehementer optabat fines illos imperii ſui tranquillos efficere, vt vires ſuas aduerſus Abas Mizize filium ſuum (qui à Rege dicebatur defeciſſe, auctore delationis Viſirio Mizire Salmas, quemad-

Regem Perſam aliud bellum inteſtinum diſtrahit.

modum ſuo loco ſcribetur) arma conuerteret. Interim Sinanus Regi ſuo aduentum legati ſignificauit, ab eoque petiit, vt vna cum hoc legato ad portam reditum ſibi permitteret; fore enim vt vel pax concludatur, omnibus iis conditionibus, quæ magis deſiderari queunt, vel ſi forte iniri nequiuerit, fore, vt Rex aperte cognoſcat ex ſermonibus, qui coram habebuntur, fieri non poſſe, vt hoſtis inſtituto modo bellandi expugnetur, vel ſub iugum mittatur, ſed nouos belli modos excogitandos, nouoſque apparatus faciendos; quorum ne minimam quidem partem abſque maximo eius tædio deſcribere non poſſet. Scripſit atque reſcripſit Sinan præ ambitione ſedendi, tanquam Portæ Viſirius, adeoque rem vrſit, vt tandem Rex ei ſatisfacere voluerit, ſpe ductus, fore, vt ex rebus propoſitis aliqua ſuccedat, vel ſcilicet pax, vel modus Regis Perſarum breui temporis ſpatio debellandi.

Sinan Byzantium reuertitur.

Cum igitur Byzantium aduenisſet, primum conſilium, quod ceptum fuit, illud extitit, vt Teflis ſubueniretur, abſque enim auxilio arx illa ſuſtentari diutius non poterat, ſimulque decreuit ad fines Vani validas cohortes mittere, vt hoſtis in fines Erziri non excurreret cum Turcarum dedecore, ac detrimento. Quamobrem (etſi contra Sinani voluntatem) electus fuit ad hoc bellum Mehemeth Baſſa, vir iudicio Sinani ineptus, eiuſdem riualis, & inimicus, olim Muſtaphæ Baſſæ nepos, eique concrediti ſunt milites ad Teflis ſubueniendum, ductabatque cohortes ex Erziminio, Caramito, & Altuncala, omnibuſque locis Manucchiari Georgiani; qui ſanctiſſimis Fidei ritibus abnegatis, Turcicam ſuperſtitionem amplexus fuerat, vt fratri Alexandro regnum eriperet: qui animam ſuam tam infami crimine fœdare voluerat. Itaque vigintiquatuor millia armatorum ſecum ducebat, vtque triginta millia ducatorum,& pleræque munitiones, atque commeatus in arcem Teflis & Vani inferrentur, expediti fuerunt cum decem millibus hominum Baſſa Aleppi,& alter Maraſii. Hi porro fines ſuæ cuſtodiæ commiſſos abſque vlla moleſtia tutati ſunt, omneſque cum ſanitate,& gaudio ad ſuas domos hyeme redierunt. Verum Mehemeth Baſſa admodum diuerſo fortunæ afflatu iuit, atque rediuit ex inſtituto itinere: nam, cum ad fines viduæ, & Simonis imperii terminos acceſſiſſet, dum fluuium traiicit, à Georgianis mixtis cum Perſis laceſſitus, malis modis habitus, ac profligatus fuit. Erant hi Tocomachi, & Mangulicham, & Emircham,& Cimorcham: qui, intellecto Sinani reditu Conſtantinopolim, & aduentu Mehemethi in Georgiam cum duodecim millibus militum,per ea loca ſubſiſtentes, auxiliares haſce copias expectabant, vt iis interfectis, intercepto obſeſſis in oppido Teflis

Turcarum iniqua conditio.

Subſidia Turcica intercepta.

do Teflis ſubſidio, ab iis desereretur, & ad priſtinas Simonis coniunctas vires reſtitueretur. Hi igitur, dum copiæ Mehemethi dictum fluuium tranſeunt, hoſtilem exercitum aggreſſi, breui momento eum coniecerunt in fugam, atque profligauerunt, ablatis impedimentis cum triginta millibus ducatorum, nec non munitionibus omnibus, interfeceruntque duodecim circiter hominum millia, & inde abſcedentes ad ſua loca reuerterunt. Mehemethus interea militum ſuorum diſiectas reliquias collegit, quoad melius potuit, priuatam impendens pecuniam & commeatum, ſeque ad arcem Teflis conduxit, ad quam cum perueniſſet, obſeſſi milites proteſtati ſunt, ſe arcem deſerturos, niſi quamprimum commeatus & ſtipendia ipſis debita ſuppeditentur. Quapropter Mehemethus ſuos hortatus eſt, vt de ſua pecunia vnuſquiſque tantum eroget, vt iuſta portione theſaurus à Rege ſibi commiſſus redintegretur, communibuſque militum illorum neceſſitatibus ſuccurratur, qui virtuti, ipſorumque incommodis honorifice, inſigniterque opem, auxiliumque meriti erant; ipſeque ante omnes 4000. ducatorum enumerauit; & ſupplementum ab Alexandro Leuontolio Principe Taglieni petitum fuit, qui ſtatim prompto animo pecuniam, commeatum, & quæcunque Mehemethus rogauerat, miſit, itaque oppidum illud, quod alioquin expugnandum erat, retentum eſt. Hac clade audita, Mehemethus Charſiam rediit, tranſiuitque per regionem Georgiani, qui ſacros ritus abiurauerat: quoniam vero opera, & audacia Simonis hæc damna Mehemetho acciderant, ipſum decreuit è viuis tollere, ipſiuſque territorium diripere. Idcirco ad Altunacalam accedens Georgiano ſignificandum curauit, ſe à Porta illuc aduenisse cum mandatis, vt ad ſe ipſe quoque accederet, regia iuſſa auditurus, interimque ſuis ſeruis, atque etiam Baſſæ Caramiti imperauit, vt ſi Georgianus accederet, ipſum adorirentur, caputque præciderent. Georgianus autem, qui iam audiuerat coniurationem, & Mehumethi inſidias prænouerat, etſi ad tentorium Mehemethi pergere decreuit, ne timorem præ ſe ferret, ſeque reum, & contumacem per ſe ipſum efficeret; tamen 50. ex validioribus, ac fide præſtantiorib. viris delegit, quibus iuſſit, vt bene armati ſe ipſum ſequerentur ad tentorium vſque, & primo eius clamore ad arma omnes accurrerent. Hi mandata exſecuti ſunt, à pleriſque prætereа ſuffulti, & Georgiani tergo adhærentes, ipſum ad tentorium vſque aſſociauerunt. Cum ergo ſimulatum officium audiſſet, reſpondiſſetque, ſe erga Amurathem omnibus obſequiis paratiſſimum eſſe, iam abſcedebat, cum Baſſa Caramiti, & Cheraia Mehemethi per manicam togæ illum trahentes, iniunxerunt, vt ſederet: clamauit illico Georgianus, ſimulque cum clamore

Conſilium Ducis laudabile.

Mehemethi inſidias eluſit Georgianus.

Inſidiatores merito habiti.

enſem exſtraxit,& cum ſiniſtra manu detracta thyara ex capite Checaiæ, caput, & collum vſque ad ſtomachum ipſi diuiſit,& tranſuerſe Baſſam Caramiti percuſſit, maxillamque ipſi ſimul cum aure cæcidit, & furioſe Mehemetum Baſſam inuadens, quinque ei vulnera inflixit,totumque tentorium, quod ſuis militibus abundabat, tumultu repleuit, & exinde abſque vlla vllius iniuria, vel minatione diſceſſit,ſeque in palatium ſuum recepit. Turcæ incontinenti ex eo loco migrauerunt, in Arzirium contendentes, vnde Mehemetus vulneribus affectus Conſtantinopolin totam rem ad Regem perſcripſit. Exarſit ira Amurath, tantum ſuorum militum detrimentum, dedecuſq; conſpiciens: & quaſi cuncta cueniſſent, non propter imperata ipſius, ſed propter ſuorum Viſiriorum male conſulta, contra eos ſeſe conuertit,

Ira Regis in Conſultores.

ipſoſque ignorantiæ,& inexperientiæ arguens, præſertim Sinano dixit, omnia hæc damna accepta fuiſſe ob ambitioſa,& inſana eius conſilia, dum redire Conſtantinopolim affectaret, conſuleretque, vt ſubſidio ferendo tam parua militum manus, tamque debilis mitteretur. Sinan vero ex ſui natura Regis increpationem tolerare non potuit abſque reſponſo: itaque, ſe veniſſe, inquiebat, Byzantium non modo propter aduentum legati Perſarum, ſed vt experiretur, an poſſet ipſum Principem inducere ad meliora capienda conſilia pro hoſtium expugnatione: damnum vero, quod in Georgia acceptum fuerat, non ideo acceptum, quia ipſe male conſuluiſſet: ſatis enim monuerat, Mehemethum ad bellum illud ineptum fore: verum omnia ita facta fuiſſe ex Conſilio ipſius Principis, qui ita iuſſerat: Cumque iam infortunium ſecutum eſſet, neque infecta fieri poſſent, quæ facta ſunt, procedendum eſſe, vt poſthac alia via, ac ratio belligerandi, quam hactenus ſeruata eſt, inſtituatur: ſuum itaque eſſe conſilium, hunc modum oppugnandi hoſtis ædificiis tot arcium deſerendum eſſe, vtpote quæ arces nimio theſauro indigerent: hoc enim modo populi depauperarentur citius, & commeatus omnes inutiliter abſumerentur: verum neceſſe eſſe, vt ipſe Rex moueatur, ſeque vel Caramitum, vel Aleppum transferat, vel in Amaſiam ſaltem; etenim rumore ſolo, aduentare ipſum, Perſæ timore afficerentur, optimiſque pacis conditionibus acquieſcent. Rex Sinani ſermonem audiens valde turbatus eſt, quo ſcilicet ipſum electionis Mehemethi reprehendebat, & Conſtantinopoli exire iubebat, quæ res ei moleſta & formidoloſa erat: nihilominus ſuſurrationibus, tacitiſque minis colloquium illud tranſactum eſt. Porro Sinano vxor Regis perſuaſerat, vt profectionem hanc proponeret, cupida, vt Mehemethus filius eius imperium occuparet, patremque extruderet. Ob quam ſuſpicionem, & quia in adminiſtratione eius belli Sinan

Libertas Sinanum perdidit.

Subdola propoſitio Conſiliarii.

parum

parum ſatisfecerat, decreuit Rex, ipſum Ducis ſupremi munere ex ſpoliare, & procul amouere ab aula, quemadmodum DD. Veſtræ Illuſtriſſ. audiuerunt. Poſt Sinani priuationem Ebraimcham Perſarum legatus poſt ludibria multa in Erzirium captiuus miſſus fuit, vbi adhuc detinetur. Verum non obſtantibus moleſtiis, quas cœpit animo Rex ob copias cœſas, itidemque ob tumultus à Georgiano ſuſcitatos, decreuit nihilominus prauam voluntatem, quam aduerſus Georgianum gerebat, diſſimulare, quo ipſum in officio continens, facilius arci Teflis opem ferre poſſit, minuſque ſint contumaces populi Georgiani; quin etiam cum illo arctam amicitiam, ac beneuolentiam præ ſe tulit, quemadmodum ſuo loco narrabitur. Interea ad Regem Perſam Duces hilares, vtpote victores, conuolâuere, incredibile gaudium toti Regno afferentes: Vnde occaſionem arripuit Mirize Salmas primus Viſirius illius Regis, & ſocer illius Principis perſuadendi Regi, vt in Coruzan tenderet ad ciuitatem Heri, comitatus exercitu forti, atque inſtructo, quo filium ſuum nomine Abas Mirize, tanquam ipſius rebellem, oppugnaret, caperetque: totque ei rationes adduxit, & preces addidit, vt demum illuc patrem impulerit: quod ideo machinabatur, vt genero ſuo totum regnum vindicaret, neque dominatione filii, qui patri obſequentiſſimus ſemper fuerat, diminueretur. Igitur Perſa ſperans, Turcas ad vlciſcendas ſolum iniurias Georgiani conuerſum iri, damnoſque operam, vt Teflis acceſſum quam tutiſſimum efficerent, collectis copiis ad numerum viginti millium Coranzanum verſus diſceſſit, eo conſilio, vt omnibus Sultanis, qui filii partes fouerent, mortem inferret, ipſum vero filium captiuum faceret, ac regionis illius gubernationi arbitratu ſuo alium præficeret. *Diſſimulatio iniuria calidiſſima.* *Pater filiū bello aggreditur.*

Verum antequam Tauriſio proficiſceretur, fines Turcarum optimis cuſtodibus permuniuit, relicto Emangulocham in Gengia cum cuſtodia Seruani Seraphani, in Nachrina Tochomath, Sultano in Neiuan, Emirchamo in Tauris cum titulo atque authoritate ſupremi Ducis, qui ſeſe obtulerat, effecturum, vt ad ea loca defendenda factio Turcomanorum accederet, omneſque vires atque ingenium ad eam rem ſe adhibiturum, vt Turcæ ad illas regiones non accederent, vel ſi acceſſiſſent, maxima damna reportarent. Igitur caſtra mouit, & direxit Casbinum verſus, comitantibus ſimul cum exercitu Principe filio, ſuoque primo Viſirio, & Casbini congruo relicto præſidio, Corazanum contendit. In Seruianam cum perueniſſet præfecto regionis, tanquam filii partibus addicto, vitam ademit, ſimiliterque duobus Sultanis ſubditis iuriſdictioni Heri: quæ vrbs ſita, mœnibus, & aquis fluentibus munita, optimeque inſtructa erat ab eodem Abas Mirize: Qui patris aduentu intellecto, necibuſque amicorum ſuorum auditis, arma ſumpſerat, ne parens iratus in ciuitatem irrumperet; neque ignarus, quam falſis atque iniuſtis rebel- *Laniena incipitur contra fautores filii.*

lionis accuſationibus à Viſitio impeteretur, vt ſe apud Regem purgaret, ſuamque innocentiam teſtaretur, duos miſit ad patrem legatos, vt ab eo cauſas, cur tanto armorum motu illuc veniſſet, exquirerent, ſeque obſides eidem offerrent, donec ſeditioſi Viſirii iniquiſſimas calumnias deprehendat.

Inquiſitio ſuper crimine filij.

Hi ergo Regem rogauerunt vt aduerſus filium ſuum quam diligentiſſime inquireret: quod ſi competerit ipſum aliquo pacto perduellionis reum fuiſſe, quinimo non fuiſſe paterni nominis obſeruantiſſimum, ſibi ipſis obtruncato capite ſupplicium irroget, omneſque exercituum vires contra vrbem illam ipſumque filium conuertat; at ſi in accuſationibus nullam deprehenderit veritatem ne moretur interfectorum Sultanorum ſanguinem, & infamiam filio iniuſtam vleiſci morte tumultuarii Salmas Viſirii ſui. Perſarum Rex omnes Sultanos prouinciarum, Corazani gubernatores ſubditos Abas Mirize, omnes iudices, quæſtores, & magiſtratus congregauit, voluitque ab iis reſcire, quo titulo appellari, quoque gradu haberi ab ipſis velit Abas Mirize, an tanquam Rex Perſiæ, an vero vt Prorex Heri, item an exhortatus illos vnquam fuerit, ne ad bellum Turcicum irent, fuitque ab vniuerſis reſponſum, Abas Mirize ab illis haberi, tanquam Proregem, eoque nomine illum ſemetipſum appellare in edictis, nullumque vnquam ſe mandatum, aut impedimentum habuiſſe, quominus ad Turcicum bellum prodirent, niſi cum Taeblas fines turbarentur, quo tempore coacti fuere ipſum Abas Mirize ſequi, & pro Status conſeruatione contra alios hoſtes dimicare: Ad ſummam; deuotionem filii, fidemque eximiam deprehendit, mox aduerſus Viſirium ſuum inquirere ſtatuit, vt cauſam, cur tantos Regi motus ſuaſiſſet, peruestigaret. Summo odio Viſirius habebatur à tota aula, omnibuſque vrbium ſubditarum populis, cum quia ex viliſſimo genere oriundus erat, & ab omnibus ea dignitate, ad quam blanditiis, & aſſentationibus, & quodam in publicis rebus prouidentiæ genere peruenerat, indignus iudicabatur, tum etiam quia noua grauamina, nouaſque impoſitiones Regi Perſarum nunquam non ſuggeſſerat: quapropter in inquiſitione, quam aduerſus ipſum Rex inſtituerat, nemo inuentus eſt, qui non aſſeruerit, eos tumultus ab ipſo ob ambitioſam amplificandi genero ſuo omni arte regni cupiditatē excitatos fuiſſe, ac forſitan vt Regem de imperio deiiceret, vtque filium ſubſtitueret, qui nunquam eiuſmodi ambitione ducebatur: qua de re certior factus Rex, decreuit amouere procul à ſe Viſitium, & capite plectere, quemadmodum extemplo executus eſt.

Innocens deprehenditur.

De accuſatore inquiritur, &

Noxius deprehēditur, & capite punitur.

Egreſſus deinde Abas ex vrbe Heri patri, fratrique obuiam proceſſit, inter quos amor perfectiſſimus renouatus eſt, ſingulique lachrymis oſtenderunt, quam ægre tuliſſent ſuſpiciones illas, illaque ſanguinis, mutuæque necis truculenta deſideria. Remanſit Abas in eodem imperio, rex vero Casbinum, & inde Tauris reuerſus eſt. Ve-

rum

rum dum Perſæ ciuilibus diſſenſionibus inuoluti agitabantur, ſperantes, fore, vt Turcæ ad ſubiugandam Georgiam, ac præſertim Simonem & Mamuchiar, qui fidem abiurauerat, debellandos incumberent, iidem Turcæ noua & inopinata conſilia ad effectum deduxerant.

Etenim Amurath expulſo ab aula Sinan, Ducem generalem elegerat Ferrat, alterum Portæ Baſſam, cui iniunxerat, vt Reiuanum fabricaret, viamque, quæ à Cats ad Reiuanum conducit, tutam efficeret, miſeratque duos Capigos totidemque Chiaus cum triginta millibus ducatorum ad Manuchiar prædictum, quem obnixe rogabat, vt vellet ipſe Teflis hæc auxilia ferre, eumque commeatum, quem neceſſarium putauerit, comparare: pollicebatur autem maximos ei honores & præmia, certo aſſeuerans, ſe obliuioni mandauiſſe cuncta, quæ contra Mchemethum Generalem effeciſſet, gnarus, quanta ratione ad ea peragenda compulſus fuiſſet. Igitur Ferrat ordinario exercitu congregato viæ ſe dedit, Amaſiam verſus, & ex Erziro Catſiam peruenit, vbi totum luſtrauit exercitum: inde vero ad Agiacalaſi ſe tranſtulit, vbi arcem exſtruxit, cui præſidio impoſuit quædam alia tormenta bellica cum quingentis militibus: exinde ad Reiuanum penetrauit, oppidum ſub cura & gubernatione Toſomach Sultani conſtitutum, habebatque in mandatis illud permuniendi, & Amurathis imperio adiiciendi.

Ducis mutatio.

Quamobrem hortos, domoſque, quas dictus Toſomach incolebat, elegit, totumque illum ambitum, qui centum vlnas in circuitu patebat, muro ac foſſis præcinxit, illas aquis irrigando; quæ à monte ſupra Reiuan erecto deſcendentes, in Araxen ſeſe exonerant: multa tormenta bellica ſuper muros diſpoſuit, itidemque in turre, quam exædificauerat: ibidemque ſeptem millia militum, quodam Baſſa Duce, reliquit: inde è veſtigio Catſium rediuit, inque reditu denuo caſtellum Agiacalaſi viſitauit. Carſiam accedens intellexit, abiuratum Georgianum Manuchiar, cui Rex Amurathes cum Capigiis & Chiaus, quos diximus, ſubſidia miſerat pro oppido Teflis; interfectis iiſdem Capigiis & Chiauſis, hortationibus Simonis à Turca defeciſſe, & erroris ſui pœnituiſſe, quod religionem mutauerat, totoque commeatu & ſubſidio retento cuncta inter Simonem & ſeipſum diuiſiſſe: adeo vt milites Teflis arcem deſerturi eſſent, niſi expectatum auxilium iis ferretur; proinde expediuit ſubito illam Baſſam Teflis cum triginta millibus ducatorum, cui triginta millia hominum aſſignauerat, quibuſdam debitum præſidium Teflis attulit, rediitque abſque vllo ab hoſtibus momenti alicuius damno. Poſtea Ferrat regionem Mamucchiar aggreſſus, miſit Riſſuan Baſſam cum decem millibus militum ad excurſiones faciendas, qui inſtar fulminis villas, & campeſtria loca, atque viciniores ciuitates diſſipauit, multos captiuos, & copioſam prædam ad caſtra reportans.

Arcis noua exſtructio.

Excurſiones Turcarum.

Quibus

Ambigua fides Ermichani punita oculis, & bonis.

Quibus peractis, Erzirum reuerſus, cuncta, quæ contigerant, Amurathi diligenter ſignificauit. Perſa vero, cum nouam Reiuani ſtructuram inueniſſet, cumque à Tocomacho, & ab omnibus certior factus eſſet, Ermichamum, qui ampliſſimis verbis pollicitus fuerat, ſe Turcis reſtiturum, ſi ad illos fines acceſſiſſent, nihil effeciſſe, & ne vnum quidem equum mouiſſe, vt Turcicam exercitum infeſtaret, aliquam ſuſpicans colluſionem, quam cum Duce Turcarum haberet, nullo temporis interuallo dictum Emirchamum vinciri iuſſit; & candente ferro oculis eum priuauit, boniſque ſuis acceptis in carcerem truſit, vbi duobus poſt menſibus vitam cum morte commutauit. Ex morte Emirchami ſubita, ac tumultuoſa exorta eſt ſeditio factionis Turcomanorum: quæ factio in Perſia præ cæteris Ducibus, à quibus ipſa in legiones diſtributa honores, ac patrocinium ſperabat, vnum Emirchamum ſuſpiciebat, in eoque magnam ſpem collocauerat propter honores, & exiſtimationem, quam apud Regem conſecutus erat: quoeirca audito eo infortunio, quod Emirchain acceleratum fuerat, tota factio aduerſus Regem, patremque inſurrexit, negauitque, ſe amplius officia ſua Regi præſtituram, & contumaciam, atque inimicitiam amplexa eſt, cuius exitus dicetur inferius.

Turcomani turbant.

Verum Ferrat ab Amurathe anno proximo Naeſiuani morari (qui locus à Schrapcham gubernatur) & ad oppidum Teflis ordinarium ſubſidium ferre iuſſus, exercitum conſuetum collegit, & edictis per omnes Imperii vrbes promulgatis, commeatum & pecuniam neceſſariam parauit, iamque accinctus erat itineri Erzimium verſus, cum nuntium accepit, Regem Perſarum exercitum Turcis numeroſiſſimum collegiſſe: quo nuntio Ferrat diſceſſionem ſuam diſtulit, eaque de re Conſtantinopolim prius ſcripſit.

Perſarum exercitus validus, ſed contumacibus Turcomanis.

Rex autem Perſarum Tauris exercitum ſuum, qui triginta quinque circiter millium hominum erat abſque Turcomanorum factione, collegerat: hæc vero factio vexilla regia, vt diximus, ſequi noluerat: ſed Rex cum militibus Tauris, Seirati, Caſſani, Casbini, Spaani, Gengi, Ardouili, aliorumque locorum, illuc ſe contulerat vindictæ cupientiſſimus aduerſus Turcas, ea ſpe ductus, vt Simon cum ſuo cognato Mauchiaro, qui nuper à Turcis deſciuerat, ſatis ſuperque virium haberet, quibus infeſtaret quoſcunque, qui Teflis ſuppetias ferrent. Cum perueniſſet Conſtantinopolim nuntius Ferrati, Amurath Rex ei renunciauit, vt ſimularet adhuc famam alio tempore eundi in Nactiuan. Itaque Ferrat deceptis Perſis, qui ipſum expectabant, neque in Georgiam ſubſidia vlla mittebant, abſque vllo damno vel impedimento per Georgiam ſe Lory verſus conduxit, verſuſque Tamanis, quæ loca olim Georgiani Simonis erant, vbi vetera mœnia inſtaurauit, foſſas purgauit, Lory arcem permuniuit, quam trecentis bellicis tormentis auxit, præſidioque impoſuit Ali

Simulata profectio.

Baſſam

Baſſam Græciæ cum octo millibus hominum. Inde ad Tomanum ſe conuertit ad fauces anguſtiarum, interque ſyluas, valleſque præcipites arcem fundauit, quam centum muniuit tormentis, Præſide Naſſano Baſſa cum octo millibus militum. Miſit quoque Reſſuanum cum duodecim millibus hominum Teflis, vbi Daucchamm Simonis frater in clientelam ſe tradidit. Simon autem & Mamuchiar cum quatuor mille Georgianis ſecum militantibus, in reditu Ferrat Baſſam aggreſſi, cruentum prælium commiſere, quo inuicta Georgianorum virtus explorata perſpectaque eſt, cum inferiores numero Turcis, longo temporis ſpatio pugnam ſuſtentauerint, cum maxima ſanguinis vtriuſque partis profuſione: at Georgianis tandem neceſſe fuit receptui canere, cum equus, quo Simon inſidebat, interfectus fuiſſet, adeo vt pedibus ſalutem ſibi non ſine omnium admiratione quæſiuerit. Reſſuanus interim ad Ferrat pertexit, quæque geſta fuerant, ei ſignificauit: qui vna per regionem viduæ, & Mamuchiari diſceſſerunt. Ex itinere captiuus Alyculi, quem Ferrat circumducebat, vt vias, ſituſque regionum doceret, corruptis cuſtodibus, aliiſque artibus, euaſit. Ferrat igitur per incredibiles moleſtias & ærumnas, ab hyemali tempore, ſoloque alpeſtre enatas, ad loca Mamuchiari peruenit. Quamobrem periere multi, neque pauci à Georgianis profligati fuere, omnes ſcilicet, quicunque agmen deſerebant, vita ſpoliabantur, quemadmodum & interemptus fuit Tallolius Sangiacchus Saffetti, item Homar Aga Iannizzerorum Damaſci, qui ambo ſimul cum tribus millibus hominum, vt annonæ penuriam effugerent, aciem relinquentes à Georgianis interfecti ſunt. Decreuerat Generalis Cliſcam munire, ſed Græci, & Conſtantinopolitani milites ſeditioſe id vetuerunt, cumque ille in eiuſmodi incommodis perdurare vellet, turpibus iniuriis affectus fuit à militibus: tentorii ſiquidem funes præciderunt, pecora abegerunt, eiuſque mulieres, quas ſecum ducebat, abduxerunt, ad poſtremum omni ipſum ignominia affecerunt; proinde omiſſo bello, in Erzirium ſe ſubtraxit. Ob quæ dedecora à Rege Ducis munere priuatus fuit. Interea Turcarum Rex Tauris vrbem, quod diu cupiuerat, aggredi decreuit, cumque neminem Oſmani Baſſæ virtuti anteferret, quem maxime honorabat, ad Portam ipſum vocauit, & huic expeditioni, amoto Ferrat Baſſa, præfecit: quamobrem miſſis Capigiis, & Chiauſis per Siruaniam, iuſſit, vt Conſtantinopolim veniret, relinqueretque ſuo loco Demicarpi hominem cum titulo & auctoritate Baſſæ & Sumacchiæ ſimiliter alium eligeret Baſſam: quibus rebus peractis, ipſe per Mengrellanos, & per Caffam, ſuperato triremibus Ponto, Conſtantinopolim venit.

Georgianorum bellica virtus.

Simon Georgianus fugit pedibus.

Alyculi captiuus fugit.

Exercitum antecedere, ſiue ſubſequi periculoſum.

Ferrat à militibus contemptus, & à rege depoſitus.

Oſmanus aſſumptus.

Cum vero in Mengrelliam ingreſſus fuiſſet, duodecim millia Tartarorum ipſum aggreſſi, ab eo feliciter diſiecti fuere, quemadmodum Serenitas Veſtra à Clariſſimis Bialis certior facta fuit. Verum

quis

quis fuerit, qui Tartaros illos in inſidiis locarat, deque morte Tartatari Cumani, de priuatione Sciauſi tunc primi Viſirii, de aſſumptione huius Oſmani ad Viſiriatum, deque noui regis Tartari ſucceſſione, ad me non pertinet ſcribere. Quibus rebus tanquam neminem fugientibus, & ad me minime ſpectantibus, relictis, ad inſtitutum ſermonem reuerto. Oſmanus ad Portam adductus, fuit à Rege primus Viſirius delectus, & Generalis Dux exercitus Taurici declaratus. Itaque Conſtantinopoli profectus ad fines Anguri in Amaſia hybernauit, vbi vſque ad finem Iulii menſis ſeſe continuit: & tumultuillo, qui Conſtantinopoli agitabatur occaſione triremis filii Ramadami olim Baſſæ Algerii, Erzirium verſus migrauit, vbi militibus, cunctiſque ad bellum neceſſariis congregatis, principio ſextilis, euulgato rumore, ſe ad Nacíruanum contendere, per Chaſiam & Chieldet in campos Calderanos peruexit, vbi luſtrato exercitu, quadraginta millia militum dimiſit, quos noluit ſecum habere, iterque proſecutus eſt cum centum quinquaginta millibus armatorum, præter lixas & calones. Ciuitatibus Cos, Maranti, & Soffiani ſuperatis, vnde Tauris proſpiciebatur, extemplo ſpeculatorum acies, quæ decem millibus conſtabat, in quoſdam hortos deſcendit, vt totam regionem explotaret: itaque excurrentes, viamque aperientes, famemque recentibus cibariis exſatiantes, ad puteum aquæ ſalſæ peruenete, vbi à Principe Perſarum ex improuiſo diſſipati ſunt. Hic Princeps, audito Oſmani aduentu, famam virtutis ſuæ quam longiſſime extendere deliberauerat, cumque ſatis militiæ ad neceſſitatem ob diſcordiam Turcomanorum cogere nequiuiſſet, conſilium inierat, Turcicum exercitum clandeſtinis calidiſq; aggreſſionibus diuexare, quē ſimul atq; extenuaſſet, extremā ſortem tunc aperto Marte tentaturus erat. Etſi igitur Turcomani cōtumaces perſtiterant. Rex ex ſuis terris, excepto Teilari & Heri, aliiſq; iuriſdi ionibus, exercitum collegerat ad numerum quinquaginta millium circiter militum, quorum Dux ipſe Princeps erat. Et expectatis primis Turcarum cohortibus, ipſam inter hortos dictos profligauit, cum ſecum non amplius duodecim mille milites haberet: Quo egregio facinore perfecto verſus caſtra regia petrexit: rex enim frater 10000. paſſuum ſupra Tauris caſtra metatus fuerat. Intellecta clade primæ aciei, Oſmanus illico Baſſam Cicalam, & Baſſam Caramiti cum viginti millibus hominum expediuit, vt primum hoc damnum reſarcirent, atque vlciſcerentur qui perniciſſime Principem inſequentes, eum aſſecuti ſunt, antequam in tuta loca ſe recepiſſet prælioque commiſſo duabus ante noctem horis, vſque ad nocturnas tenebras dimicatum fuit cum ingenti Turcarum ſtrage: nam antequam adueſperaſceret, Baſſa Caramiti ad tentoria Oſmani ſe conuertit, tectuſque vmbris fugam continuauit. Cicalla vero ſuis cohortibus, imo ſuis ipſius equis, qui ſequebantur, ſuiſque ſeruis exſpoliatus fuit; adeo vt Princeps ſummo

Oſmanus ad bellum Perſicum proficiſcitur.

Et Tauris verſus copias ducit.

Vario Marte vſus eſt.

Duces Turcarum iterum profligati.

mo gaudio geſtiens ad paterna tentoria ſe conduxerit. Non ideo Oſmanus moram illam interiecit, quin recta ad vrbem Tauris pergeret, vbi duobus procul milliaribus caſtra poſuit; dum vero caſtrametaretur, Aliculi Cham Tauris Gubernator egreſſus de vrbe cum quatuor millibus equitum, incredibili velocitate Turcarum aciem ab omni latere laceſſitam turbauit, damniſque multis affecit, & poſt mediam noctem de integro maiori numero iterum egreſſus, in exercitum hoſtilem inuectus, Baſſam Maras interfecit, eiuſque turmas diſſipauit multorum Turcarum terrore; & vrbe relicta, quam haud ſatis munitam, neque defendi poſſe cognouerat, ad regia caſtra ſe ſubtraxit. Poſtridie mane ſeruorum, viliumque hominum frequentiſſima manus, prædandi auida, iniuſſu Ducis, Tauris ingredi tentauit, ſed vehementem repulſam in portis paſſa eſt: nam ciues arma tractare potius ducentes, quam mancipes fieri, acerrime pugnauere. Itaque primæ hæ cohortes vrbem ingredi nequiuiſſent, niſi ſeruorum domini, qui illuc accurrerant, ipſis aperuiſſent viam Perſis fugatis, qui ſub domibus, ex feneſtris, in anfractibus viarum, ſagittis & ſcloperis maxima Turcis damna inferebant. Innumeræ nihilominus neces, prædæ, & captiuitates ciuium aggregabantur, & plerique eorum iuuenes, mulieres, animalia, ad exercitum Turcarum aucta fuere. Interea Oſmanus vrbem circumdedit; quæ deinde ter miſerrime direpta fuit, arcemque extruere incepit, muroque cinxit hortos, domoſque Aliculi, & Emirchami, in quibus pleraque collocauit tormenta cum duodecim millibus militum ſub præfectura Giafferi Baſſa Tripolis, omnemque commeatuum neceſſariam copiam reliquit. Dum ſtructura attollebatur, cum Perſæ intellexiſſent, Oſmanum morbo correptum eſſe, eo audentiores prælia renouauere. Nam pater Rex cum Alyculi aliiſque Ducibus, totoque exercitu, qui viginti millibus hominum conſtabat, aduerſus exercitum Oſmani contendit, quingentos milites præmittens, oſtentandis viribus, & velitandi gratia. Oſmanus tantam audaciam intelligens, credenſque, hoſtiles copias numeroſiores eſſe, Cicalam, & Baſſam Caramin cum triginta millibus delectis militibus expediuit, qui in hoſtes prouecti in fugam ipſos coniecerunt, cumque iterum faciem vertiſſent, denuo hi inſecuti ſunt, ſicque fugis huiuſmodi ſimulatis Turcæ ab exercitu Oſmani procul allecti, quouſque tormenta bellica pertingere non poſſent: poſteaquam in quodam montium ſinu delati fuere, Perſæ eos terribiliter aggreſſi, miſerabili ſtrage trucitauerunt: Turcæ vero inopinato hoſtium numero perterriti, prælio relicto, terga verterunt, maximaq; damna retulerunt minimo Perſarum detrimento; qui hoſtes acrius inſecuti fuiſſent, niſi nox prælium diremiſſet. Paucis poſt diebus cum exploratum eſſet, Turcas triginta millibus hominum diminutos eſſe, Ducemque

Ex vrbe Tauris Turca infeſtantur.

Tauris deſerta à Perſis &

Capta à Turcis.

Oſmanus ægrotabat.

Hinc hoſtes audentiores.

Oſma-

Oſmanum ægre decumbere, & quotidie grauius ægrotare, decreuerunt Perſæ iterum cum hoſte manum conſerere; Quamobrem exercitu viginti quinque millium inſtructo caſtra mouerunt, Turciſque ſeſe obiecerunt, poſtremam aciem haud procul conſtituentes. Rex igitur caſtra mouens, Oſmanum ad ſingulare certamen prouocauit his verbis, ſi miles eſſet, in campum prodiret, vbi vilitatem eius, probaturum ſe, offerebat Oſmanus qui propter ægritudinem prodire non poterat, miſit Baſſam Caramitij, tanquam præfectum Generalem ſuique vices gerentem. cumque ipſo Cicalam, Baſſam Caramaniæ. Baſſam Trapezuntij, multoſque alios Baſſas, & Sangiachos cum 60000. hominum. Pater Perſa iam ingentem numerum expaueſcere viſus eſt, pedemque referens, donec ad ſuos, à quibus expectabatur, perueniret, dato ſigno, manum conſeruit cum Turcis; & in medios hoſtes irruens Baſſæ Caramitij Generali caput amputauit, ipſumque lanceæ affixum hac atque illac circumtulit. Turcę Ducem ſuum occiſum cernentes, & a ſubſidiariis militibus, qui latebant, lacesſiti, iam pugnæ impares videbantur; contra vero Perſæ facti audentiores victoriam proſequebantur, quæ ante ſolis occaſum Perſis obuenit, capto etiam Baſſa Caramaniæ, interempto Baſſa Trapezuntij, multiſque aliis Baſſis & Sangiachis, priuati vero milites ad triginta millia interfecti fuere. Diſceſſit Oſmanus ex ciuitate Tauris, & Sanchaſſanum migrauit, vbi mortuus eſt, hucque iterum Perſa dimicaturus aduenit, cum iam iam Turcæ diſceſſuri eſſent, quibus duodeviginti millia Camelorum atque mulorum abſtulerunt onuſtorum ſeruis & præda Taurenſi exercitumque penetrantes vſque ad impedimenta atq; tormenta incredibilia damna hoſtibus intulerunt. Oſmanus antequã moreretur, Cicalam Generalem ſuo loco creauit, qui poſt vltimam hanc cladem Sancaſſano diſceſſit, & Salmas verſus profectus eſt. Veſpere illius diei cum ad torrentem aquæ Salamuſtræ perueniſſet caſtra metatus eſt, at Perſa pater poſt illum equitauit & mane diei, dum conualeſceret, exercitum Cicalæ adortus eſt, ſed fortuna inſolita. Nam Cicala ſuſpicans, quod factum eſt, noluit, vt tentoria colligerentur, neque iumentis impedimenta imponerentur, niſi prius omnes milites in armis tormentaque inſtructa eſſent. Venit igitur Pater Rex, ſed in ea aggreſſione à tormentis peſſime habitus, poſtea ab exercitu toto laceſſitus, maiore damno affectus, etſi manifeſta & expreſſa virtutis argumenta præ ſe tulit. Ex eo loco Cicala Vanum migrauit, vnde exercitum valde afflictum, ac miſere ſe habentem dimiſit. Interea Perſæ nationem Turcomanam ſibi conciliare curauerunt, ipſeque Rex Mahemet Chamo literas humanitatis & officii plenas ſcripſit; propter quas ad eum acceſſit: verum animo perfido, nam Thamas fratrem patris Regis pro Duce ſuæ nationis rogare decreuerat loco Hermicani, quem cum habuiſſet Regem ipſum ſalutare in contemptum patris ipſiuſque Regis deſtinauerat.

Dux ducem prouocat Sed alij ſubrogantur in locum ægrotantis.

Interficiuntur pene omnes.

Oſmanus moritur.

Cicala generalis Perſas affligit.

Turcomanos ſibi Perſa conciliare conantur.

Cum igitur ipſum Thamas petiiſſet, fuit illi conceſſus, ſummoq; ſtudio ac diligentia arcis Tauris expugnatio parabatur, dumque foſſa impleretur, & ſpes expugnationis non minima fulgeret, Mahemet, quem diximus, tota factione noctu ſubleuata cum eodem Thamas diſceſſit, Casbinumque contendit, eo animo, vt ipſum Thamas Regem acclamaret. Rex & Pater, imo tota Perſia hinc notabile ſenſit detrimentum, qua de re ſperata arcis expugnatio derelicta fuit, illudque regnum tumultibus ac diſſenſionibus repletum eſt: & nihilominus ipſe Pater inteſtinum hoc periculum amouere coactus, cum quatuordecim millibus hominum, & ſtipatus Sultanis fide præſtantioribus, ipſos Turcomanos inſecutus eſt, illosque aſſecutus, antequam Casbinum peruenirent, expugnauit, & Mehemet Camo, itemque Caliphæ Sultano capitis pœnam irrogauit, fratremque Thamas captum in Chaiam vinctum tranſmiſit, & Casbinum accedens militum delectum egit, vt Tauris vrbem repeteret. Subſtitit Pater Casbini vſque ad menſem Iulii; quo tempore Turcomanos placauit, militesque conſcripſit in regionibus Heri & Zeilani, tantumq; obtinuit, vt Perſiam in concordiam vndequaque reduxerit: quod toto hoc bello perfici nequiuerat. Reuerſus Tauris, diſceſſit Salmas verſus, & trucidatis illius Baſſæ militibus vrbem depopulatus eſt, milites Reiuani de medio ſuſtulit, cunctaque ea patrauit, quæ famam gignere potuerunt arcem Tauris captam fuiſſe, & ſi deinde nihil aliud reſcitum eſt, niſi quod viginti quatuor millia Perſarum militum ſub præfectura Veli Sultani & Emanguli Cami Vanum verſus aduenerant, vt nouum Ducem Generalẽ Ferrat Baſſam obuium haberent: qui Conſtantinopoli profectus per regionem Amaſiam in illis partibus iam audiebatur. Faxit Deus, vt (quemadmodum in votis habetur) factiones & varia euenta multiplicent, quo huiuſmodi motus in oriente perſeuerare queant: qui reuera duraturi ſperantur, ſi modo Turcæ illam arcem Tauris retineant, cum quia victoriæ & poſſeſſiones retentę ſpem atque inſolentiam victoribus addunt, & vellet Amurath penetrare forſan Casbinum vſque vel ſaltem Liraum: tum etiam, quia Perſæ tot iniuriis & damnis affecti nunquam tanto ſuo dedecore, atque iactura pacis conditionibus acquieſcent, quemadmodum recuperato illo propugnaculo dubitandum eſt, ne pacis negotium incipiatur, quam Turcæ & Perſæ cum arcis illius demolitione non difficulter amplexuri videntur: Turcæ, quia contenti videri poſſunt arcibus, quas in Sirnania & Georgia exſtruxere, neque forte ſperant ampliores progreſſus: Perſæ vero, quia dedecore & damno, quod ex illius arcis exſtructione ſuſceperant, exonerati forent: tanto magis, quia Amurath, ſi bellum continuare maluerit, neceſſe habebit ad nouos portus fabricandos, veteresq;

Sed proditionem machinantur.

Quam Rex puniuit.

Iudicium de pace futura.

Digitized by Google

reſtaurandos,aliis ærariis vti, cum illud Aleppi ſupplere amplius nequeat tot militum, qui in arcibus detinentur, ſtipendia, cumq; iam hoc anno Rex à mercatoribus Aleppi ſexaginta millia ducatorum mutuo habuerit, cumq; peſtis & exercituum ſtrages, annonæque penuria populos afflixerit, & male animauerit.

Hæc ſunt, Sereniſſime Princeps, quæ occaſione, quam dixi, colligere potui ad Orientis motus enucleate referendos. Quæ ſicuti nũquam, niſi hac opportunitate ductus, auſus fuiſſem ſcribere: ita DD. VV. Excellentiſſimas rogo atque obteſtor, vt æqui bonique omnia conſulant, & in meliorem partem interpretentur, meæque relationis defectus, & vitia excuſent, ſcribentis animum reſpiciẽtes magis, quam opus ipſum, quo Serenitati Veſtræ, etiam cum erroris periculo, inſeruire malui; quam in re opportuna defeciſſe videri.

FINIS TOMI SECVNDI.

RERVM POLITICARVM SIVE DE STATV IMPERIORVM RERVMQVE PVBLICARVM, ac eorum perfecta cognitione & adminiſtratione,

TOMVS TERTIVS,

Continens

DISCVRSVS ET RELATIONES,
varias Reſpublicas & Ciuitates liberas & alia ſimilia concernentes.

DE SERENISSIMA REPVBLICA VENETORVM, DEQVE eius imperio & populorum moribus,

DISCVRSVS I.

SCRIPSISTI ad me, Vir Illuſtriſſime, cum tibi diuerſas præteritis diebus Venetorum Legatorum Relationes, quæ ad Principes, eorumq; ditiones & opes pertinebant, mirabili eloquio conſcriptas, miſerim, cupere te vehementer, vt Venetorum Imperium ob oculos tibi ponam. Quamobrem obſequii cauſa hanc tibi deſcriptionem huiuſce Reipublicæ mitto, in tria diuiſam capita. Primum, Venetæ ditio-

nis terminos terra marique, reditus, expenſas, ciuitatum dotes, præſertim quas in continenti poſſident, mores, opes, paupertatē populorum explicabit: Alterū docebit, quot nauium numerum poſſint inſtruere, vnde eas apparent, quo pacto triremes armentur; & comparatæ triremibus cæterorum Principum quid præſtent. Poſtremo, quibus legum inſtitutis præclariſſimi illi viri Rempublicam ſuam gubernent, populos iudicent, cuiuſmodi ſint Conſilia, tribunalia, mores, denique omnia, quæcunq; relatu digna nihil viſa ſunt, intelliges.

Venetiæ, vt omnibus patet, ciuitas eſt in maris Adriatici ęſtuariis collocata, pulcherrima, ac ſingulari ſuo ſitu admirabilis præ cæteris ciuitatibus; quibus nulli cedit, ſiue ſpectetur magnificentiſſimarum ædium eximia pulchritudo, ſiue incolentium ſplendor ſiue opes publicæ ac priuatæ, ſiue templorum ornamenta, inter quæ Sancti Marci fanum principatum obtinet; ſiue religio, quæ Venetos ciues ſupra cæteros exornat, ſiue aduenarum multitudo, qui terra marique conueniunt, ſiue mercium opulentia, quibus ciuitas mirum in modum abundat. Veruntamen etſi vrbs illa pulchra eſt, diues, pompoſa, amœna, nihilominus ipſa quoque ſuis vitiis, vt res humanæ ſunt, carere non poteſt: hoc autem non prætermittam, canalium illorum alueos aliquando ſordibus ita repleri, vt fœtentiſſimam exhalent Mephitim. Sunt Veneti aſpectu formoſi: mulieres laſciuæ ſunt, Gratiisq; debent plurimum; peregrinis delectantur, eorumq; amorem pretio, aut officiis ſibi ſtudioſe conciliant. Solent viduæ, virgines, ac meretrices per vias incedere nigris veſtibus, facie operta, item nigris velaminibus: ſed vxoratæ veſtibus coloratis vtuntur, apertamq; faciem gerunt.

De præcipuis Venetorum ciuitatibus in continente.

Padua nobiliſſima ciuitas cunctas Sereniſſimæ huius Reip. ciuitates amplitudine ſua excedit: nouem millium paſſuum circuitu ambitur, propugnaculis, arcibusque, quæ ad eam defendēdam requiruntur, munitiſſima. Bini illam regunt Senatores Præturæ ac Præfecturæ nomine, qui cæteris ciuitatum Rectoribus dignitate præcedunt. Habet Padua celeberrimum Gymnaſium, & cæteris in Italia præſtantiſſimum, cum ob Iuriſtarum, Philoſophorumq; excellentiam, tum etiam ob adoleſcentium ſtudioſorum multitudinem, qui nonnunquam quater mille numerantur. Frugum, vini, cæterorumq; fructuum affatim ſuppetit copia, maiorque ſuppeteret, niſi Venetias vicinas haberet. In agro Patauino caſtella permulta videntur, ac nullum valde munitum, iisque patricii Veneti gubernandis præfecti ſunt. Patauini ciues

natura ſuperbi habentur, & quidam ex nobilioribus reditus poſſident annuos 25. millium aureorum; plurimi depauperati ſunt, quia Veneti agros ipſorum ſibi vindicauerunt, & abſque ſtudioſorum ſubſidio, qui pecuniam afferunt, vrbemque exornant, ciuitas illa incommodius ſeſe haberet. Peregrinos oderunt, & ſine Gymnaſio libentius viuerent, cum quia à ſtudioſis perſæpe iniurias patiuntur, tum potiſſimum quia perpetuo coguntur eſſe Zelotypi vxorum ſuarum, quæ eo manſuetiores ſunt, & benignæ erga amaſios ſuos, quo natura formoſæ ſunt, ac perelegantes. Reditus, quos ex hac vrbe Veneti colligunt, ſunt aurei 140000.

Viginti milliaribus Patauia diſtat Vicentia, ciuitas etſi parua, tamen pulchra, iucunda, prædiues, fœcunda, & ciuibus multis exculta, ſed nullis munita propugnaculis. Sunt Vicentini opulenti, factioſi, homicidæ, neque priores vſquam homines tellus vlla in Venetorum ditione progenerat: nulla iis fides, ipſorumque ſcelera, atque homicidia fere impunita remanent, quia vrbis rectores, etſi iuſtitiæ aſſertores, nequeunt criminales, vt aiunt, cauſas decernere abſque Conſultatione quorundam ex præcipuis Vincentiæ ciuibus, qui hoc priuilegio fruuntur antiquitus, vt criminalia delicta ſimul cum magiſtratu ipſi quoque diiudicent: qua de cauſa hæc gens criminibus patrandis adeo aſſuefacta eſt, tantamque ſibi arrogauit licentiam, vt nihil ſupra. Ex hac ciuitate colligit quotannis Reſpub. aureos 36000.

Verona abeſt ab vrbe Vicentia triginta millibus paſſuum, pulcherrima omnium, quæcunque in Venetorum ditione quieſcunt, & paulo minor eſt Patauio. Circa mœnia latiſſimis cingitur foſſis, ante mænibus, propugnaculis ampliſſimis, ſolidiſſimiſque. In media vrbe caſtellum eſt munitum, & bellicis tormentis inſtructum: Ciuitas iucunde ſita eſt, eamque præterfluit Atheſis, magnus ac limpidus fluuius: multæ ibi antiquitates conſpiciuntur, præſertim amphitheatrum, quod Romano Coloſſæo perſimile eſt, ſed hoc pulchrius, ac perfectius: ager ſterilis vtplurimum eſt. A duobus gubernatur Venetis Patriciis, adhibito numero ciuium, qui inſtar Vicentinorum Conſultationi, iudiciiſque interſunt, ſed ij maiore iudicant integritate. Habet Veronenſis ager duo Caſtella præcipua, videlicet Liniacum, quod cum agro Mantuano terminos habet, & Peſcheriam, quæ cum Brixienſi; illud ad ripam Atheſis poſitum, procul ab vrbe milliaribus ſexdecim, hoc ad Benacum lacum; Liniacum vero ſingularis eſt arx, & propugnaculum non ſolum Veronenſis territorii, ſed etiam Patauini, ac Vicentini. In vtroque caſtello, titulo Prouiſorum, patricii ſigillatim habentur cum equitum,

peditumque cohortibus. Ex hac ciuitate Reſp. annuum vectigal habet aureos 90000.

Brixia nobiliſſima Lombardiæ ciuitas quadraginta millibus paſſuum diſtat Verona, quæ ſicuti pulchrior, ſic hæc ditior eſt cunctis Venetorum ciuitatibus. Quinque milliarium circuitum habet, ſolidiſſimis mœnibus, ac propugnaculis, foſſiſque profundiſſimis præcincta. Arx in colle ſita ciuitati imminet, & quamuis ab arte munitiſſima eſſe videatur, tamen à vicinis qui prædominantur, montibus oppugnari poteſt: Sic ciuitas domibus pulchris exornatur, ſed palatiis & fanis exquiſitum in modum ædificatis caret, cum ciues ædium ſuarum magnificentiæ parum exiſtant curioſi: Brixienſis ager ampliſſimus, & Veronenſi, ac Patauino ſimul amplior eſt. Ciuitas, quantum domus capaces ſunt, habitatur: artificibus abundat, potiſſimum, qui arma parant, quorum copia per multas orbis terrarum partes diſtrahitur: ager pleriſque fluuiis irrigatur, vnde riuis mirabili arte deductis fertilis redditur. Oppidis magnis incolitur, vt Salodio, cuius territorium latum eſt non minus, quam Vicentinum territorium: ſitum eſt oppidum hoc ad ripam Benaci ſub monte quodam, vnde præcipua loci amœnitas. Sunt etiam Aſulæ, & Orcinoui arces: illa ad fines Mantuanorum viſitur: hæc Mediolanenſium agro adiacet: & vtrique impoſitus eſt Patricius Venetus nomine Generalis Prouiſionis, aliique Gubernatores cum delecto milite: Verum huc, & ad alia oppida, ac municipia, Prætorum loco, mittuntur ciues Brixienſes à ſuo Conſilio electi, qui ciuilia & criminalia iudicia exercent, & vitæ necíſque poteſtatem habent. Diuites ſunt, & ſuperbi, multoque oblectantur famulitio, ipſique & mulieres ſuæ pompoſæ incedunt, equis, curribus, ornamentis vtuntur ſplendidis, & ante omnia conuiuantur opiparè: armigeri ſunt: viri formoſi ſunt: fœminæ pudicitia magis, quam forma inſignes. Duo vrbem gubernant, vt alias, præfecti, ſed melius, quam alibi, adminiſtratur iuſtitia, quod Conſultationē ciuium, vt Veronæ, ac Vincentiæ, non habeant. Præter extraordinaria ſubſidia pendit hæc vrbs Reip. aureos 100450. ſubſidiis autem eiuſmodi populus ille perſæpe grauatur.

Parum hinc diſtat Bergomum ciuitas genialis, paucis abhinc annis permunita, prout neceſſitudo poſtulare videbatur, cum ad fines Imperii Veneti ſita ſit. Magno inſignitur agro, ſed ſterilibus interſtincto vallibus: frugibus minus abundat, neque vix pro ſemeſtri victum ſuppeditat: vnde Bergomates per totum terrarum orbem diſperſi adeo ſua exacuunt ingenia, etſi loquelam rudem habent, vt quocunque vadant, diuitias ſibi comparent, & per hæc tempora inueniuntur Bergomates palatiorum,

immen-

immenſarumque opum poſſeſſores, quorum parentes baiulabant. Continet Bergomum viuacia & excitata ingenia, præſertim in re poetica. A binis præſidibus regitur, redditque Reip. annuos aureos 60000.

In Foroiulio poſſident Veneti celebrem vrbem Vtinum, quæ tamen munita non eſt: adeo vt hoſtes ipſam aggredi ex tempore, & offendere queant abſque vlla repugnantia, & recta Taruiſium contendere, quæ ciuitas duodeviginti milliaribus abeſt Venetiis, de qua dicemus nonnihil inferius. Forumiulium ſterilis eſt, & pauperibus incolis habitata regio: hi vero ingenio rudes, natura ſordidi, & inhoneſti ſunt, & Germanorum moribus, quibus adiacent, fere ſimillimi. Habet multa caſtella, Pordonorum, Ciuidalem, & alia: regitur vno præſide titulo Locumtenentis: & ex hac prouincia colligit Reſp. quotannis aureos 30000.

Taruiſium non admodum magna eſt ciuitas, ſed munita valde, & inter fines Pataui, Foriiulii, Venetiarum collocata: nobiles alit ciues, ſatiſque opulentos, quod eius territorium latiſſimum ſit, multaque habeat caſtella; frugibus abundat, vinoque, ſed agri pars maior à ciuibus Venetis poſſidetur. Taruiſini natura auari ſunt, & imbelles, & pigritantur libenter, nunquam à patrio nido abſcedentes, vnoque Præſide reguntur, & pendunt Reip. aureos annuos 90000.

Hactenus præcipuas continentis vrbes deſcripſi, oppidorum, & ſeparatarum iuriſdictionum mentione poſthabita. Crema arx eſt, & ciuitas munitiſſima. Poleſinum quoque præcipuis caſtellis frequentatur, vt Rhodigio, Lendenaria, & Badia: quod totum territorium Atheſi irrigatur: prætermiſi etiam innumera alia caſtella, & municipia, quibus Patricii Veneti imperitant.

Omnibus arcibus præficiuntur Patricii, & includuntur milites ad cuſtodiam ſufficientes, & ex ditionibus hiſce militia terreſtris, ac maritima non paruo numero deligi poteſt. Sforcia Palauicinus Dux eſt Generalis Reipublicæ, qui experientia, prudentia, virtute plurimum valet. Poſt ipſum habet Reſpublica cataphractorum Duces: illi vero tres viritim equos in luſtrationibus offerre tenentur.

De Prouinciis maritimis.

AD prouincias maritimas Venetis ſubiectas deuenio. Catharum, & Iadram arces maximi momenti poſſident, & honeſtis exornatas ædificiis, atque ciuibus: ex tota Dalmatia decem millia aureorum exigunt. Poſſident præterea Corcyram, atque Cretam inſulas: quæ ſumptum maiorem, quam cen-

ſum afferunt, ſiquidem ibi præſidia militum detinentur, ſalaria præſidibus, ac miniſtris plurimis conſtituta ſunt, ædificia, & mœnia conſtruuntur, ac reparantur, armamentaria, & naualia ſuſtinentur: ob quæ & ſimilia grauamina vix dimidiam fructuum partem Reſpublica inferre poteſt ærario publico.

Pars ſecunda.

Triremium genera.

POST hæc de claſſe Venetorum inſtituami. Centum Venetiarum ciuitas triremes educere poteſt, quarum omnium remiges iam deſcripti habentur: quinquaginta à collegiis opificum vrbis inſtruuntur: aliæ vero, quæ Palatinæ triremes vocantur, nauicularum vrbanarum remigibus armantur, aliiſque. Hiſce omnibus Patricii præficiuntur, Palatinis tamen præſtantiores: nautas, operarios, milites vrbs ipſa ſuppeditat: duodecim triremes, quæ ſaliſeæ dicuntur, implentur hominibus, qui deliguntur in oppidis & pagis continentis, & ſimiliter à Patriciis reguntur. Iterum duodecim per Hiſtriam, Dalmatiam, & Slauoniam armantur, hoc eſt, Iuſtitiopolis duas, Vegla vnam, Spalatum vnam, Tragarium vnam, Curzola vnam, & Catharum alteram: quarum præſides ciues ſunt earundem ciuitatum, ab ipſarum Conſilio electi. Eſt quoque Prouiſor claſſis, qui ſemper in mari verſatur, cuius imperium in omnes extenditur, ſexque ducit ſecum triremes liberas, apud Corcyram perpetuo reſidens, vt maria Orientem verſus excurrat, atque cuſtodiat. Reliquas decem armat Creta inſula, & liberis remigibus implentur, quibus indigenæ ciues præficiuntur. Eſt in ſinu Adriatico magiſtratus alius nomine Capitanei, cui in Pharo inſula reſidenti quatuor ſubſunt triremes cum vno duce. Habent quoque gubernatorem vnum cum quatuor triremibus, quæ ab inuitis militibus remigantur: hic apud Corcyram ſtationem habet ſub vexillo Prouiſoris, & apud Cretam hybernat, vt ſi verno tempore bellum ingruerit, decem præſto ſint triremes: at pacis tempore quatuor tantum armantur, quibus cum ad Prouiſorem Corcyram verſus reuertitur.

Præterea in finibus ferę ſinus Adriatici Capitaneum Fuſtarum, hoc eſt, minorum triremium detinent cum quinque fuſtis, totidemque nauigiis armatis ad reprimendos inſultus Vſcoccorum, quæ gens Signiam incolit, ſub ditione Regis Romanorum, plurimaque damna inferre conſueuit. Triremes liberæ ferunt homines duos & quinquaginta: coactæ totidem, & vtræque bellicis tormentis, aliiſque neceſſariis mu-

Defectus Veneta claſſis.

nimentis inſtructę ſunt: præfecti vero ſalarium habent centum ſexaginta aureos menſtruos.

Vt dixi, omnes hi Præſides Duceſve à Republica ſtatuta loca, vbi reſideant, & excurrant, habent, neque oportet eos mandata vel tantillum tranſgredi. Hæ triremes optime nauigant, ſed in nauigationibus ſuis timidæ ſunt, quia ante veſperas portum petunt, & nunquam noctu faciunt.

Præſides ſingularum triremium, & Prouiſores triennio abſunt, mox reuertuntur in patriam magiſtratum depoſituri, & ſucceſſorem accipiunt, adque alia eliguntur munia. Etſi bene remigant, tamen in velificando tardæ ſunt, humileſque nimium, adeo vt ab irato mari impedimentum habeant, quo minus progredi poſſint: ſed affabre, ac perfecte ædificatæ ſunt, habentque remigum ordines ſex & viginti.

Venetiis viſitur nauale, in quo trecentæ ſunt triremes, omniaque armamenta ad illas inſtruendas neceſſaria: & poſtulante neceſſitate Veneti, quotlibet, triremes omnis generis armare queunt: ſed quanquam id efficere poſſunt, & pecuniam, theſauroſque admirandos poſſident, eas tamen ſuſtentare difficillimum illis eſſet, cum frugem, vix ſuffecturam Venetiis, in ditionibus ſuis colligant, nedum claſſium egeſtati ſatisfacturam. *Annona penuria.*

Verum hæc Reſpublica eiuſmodi pollet ſapientia, vt pacem colat, & amicitiam tueatur omnium Principum, præſertim Chriſtianorum: adeo vt ex Sicilia, aliiſque partibus commeatus defuturi non ſint, & milites ob celebrem ſtipendiorum promptitudinem libenter aduolaturi: qua de cauſa claſſes eorum formidabiles eſſe oportet.

Pars tertia & vltima.

RELIQVVM eſt, vt Politia conſideretur: Totam Rempublicam quadraginta fere Senatores tractant. Hi ſunt: Procuratores S. Marci ſex, qui gradus, excepto Principe, ſupremus eſt. Et nonnulli ad hanc dignitatem eliguntur, quod in minoribus magiſtratibus, & Reipublic. adminiſtrationibus honeſte ac laudabiliter ſeſe geſſerint: alii magnam pecuniæ ſummam erogauerint, vt hoc gradu cohoneſtatentur. Sequuntur hos Conſiliarii ſex, & Decemuiri: tres ſapientes, vt vocant, magnos, tres continentis. Qui omnes magiſtratus, exceptis Procuratoribus, qui perennes ſunt, paſſim immutantur, ſuntque cæteris omnibus honeſtiores, vtpote penes quos totum regendæ Reipublicæ pondus recumbit. *Magiſtratus.*

Princeps autem etſi id nominis habet, tamen omni caret authoritate; quia nihil ſine Conſiliariis efficere, & ne epiſtolam quidem aperire valet: quolibet octiduo, Mercurii die, ſalarium exigit centum Zecchinorum: aulam non alit, vt liberi Principes, ſed congruam ſo-

lum familiam. Iiſdem fere veſtibus, quo ad formam, vtitur, quibus dicti Senatores, excepto, quod pileum fert ab vno latere acutum, quaſi in cornu deſinat. Quoties terra mari ve progreditur, vniuerſus eum Senatus comitatur, maximo quidem cum decoro, ac maieſtate: egredi à ciuitate abſque Senatus venia non licet. Primus Dux Venetiarum creatus fuit anno Chriſtiano ſeptingenteſimo ſexto, & ad hæc vſque tempora fuere Duces octuaginta nouem. Decemviri cæteris magiſtratibus præſtant, quia coram iis grauiora Reipublicæ negotia agitantur, & delicta plectuntur, vt falſæ monetæ, læſæ Maieſtatis, patriciorum homicidia, aliique atrociſſimi caſus. In hoc Decemuirorum Conſilio interueniunt etiam Dux, & Conſiliarii cæteri cum ſupranumerariis.

Ducum vetuſtas.

Quicunque Collegium conſtituunt, numero ſunt ſeptem & viginti, hoc eſt, Conſiliarii ſex, ſapientes magni ſex, totidem ſapientes continentis. Tria capita quadrageſimi ordinis, & quinque ſapientes ordinum. Verum cum aliquid arcani tractandum eſt capita Decemuirum vocantur, quæ tria ſunt: quia ſingulis menſibus capita creantur: qui cum aduenerint, iubentur egredi tria capita quadrageſimi ordinis, & quinque capita ordinum, tuncque deliberant inter ſe quicquid neceſſe eſt.

In Conſilio Rogatorum, hoc eſt, in Senatu comprehenduntur vrbani fere omnes magiſtratus, & nonullorum tantum capita, ſeu limitatus numerus, quorum plerique ſuffragii iure carent, omneſque circiter centum quinquaginta ſunt. Leguntur in hoc Senatu epiſtolæ, quæcunque ad eum ſcribuntur à Principibus totius orbis terrarum, à Legatis, à Rectoribus vrbium, aliiſque ſuis miniſtris, & politica negotia quælibet tractantur, bellumque aut induciæ decernuntur. Cuilibet Senatori licet in materia, qua de agitur, diſſerere, ſuamque interponere ſententiam: ſed per ſuffragia concluditur, ſicuti in cæteris Conſiliis vſitatum eſt. Ad hoc Conſilium omnes omnium preces corriguntur, Ducum, militum, aliorumque adminiſtrorum, qui benemeriti alicuius cauſa, vel laudabili aliquo opere præmium poſcunt, vel iuſta aliqua ratione petunt admitti ad ſe purgandum: & reuera in exorandis precibus benignum eſt hoc Conſilium. Referunt in Senatum Sapientes Magni quolibet octiduo de omnibus, quæ agenda ſunt, factiſque relationibus epiſtolæ tribuuntur neceſſariæ. Omnia Conſilia ſuos habent epiſtolarum magiſtros, ſed ii maiore ſunt in exiſtimatione, qui Decemuiris inſeruiunt, hique à Senatu eliguntur, & ſtipendia merent, gradibuſque multis fruuntur.

Sunt etiam diuerſi magiſtratus, qui cauſas ciuiles & criminales ſeparatim determinant, limitatis iuriſdictionibus. Horum magiſtratuum ſententiæ definitiuæ ſunt, neque ab iis datur prouocatio: ſunt quoque minores magiſtratus, quos enumerare ſuperuacaneum

puto.

puto. Illud tamen non prætermittam, ſolere quolibet Solis die Conſilium congregari, in quod omnes patriici omnis ætatis ſupra vigeſimum annum ingrediuntur: in quo Conſilio omnes terra marique magiſtratus eliguntur: graduſque iuxta meritorum proportionem diſtribuuntur: ad ciuitates autem regendas viri prouectæ mittuntur ætatis. Quod ſi laudabiliter ſe geſſerint, ad maiora promouentur: ſui minus deprimuntur adeo, vt nunquam amplius ad honores emergere queant: quod ſi iniquitates commiſerint, ſeuere puniuntur: ſingulis trienniis, aut quinquenniis conſueuit Reſpublica terra marique ſyndicos expedire, quorum munus eſt in acta omnium Rectorum inquirere, quicunque ſubditos gubernauerunt, aut gubernant: cumque rediuerint Venetias in ius vocant reos, & cauſa tractatur, donec de iure terminetur. Reuera huius Reipublicæ, quæ tam pulchrum imperium tamdiu ſeruarunt, ſummis laudibus efferendæ ſunt. Fruuntur Veneti in præſens pace cum omnibus Principibus, & quia timidi ſunt potius, quam militares, tranquillitatem pacis bellicis vrbis anteponunt. Nullam tamen à quoquam iniuriam tolerant, & à nemine præter Turcam ſe timere profitentur: qui Turca, quia omnibus Venetorum ditionibus maritimis imminet, ab iiſdem omnia, quæ vult, extorquet: ſtatim enim atque malum aliquem affectum iis oſtendit, illi muneribus ipſum placare conantur. Et nihilominus ſi ab ipſo vexarentur, poſſent adiunctis auxiliis Principum, ac præſertim Hiſpanorum, à tanto tyranno ſatis ſe & ſua defendere.

Reditus Venetiarum in pluribus conſiſtunt; ex vino ſunt aureorum centum octuaginta millia. Ex oleo ſex millia. Ex mercium portoriis centum millia. Ex ingreſſu mercium quadraginta millia. Ex tricesimo quadraginta millia. Ex egreſſu mercium triginta octo millia. Ex tritici portorio viginti millia. Ex ferro decem millia. Ex carne triginta millia. Ex fructibus ſex millia. Ex lignis octo millia. Ex Panetiis octo millia. Ex molendinis octo millia. Hique fere ſunt omnes Reipublicæ reditus, præter eos, quos ex ſingulis ciuitatibus colligi, retulimus.

DE STATV HELVETIORVM RELATIO, ſiue

DISCVRSVS II.

HELVETII vetuſtis temporibus Gallorum nomine cenſebantur, quanquam noſtra tempeſtate Germani dicuntur. ea natio quondam teſte Cæſare, Regionem, quæ Reno & monte Iura continetur, inſederat: cumque traiecto Septentrionali Oceano migraſſet è regno Sueciæ, quo vocabulo adhuc populorum inundatio quædam, qui in territorio & Dominio Habſpurgenſi, antiquo, domus Auſtriacę patrimonio, exiguo temporis ſpatio magnam illius imperii partem armis ſibi vindicauerunt, & cum pleriſq; vicinorum ciuitatibus icto fœdere, per ſæuiſſima bella omnem fere ditionem Auſtriacis in iis partibus ademerunt, finibus militari virtute mirum in modum amplificatis. Alpibus deinde illis ad culturam redactis, multo maiorem potentiam adepti ſunt ob amicitias & fœderationes, quibus arcte colligantur cum Sedunenſibus populis, qui modo Vallenſes, cumque Rhetis, qui Griſones nuncupantur: quibus populis Germanicam linguam communicauerunt, etſi ii Italicam plerunque, ſed valde corrupte loquuntur. Hæc tria nationum genera ſub forma Reipublicæ montium illorum tractum, perinde ac totius orbis terrarum eminens dorſum, numeroſiſſima incolunt; dorſum, inquam, propterea quod nuſquam terrarum vllum clima, aut globus Alpium adeo celſus, & longe lateque extenſus, qui hunc æquiparet reperitur, vtpote ex quo maxima Europæ flumina promanant, qualia ſunt Rhenus, Rhodanus, Adda, Ticinum, Enſium, Atheſis, Danubius; & minora pleraque. Hi populi ab antiquis ipſorum ſedibus Suizzeri denominantur, & in tredecim pagos, ſiue, vt vernacule dicimus, Cantones diuiduntur, hoc eſt, in Bernenſem & Tigurinum, qui præcipui habentur, Onderualdenſem, Vranenſem, Lucernenſem, Glaronenſem, Friburgenſem, Appenzelenſem, Suitenſem, Baſilienſem, Sancti Galli, Sollodurenſem & Cutenſem, præter Vallenſes & Griſones: Qui omnes ſimul iunctis viribus, non amplius quam ſexaginta millia hominum tractandis armis idonea ſuppeditarent, quanquam in popu

Defectio ab Auſtriacis.

Situs regionis.

Fluminum maximorũ ſcaturigines.

Cantones Suizzerorum, eorumque fœdus.

ium longe maximum excreſcunt. Ex quo hominum, quem retulimus, numero Suizzeri circiter triginta quinque millia ſuppeterent, Vallenſes vero, & Griſones reliquum educerent: quoniam vero inter ipſos religionis cauſa diſſidia plurima vigent, vnaquæque gens cauet, ne plurimos indigenas ad externa ſtipendia emittat, ſcilicet verentes, ne aduerſa pars inualeſcat, & nonnihil detrimenti, iniuriæve alteri machinetur. Etſi inter ſe pace fruuntur, & mutuis conditionibus fœdus egregie conſtabilitum eſt, adeo vt ad ſe defendendos validiſſimi eſſe videantur: bello nihilominus inferendo minus eos valere, exploratũ eſt ob cauſam, quam attulimus; prætetquam quod publicis carent prouentibus ac reditibus, quibus decem millia militum vix per tres menſes ſuſtentari queant: viuunt autem eæ gentes incredibili cum ſecuritate, arrogantia, libertate, atque ruſticitate: aduerſus Auſtriacos nunquam non refractarii, atque contumaces, cum propter bellorum cauſas, quæ ſibi cum Comitibus Habſpurgenſibus eorum maioribus interceſſerunt, tum etiam propter mutuas iniurias, clades & prælia, quæ intulerunt atque commiſerunt aduerſus Duces Burgundiæ, & poſtremo propter diminutam Duci Sabaudiæ, dominationem. Heluetii populi ſunt finitimi Sabaudiæ, Mediolanenſi ditioni, Conſtantię ciuitati, nonnulliſque aliis imperialibus ciuitatibus, item Regis Romanorum prouinciis, & Burgundiæ. Inter montes maiori ex parte & plerique in planitie habitant, ſpiritum prę ſe ferunt bellicoſum, atque ferocem, paupertate premuntur, ſtipendio magis, quam alio ſubſidio victitant, in commune gubernantur, præcipuæ eorum ciuitates perpetuo fœdere coniunctæ, ſunt Tigurum, Berna, Lucerna, Suitiorum, Vriorum, & Vnderualdiorum pagi, Tugium, Clarona, ſiue Glareana, Friburgum, Salodurum, Baſilea, & Scaphuſium. Ex his circiter quindecim, aut ſexdecim optimorum peditum millia ſine vllo publicarum virium detrimento ad exteros mitti poſſunt. Quibus Rhetorum populi adiuncti, Curienſis videlicet, Agnellinus & Tomiaſcus, qui Bergomatibus in Mediolanenſi ditione, & Tirolenſi Comitatui adiacent, decem circiter armatorum millia extra patriam queunt mittere; hiſque adnexi Vallenſes, qui ad Lemanum lacum, & ad fines Pedemontii, nec non Heluetiorum ſiti ſunt, ſex millia hominum ad externæ militiæ vſum in promptu habent: præter quos, populi Labatenſes, Appatellenſes, cum oppido S. Galli 4000. conſcribunt. Omnes hi populi in militibus deligendis ſiue ad exteros tranſmittendis, hac vtuntur conſuetudine: Primum in vnaquaque communitate tam Duces, quam milites tot, quot requiſiti fuerint, eliguntur; ita tamen, vt ne idonei homines è domeſticis præſidiis detrahantur. His communitas pro ſtipendiis, ſi forte ea ab ipſo, cui militant, non perſoluta fuerint, fideiubet. Lectis his, vexilla tolluntur, ſiue mouentur: contra quæ nemini ciuium, vbicunque illi fuerint, arma ferre fas eſt, ſub capitis etiam pœna, & omnium bonorum

Militiæ numerus, & vires.

Fines Heluetiorum.

Mos in conſcribendis militibus.

Vexilla peculiaria, & generalia.

rum confiſcatione. Vexilla hæc multa ſunt & diuerſa ſingularum fere ciuitatum, ſiue pagorum. Præcipua ſunt duodecim vel tredecim pagorum. Habent quoque Griſones ſiue Rheti, Valeſii, Abbatiſcellenſes, & Sangallenſes vnum vexillum generale, quod tamen nunquam effertur, niſi educatur talis exercitus, in quem Duces & milites ab vniuerſa communitate decreti, & miſſi fuerint: quod tamen perraro contigit, cum ipſius communitatis nunquam fuerit conſuetudo, vt omnes ſimul milites congregent, niſi ſi ditiones ſuas ab hoſtium impetu defendendi neceſſitas ingruerit: deliguntur autem, ac decernuntur milites communi conſilio, vexillumque hoc generale confœderationis vexillum vocatur, contra quod nemo militum communitati ſubiectus arma ferre poteſt ſub pœna confiſcationis bonorum, & amittendæ vitæ, in eoque omnia comprehenſorum locorum inſignia depicta cernuntur. Præter quod generale vexillum 13. Heluetiorum pagi peculiare gerunt vexillum, expreſſis ſingulorum inſignibus, neq; attollitur aut eleuetur in publicum, niſi eodem modo, vti diximus, publicus accedat conſenſus, & aduerſus ipſum nemini Heluetiorum militare fas eſt, ſub pœnis, quas recenſuimus. Habent præterea tres pagi Suitiorum, & Vnderualdenſium commune vexillum, quod tres illæ communitates erigunt, neq; ſubditis contra illos arma ferre licet. Habent Rheti ſimiliter vexillum ſub iiſdem conditionibus. Valenſes pari ratione ſuum educunt, itidemque Abbatenſes, Appatellenſes, & Sangallenſes. Quamobrem periculoſum eſt Principi ex Heluetiis conducere militem, niſi ab ipſa communitate, ſubque eius vexillo electum. Id magno cum ſuo incommodo expertus eſt Ludouicus Sfortia, qui in principatum ſuum reuerſus magnum Heluetiorum numerum ſtipendiis conductorum ſub ſignis habuit ex eorum numero, qui quorumuis Principum militiam ſequuntur, nulla patriæ aut communitatis decreto ſuffulti. Contra vero Gallorum Rex milites ab ipſa tredecim pagorum communitate electos, ſeruatis ipſorum inſtitutis, ſub publico vexillo ducebat; vnde factum eſt, vt voluntarii Heluetii Ludouico inſeruientes, ipſum prodiderint, ideo quia contra commune Reipublicæ quiſque ſuæ vexillum arma ferre nollent & patriam & patrimonia ſua amitterent: quod idem in præſens eædem gentes vniuerſæ dubio procul efficerent.

Cõtra proprium vexillum nemini militare fas eſt.

Cur Heluetij Ludouicum Sfortiam prodiſſe videantur.

MONITA AD LEGATVM CVM AD HELVETIOS MISSVS eſſet, ſiue de variis Heluetiorum Rebus,

DISCVRSVS III.

QVATENVS anteactis temporibus experientia docuit, negotia, quæ cum potenti Heluetiorum Repub. tractantur, difficilia ſunt, neque exitum, qui deſideratur, tuto ſortiuntur, idque propter numerum ac multitudinem eorum, quibuſcum agendum eſt, vtpote qui propter diuerſas cauſas, & effecta diuerſas fouent ſententias, verum maior ipſorum pars vtilitate trahitur, tametſi primores, præcipuique viri, vt populum, plebemque, quocunque libet, deducant, ſuam tuentur, prætexentes, quæcunq; ab ſe tractantur, ea omnia illuc tendere, vt commodum, & trãquillitas publica & imperium, ac libertatis cõſeruatio defendatur.

Omnis negotiorum tractatio cum Heluetiorum primoribus circa duo verſatur: aut enim publice aut ſecreto agendum eſt, vtq; negotium aliquod illic feliciter ſuccedat primum neceſſe eſt, aliquot ſigillatim in ſingulis vicis (anguli vocantur) potentiores, & bonæ famæ, magnæque auctoritatis viros ſibi conciliare, & cum ipſis res agendas communicare adeo, vt quæ poſtulanda ſunt, apprime intelligant; deinde publice ſcriptis proponenda, & oretenus coram Senatoribus & conſiliis explicanda: illi enim, qui prius de tota re edocti ſunt, prout expedire arbitrantur, perſuadent, adiuuant, opitulantur adeo, vt negotia optatum finem ſortiantur.

Quoniam vero, vt huiuſmodi operam ab ipſis recipiamus, fieri non poteſt, niſi munera iis donentur, hoc eſt, ſericeæ veſtes, torques aurei, argentea vaſa, & ſimilia, adhibitis etiam penſionum clandeſtinis pollicitationibus: eſt adhuc magis neceſſarium aliqua promiſſa in publicum proferre, vt negotiis maior impertiatur auctoritas, & fautoribus illis addatur animus ad cauſam noſtram pro occaſionibus prouendam alacrius.

In hac inclyta natione quidam vici, ſiue anguli antiquæ ſunt religionis, quidam vero nouiſſimam ſuſceperunt. Hi ſecretos ambitus, & alloquia non admittunt, & qui priuati illa admitterent, à ma-

Digitized by Google

giſtratibus ſeuere caſtigarentur: ideoque ab iis cauendum eſt, cumque ipſis palam tractandum, atque in primis enitendum, vt perſuadeantur, fore, vt omnia ceſſura ſint in maiorem eorum antiquę libertatis, & confœderationis honorem & magnitudinem.

Animaduertendum quoque eſt, ne vlla res noua in vulgus ſpargatur, aut ſecreto cum vllo Helueticorum quidquam communicetur, præſertim ſi res ſint veritati contrariæ: nam quotieſcunque de aliquo male ſentiunt, maximo negotio poſtea eidem fidem præſtant. Et in quocunque negotio ſatius eſt breuem eſſe, & quandam verborum ſobrietate vti, quam contrario more.

In vicis particularibus negotia tractantur cum Burgimagiſtris, Syndicis & Amannis, qui pro tempore munere funguntur publico ſimul cum plurimis, paucisue Conſiliariis. Naturæ ſunt ſecretæ, prout requirunt negotia; cumque opus eſt, ab iiſdem magiſtratibus tempore congreſſus, aut colloquii impetranda ſunt: deinde petenda eſt reſponſio vel voce, vel ſcriptis, neque omittenda ſunt conuiuia, quibus conſiliarii, cæterique excipiendi ſunt; amant enim mirifice honores & blanditias.

In generalibus Comitiis negotia tractantur cum Oratoribus Vicorum, qui deſtinantur à ſuis primoribus ad ea Comitia, & oportet præcipuorum Vicorum, vbi Comitia celebrantur, Oratores adire, etſi illi vici in ordine Vicorum non eſſent ex dignioribus. Et iampridem Comitia celebrari ſolent Badæ, & Ergoniæ, quæ pertinent ad quinque vicos in quibus Domini Tigurini præcipui ſunt: moduſque quem diximus, ita ſeruandus eſt in colloquio, ſicut in reſponſo petendo: Deinde, prout neceſſitudo poſtulauerit, ab vno ad alterum Oratorem ſingulorum Vicorum negotia tractanda ſunt. Neque vero expectandum vnquam eſt, vt aliis ipſi fœdera, ac pacta vlla proponant, etſi pro ipſorum vtilitate quærantur: ſemper enim hoc inſtitutum ſeruauerunt antehac; & modo ſeruant, vt ipſis quæcunq; agenda ſunt, primo proponantur, quæ deinde ipſimet dominis ſuis, ac ſuperioribus referunt: quod ſi annuerint, vnus, alterue ex ipſis ad hanc rem peragendam ſpeciatim deputatur.

In Generalibus Comitiis vtplurimum ſatisfacere ſolent Nuntio Pontificio, Oratori, ſiue Procuratori Cæſareæ Maieſtatis, Sereniſſimo Regi Romanorum, Regi Galliæ, aliiſque Oratoribus, & perſonis publicis atque priuatis. Cumque hæc loca libertatem colant, neceſſe eſt, nullum ibi inimicitiæ actum præſeferre.

Ius reſidendi, tractionis cauſa, impetrari poteſt ab illo Vico, qui propinquior, commodior & vtilior eſt negotio tractando: cum vero neceſſe eſt aliqua de cauſa ad alios vicos ſe transferre, tunc ſemper aliqua occaſio ſiue excuſatio obtendenda eſt, ne ſuſpicio inducatur, ad quam rem ſedulo adimaduertendum eſt.

Omni tempore magna particularium, ac præcipuorum virorum

ratio

ratio habenda eſt, etſi aliorum principum ſtipendiarii, atq; contrariæ factionis eſſent: etenim vbi de vtilitate agitur, cuncta negligunt.

Et Badæ, vbi in præſens Comitia celebrantur, omnium magiſtratuum ſummus eſt habendus reſpectus, item Gubernatorum & inferiorum quorumcunque, nec non eorum, qui ſunt à ſecretis, qui omnes Comitiis interſunt, & inter potentiores adnumerantur. In primis Oratori de religione nunquam ſermo inſtituendus eſt, neque eorum opinionibus aduerſandum.

DE HELVETIORVM REPVBLICA, EIVSQVE FORMA & fœderibus,

DISCVRSVS III.

VIDEO, inquit, quamplurimos in eo errore verſari, vt Heluetiorum vnam putent & eandem eſſe ciuitatem; quum tamen tredecim Reſpūb. finibus & imperio diuiſæ ſint. Antea quidem omnium vna fuit Imperii Germanici prouincia, quæ ab Imperat. vicario regebatur. Principes defectionis fuere Suitenſes, Vrani, Vnderualdi, qui anno 1315. fœdus ſanctiſſimum percuſſerunt, ac primo cauerunt. Ne quis imperium Principis vllius admitteret aut ferret. Deinde anno 1321. Lucerna in ſocietatem venit; aliquanto poſt, id eſt anno 1351. Tigurini ſocietatis fœdere cōiuncti ſunt; anno ſequenti Tugienſes, Bernates, ac Biennenſis. Poſt cladem Sempachiam nobilitate à plebeiis fuſa & proſtrata, quod factum memorant anno 1481. Solodurenſes & Glarenſes vna cum ſuperioribus, qui fœdera renouabant, in amicitiam venerunt. Baſilea tandem acceſſit anno 1501. vna cū Schafhuſianis quos proxime ſequuti ſunt Abbaticellani ac Friburgenſes anno 1513. Ad hæc Heluetiorum oppida acceſſit cœnobiarcha Sangallus, tum Mulhuſani & Rotuilenſes ſub annum circiter 1525. poſtremo Valeſii anno 1527. quo anno Geneuates, qui ſeſe in libertatem vindicarant, Bernatibus fœdere coniuncti ſunt: quorum omnium ſocietatis ac fœderum exempla deſcripta extant, ex quibus intelligitur viginti Reſpublicas finibus & imperio diuiſas, æquo fœdere in ſocietatem &

giſtratibus ſeuere caſtigarentur: ideoque ab iis cauendum eſt, cumque ipſis palam tractandum, atque in primis enitendum, vt perſuadeantur, fore, vt omnia ceſſura ſint in maiorem eorum antiquę libertatis, & confœderationis honorem & magnitudinem.

Animaduertendum quoque eſt, ne vlla res noua in vulgus ſpargatur, aut ſecreto cum vllo Helueticorum quidquam communicetur, præſertim ſi res ſint veritati contrariæ: nam quotieſcunque de aliquo male ſentiunt, maximo negotio poſtea eidem fidem præſtant. Et in quocunque negotio ſatius eſt breuem eſſe, & quandam verborum ſobrietate vti, quam contrario more.

In vicis particularibus negotia tractantur cum Burgimagiſtris, Syndicis & Amannis, qui pro tempore munere funguntur publico ſimul cum plurimis, paucisue Conſiliariis. Naturæ ſunt ſecretæ, prout requirunt negotia; cumque opus eſt, ab iiſdem magiſtratibus tempore congreſſus, aut colloquii impetranda ſunt: deinde petenda eſt reſponſio vel voce, vel ſcriptis, neque omittenda ſunt conuiuia, quibus conſiliarii, cæterique excipiendi ſunt; amant enim mirifice honores & blanditias.

In generalibus Comitiis negotia tractantur cum Oratoribus Vicorum, qui deſtinantur à ſuis primoribus ad ea Comitia; & oportet præcipuorum Vicorum, vbi Comitia celebrantur, Oratores adire, etſi illi vici in ordine Vicorum non eſſent ex dignioribus. Et iampridem Comitia celebrari ſolent Badæ, & Ergoniæ, quæ pertinent ad quinque vicos in quibus Domini Tigutini præcipui ſunt: modusque quem diximus, ita ſeruandus eſt in colloquio, ſicut in reſponſo petendo: Deinde, prout neceſſitudo poſtulauerit, ab vno ad alterum Oratorem ſingulorum Vicorum negotia tractanda ſunt. Neque vero expectandum vnquam eſt, vt aliis ipſi fœdera, ac pacta vlla proponant, etſi pro ipſorum vtilitate quærantur: ſemper enim hoc inſtitutum ſeruauerunt antehac; & modo ſeruant, vt ipſis quæcunq; agenda ſunt, primo proponantur, quæ deinde ipſimet dominis ſuis, ac ſuperioribus referunt: quod ſi annuerint, vnus, alterue ex ipſis ad hanc rem peragendam ſpeciatim deputatur.

In Generalibus Comitiis vtplurimum ſatisfacere ſolent Nuntio Pontificio, Oratori, ſiue Procuratori Cæſareæ Maieſtatis, Sereniſſimo Regi Romanorum, Regi Galliæ, aliiſque Oratoribus, & perſonis publicis atque priuatis. Cumque hæc loca libertatem colant, neceſſe eſt, nullum ibi inimicitiæ actum præſeferre.

Ius reſidendi, tractionis cauſa, impetrari poteſt ab illo Vico, qui propinquior, commodior & vtilior eſt negotio tractando: cum vero neceſſe eſt aliqua de cauſa ad alios vicos ſe transferre, tunc ſemper aliqua occaſio ſiue excuſatio obtendenda eſt, ne ſuſpicio inducatur; ad quam rem ſedulo adimaduertendum eſt.

Omni tempore magna particularium, ac præcipuorum virorum

ratio habenda eſt, etſi aliorum principum ſtipendiarii, atq; contrariæ factionis eſſent: etenim vbi de vtilitate agitur, cuncta negligunt.

Et Badæ, vbi in præſens Comitia celebrantur, omnium magiſtratuum ſummus eſt habendus reſpectus, item Gubernatorum & inferiorum quorumcunque, nec non eorum, qui ſunt à ſecretis, qui omnes Comitiis interſunt, & inter potentiores adnumerantur. In primis Oratori de religione nunquam ſermo inſtituendus eſt, neque eorum opinionibus aduerſandum.

DE HELVETIORVM REPVBLICA, EIVSQVE FORMA & fœderibus,

DISCVRSVS III.

VIDEO, inquit, quamplurimos in eo errore verſari, vt Heluetiorum vnam putent & eandem eſſe ciuitatem; quum tamen tredecim Reſpūb. finibus & imperio diuiſæ ſint. Antea quidem omnium vna fuit Imperii Germanici prouinciā, quæ ab Imperat. vicario regebatur. Principes defectionis fuere Suitenſes, Vrani, Vnderualdi, qui anno 1315. fœdus ſanctiſſimum percuſſerunt, ac primo cauerunt. Ne quis imperium Principis vllius admitteret aut ferret. Deinde anno 1321. Lucerna in ſocietatem venit; aliquanto poſt, id eſt anno 1351. Tigurini ſocietatis fœdere cōiuncti ſunt; anno ſequenti Tugienſes, Bernates, ac Biennenſis. Poſt cladem Sempachiam nobilitate à plebeiis fuſa & proſtrata, quod factum memorant anno 1481. Solodurenſes & Glarenſes vna cum ſuperioribus, qui fœdera renouabant, in amicitiam venerunt. Baſilea tandem acceſſit anno 1501. vna cū Schafhuſianis quos proxime ſequuti ſunt Abbaticellani ac Friburgenſes anno 1513. Ad hæc Heluetiorum oppida acceſſit cœnobiarcha Sangallus, tum Mulhuſani & Rotuilenſes ſub annum circiter 1525. poſtremo Valeſii anno 1527. quo anno Geneuates, qui ſeſe in libertatem vindicarant, Bernatibus fœdere coniuncti ſunt: quorum omnium ſocietatis ac fœderum exempla deſcripta extant, ex quibus intelligitur viginti Reſpublicas finibus & imperio diuiſas, æquo fœdere in ſocietatem &

amicitiam conueniſſe; legibus tamen & conditionibus diuerſis. Bernates enim Vranorum, Suitenſium, & Vnderualdenſium opes & auxilia euocare poſſunt; vt Tigurini ac Bernates viciſſim ſeipſos euocant, & ab Lucernatibus euocantur quinque priores: ex quibus Suitenſes, Vrani & Vnderualdenſes omnium conſequentium auxiliis & opibus, ſi bello laceſſiti fuerint, adiuuantur; variis tamen ex cauſſis. Omnium autem Heluetiorum Conuentus ſeorſim à Rhetis, Geneuatibus & Valeſiis, coguntur ſingulis annis, & quæ à legatorum ciuitatum parte maxima decreta ſunt, omnes tenent. Habēt autem ſinguli iura maieſtatis, ſuos, inquā, magiſtratus, ærarium, agrum ſuis finibus diuiſum, ſtemmata, teſſeram, nomē, numiſmata, ſigillum, iuriſdictionem, leges, mores & inſtituta à ſe inuicem diuiſa. Si vnius ciuitatis opibus & armis fines agrorum propagati ſint, id proprium eſt eius ciuitatis cuius auſpiciis parta eſt victoria, vt quidem iudicauit Franciſcus I. Rex Francorum, arbiter ab Heluetiis electus. Nam Bernates ex quo in libertatem ſeipſos vindicarunt, quadraginta circiter oppida imperio domeſtico adiecerunt, quibus imperant exercitus, tributa, leges; in quæ tamen cæteri nullum ius habent, quin etiam Baſilienſes quum anno 1560. quinquaginta aureorum millia Regi Francorum mutuo dediſſent, fideiuſſores acceperunt Solodurenſes. Quoniam autem præfecturas nouem communibus omnium auxiliis in deditionem acceperunt, ſingulæ ciuitates viciſſim Prætorem mittere conſueuerunt ad ius dicendum; vt ſua cuique Heluetiæ ciuitati iura & obſequia tribuantur. Badenſe etiam oppidum, vbi conuentus annui coguntur, commune eſt octo ciuitatum, quæ poſt victoriam Sempachiam ſimul coaluerunt. Satis etiam, opinor, omnibus perſuaſum eſt, non vnam omnium eſſe religionem: nec dubium quin armis ac ferro iam pridem decernere concupierint, id quod Pontifex Romanus per legatos efficere ſæpe conatus eſt: & confecta res eſſet, niſi ſapientiſſimis Regum noſtrorum (Franciæ ſcilicet) conſiliis reuocarentur; tum propter mutuam erga ſocios neceſſitudinem, tum etiam, quod ab eorum ſalute ac tranquillitate ſecuritas Francorum quodammodo pendere videatur. Ac certe vna omnium Reſpublica pleriſque videri poſſit, propterea, quod decreta in comitiis communibus communi conſenſione comprobata omnes tenent & obligant: vt quidem ſatis intellectum eſt ex eo, quod à ſeptem Ciuitatum legatis decretum eſt anno 1554. quo tempore, quum prætores earum ciuitatum, quæ antiquam religionem acerrime tuentur, communes Præfecturas iureiurando adigerent, ne religionum ritus veteres innouarent: qua religionis ſpecie communes ſubditi carceribus ac ſuppliciorum metu à Romanæ religionis Prætoribus Catholicis vrgebantur, niſi ciuita-

tes nouæ religionis interceſſiſſent. Et quidem res ad vim & arma prolapſura videbatur, niſi Legati Francorum diſſidia compoſuiſſent, ea lege, vt Acta iuriſiurandi à communibus ſubditis extorta reſcinderentur; & vt communes ſubditi nouam religionem contra fœdus ſuſceptam eiurare cogerentur, ſi maxima pars ciuitatum Helueticarum ita decreuiſſet. Ad hanc pacis actionem magnum attulerunt adiumentum Glarenſes & Abbaticellani communes ſocii, qui vtramque religionem ſuſcipiunt ac probant. Ex quo efficitur, vt quod maxima pars ſociarum ciuitatum decreuerit, ſingulos teneat. At ne ſocietatem quidem, aut fœdus, aut amicitiam cum vllo Principe contrahere ſociis licet, niſi conſpirante omnium conſenſu. Quum enim ciuitates Heluetiorum quæ nouam religionem probarunt, ſocietatem cum Philippo Heſſorum Principe & cum ciuitate Argentina coiiſſent, ab ea ſociis poſtulantibus diſcedere coacti ſunt. Et qui Romanam religionem colunt, ſocietatem cum Auſtriacis contractam deſerere coacti ſunt. Ac tametſi cum Pio IV. Pontifice maximo fœdus religionis tuendę cauſſa percuſſiſſent: id tamen quãtumuis à Pontificibus præmiis propoſitis pellicerentur, renouare noluerunt. Quum autem ageretur de fœderibus cũ Franciſco I. Francorum Rege ſanciendis, diutiſſime interceſſerunt ciuitates Heluetiorum quæ noua religione nõ ita pridem imbutæ fuerant. Zuinglii Theologi acerrimis cõcionibus perſuaſi; qui peregrinis Principibus militare nefas eſſe contendebat; ac tantum profecit, vt ſui non aliter quam amicitiæ cauſſa, ſocietatem cum rege noſtro coirent. Renouatis autem cum Henrico II. fœderibus, Baſilienſes & Schafhuſiani cum ciuitatibus Catholicis non tantum ad amicitiam, ſed etiam ad auxiliares exercitus cũ Francis ſeſe adiunxerunt. Tigurini tamen & Bernates, ſuos indicta capitali pœna, regi Francorum mereri vetuerunt, anno 1554. At ciuitas Vnderualdenſium, Cardinali Tridentino exercitum conſcribente, ſubditos ab exercitu reuocauit, capitis ac bonorum propoſita pœna, ſi quis alteri quam Regi Francorum militaret. Quæ certiſſima ſunt argumenta, tot eſſe apud Heluetios Reſpublicas, quot ciuitates. Ita quoque tres Rhetorum ciuitates, quæ quinquaginta collegiis conſtant, diuiſa ſeorſim imperia moderantur: quoties autem conuentus habent, maxima Rhetorum ciuitas legatos octo ac viginti mittere conſueuit; ſecunda viginti quatuor; minima, quatuordecim, iis conditionibus, vt ea quæ pars legatorum maxima decreuit de rebus ad vniuerſitatem & communes ſocios pertinentibus, ſingulos teneant. Interdum etiam plebs vniuerſa cogitur ad ea quæ in Republica grauiſſima ſunt, diiudicanda. Fallunt igitur qui vnam ex tribus ciuitatibus Rempublicam conflari putant. Nam

communes conuentus, ager communis, hoſtes, amici communes, Rempublicam non efficiunt eandem; non etiamſi ærarium omnium idem ſit: ſed ſumma imperandi prohibendiq; poteſtas, qua quæque ciuitas ſuos coërcere poteſt.

De origine eiuſdem Reipublicæ, Idem lib. IV. Cap. I.

Populares Heluetiorum Status ab arrogantia quidem & libidine Præfectorum originem habuerunt; ſed incrementa maxima ſequuta ſunt victoriam Sempachiam, circiter annum 1357. quibus temporibus optimates ac nobiles fuſi & proſtrati, popularibus ceſſerunt. Harum igitur conuerſionum cauſſa præcipua eſt in temeritate poſita, quę vt frangitur offenſione accepta, ita quoque arrogantius ob victoriam inſoleſcit, nec hoſtem habet capitaliorem quam nimis proſperos rerum geſtarum euentus; nec magiſtros prudentiæ meliores quam caſus aduerſos, quibus fracta & abiecta ſapientum conſiliis inſiſtit, eisq; gubernacula moderanda tradit, &c.

De Fœderibus aliquot Helueticarum ciuitatum, idem lib. I. Cap. VI.

Cuiuſmodi fœdus eſt illud (*Communicatio ciuitatis*, Gallice *Cambourgoiſie*) quod inter Valeſios & quinque pagos Heluetiorum minores ictum eſt anno 1527. tum etiam inter Bernates & Friburgos 1505. ac rurſus inter Geneuates & Bernates anno 1557. quorum fœderum ea vis eſt, vt mutua inter ipſos ſit communicatio ciuitatis & amicitiæ fides; & qui ex ſociis ſua ciuitate deſerta ſociorum ciuitatem adire malit, momento ciuis ac ſubditus ſit alterius ciuitatis, ſine cooptatione, rogatione, aut reſcripto ſingulari, &c.

De variis Conſiliis Heluetiorum, Idem lib. III. Cap. I.

Suitenſium ciuitas, vt valdę exigua ſit, ac ſine oppido, ſine mœnibus, ſine arce imperium tueatur; nihilominus tamen præter Senatum 45. virorum, Conſilium habet ſeptem virorum, quibus præeſt Amannus. Eadem conſilii conſtituendi ratione vtuntur Vrii. Bernates ducentos Senatores habent; Lucernates centum. Vtriſque tamen conſilium ſanctius eſt, his quidem duodeuiginti; illis viginti ſex virorum. Aliorum alius eſt vtriuſque conſilii numerus; eadem ratio tamen. Quin etiam apud Baſilienſes, præter vtrumque Conſilium quatuor viri, duo inquam, Burgomagiſtri cum totidem Collegiorum Principibus (Zunfftmeiſter) arcana tractant. Apud Bernates eodem funguntur munere duo Prætores Auoerii & Signiferi quatuor, &c.

De eorum cum imperio neceſsitudine; & quare iidem in federibus Imperium ſemper excipiant, ex Lib.I. Cap.VII.

Ferdinandus Imperator Caroli V. frater per legatos vetuit Grumbachum & coniuratos, qui ab Imperiali curia proſcripti erant, hoſpitio ab Heluetiis excipi: quod quum imperare magis quam rogare videretur, Heluetii, liberi populi, aliquantum commoti ſunt. Antea quoque Morletus Muſæus regis Francorum apud Heluetios legatus, Regem admonuit, Mediolanēſem Præſidem vetuiſſe Cardinalem Sedunenſem ſui iuris Principem ac Heluetiorum ſocium, quominus cum Francis fedus iniret: interdictum tamen illud irriſit Cardinalis, & in Regis noſtri (Francorum) ſocietatem venit, à quo trecentos aureos annuæ penſionis accepit. Non dubito ego, quin Germaniæ Principes Heluetios ſi poſſint, ſub imperium reuocare conentur. Hinc illa in omnibus federibus Heluetiorum, quæ cum exteris Principibus feriuntur, imperii Germanici exceptio, quæ ſemper tacita quadam ratione ineſſe dicitur, niſi deſerta & expreſſa clauſula reiiciatur. Quod vt fieret aduerſus Imperatorem in eo federe quod Heluetii cum Franciſco rege contraxerunt an.1521. curauit Guiſca legatus, idque habuit in mandatis. Nam ætate ſuperiore Sigiſmundus Imperator Heluetios ad arma capienda aduerſus Fridericum Auſtriacum contra federa Auſtriacæ gentis ſollicitauerat, quum diceret hoc ab Heluetiis Imperii Germanici Maieſtati deberi; in omnibus autem federibus Maieſtatem ſuperioris tacite ſemper excipi, id quod verum eſt, quantum ad iura Maieſtatis attinet: non tamen Heluetios opinor Imperio Germanico propterea teneri, ſed Germanorum Maieſtatem ſuperiorem confiteri, atque adeo Imperatorem ipſum, qui eſt in Imperii Germanici fide ac ditione. Nam in federe octo ciuitatum Heluetiorū, Tigurini, Bernates, Suitenſes, Vnderualdi, quod antea imperii Germanici partem feciſſent, exceperunt Imperii Germanici Maieſtatem, ne Germanis fraudi eſſet quod fedus ſancirent. Nec ita pridem Tigurini, Lucernates, Vrii, Glarenſes, per Legatos ad Ferdinandū quum Auguſtæ conuentus haberet, petierunt, vt ſibi priuilegiorum libertate vti frui liceret. Ac iam pridē antiquo federe, quod cum imperio Germanico & Heluetiorum ciuitatibus ictum eſt, cauetur, ne cum exteris Principibus ſocietatē Heluetiis inire liceat, vt bellum intra fines imperii geratur. Nā propterea Carolus V. Imperator anno 1553. queſtus eſt per litteras ad Heluetios ſcriptas, antiqua federa cum Germanis percuſſa violari ab exercitu Heluetiorum, qui non dubitarat coniunctis co-

communes conuentus, ager communis, hoſtes, amici communes, Rempublicam non efficiunt eandem; non etiamſi ærarium omnium idem ſit: ſed ſumma imperandi prohibendiq; poteſtas, qua quæque ciuitas ſuos coërcere poteſt.

De origine eiuſdem Reipublicæ, Idem lib. IV. Cap. I.

Populares Heluetiorum Status ab arrogantia quidem & libidine Præfectorum originem habuerunt; ſed incrementa maxima ſequuta ſunt victoriam Sempachiam, circiter annum 1357. quibus temporibus optimates ac nobiles fuſi & proſtrati, popularibus ceſſerunt. Harum igitur conuerſionum cauſſa præcipua eſt in temeritate poſita, quę vt frangitur offenſione accepta, ita quoque arrogantius ob victoriam inſoleſcit, nec hoſtem habet capitaliorem quam nimis proſperos rerum geſtarum euentus; nec magiſtros prudentiæ meliores quam caſus aduerſos, quibus fracta & abiecta ſapientum conſiliis inſiſtit, eisq; gubernacula moderanda tradit, &c.

De Fœderibus aliquot Helueticarum ciuitatum, idem lib. I. Cap. VI.

Cuiuſmodi fœdus eſt illud (*Communicatio ciuitatis*, Gallice *Cambourgoiſie*) quod inter Valeſios & quinque pagos Heluetiorum minores ictum eſt anno 1527. tum etiam inter Bernates & Friburgos 1505. ac rurſus inter Geneuates & Bernates anno 1557. quorum fœderum ea vis eſt, vt mutua inter ipſos ſit communicatio ciuitatis & amicitiæ fides; & qui ex ſociis ſua ciuitate deſerta ſociorum ciuitatem adire malit, momento ciuis ac ſubditus ſit alterius ciuitatis, ſine cooptatione, rogatione, aut reſcripto ſingulari, &c.

De variis Conſiliis Heluetiorum, Idem lib. III. Cap. I.

Suitenſium ciuitas, vt valde exigua ſit, ac ſine oppido, ſine mœnibus, ſine arce imperium tueatur; nihilominus tamen præter Senatum 45. virorum, Conſilium habet ſeptem virorum, quibus præeſt Amannus. Eadem conſilii conſtituendi ratione vtuntur Vrii. Bernates ducentos Senatores habent; Lucernates centum. Vtriſque tamen conſilium ſanctius eſt, his quidem duodeuiginti; illis viginti ſex virorum. Aliorum alius eſt vtriuſque conſilii numerus; eadem ratio tamen. Quin etiam apud Baſilienſes, præter vtrumque Conſilium quatuor viri, duo inquam, Burgomagiſtri cum totidem Collegiorum Principibus (Zunfftmeiſter) arcana tractant. Apud Bernates eodem funguntur munere duo Prætores Auoerii & Signiferi quatuor, &c.

De

De eorum cum imperio neceſsitudine; & quare iidem in federibus Imperium ſemper excipiant, ex Lib.I. Cap.VII.

Ferdinandus Imperator Caroli V. frater per legatos vetuit Grumbachum & coniuratos, qui ab Imperiali curia proſcripti erant, hoſpitio ab Heluetiis excipi: quod quum imperare magis quam rogare videretur, Heluetii, liberi populi, aliquantum commoti ſunt. Antea quoque Morletus Muſæus regis Francorum apud Heluetios legatus, Regem admonuit, Mediolanẽſem Præſidem vetuiſſe Cardinalem Sedunenſem ſui iuris Principem ac Heluetiorum ſocium, quominus cum Francis fedus iniret: interdictum tamen illud irriſit Cardinalis, & in Regis noſtri (Francorum) ſocietatem venit, à quo trecentos aureos annuæ penſionis accepit. Non dubito ego, quin Germaniæ Principes Heluetios ſi poſſint, ſub imperium reuocare conentur. Hinc illa in omnibus federibus Heluetiorum, quæ cum exteris Principibus feriuntur, imperii Germanici exceptio, quæ ſemper tacita quadam ratione ineſſe dicitur, niſi deſerta & expreſſa clauſula reiiciatur. Quod vt fieret aduerſus Imperatorem in eo federe quod Heluetii cum Franciſco rege contraxerunt an.1521. curauit Guiſca legatus, idque habuit in mandatis. Nam ætate ſuperiore Sigiſmundus Imperator Heluetios ad arma capienda aduerſus Fridericum Auſtriacum contra federa Auſtriacæ gentis ſollicitauerat, quum diceret hoc ab Heluetiis Imperii Germanici Maieſtati deberi; in omnibus autem federibus Maieſtatem ſuperioris tacite ſemper excipi, id quod verum eſt, quantum ad iura Maieſtatis attinet: non tamen Heluetios opinor Imperio Germanico propterea teneri, ſed Germanorum Maieſtatem ſuperiorem confiteri, atque adeo Imperatorem ipſum, qui eſt in Imperii Germanici fide ac ditione. Nam in federe octo ciuitatum Heluetiçarũ, Tigurini, Bernates, Suitenſes, Vnderualdi, quod antea imperii Germanici partem feciſſent, exceperunt Imperii Germanici Maieſtatem, ne Germanis fraudi eſſet quod fedus ſancirent. Nec ita pridem Tigurini, Lucernates, Vrii, Glarenſes, per Legatos ad Ferdinandũ quum Auguſtæ conuentus haberet, petierunt, vt ſibi priuilegiorum libertate vti frui liceret. Ac iam pridẽ antiquo federe, quod cum imperio Germanico & Heluetiorum ciuitatibus ictum eſt, cauetur, ne cum exteris Principibus ſocietatẽ Heluetiis inire liceat, vt bellum intra fines imperii geratur. Nã propterea Carolus V. Imperator anno 1553. queſtus eſt per litteras ad Heluetios ſcriptas, antiqua federa cum Germanis percuſſa violari ab exercitu Heluetiorum, qui non dubitarat coniunctis co-

piis cum rege noſtro, Germanorum agris vaſtitatem inferre. Nec multo poſt àb Heluetiis petiit, vt pœnas ſumerent de exercitum qui in Auſtriacos agros inuaſiſſet, contra fedus quod inter Auſtriæ Principes & Heluetios percuſſum eſt, annos 1457. ac renouatum anno 1500. quo federe Romanus Pontifex imperium Germanicum, ac domus Auſtriaca excipiuntur, penſionis legē dicta, qua ſingulis Heluetiorum ciuitatibus ducenti floreni in ſingulos annos darentur. Ac rurſus anno 1554. Iulii 20. die, renouatum fedus eſt. Nam fedus Francorum cum Heluetiis contractum eſt ad tuendos ſociorum fines, non ad exteros inuadendos, quæ ratio facit quo minus Heluetii fines Germanorum & Auſtriacæ gentis inuadere velint; non quia imperii legibus teneantur, quod ſanctius cautum eſt in federibus Francorum & Heluetiorum renouandis anno 1549. quibus excluduntur omnes qui nec Germanis ſubditi ſunt, nec lingua Germanica vtuntur. Ac *De Rhetis.* ſæpiſſime Carolus V. Imperator ab Heluetiis petiit, vti Mediolanenſis ager vna cum regno Neapoleos ac Siciliæ, federibus Auſtriacis exciperentur: quod plane recuſarunt Heluetii anno 1555. Idem iudicandum nobis relinquitur de Rhetorum ciuitatibus ab imperio Germanico auulſis, quæ nec imperii, nec imperatoris Edictis ſe teneri ſatis declarauerunt; quum ne Principem quidē Germanum, qui ab Imperatore Pontifex Rhetorum erat deſignatus, ferre noluerint; ſed quum inter ſe tres ciuitates Rhetorū de pontificis (*Epiſcopi*) creatione diſſiderent; Heluetii diſſidiorum quæ inter ciuitates ſuboriuntur, ex federe arbitros ſeſe ferentes, Pontificem ſiue Epiſcopum eum eſſe iuſſerunt, qui erat in Collegio ſacerdotum (*Capitulo*) cooptatus; & in poſterum Pontifices eſſe decreuit eos, quibus Cadorum tribus ſuffragaretur.

De Heluetiorum Federibus, & primo cum Allobrogum Principe, ibidem.

Heluetii antea cum Principe Allobrogum ſociati erant, iſque inter Federatos primus erat: contracta vero cum Rege Francorum Ludouico XI. ſocietate, regem tum propter regiam Maieſtatem, tum etiam propter annuas penſiones, Federatorum Principem pronunciarunt, quum tamen omnes æquo federe ſecum ipſi coniugarentur.

De Rhetorum cum Francis neceſſitudine & vtrum ij Heluetiis federibus cum Francis comprehendantur.

Socii ſociorum, ſocii noſtri non ſunt: qui tamen in federibus

ſan-

ſanciendis excipiuntur, vt Rhetorum ciuitates antiquo fœdere cum Heluetiis percuſſo anno 1521. diſerte excipiuntur: qui tandē æquo fœdere & iiſdem legibus cum Heluetiis in Francorum ſocietatem venerunt anno 1550. Etſi enim Rheti conſociati fuiſſent æquis legibus eo fœdere quod cūm minoribus Heluetiorum ciuitatibus percuſſerunt anno 1498. Heluetiorum tamen imperiis parere cogebantur, ſi decreta res eſſet in conuentu Helueticarum ciuitatum, quod quum indigne ferrent Rhetorum populi, ſocietatem dirimere cogitabant, niſi legatus Francorum rem compoſuiſſet. Id vero clam tentabatur à Carolo V. Imperatore, aureorum vndecim millium largitione in Principes ciuitatum effuſa, qui maieſtatis accuſati, & quæſtione admota confeſſi, decem aureorum millia mulctæ nomine fiſco dependere damnati ſunt: vt quidem ex Commentariis legati Francorum ad Heluetios didicimus. iiſdem Francorum & Heluetiorum fœderibus excepti ſunt Geneuates: qui cum Bernatibus ſocietatem coierunt anno 1526. in annos triginta, deinde fœdera renouarunt anno 1550.

De more comitiorum & creandorum magiſtratuum apud Rhetos & Heluetios montanos, idem Lib. II. Cap. VII.

Reſpublicæ Rhetorum tres populares, curias cogunt ad comitia creandis magiſtratibus ac legibus ferendis, ea tamen ratione, vt maiores curiæ maiorem ferant ſuffragiorum partē. Aliter Heluetii montani, ſcilicet Vrii, Suitenſes, Vnderualdi, Tugii, Glarenſes, Abbaticellani: qui quod maxime omnium populares ſunt, comitia in apertis ac patentibus locis habere ſolēt, ac ſuffragia viritim ferre, qui modo ciues annum decimū quartum attigerunt, veteriq; Athenienſium chirotonia manibus elatis, ſuffragantur; ſed id rariſſime, id eſt, in Ammanno Principe ciuitatis (ſiue Prætore) ac in Senatu legendo, ceteriſq; magiſtratibus mandādis, ſæpius etiā imperia continuantur. Nam Ammannus (qui fere ſemper toto triennio Principatum exercet) ſtans pro concione, veniam à populo precatur, ſi quid in magiſtratu gerendo peccārit: deinde tres ciues deſignat, ex quibus vni populus in annum ſequentem imperium tribuit; deinde legatum ei ſubſtituit, Cancellarium, poſtea Tribunum ærarii. Si quid inopinatū occurrat, comitia extra ordinem coguntur. Hoc autem Rhetorum Reſpublicæ ab Heluetiis differunt, quod hi quaſi manu ſe duci patiuntur, vt qui capita ciuitatis vnius pellexerit, totā ciuitatē in ſuam ſententiam facile pertractum iri confidat: illi vero nec precibus nec illecebris magiſtratuum cōmouentur, niſi quis

curias ſingulas populariter demulceat. Id quidem facile intellectum eſt a Legatis Francorum, qui regem per litteras anno 1565 admonuerunt, Rhetorum Curias à Francorum ſocietate pæne deſciuiſſe, ac iam Hiſpanos plura ſuffragia tuliſſe in Curia Cadorum, ſed paullo poſt detecta fraude, populus duci iuſſit ciues factionis Hiſpanorum, qui quæſtione adhibita peculatus damnati, ducenta ſeſtertia (aureorum decem millia) ærario publico dependerunt, quo facto, legati 27. ab Heluetiis & Rhetis in Galliam renouandæ ſocietatis cauſa venerunt.

Quantum Heluetii inter ſe differant moribus, legibus, religione & ſtatu, idem Lib. V. Cap. I.

Quis neſcit Heluetios ab extremis Gothorum finibus oriundos, moribus, legibus, inſtitutis, religione, ſtatu differre ac diſtare plurimum? nam qui montes inter eos accolunt, vt Rhetorum quoque natio, ceteris habentur ferociores ac bellicoſiores; ſtatu vero magis populari & licentia maiore fruuntur, certe tractabiliores ſunt ac vitæ cultu aliquanto ſplendidiores: ariſtocratiam quoque magis probare, ac licentiam indomitam agreſtium hominum veritati congruentem, arctioribus quibuſdam legibus ac religionum vinculis conſtringere ſolent, &c.

De forma Reipublicæ, magiſtratibus, nobilitate, &c. ex Lib. II. Cap. VII.

Heluetii Montani adeo populares ſunt, Vrii, inquam Suitenſes, Vnderualdi, Tugii, Glarenſes, Abbaticellani, vt non modo penes vniuerſos, modo puberes, ſumma ſit Reip. poteſtas, verum etiam magiſtratus omnes ac maxima quæque imperia ſellulariis & opificibus tribuantur; ac ne mœnibus quidem aut vllis propugnaculis ciuitates muniātur. ceteri minus ſunt populares. Tametſi enim Bernates ac Tigurini ex opificibus pleriſque Senatum conſtituunt, maximos tamen in Republica magiſtratus ex patritiis, aut certe ex iis qui generis antiquitate clariores ſunt, creare ſolent: quo fit vt hi ſtabiliores ſint, ac ſeditionibus quam illi minus opportuni. Rhetorum vero comitia, nimis illa quidem popularia, difficillime reguntur, & commoda vix placantūr. Nam libertatis popularis hæc ſumma eſt, vt omnes omnibus æquari poſſint, nec aliter parere velint quam ea conditione, vt viciſſim imperent iis quibus paruerunt; ac ne ſic quidem in officio contineri poſſunt, niſi valde neceſſaria iuſtaque præcipientibus; aut largitionibus, aut verborū illecebris demulceantur. Quum vero multi multis virtutibus, opibus ac nobilitate excellere nequeant;

queant;fere fit vt nobiles,locupletes,& virtute præſtantes multitudo inuidia quadam & animo maleuolentia ſuffuſo inſectetur: cum ſi quis generoſo ac præſtanti animo plebis intemperanter libertate abutentis,libidini frenos inijcere audeat, hunc mulcta exilio, proſcriptione,morte denique damnare non dubitent,eoque magis ſi locuples ſit ad imperium affectare videatur, ac ſæpe fit vt potenti vnius ſupplicio vel cæde plebs elata in cæteros quoque violenter prorumpat: idque potiſſimum ſi armis tentata res eſt,ac optimates potentia plebis frangantur:vt contigit poſt Sempachianı cladem, qua Heluetiorum qui montes accolunt nobilitas pœne tota occubuit; cæteri ferre liberum exilium quam plebis direptionibus & contumeliis patere maluerunt, nam quod Bernates ac Tigurini nobilium Illuſtrium familias habent,id mirum videri debet nemini, quum ſecuritate maxima, ac fine vi, exhauſti ciuilibus bellis contraxerint cum victoribus ſocietatem, moderatius tamen Heluetii libertate populari, quam olim Græci aut Itali vſi videntur:qui ſæpe nouas tabulas petebant, aut à ditioribus commota fere plebe, in creditores ac locupletes irruebant, ac domos expilabant, eoſque ad agrorum æqualem diuiſionem compellebant,interdicta pecorum & agrorum vltra modum acquiſitione; à quibus Heluetii fere ſemper abhorruerunt. Ac tametſi congiaria Principum & peregrinorum munera in quibuſdam Heluetiorum ciuitatibus, non in ærarium publicum coguntur, ſed plebi diuidantur, vt quo plures quiſque liberos habet,eo plus habeat emolumenti: nihilominus tamen quum Glarenſes à Morleto Regis Francorum legato anno 1550 peterent, vt priuatæ penſiones quas à rege potentiores accipiebant, omnibus ex æquo, vna cum publica penſione diuiderentur; Henricus rex ſeſe facturum negauit, ac potius de ſua munificentia tantundem detracturum teſtatus eſt,quam priuata publicis miſceri pateretur.

De cauſſa defectionis Heluetiorum, idem Lib.V.Cap.V.

Atque hæc (inquit) potiſſima ratio,quamobrem propugnacula ciuitatibus bene conſtitutis pernicioſa debeant videri, vt tyrannidis occaſio Principibus improbis eripiatur,nam propterea populi, *nidos tyrannidis* Arces appellant;tyranni vero, *iuga populorum*. Sic enim Grillerus Heluetiorum Præfectus, Vranam arcem quam ipſe extrui iuſſerat, Zwing Vri, id eſt, Vriorum iugum ac compedes appellabat, inde tyrannidis, inde defectionis quoque Heluetiorum origo,&c.

De cauſſa belli contra Carolum Burgundum ab Heluetiis ſuſcepti & geſti, idem Lib. IV. Cap. I.

Heluetii bellum grauiſſimum aduerſus Carolum Burgundiorum Ducem ſuſcepetunt, quod non aliter quam ipſius Ducis occaſu finem accepit. quum Heluetiis cutrus pellium ablatus eſſet.

INSTRVCTIO N. N. LEGATI AD HELVETIOS MISSI, & de publicis rebus gerendis,

DISCVRSVS IV.

NEGOCIA quæ cum Heluetiis à Legatis tractantur, vt quidem ipſa teſtatur experientia, raro admodum ad finem optatum perducuntur, ob perſonarum, quibus cum vno & eodem momento negocium eſt, numerum & multitudinem, ac proinde ſententiarum diuerſitatem. Cuius rei diuerſæ quoque ſunt cauſæ; vna tamen præcipua eſt, quod priuata vtilitate plerique omnes ducuntur: quamuis primotes ciuitatum, ad continendos quiete populos communem vtilitatem omnibus ſuis actionibus prætexant, ac quidquid faciunt, Reipublicæ ac libertatis cauſa facere videri velint.

Modus cum Heluetiis eiuſmodi negocia tractandi duplex eſt, vnus in publico; alter priuatim & ſecreto. Et quidem vt publica negocia ad felicem exitum perducantur, opus eſt vt in ſingulis ciuitatibus vel pagis aliquot magnæ auctoritatis & vitæ honeſtæ viri de iis quæ in Comitiis eorum proponere nobis decretum eſt, bene ac diligenter erudiantur atque informentur; ac demum eadem vel voce vel ſcriptis ad publicum Conſilium & Senatum referantur: atque ita publicum negocium illorum ſuffragiis adiutum, tanto facilius procedet. Quanquam vero illud ſine donis & muneribus, ac præſertim annuarum penſionum promiſſione obtineri vix poſſit: tamen inprimis neceſſariũ eſt, vt quo maior negotio concilietur auctoritas, & illi tanto liberius loqui & ſuffragari nobis poſſint, vt publicæ quoque penſiones promittantur.

Porro

Porro in hac inclyta natione pagi nonnulli & ciuitates antiquam, alii nouam amplectuntur religionem. Qui nouam profitentur, ſecretas omnes actiones reſpuunt, eoſque quos clanculum eiuſmodi conſilia cum exteris habere deprehenderint, ſeuere caſtigant. Quocirca cauendum eſt ne apud hos vlla clam inſtituatur actio, ſed publice omnia atque in propatulo agantur. At apud eos qui antiquam colunt religionem tam priuatim quam publice citra quam periculum agere licet: ita tamen vt quæcunque tractantur, ad ipſorum Reipublicæ honorem, vtilitatem & antiquam libertatem conſeruandam pertinere videantur. Cauendum quoq; eſt ne nouatum rerum quidquam, vel quod mendacii ſuſpicionem habeat, cuiquam Heluetiorum in ſecreto dicatur. Sic enim eſt eorum comparatum ingenium, vt quos ſemel non optima fide ſecū egiſſe animaduerterint, eis poſtea non facile fidant: quāuis ipſi ſumma cum libertate omnia loquantur & agant. Et in omni negotio ſatius eſt ſobrie omnia, ſincere & breuiter loqui & agere, quam multis verborum aut rerum vti ambagibus.

Apud ciuitates ſingulas ſiue priuatim negotia cum Conſulibus ſiue Burgomagiſtris, Prætoribus ſiue Ammanis, & Scabinis, adeoq; cum Conſilio tum magno tum ſanctiori tractantur. Iidem clam omnia habent pro rei cuiuſque differentia & qualitate. Mandata expoſituris audientiam impetrare neceſſe eſt; ac poſtea reſponſum ſiue ſcripto ſiue voce poſtulare: tum vel Conſiliarios omnes vel præcipuos frequentibus excipere conuiuiis, quippe qui ante omnia honorari velint & munifice tractari.

In publicis Conuentibus negotia cum vniuerſis pagorum legatis tractantur; ſeruata cuiuſq; dignitatis prærogatiua, ſed inprimis eius loci vbi comitia habentur. Iam quidem conuentus. Badenæ (quæ Ergouiæ ciuitas eſt) vniuerſales Heluetiorum conuentus celebrari ſolent: in quibus principem locum tenent Tigurini, quorum legati primi adeundi ſunt: idemq; modus tam in petenda audientia quam poſcendo reſponſo ſeruandus eſt; deinceps vero quæ amplius neceſſaria videntur apud reliquorum pagorum legatos ſunt explicanda. Neq; eſt vt quis exſpectet dum ipſi capita quędam vel ad conſultandum vel ad reſpondendum proponant, etiamſi de ipſorum quoque vtilitatibus agatur. Hunc enim ſemper morem obſeruarunt, & adhuc obſeruant Heluetii, vt mandata expoſituros audiant quidem, ipſi vero ad ea exponenda neminem vltro inuitent; deque his quæ expoſita ſunt, ad ſuarum ciuitatum ſenatum ac populum ſinguli poſtea referant, eorum iudicia requirant, & decreta exſpectent, quæ per vnum aut plures homines idoneos ad conuentus tandem perferuntur.

In comitiis vniuerſalibus multum tribuunt Pontificis, Cæſaris, Romanorum regis (ſi quis eſt) Francorum regis, Legatis ſiue Oratoribus. Et quoniam ſumma omnes Heluetii gaudent libertate, caute cū iis agendum, neq; vlla contra ſentientis animi indicia oſtendēda.

Ad

Ad Heluetios miſſus Legatus ſiue Orator vbi maxime commodum ipſi ad rem quam agere inſtituit promouendam videbitur, domicilium ſibi conſtituet. Quod ſi aliquando ad cæteros quoque pagos eorumque imperia excurrere negotium poſtularit operam idem dabit vt itineri ſuo neceſſariam aliquam & credibilem cauſſam prætendant, ne iniſtris ſuſpicionibus ſe ſuaſque actiones grauet. Et heic inprimis ſedula cautione eſt opus.

Semper vero, omnique loco & tempore præcipua eorum pagorum, qui inter cæteros dignitate & viribus eminent, ratio habenda eſt, etiamſi illi aliis Principibus, atque etiam ipſis aduerſariis, annuarum penſionum largitione ſint obſtricti. Plerumque enim illa lanx in quam maius imponitur emolumentum, præponderare ſolet. Badenæ quidem vbi conuentus annui habentur, Prætoris prouincialis, (**Landtvogt** ipſi appellant) & qui vicariam ipſi præſtant operam, ac denique eius qui vniuerſis pagis in conuentu illo à ſecretis eſt, gratia ſollicite captanda eſt, quum tres hi publicis omnibus deliberationibus interſint, & apud omnes ac ſingulos multum poſſint. Imprimis autem neque vllam religionis faciet mentionem Legatus, neque opinionibus ipſorum aperte contraibit atque aduerſabitur; ſed potius veluti curſum flectendo, eos ſibi adiungere ſtudebit, &c.

DE VARIIS REBVSPVBLICIS ET PROVINCIIS in Belgio,

DISCVRSVS V.

Fines.

BELGIVM ſiue Inferiorem Germaniam vniuerſam hodie Itali & Hiſpani *Flandriæ* nomine appellant. Fines vero Belgii nunc proprie dicti ſunt ab Aquilone Oceanus, ab Auſtro Lotharingi, Veromandui, Picardi; ab Ortu Amiſius fluuius, Veſtphalia cum parte Rheni ſuperiore. Vicinos autem hos habet Principes, Comitem Friſiæ Orientalis, Epiſcopum Monaſterienſem, Archiepiſcopum Colonienſem, Ducem Cliuenſem & Iuliacenſem, Regem Galliæ. Hodie in ſeptemdecim Prouincias diuiditur, quas Carolus V. Imperator omnes poſſedit: ac præterea inſertos quaſi habet Epiſcopatum Leodienſem, Ducatum Iuliacenſem, cum Cliuenſi; quæ regiones omnes

Belgii

Belgii olim dicti & Germaniæ inferiotis vix dimidia pars ſunt. Sunt autem in prouinciis hiſce Ducatus quatuor, *Brabantia*, *Limburgi*, *Luxemburgi & Geldria*. Comitatus ſeptem. *Flandria*, *Arteſia*, *Hannonia*, *Hollandia*, *Selandia*, *Namurci*, & *Zutphania* Marchionatus *Sacri Imperij*. Dominia quinque, *Friſia occidentalis*, *Mechlinia*, *Vltraiecti*, *Trans Iſalana* & *Groninga*, Regiones omnes cultiſſimæ, vt in quibus, teſte Ludouico Guicciardino, numerentur vrbes foſſis & vallo munitæ ducentæ viginti octo: Pagi autem ſex mille trecenti atque amplius, præter arces, monaſteria, villas, aliaque ædificia ſingularia, quorum numerus pæne eſt infinitus. Quomodo vero hæ omnes Prouinciæ coniunctæ ſint, inque vnum corpus coaluerint, quomodo item ad Carolum V. & filium eius Philippum deuolutæ ſint, operæpretium eſt cognoſcere. Ludouicus Malanus (*de Male*) Comes & Dom. Flandriæ, Niuerniæ, Raſtellæ, Salinarum, Antuerpiæ & Mechliniæ; poſt matris vero obitum Comes quoque Burgundiæ & Arteſiæ, vxorem duxit Margaritam, filiam Ioannis Ducis Brabantiæ, quo coniugio dux etiam Brabantiæ, Limburgi, & Lotharingæ factus eſt. Ex hac vnicam filiam genuit, matri cognominem Margaritam, ditionum patriarum heredem: quæ anno 1469 Gandaui nupſit Philippo Valeſio, Duci Burgundiæ, cui ob virtutem ſingularem cognomentum fuit *Audacis* vixit is annos 70. Obiit Hallæ iuxta Bruxellam, anno Chriſti MCCCCIV. Liberos reliquit Ioannem, Antonium Philippum Valeſios, Catharinam, Mariam, & Margaritam. Hi omnes coniugio res patrias auxerunt. Catharina Lupoldo Duci Auſtriæ nupſit; Maria Amedeo Duci Sabaudiæ; Margarita Comiti Hollandiæ & Hannoniæ. Antonius Valeſius à patre conſtitutus Dux Britanniæ, Lotharingiæ & Limburgi, vxorem duxit Eliſabetham Duciſſam Luxemburgii; ex qua filios ſuſcepit Ioannem, maritum Iacobæ Comitiſſæ Hollandiæ, & Philippum ambos Britanniæ Duces. Antonius cum fratre natu minimo Philippo Valeſio in bello Gallico ad Terouanam anno MCCCCXV. filii Antonii ſine liberis poſtea defuncti, patruum Ioannem Valeſium heredem reliquerunt. Ioannes igitur Valeſius qui *intrepidus* dictus eſt, quum eſſet è fratribus natu minimus, anno 1404 patri ſucceſſit, auctuſque fratrum ac nepotum obitu multis & amplis ditionibus, miſere & præter fas cæſus eſt, anno 1419 à Carolo Duce Aurelianenſi. Liberos reliquit, Philippum, Margaritam, Iſabellam & Catharinam. Philippus cognomento *Bonus* vel *Pius*, 22 ætatis anno patri ſucceſſit in Ducatu Burgundiæ, Comitatu Flandriæ, Burgundiæ, Arteſiæ, Marchionatu Imperii, Salinarum & Mechliniæ. Hic Atrebati cum Duce Aurelianenſi Caroli filio pacem contraxit, eumque è carcere in quo annos iam XXV. ab Anglis detentus fuerat, liberauit, ſoluto inſuper precio redemptionis, & ſorore Maria in vxorem ipſi data. Hic obitu Theodorici Comitis Namurenſis, factus eſt eius Comitatus heres; obitu

17. Prouinciæ.

Belgicæ prouinciæ quomodo ad Auſtriacam familiam ſint deuolutæ.

Philippi, auctus eſt Ducatibus Brabantiæ, Lotharingiæ & Limburgi, obitu Iacobæ, Comitibus Hannoniæ, Hollandiæ, Selandiæ & Friſiæ. Ducatus quoque Luxemburgicus ei acceſſit ab Eliſabetha, Antonii patrui ſui vidua. Ita factum eſt vt vnius Philippi Boni imperio ſubiectæ fuerint ampliſſimæ opulentiſſimæque prouinciæ, Burgundiæ vtriuſque, Brabantiæ, Limburgi, Flandriæ, Arteſiæ, Hannoniæ, Hollandiæ, Selandiæ, Numurci, Friſiæ, Mechliniæ, & Marchionatus Imperii. Vxorem is habuit Iſabellam Portugalliæ regis filiam. Vixit annos 72. obiit anno MCCCC, vno filio tot prouinciarum herede relicto, Carolo *Audace*, qui non tantum patrium imperium conſeruauit, verum etiam auxit, adiecta Geldria, Surphania, & Ducatu Iuliacenſi. Hic ad Nanceium in Lotharingia ab Heluetiis cæſus eſt: cuius Hiſtoriæ, ſupra quoque delibatæ, hæc eſt ſumma. Anno 1374. ortum eſt bellum in Carolum Audacem Burgundiæ Ducem & Heluetios, partim quod hi in Petri ab Hagenbach mortem conſenſiſſent; partim quod iiſdem Sigiſmundus Imperator vſus eſſet in recuperandis Alſatiæ & Sungouiæ prouinciis, quas Carolus tenere nitebatur. Quum igitur ſuſcepta expeditione in Heluetios iter faceret per Lotharingiam, Nanceium oppugnauit & cepit: inde per ſuperiorem Burgundiam in Sabaudiam venit: occupauit ibi prope Granſen duas arces, Germanoſque omnes præſidiarios (erant autem quingenti) ex arboribus ſuſpendi iuſſit. Heluetii res ſuas repetentes commiſſo prœlio Burgundos vincunt, Carolumque caſtris pellunt. Præda fuit trigeſies centum millium coronatorum. Carolus reſtaurato exercitu inſtituit Murſam obſidere, oppidum ditionis Bernatium. Heluetii adiuncto ſibi Renato Lotharingæ Duce, cui Nanceium ereptum fuerat à Burgundo, Carolum vincunt fugantque. Occubuerant eo prœlio ex Caroli exercitu 17. hominum millia. Tertio igitur belli aleam tentaturus, Nanceium, quod interea Renatus Lotharingiæ Dux recuperauerat, media hieme obſedit. Sed Renatus ciuibus ſuis opem laturus cum Heluetiis, Gallis, Germaniſque, impetu in Carolum facto, Burgundos pepulit. Fugientes partim occiſi, partim capti, partim aquis abſorpti ſunt. Nox prœlium diremit. Ipſe Carolus quum fuga ſalutem quæreret, lapſus ex equo, tribus vulneribus eſt interfectus, nõ ſine graui ſuſpitione proditionis ab Italo quodam Comite Compobaſſo inſtitutæ. Cadauer niuibus tectum deſideratum aliquamdiu fuit, ſparſi etiam rumores varii, aliis eum captum abductumque ad Galliæ regem contendentibus; aliis fuga elapſum, & in aliquo Germaniæ monaſterio latitantem. Inuentus etiam Spiræ quidam Bruxellenſis (oppidum eſt Spirenſis diœceſeos, vulgo **Bruſelam Bruxein**) qui vultu & reliquo corporis filo quia Carolum referret ipſe Carolus eſſe vulgo iudicabatur, quantumuis ipſe reclamaret: nec ante finis fuit quam ſolutis niuibus, Caroli cadauer, morte, vulneribus, frigore immutatum, difficulterque agnitum,

De Caroli Audacis Burgundi morte hiſtoria.

Nanceium

Nanceium delatum fuit Hic finis Caroli fatorum: hic exitus illum forte tulit. Eius ipſa condita Nanceii in æde D. Gregorii, translata ſunt Brugas anno 1550. à Maria Hungariæ & Bohemiæ regina, Belgii Gubernatrice. Atque hic eſt Carolus ille Caroli V. abauus, nati anno 1500. ex Ioanna Ferdinandi Aragonum regis filia, Philippi Auſtriaci vxore: qui Philippus filius fuit Maximil. Auſtriaci, ex Matre Maria, vnica Caroli Audacis ad Nanceium ceſi, filia & herede. Sub his Prouinciæ quæ antea plures Dom. habuerant, coniunctæ in vnum quaſi corpus coaluerunt, atque hodie communi Belgicæ vel inferioris Germaniæ nomine cenſentur. Aer in his regionibus humidior eſt, ſed tamen qui incolarum ſanitati conducat: æſtates iucundæ, peramœnæ, & temperato calore tolerabiles, non feruent æſtu, non abundant muſcarum culicumque examinibus, non tonitru quatiuntur; terræmotus vero rariſſimi. Hiemes longæ ventoſæ. Spirante Aquilone vel Euro ſubitum excitatur & arctum gelu; Auſtro vero & Zephyro tepeſcit aer, friguſque in pluuias conuertitur. Ager planus eſt, paucis collibus adſurgens; exceptis regionibus Luxemburgi, Namurci, & parte quadam Hannoniæ multis etiam locis ſabuloſus eſt, præſertim qua Flandriæ, Selandiæ, Hollandiæ litora Oceano pulſantur, hic enim aduerſus fluctuum impetum natura colles ſabuloſas inſtar obicum prætendit; mirabili & numquam ſatis prædicanda prouidentia. Solum ipſum pingue eſt & fertile, ſed alibi pinguius, alibi ſterilius. Gignit frumentum, hordeum, ſiliginem, linum, canabin, pyra, mala, nuces, auellanas, ceraſa, pruna: quæ tamen aliunde quoque maxime in Holandiam, magna copia importantur. Arborea materies ad cotidianos vſus ſtructuraſque ædificiorum aliquibus prouinciis non deeſt: Hollandi tamen ligna fere omnia extruendis nauibus, è Noruegia aliiſque regionibus Septemtrionalibus petunt. Vites paucæ, niſi forte Louanii, & in tractu Luxemburgico, è quibus vinum premitur non inſipidum: reliquis locis vuas habent menſis ſecundis quam vino aptiores. Boues, Equi, Oues, pecora, armentaq; nuſquam terrarũ felicius naſcuntur aut aluntur. Equi inprimis grandes, robuſti, bello apti. Boues opimi, præſertim in Hollandia & Friſia, quibus vnus bos pondere ſæpiſſime mille & ducentas libras excedit. Ludouicus Guicciardinus, qui Belgicam accuratiſſime veriſſimeque deſcripſit, refert Comiti Hochſtratano Mechliniæ bouem dono datum, cuius pondus fuerit bis mille quingentarum viginti octo librarum, quem is propterea in palatio ſuo depingi curauit. Ouium lanæ nullo duriores ſunt Hiſpanicis & Anglicis; quod ex pratorum paſcuorumque humiditate fieri exiſtimant. Rubia tinctorum abunde hic colligitur, & per omnes Europæ oras magno cum lucro diſtrahitur. Fodinæ metallicæ magni momenti nullæ. Fontes rari, & non niſi montoſis in locis. Lacus, Stagna, paludes non tantum ad aquarum

vſum

vſum, ſed ad piſcium quoque capturas valde frequentes. Flumina hic perpauca oriuntur; ſed alibi orta, maxima & plurima his locis vel in Oceanum ſeſe exonerant, vel in aliud flumen maius, Præcipua ſunt, *Rhenus*, *Moſa*, *Scaldis*, *Amiſius*. Minora *Moſella*, *Liſa*, *Aa*. *Sambra*. *Dila*, *Dieſa*, *Vidrus* (Vechta vulgo) *Scarpa*, & alia permulta. Habent prætetea regiones quædam ſyluas & nemora. Arduenam ſyluam hic ſtatuit Cæſar, quam idem tradidit à Rheno fluuio per fines Treuirorum ad Neruios & initium Rhemorum pertinere, & millibus paſſuum amplius quingentis patere in longitudinem, attingere Menapios, Eburones, Aduaticos, vſque ad Scaldim, at noſtro tempore multo eſt minor, neque 100 milliaria exuperat. Mare vero toti Belgicæ non tantum nauigationes commodas præſtat, ſed etiam piſces, qui & huic regioni ſufficiunt, & ad vicinos quoque exportantur. Incolæ ſunt formoſi, quieti, parum cholerici, parum ambitioſi, parum ſuperbi, non admodum rebus Venereis dediti, ciuiles, aperti, comes, blandi, ad omnia prompti, ſalſi, & interdum dicaces, laborioſi, induſtrii, fideles, grati in bene meritos, artium omnium ſcientiarumque capaces, libertatis & auitorum priuilegiorum etiam ad mortem vſque tenaces & ſtudioſi. Mulieres formoſi, pudicæ, ſobriæ, rei familiaris ſtudioſiſſimæ, adeo vt ad mercaturam domi exerceant, & interdum ad vicina oppida & regiones commeent, ſine vlla vel leuiſſima criminis alicuius, impudicitiæ maxime, ſuſpitione. Bello autem iam olim nobiles. Cæſar Lib. I Commentariorum, omnium Gallorum eos vocat fortiſſimos. Secundo libros ſolos eſſe ait, qui patrum memoria, omni Gallia vexata Teutones Cimbroſque intra fines ſuos ingredi prohibuiſſent; eaque re factum, vti rerum iſtarum memoria magnam ſibi auctoritatem magnoſque ſpiritus in re militari ſumerent. Experti id noſtro ſæculo tot peregrini exercitus, qui tanquam veteram cum tironibus congreſſi, in ciuibus; ruſticis, nautis ferociam & vim veteranorum deprehenderunt. In primis vero dediti ſunt artibus mechanicis, non ſordidis quidem & vilibus, ſed nobilioribus, panni contexendi, lanificia tractandi, aulæa & tapetia conficiendi; quæ non tantum ipſius regionis vſibus inſeruiant, ſed etiam vlterius in Galliam, Hiſpaniam, Germaniam, reliquamque Europam, atque adeo in Africam & Aſiam deportentur. Æſtus maris, (quo mare motu in ſe replicato accreſcit decreſcitque) varius ac diuerſus eſt, pleriſque tamen in locis ſenis horis intumeſcit Oceanus, ſenis detumeſcit. Tam vehemens vero æſtus eſt, vt Caleti & in Flandriæ ac Selandiæ littoribus ad duodeuiginti pedes aſſurgat; ac multo altius vbi fretum eſt anguſtius, vt Briſtollæ in Cornuallia Angliæ prouincia, vbi ſexaginta, in Britannia vero circa Senamalum & Sanmichaelem nonaginta pedes mare intumeſcit. Neque vero ſemper eadem ſunt momenta fluxus & refluxus. Singulis enim diebus vna fere hora tardius mare accreſcit, quod ipſum argumentum eſt, flu-

ſlua.

Incolæ & orũ mores.

Æſtus maris.

xus

xus cauſſam eſſe Lunam, quæ pro diuerſis ad Solem adſpectibus maiores minoresve æſtus ciet; ita vt in ſingulis Nouiluniis binæ quadraturæ tumorem Oceano, & rurſus aliæ binæ detrimentum afferant.

Reditus ex Piſcatione.

Præter ingentes qui è terra acquiruntur reditus, piſcationis in quibuſdam Belgicæ prouinciis, ſed imprimis in Hollandia, ſunt quæſtuoſiſſimæ: ac primo halecum, quos *Haringos* vocant. Hi poſtquam ex Arctoi maris latebris diſceſſerunt (quod præcipitante iam vere ſolet fieri) velut commutatis ſedibus in æſtiua contendunt palabundi, tanta interdum multitudine, vt oppoſitis retibus ſiſti eorum nequeat impetus. Tum vero claſſes variæ partitæ inter ſe certas ac definitas ſtationes ſub Britannia, Scotiæ ora & Orcadibus, ſingulæ pro viribus iſti piſcium generi inſidiantur, nauigiis in eum vſum extructis, aluo panda, obtuſa prora, quæ *Buſas* appellant, captas partim ſale & muria cōdiunt, partim domum delatas fumo durant. Aiunt ex vna hac piſcatione quotannis vnum Millionem & quater centena ac ſeptuaginta circiter aureorum millia confici. Magnus quoque fit quæſtus, dimidii ſcilicet Millionis, ex Aſellorum piſcatura, *Cavelian & Lapperdan* vocant: nec minor ex Salmonū captura. Ad conditurā hanc Piſcium ingens Salis vis abſumitur, quem atrū & ſordidum è Gallia, Hiſpania, Luſitania allatū, ſingulari artificio excoquunt magnis atq; amplis lebetibus, redduntq; ita purum & cādidum, vt cum niue etiam certare poſſit. Rudi Hiſpanico vel Armorico adfundunt aquam, decoquunt, colliguntque ex centum libris ſalis Hiſpanici, centum quadraginta quinque libras puriores: eaq; ars iam quadringentis circiter annis in Selandia maxime ſummo cum incolarum emolumento & vicinorum etiam commodo fuit vſurpata. Hunc Salem per Galliam, Angliam, Daniam, Germaniam & reliquam Europam diuendunt.

De Sale cōficiendo.

Regiminis forma.

Forma regiminis apud Belgas pro regionum diuerſitate varia quoque eſt & diuerſa. In vniuerſum quidem omnibus Princeps imperat; at ſinguli cuiuſque prouinciæ Status ſuis priuilegiis, iure & libertate vtuntur, & ſecundum ea Rempublicam adminiſtrant. Princeps Gubernatorem omnium prouinciarum conſtituere ſolet; cui Burgundiæ quoque Comitatus paret. Ei tria conſilia ſunt adiuncta. Primum *Conſilium Status* dicitur, ſecundum *Priuatum*, tertium *Finantiarum* ſiue Ærarii. Conſilium Status Præſidem vnum habet, & Conſiliariorum numerum indeterminatum: inque id, prout viſum Principi fuerit, vel plures vel pauciores leguntur. In hoc res omnes ad Statum ſiue Summam Reipublicæ pertinentes tractantur, ſcilicet de bello & pace, de Legatis vel alio mittendis vel audiendis, de Fœderibus & amicitia vicinorum atq; exterorum Principū: & ad hoc à cæteris Cōſiliis res

Conſilium Status.

Conſilium Priuatum.

omnes grauiores referuntur. In Conſilio priuato duodecim fere ſunt Iuriſconſulti & doctrina atque experientia præſtantes viri, ad hoc munus ab ipſo Principe & Gubernatore delecti. Eis quoque vnus Præſidis nomine præeſt. In hoc Conſilio res ad Iuriſdictionem ſpectantes diſcutiuntur; agiturque de priuilegiis, gratiis & remiſſionibus, legibus, ſtatutis, Edictis, regionum finibus, controuerſiis, &c. ac ſi grauior quæpiam cauſſa occurrat, eam, cum Conſilio Status communicant; & viciſſim Status etiam Conſiliarii res ad Iuriſdictionem & Iuſtitiam pertinentes ad Priuatum hoc Conſilium referre ſolent. In Conſilio Finantiarum tres ſunt è Belgicis Primatibus, vnus Theſaurarius, vnus Receptor, vt vocant, & alii quibus pars aliqua publici ærarii commiſſa eſt. Conſilium hoc Principis patrimonium & ſubſidia moderatur, & vtraſque tabulas tam accepti quam expenſi in bello ac pace ſeruat, ac rei numariæ curam habet. Eſt præterea Camera rationum (Rechenkammer vulgo) huius Finantiarum Conſilii quaſi membrum; in qua ſeptem ſunt Rationum magiſtri, cum aliquot miniſtris, ſiue minoribus Officiariis: coram quibus omnes qui nummos Principis in Brabantia & adhærentibus regionibus Ducatuque Luxemburgenſi tractant, rationes reddunt, & accepti lationes recipiunt. Licet vero aliæ etiam præter illas, quæ Bruxellis vna cum tribus Conſiliis reſident, ſint Cameræ; omnes tamen Finantiarum Conſilio tanquam capiti ſubſunt.

Finantiarũ Conſilium.

Camera Rationum.

Gubernatores particulares.

Præter iam dictos Magiſtratus & Conſilia vtplurimum ſingulis prouinciis Gubernator particularis præeſt, quem tanquam Principis vel generalis Gubernatoris vicarium, de ſumma rei, ac potiſſimum de iis quæ ad bellum pertinent, refertur.

Curiæ ſiue Tribunalia.

Habet inſuper Princeps in ſingulis fere regionibus aliud quoque publicum conſilium, vt Mechliniæ in Brabantia, quod Cancellaria, & alibi aliter appellatur. In hoc 12. interdum, interdum 16. nonnunquam etiam 18. ſunt Conſiliarii, cum vno preſide, quibus annumerantur quoque Principis Aduocatus, Procurator, Fiſcalis, & alii magiſtratus minores a Gubernatore generali conſtituti; quorum omnium tam in cauſſis ciuilibus quam criminalibus magna eſt poteſtas atque auctoritas, ad hoc enim Conſilium non priuati tantum omnes, & Officiarii, ſed ipſe quoque Rex, ſi ei cum ſubdito aliqua in cauſſis Iuſtitiæ ſit controuerſia, vocari & citari poſſunt, ſententiamque accipere coguntur. Ad idem à cæteris Curiis prouocationes fiunt; alibi vero vt Mechliniæ in Brabantia, in Hannonia, Geldria & Friſia, ſententiæ diffinitiuæ ſine prouocatione feruntur.

In omnibus his Curiis ſiue Magiſtratibus ius obtinet Cõmune, niſi municipale, aut Priuilegia, aut Edicta Principis ei aduerſentur.

Præter

Præter dictos illos magiſtratus quotannis à Gubernatore generali Commiſſarii quidam mittuntur, qui rationes omnes tam accepti quam expenſi diligenter inſpiciant, omniaque minutatim excutiant. In Brabantia quoque iidem ex Pontificis conceſſione atque auctoritate monaſteria atque Hoſpitalia viſitandi ius habent.

Quoties Princeps cum Statibus vel de nouis ferendis legibus, vel de ſubditis contribuendis, vel quacunque alia de re grauiori tractare vult in iis congregandis hac vtitur ratione. Per ſingulas Prouincias litteras circummittit, ac ſtatibus certum locum ac tempus conſtituit, vbi cum plenis Prouinciæ quiſque ſuæ mandatis compareant: & plerumq; eiuſmodi Conuentus Bruxellis in Brabantia habentur. In omnibus vero Prouinciis, Comitatibus & oppidis ſcitur, quot & quinam in comitiis ſuffragiorum ius habeant: quorum numerus ſane magnus eſt. Horum tres ſunt Ordines. Primus Eccleſiaſticorum, ſecundus Nobilitatis, tertius Ciuium ſiue oppidanorum. Deputatis facultas eſt Communitates ſuas obligandi, non tamen quidquã ſtatuendi, niſi ſub expreſſa hac conditione ſi omnibus Statibus ita videatur, omnesque ex more ad comitia vocentur. Deputatis, Gubernatore præſente, vel Præſes vel Conſiliariorum aliquis rem de qua tractatur, exponit, blandiſſimis verbis ſimulq; validis rationibus ad perſuadendum vtens. Audita propoſitione, ſtatus tẽpus deliberandi ſumunt: ſinguli deinde mature omnia expendunt, ac ſcripto tandem reſpondent. Id reſponſum ſi Principi non placuerit, negocium retractatur, Gubernatore interim ſummam adhibente diligentiam, vt Status in id quod Princeps rogauerit, conſentiant. Quibus quidquam concedere recuſantibus, patienter ferendum, ac totum negocium in aliud commodius tempus differendum eſt. *Modus comitiorum.*

Quamuis autẽ totius imperii ſumma ac Maieſtas penes Principem ſit; ſingulæ tamen regiones & ciuitates ſuas leges, ritus & particularia habent priuilegia, eisque in adminiſtranda Republica vtuntur, magna cum libertate. Ritus hi, leges & Priuilegia valde inter ſe differunt, quum olim Belgicæ Prouinciæ non ſolum diuerſos habuerint Principes, ſed inter ſe etiam diu crudeliſſima bella geſſerint. Menſurarum quoque, ponderum & morum diſcrepans eſt ratio, ac diuerſæ quoque linguæ, ac ingenia tã varia, vt quum Imperator Carolus V. ſæpius de Prouinciis omnibus in vnam Regni formam redigendis conſultationem ſuſcepiſſet, nullum vnquam huius ſui Conſilii inuenire potuerit exitum. Omnes nihilominus iis in rebus conueniunt, quibus Status aut Reſpubl. formatur aut firmatur; & particularis ſingulorum membrorum adminiſtratio in nullo fere alio differt, niſi

Forma regiminis ciuitatum.

eorum qui publicas res tractant numero. Nobiliorum ciuitatum adminiſtratio quatuor velut membris conſtat. Primum eſt Noui Senatus, quo omnes magiſtratus tam maiores quã minores cõprehenduntur. Secundum eſt Senatus Veteris, in quo ii ſunt qui magiſtratu aut dignitate aliqua perfuncti ſunt. Tertium eſt Ciuium, quorum veluti duces ſunt Vicorum magiſtri: quorũ idem fere munus eſt ac Romæ eorum qui *Caporoni* dicũtur; & alibi plures ſunt alibi pauciores, pro loci ſcilicet ac Ciuitatis cuiuſq; magnitudine. Antuerpiæ eiuſmodi Vicorum magiſtri viginti ſex ſunt. Quartum membrum opificiorum magiſtros ſiue Decanos (ſic enim appellant) cõplectitur, pro loci itidem qualitate numero differentes. Antuerpiæ Decani eiuſmodi ſunt LIV. Ex omnibus his membris particularis cuiuſque ciuitatis gubernatio conſtituitur. Exemplo ſit Antuerpia: à quo cæterarum vrbium adminiſtrationes parum differunt, excepto Senatorum & magiſtratuum numero, qui, vti diximus pro locorum diuerſitate varius quoque eſt & diuerſus. Modus vero eligendorum magiſtratuum in modo dicta vrbe talis eſt. Præſens magiſtratus è nobilibus familiis nouem deſignat; ac totidem Vicorum magiſtri. Octodecim his è præſenti magiſtratu alteri adiunguntur XVIII. ita vt in vniuerſum candidati fiant XXXVI. Horum nomina ad Principem aut Gubernatorem generalem mittuntur; æque his XVIII. eliguntur quos antiqua Gallica voce Scabinos appellant. his ius eſt duos eligendi Conſules ſiue Burgomagiſtros, quorum vnus plerumq; Ciuitatis negotia apud Principem & cæteros Prouinciæ Ordines tractat; alter domi tam ciuium quam exterorũ cauſas cognoſcit. Sic ergo Vrbis Antuerpienſis magiſtratus ex Scabinis, duodeuiginti & duobus Conſulibus conſtituitur. Et Conſulis quidem Vrbani magna eſt auctoritas tam in cauſſis ciuilibus quam criminalibus: ſed Iuſtitiæ exequendæ duo Principis Vicarii poteſtatem habent; quorum ille qui ciuilibus cauſis præeſt, *Ammannus*; qui criminalibus, *Scultetus* vocatur. Munera hæc à Principe conferuntur, nec temporanea ſunt, ſed ad vitam perpetua. Sculteti officium eſt delinquentes apprehendere, Iuſtitiam à ſupremo magiſtratu petere, & ſententias exſequutioni demandare. Amannus pro tribunali in cauſis ciuilibus ius dicit. Senatus inſuper ſiue Vrbanus magiſtratus, non etiam interueniente auctoritate Principis, minores conſtituit magiſtratus. Inter alios duo Ærarii Tribuni è Nobilium ſiue Patriciorum ordine à plebe; & viciſſim Receptor vnus è plebe a Nobilibus deſignatur: à quibus nummi omnes ſupremi magiſtratus iuſſu recipiuntur atque erogantur. Ex eodem magiſtratu Conſiliarii è plebe creãtur, qui nautarum, hortulanorum, fabrorũ, &c. ſunt Decani. Mechliniæ magiſtratus Vrbicus æquali portione eſt diuiſus. E

Antuerpiẽſis vrbis adminiſtratio Politica.

duodecim enim Senatoribus ſex ſunt Nobiles, ſex plebeii, Opificiorum ſcilicet Decani ſiue tribuni, vt Piſcatorum, piſtorum, hortulanorum, Coctorum cereuiſiæ, &c. Conſiliarii hi plebeii non modo in Senatum veniendi ac ſententiæ dicendæ ius habẽt, verum etiam tumultuoſe plerumque & cum ſtrepitu negotia tractant, præſertim ſi de contribuenda pecunia agatur, quam plebs ægre fert in Nobilium manus venire. Quin etiam tanta eſt illorũ inſolentia, inconſtantia, & perpetua aduerſum nobiles æmulatio atque inuidia; vti etiam ſine vllo ſupremi magiſtratus reſpectu ipſorum ſæpe Principum voluntati & decretis reclament atque aduerſentur. Hinc factum eſt vt è 35. à Ludouico Harlembequio primo Flandriæ Comite ad Philippum regem Catholicum vix tres fuerint, qui non ſeditione aliqua ſiue populi rebellione fuerint exagitati. Harum ciuitatum quædam magnos habent reditus. Sola Antuerpia ad ducenta & quinquaginta ſcutatorum millia quotannis è publicis reditibus percipere dicitur: ſed tam hæc quam ceteræ vrbes durante hoc bello graui ære alieno obſtrictæ ſunt: nec ſpes eſt eas tam cito exoneratum atque liberatum iri, decreſcente quotidie mercaturæ & opificiorum tractatione, in quibus duabus rebus Flandriæ ac totius Belgii opes conſiſtunt. Damnum quidem quod Antuerpia ex mercaturæ detrimento accepit, vix ęſtimari poteſt. Guicciardinus eam iniuit rationem, vt demonſtrarit commercia Antuerpiæ excedere duodecim milliones coronatorum: cuius calculus rebus Antuerpianis florentibus non modo non ſuperauit, ac ne ęquauit quidem iuſtam ęſtimationem. At hæc fuere, nunc enim Mars Mercurium pepulit, atque alio, maxime vero Middelburgum in Selandiam, Amſtelredamum atque Roderodamum in Hollandiam abduxit.

Nobilitatis imperium.

Baronum & Nobilium qui oppida & Arces in Belgio tenent, poteſtas ac Iuriſdictio anguſtis admodum terminis eſt circumſcripta. neque enim ſubditis ſuis & clientibus fiduciariis tributum vel imperare vel etiam vltro oblatum accipere poſſunt, niſi de Principis conſenſu: ſed relictis populo ſuis priuilegiis, immunitatibus & libertatibus, titulis tantum & bonorum patrimonialium prouentu ſumma cum modeſtia gaudent & fruuntur. Sunt tamen inter Principes & Nobiles, qui particulares quaſdã tam Iuriſdictiones quam ditiones poſſident, tam abſoluti imperii vt neminem ſuperiorem niſi Deum ipſum agnoſcant.

Status Eccleſiaſtici opes & dignitas.

Status Eccleſiaſticus in omnibus Belgii regionibus potens admodum eſt, atque opulentiſſimus: adeo quidem vt Carolus V. Imperator legem ferre neceſſe habuerit, qua cauetur ne quis Ordinis Eccleſiaſtici res ſoli ſiue bona immobilia quocumq; titulo comparare ſibi poſſit, niſi permiſſu & aſſenſu Principis. In extraordinariis quæ Principi dantur ſubſidiis, idem Ordo par-

tem ſuam confert ſeparatim. Eidem Principi eædem fere intercedunt, quoad Eccleſiaſticam Iuriſdictionem, cum Pontifice conuentiones, quæ Franciæ Regibus. Principis enim eſt Nominare ſiue Deſignare Prælatos, Pontificis Confirmare: neque vllum Reſcriptum ſine Principis conſenſu exſequutioni demandari; neque ſubditi vlla ex cauſſa ad aliud tribunal extra patriam citari aut vocari poſſunt; ſed omnes cauſſæ quæcumque illæ ſint, coram Ordinariis cuiuſque loci aut regionis magiſtratibus ſiue Commiſſariis ventilari ac diſceptari debent. Titulus extraordinarius quo Ordinis huius caput ſiue Princeps vtitur, eſt vt ſe inſcribat *Canonicum S. Seruatii*, & *Abbatem S. Gertrudis* (quod eſt celeberrimum ac ditiſſimum Monaſterium) *Vicariumque Imperii* ad Dietmarſos vſque in Daniæ finibus, per vniuerſam Friſiam: quem titulum ſiue dignitatem Maximilianus I. Cæſar pro ſe ſuiſque ſucceſſoribus ab Imperatore & patre ſuo Friderico obtinuit. Sed de Politia Belgica deque harum ſeptemdecim Prouinciarum adminiſtratione qui plura ſcire volet, adeat Franciſcum Guicciardinum, cuius de hac re præclarus exſtat in Belgicæ deſcriptione Commentariolus.

Militia.

In his regionibus Princeps alios milites alere non ſolebat olim, quam qui in finibus per præſidia erant diſpoſiti. Carolus V. Imp. tria circiter equitum millia magna ex parte leuiter armatorum è regionum incolis conſcripſit, eamque militiam perpetuã & ad omnes caſus ſubditos paratam eſſe iuſſit, Præfecturis inter Nobiles & Barones cuiuſque Prouinciæ diſtributis. vulgo vocant **die Bende von Ordinantien** / id eſt Turmas Ordinarias.

Reditus.

Reditus quos Princeps ex hiſce capit Prouinciis quotannis tres circiter Auri milliones conficiunt, non additis extraordinariis ſubſidiis, & confiſcationibus. Et harum quidem tertia tantum pars ad Principem redit, niſi in cauſis læſæ Maieſtatis, &c.

AN BELLVM VEL PAX AVT POTIVS INDVCIÆ REGI Hiſpaniarum expediant cum Gallo, Angla, Patauo,

DISCVRSVS VI.

VT literas tuas manu mea poſui. calamum in eam inſerui ad reſpondendum. An non lubens & ſubito facerem, quod amicus volebat? vir è Principibus petebat; patriæ vtilitatem tangeret? Ego vero lubens atque etiam calide; etſi hæc aura à tenui præſertim meo corpore calorem omnem arcet. Sed animus erectus & alacer is eſt, qui hæc & alia vincit. De re igitur. Audi. Deliberatur, bellum an pax cum hoſte placeat, & dicam diſtincte ſententiam meam. Hoſtis nobis triplex, vt nunc eſt ſtatus rerum; Gallus, Angla, Batauus. Duo illi externi; hic tertius internus, & rebellis potius quam hoſtis. Si igitur de prioribus quæritur, à Regis hoc conſiliis totum & opibus pendet, bellum an pacem cum iis velit; & vtrum pro re conducat. Si metus ab illo barbaro & communi hoſte Auſtriacis non eſſet, ego putarem Regem tractu omnes iſtos poſſe frangere, ſi tantum bellum ex fide & diſciplina aliqua geratur. Fidem dico in pecuniarum adminiſtratione & munerum; vt illa non diſſipetur, vt hæc idoneis & dignis dentur. Nam de fide in ipſum Regē, vix puto ambigendum aut quærendum. Addidi diſciplinam, quoniā reuera ſine ea (fiant & dicantur omnia) bellum nullum feliciter ſatis & fortiter geretur. O militem bonum ad manum, & minores duces! ſed opus eſt iſto legum & ſeueritatis quodam vinculo, quę conſtringat, & vires & viros iſtos vtiles Reipublicæ reddat; diffluunt alioquin per laſciuiam, per libidinem, per ferociam; nec aliud in iſta militari turba, quam rapinæ aut ſeditiones. Tu & prudentes noſtis, me vera dicere; & fons malorum noſtrorum eſt iſte, Si hoſtis progreſſus fecerit, à regreſſu noſtro eſt; atque is vitia noſtra virtutem ſuam interpretatur, & ſuperbe ac ſtolide in iis ſe iactat. Sed vt diffundar, & collectæ ſententiam peragam; quoniam bellum grande ac metuendum Europæ inſtare à Chriſtiani nominis hoſte videtur, Rex & conſilium eius vidento: an non melius cum externis illis hoſtibus, aut certe

alterutro eorum, pacifici. Si cum vtroque Batavi ponent animos, & aut ſponte aut vi venient ſub leges: ſi cum altero, etiã idem fiet. Volo dictũ cum altera, id eſt, Angla, Illa in manu oppida duo Selandiæ & Hollãdiæ habet, aditus haud dubie & clauſtra maris & terræ. Non nimis à pace abhorrere eam, ego arbitror; quia mulier eſt; quia ærarium iã tenue (non eæ opes quę putantur) quia populo inuito bellũ eſt; qui cõmercia & libertatem mallet. Quod pſeuerat, magis a metu, q̃ ab odio eſt. Et audi verũ verbum: magnitudo noſtri Regis, virtus aut fortuna Hiſpaniarũ intra ſexaginta annos formidabilis facta eſt finitimis & longinquis. Metũ hunc adimere, ambitionem non præferre, è re ſit inprimis: & facta ſane, non verba, impetũ augent. De Gallo pariter ſentio, id eſt, eum occulte & tacite omnino velle pacẽ. Nouellũ eius regnum, ſtatus vacillans, diſſidium aut ſuſpicio inter viros Principes; ea omnia quietem ſuadẽt. Et addo viſcera ipſa, vt ſic dicã, ærarii euulſa: Niſi exteri palã & occulte ſuſtentẽt, ac focillent, iã defeciſſet. Sed cũ iſto an Rex noſter pacẽ velit, haud equidẽ ſcio penetrare, in cõſilia illa intima nolo; poteſt tamen inducias ſalua omni ſpe ſua & deſtinatione. Quid enim ibi in longũ firmi? ne ſucceſſor quidem ſatis certus quorundã iudiciis & in corpore illo ſemel moto, vereor, vt alii aliiq; morbi, niſi magna quidẽ Regis aut felicitas aut prudentia euincat. Sed definiendo; cũ Angla pax opportuniſſime fiat: Gallus ſe ponatur, qui, niſi laceſſitus, non laceſſet. Batavi in manus veniãt, de quibus ꝓprie puto te rogare. Quid ergo? cũ iis bellũ hactenus infelix, nec nunc felicius ſperandũ, niſi in tota facie rei aliquid mutetur. Loca valida omnia habẽt, loca ſibi opportuna, militẽ exercitatũ & ſatis bonũ, victoriis animoſum, ordinẽ aliquẽ in ærario & tota gubernatione; quãdiu bellũ & metus eſt, haud facile ſoluendũ: vt iſta remittãtur, & amittãtur, pax aliqua ſit & quies, q̃ nunquã in talibus bellis initia ſine bono apto Regis. Maieſtas illa nominis & occultũ in animis vinculũ illos trahit, aut potius retrahit qui male abierunt: & quidã gaudent datũ honeſtũ ſic regreſſum. Centeni aliquot homines aut milleni ad religionẽ & regẽ vltro redibunt, ſi occaſio redeundi ſuggeratur: hæc præſidia hoſtibus detrahimus; & amplius, in plebeia aut plurium illa Gubernatione occaſiones inter ipſos diſſidiis damus. Mihi crede habent odia, factiones, & ſua vulnera; ſed occuluntur ea omnia impendente magno illo metu, qui æqualiter tangit oẽs. Remitte paululũ, ad ingenia & vitia ſua redibũt. Vt boues inſtãte lupo coeũt, capita & cornua iũgunt; abeunte, quiſq; ſibi paſcit. Sic Batavi noſtri, quos ambitio fortaſſe valde non tangit, magis auaritia & amor quæſtus. Vbi hoc poſtremum; an non regibus ſemper occaſio ad ſe trahendi aureo iſto hamo piſcandi? Intelligunt peritiores. Sed vt fiat vtiliter, quiete aliqua opus eſt, & occaſiones

ea da-

ea dabit. In iſta, inquam fere omnes conſentimus. ſed alii diuturnam eam volunt,id eſt,pacem: alii temporaneam, id eſt, inducias. Tu veram;audi. Pacem ex animo velim, & ponam ante omnia humana bona:religioni & regi pulcerrima ſit, patria neceſſaria, bonis & mediocriter bonis optatiſſima. Sed quid eſt? velim & optem,vereor,quod non fiet Ego bonam honeſtamque pacem hac ſcena rerum fieri poſſe in animum duco. Cauſæ: Aut inclinatio hoſtium,aut à nobis metus eo ducat. Neutrum eſt. Et vide,an inclinatio: minime. Sunt in Florenti ſua re publice & priuatim; qui gubernant, Craſſi omnes ſunt & parui Crœſi. Vis eos optimam fortunam cum dubia commutate: At metuunt fortaſſe. Vtinam noſtra ſic eſſent. Debebant profecto,à potentiſſimo ſuo Rege: vt id quoque addam; ſicut olim à dominis ſuis fugitiui. Sed reuerentia, vetuſtate & pertinacia rebellionis, iam excuſſa & metu, ignauia (liceat libere hoc dicere) aut prauitate noſtra (quis ordo? quis miles? quæ conſilia?) cur metuant? niſi occulta quædam ſint & tegantur, quæ me fugiunt. Omnia ſunt talia,quæ ad perſeuerandum eos hortentur, non reſipiſcendum. Addo fœdera cum vicinis, cum quibuſdam etiam Germanis clam aut palam icta;nauigationes nouas ſperatas,imo tentatas:quæ etſi infida omnia & vana quidem ſunt, tamen plebeios illos animos inflant & autam inſpirare modeſtiæ non patiuntur & bonæ mentis. Ergo de pace vix eſt vt ſperem, niſi tali, quæ diſiungat à Rege, quæ licentiores & illos & nos faciat;quo ſcio quoſdam ſpectare. De religione conſulto omitto;& Theologis permitto; etſi rationem eius inter prima habendam ſapientes omnes ſciunt. Magis itaque ad inducias inclinem. Primum, quia hoſtis facilius audiet, nec multæ hic tricæ in conditionibus ac pactis; res manent vtrimque imminutæ. Deinde, quia auctoritate Principum Germaniæ tale aliquid honeſtiſſime impetretur,& ſine ignominia Regis. Tertio,quia leges nullæ duræ nobis imponuntur,quas ægre aut turpiter poſtea ſoluamus. Quarto,quia commoda ſimilia,quæ ex pace ſequuntur; nempe communicatio inter nos & coniunctio, partium redditio ſub diplomate regio & fide,remiſſio hoſtium, & omnia minus intenta. Denique fatum, & Deus, & euentus aliquis pro Rege. Vis exemplum illuſtre in hanc rem & conſimile? Sexti Pompeii bella Sicula cum Octauiano Cæſare legiſti? Siciliam & Sardiniam habebat, locis ſe tenebat, & tuebatur, famemque & inopiam Italiæ importabat. Vinci numquam potuit, niſi breui pace. Ea pacta cum illo eſt, exules recepti, & vires abductæ, corruptus occulte eius miles. Quid dicam? Terribilis ille & paulo ante Neptunus vix vna naui effugit, ceruices gladio præbuit, & intra annum extinctum totum bellum. Vetus hoc eſt;fiet nouum,ſi eadem adhibentur, & inprimis ſi conſilio & intentione rem adminiſtramus. Acribus conſiliis opus eſt,iiſque fidis occultis. Quod ſi non aliud ex his induciis;quam re-

ſpiratio aliqua & quies; pro re noſtra multum ſit, & egemus Rempublicam aut diſciplinam militarem emendare ſi volumus (debemus, ſi regere Regem volumus) non fiet apte aut cito per arma. Licentia nimis inualuit, corruptio, & mala quæ optimis potentiſſimiſque rebus & regibus ſunt perdendis. Huc vt noſtri eant, ex animo voueo, quæ fulcra & fundamenta ſunt omnis ſtatus. Habes vno calore & tenore ſcripta, quæ mihi ſunt viſa: quæ premes aut communicabis, quædam aut omnia, vt tibi erit viſum. Epiſtola enim tua: vtere, ſed non abutere, etſi pro amicitia hoc quoque potes. Non enim niſi verba ſunt: ſi aliqua incauta, excuſet amor in patriam, & libertas, quæ conſulenti ſemper data eſt. Louanii, 3. Nonas Ianuarii, MDXCV.

PETRI CAIETANI AD PROVINCIAS BELGICAS AD ARtem militarem ſub Alexandro Farneſio exercendam, & Regi Catholico inſeruiendum miſſi Inſtructio, ſiue

DISCVRSVS VII.

INTER ſuum Illuſtriſſ. Veſtra Dominatio eo ordine qui ei commonſtratus eſt, perſequetetur: ex omnibus vero locis, ac per omnes quos naneiſci poterit, idoneos homines ea quæ ſcire intererit, ad N.N perſcribet. Ad Principem vbi peruenerit, ſiue is militiæ, ſiue domi fuerit, ſtatim cum præcipuis militiæ ducibus, inprimis cum Quæſtore exercitus, familiaritatem contrahet, atque ex iis expiſcabitur vniuerſi belli ſtatum, vt de ſingulis proxima occaſione N. N. certiores facere poſſit. Id enim & ipſis Dominis pergratum erit, &c.

Præcepta literas ſcripturis neceſſaria. Ne quid tale literis committat, quod, ſi eæ non recte perferantur, vel ipſi aliis nocere queat. ad quam rem vtile fuerit inuſitatis literarum notis (quas *Ziffras* appellant) vti.

Scribendi vero laborem V. Dom. non fugiat, qui & ipſi vtilis, & aliis gratus eſt futurus.

In chartæ breuiter conſignet quæ ſcribenda videbuntur, memoriæ iuuandæ cauſſa.

Calamo manum ad ſcribendum admoturus, chartam illam ob oculos ponat, & ita ſingula capita perſequatur, iis quæ iam ſcripta ſunt, deletis.

Catalogum inſuper perſonarum ad quas literas ſcribendas, tum eius quod ſcribendum exiſtimabit, conficiet, ad euitandum memoriæ lapſum.

Literis quas is ad quem ſcripſeris, aliis commonſtrare neceſſe habet, ne quidquam inſerat, quod ſecreto & clam ſit habendum.

Literæ quibus diuerſæ res continentur, per capita diſtinguendæ ſunt, ſcriptura non continuata, ſed nouis paragraphis diſtincta.

Omnium literarum (quę quidem alicuius ſint momenti) apographum ſiue exemplum ſeruandum.

Literæ mature ſunt ſcribendæ, ſed non prius obſignandæ quam Nuncio iam vrgente; vt interea quod viſum fuerit, addi poſſit.

Si ad vnum aliquem plures ſint ſcribendæ literæ, ordo earum numeris eſt conſignandus, vt materia ſiue rerum contextus ſit legenti continuus: eoque ordine in faſciculum compingendæ.

Omnibus etiam infimæ ſortis hominibus, qui ſuis literis nos prouocauerint quantum fieri poteſt, reſpondendum eſt.

Literæ acceptæ legendæ ac relegendæ ſæpius ſunt, verbaque & res præcipuæ enotandæ; eæque quando reſponderi viſum fuerit, ante oculos habendæ: nec memoriæ fidendum.

Ipſa literarum autographa, quę excuſationem aliquam aut quodcumque aliud commodum olim nobis adferre poſſunt, diligenter adſeruanda ſunt & cuſtodienda: eæ vero ſcripturæ, quæ damnum aut periculum creare nobis poſſunt, Vulcano ſtatim ſunt conſecrandæ.

Et hæc quidem literarum ſcribendarum præcepta ſunto: quæ vt rectius perferantur, cum veredariorum magiſtris familiaritas eſt contrahenda, à quibus inſuper illud commodi conſequemur, vt Nouorum ſiue ſcripturarum apographa nobis communicent, vel ſi quid aliud ſit, de eo nos commonefaciant.

Forma epiſtolæ officioſa.

De veſtra in Belgium profectione eiuſque conſilio iam pater ad Catholicum Regem ſcripſit, in hunc fere ſenſum: Iam tredecim annos eſſe & eo amplius, ex quo ſuum omne obſequium & ſeruitium Catholicæ Regiæ Maieſtati conſecrarit ac deuouerit, id vnice expetens, vt bonam, vtilem ac gratam eidem operam nauare poſſit: at fortunæ & ſuæ ſortis iniquitate

factum

factum eſſe, vt hactenus id non niſi in minimis quibuſdam rebus potuerit præſtare. Tantum vero abeſſe vt deſiderium illud exſtinctum ſit, vt etiam indies ſe quotidie ſentiat augeri. Id quum per ſeipſum explere non poſſit, Petrum filium in Belgium ablegare, vt ſub Regiæ eius Maieſtatis auſpiciis, ductu vero Alexandri Farneſii generalis Prouinciarum gubernatoris, militarem artem condiſcat atque exerceat, totumque ſe in ſeruitium Regiæ Maieſtatis transferibat atque addicat: votis ſe omnibus optare vt huic vtriuſque tam ſuæ quam filii voluntati fortuna & occaſio Regi gratificandi ne deſit. Illud denique humiliter rogare atque orare, vt hunc vtriuſque conatum Regia Maieſtas gratum habere velit: cuius ſi nulla alia futura ſit vtilitas, illam tamen longe fore maximam, quod inde omnes promptum ſuum Regi inſeruiendi animum perſpecturi ſint, vtpote hoc veluti quodam depoſito & fidei ſuæ pignore abunde teſtificatum, &c. Et ad hunc quidem modum & ſenſum Illuſt. V. Dom. cum Regiis Miniſtris loqui & ſcribere oportet, quo ſcilicet nihil aliud quam Regis ſeruitium ſpectare videatur.

Quibus officiis & erga quos Regis beneuolentia demerenda.

Princeps (Parmenſis, Alexander Farneſius) hodie Regiæ Maieſtatis in Belgio locum tenet, & non exercitibus tantum, verum etiam Reip. ac omnibus & ſingulis prouinciis ſummo cum imperio præeſt. Vnde facile colligi poteſt, qui Regi inſeruire velit, Principi quoque eum inſeruire oportere; qui vero Principi recte inſeruiret, eum Regi quoque inſeruiturum. Quum vero ſeruire, nec tamen ei cui ſeruias ſatisfacere, perinde ſit ac non ſeruire; illud omni ope, cura & ſtudio V. Dom. contendet, vt Principi ſatisfaciat: quod tum fiet, ſi bene ipſi inſeruierit, id eſt, ſi aptum ſe & parem commiſſis negociis oſtenderit ac demonſtrarit.

Quæ addiſcenda.

Ad hoc conſequendum, neceſſe erit vt ea quarum V. Dom. nullum adhuc aut exiguum habet vſum, addiſcat. Ea vero duplicis ſunt generis. vnum earũ eſt rerum quę ad bellum & rem militarem pertinent; alterum earum quæ ipſius Principis animum, ſenſum & voluntatem proprie ſpectant. Neque enim ſatis eſt tribuno vel duci militarem artem tenere, niſi etiam eamdem ad ſummi ducis guſtum, iudicium & voluntatem exercere nouerit.

Quæ in quaque regione obſeruanda.

His præſuppoſitis, Illuſtr. Veſtr. Dom. omnia quæ ad Belgii cognitionem requiruntur diligenter inquiret, quam late ſcilicet pateat, quos Principes habeat vicinos, à quibus lateribus aſſiliri atque offendi queat, in quot & quas Prouincias vniuerſum Belgium ſit diſtinctum, quomodo ſingulæ appellentur, quæ Maria, quos Portus, quos Montes, quæ Flumina, quos Lacus, quæ ſtagna & Paludes, & ſi quid notatu dignum, ſingulæ habeant; quibus rebus careant, quibus abundent; quos fructus, animalia, metalla terra producat; quæ artes & opificia in ſingulis floreant, &c.

In primis vero quas Vrbes, oppida & Arces ſingulæ Prouinciæ habeant: quam populoſæ eæ ſint, quam munitæ, quam opulentæ: quæ familiæ Illuſtres & Nobiles, quæ & quantæ ipſarum opes, cognationes, clientela, vires: ſubditorum natura, ingenia, mores, ſtudia, religio: quæ facies Reipublicæ, & iudiciorum; quæ forma gubernandi; qui & quanti Regis ſint Reditus, in quibus rebus ii conſiſtant, vtrum ii augeri poſſint, quomodo, & quantum.

Ad harum rerum notitiam adiungenda ſunt, principia huius belli, & cauſſæ tam primariæ quam ſecundariæ, quid vtrinque prætendatur, quomodo Dux Albanus, quomodo Ludouicus Requiſenius, Caſtiliæ Commendator, quomodo Ioannes Auſtrius Belgii res adminiſtrarit: quibus in rebus ſingulorum Adminiſtrationes diuerſæ, in quibus ſimiles fuerint: qui à quibus, & quibus in rebus errores ſint commiſſi; ex his qui correcti ſint, qui minus, & quomodo, & quamobrem: tum quæ cautiones vtiles, quæ conſilia proſpere vel male ceſſerint: quæ, quantæ vires ſint Rebellium, quæ fomenta & ſubſidia; quam bene hæc fundata, & an durabilia ea ſint: quanti ſumptus regi ſint faciendi: vnde fiat vt hoc bellum tanto tempore durauerit & adhuc duret: an ſpes ſit id vnquam, à Rege ad finem perduci poſſe, vel minus: ſi conficere id Rex poſſit, cur differat, ſi non poſſit, quid & quos exſpectet: quid denique vel ſperandum ſit vel timendum.

Operam quoque det Illuſt. V. Dom. vt, ſi fieri poteſt, præcipuorum vniuerſæ regionis propugnaculorum ichnographiam ſibi comparet, ſiue ea in Regis ſiue in Rebellium ſint poteſtate. Exquirat quid vnicuique eorum ad ſummam perfectionem deſit, quibus viribus & modis ſingula aut expugnari aut defendi queant, quæ impedimenta hic vel illic ſe obiiciant, an & quomodo ea poſſint tolli, aliaque eiuſmodi: quæ vel ipſis propugnaculorum delineationibus adnotanda ſunt, vel ſingulari libello conſcribenda. Eſt enim Ars nihil aliud quã ſyſtema ſiue comprehenſio quædam præceptorum ſiue regularum, ad certum aliquem finem conducentium: quæ quidem Pręcepta ſiue Regulæ ex ipſo vſu enatæ & deſumptæ. Quod ſi ergo Dom. Veſt. artem militarem ſiue imperatoriam velit addiſcere, neceſſe erit vt eius præcepta ex optimis cognoſcat magiſtris, tum ipſa quoque horum conſilia & actiones ad rem militarem pertinentes ſedulo obſeruet. *Notanda munitiora loca.*

Vtile igitur fuerit non quidem cum quouis è vulgo, ſed cum peritiſſimis rei militaris ducibus frequentes habere ſermones, eaque omnia quæ ad hanc artem ſpectant, animo probe infigere ac ruminari. Quod & ipſum parum fructuoſum erit, niſi omnia quæ intellexerimus, in commodum ordinem redigantur. Quocirca conſilium meum eſt vt Dom. V. tam Caſus quam Regulas militares calamo adnotet. hoc enim modo ingentem ſibi Propoſitionum ſiue Axiomatum Militarium ſuppellectilem ſibi comparabit. *Sermones cum militia gnaris conferendi.*

Hunc in vſum librum ego confici ſuaſerim, veluti *Locos Communes,* *Loci Communes militares.*

nes,

nes, cuius folia ſingula vel plura (prout rei amplitudo requirere videbitur) certo veluti capite ſint conſignata, ad quod omnia ſub voce illa comprehenſa, axiomata, præcepta, dicta, iudicia, opiniones, conſilia, euentus, &c. referantur. Exempli gratia: ſi intellexero iuſtam Haſtæ ſiue Sariſſæ, quam *Picam* appellant, longitudinem eſſe pedum ſedecim, eamque ad arcendos ſuſtinendoſque equites multo eſſe vtiliſſimam; primo è voce hac *Haſta* titulum faciam, ac deinde ſub eo omnia quæ eo pertinent, conſcribam. Simile iudicium eſto de cæteris, vt ſi vel ex ſermone vel vſu ipſo animaduertero ſclopetorum tractandorum ſiue exonerandorum in prœlio hanc eſſe rationem, vt primi exoneratis ſclopis à tergo ſequentibus cedant, & eo ordine quo à tergo ad frontem progreſſi ſunt, à fronte ad tergum cohortis inconfuſe velut in orbem redeant, interque eundum ſclopos rurſus ad ictum inſtruant: tam hoc quam alia omnia huc ſpectantia ſub voce hac *Sclopus*, adnotabo. Idem quoque de cæteris tam perſonis & Officiis, quam Inſtrumentis, Actionibus, Strategematis, munitionibus, commeatibus, impedimentis, in litum hoſpitiis, itinere faciundo, inſtruendo prœlio, obſidione vel facienda vel ſoluenda, ferendis ſuppetiis, agendis cuniculis, ducendis foſſis, inſtaurandis muris, iaciendis vallis, &c. intelligendum eſt.

Verumenimuero hæc vel audire vel in ſcripta referre, vel memoriæ etiam commendare ſatis non eſt, niſi eadem opere ipſo quoque vel ipſi exſequamur, vel alios exſequi videamus; quæque didicimus, in vſum deducamus. Idcirco operam det Veſtr. Dom. vt quoties aliquid opere ipſo præſtandum eſt, inter primos potius ſit quam poſtremos, & cuiuſq; actionis militaris principium, medium, & finem, ſiue euentum notet: tum rationes exquirat cur hoc illo, cur illud alio fiat modo, notatis ſemper locorum & temporum differentiis: nec vero ipſis Officialibus ſiue miniſtris auxiliarem in his rebus manum admouere operamque præſtare, exercitii cauſſa, grauetur, ita tamen vt reliquas operas non retardet vel impediat, aut confuſionem aliquam cauſſetur: inprimis vero ne Officiariorum animos perturbet atque offendat, & ante omnia quidquid harum rerum facit, Principe non inuito faciat.

Ephemerides ſiue Diaria.

Ad cæteras res conducit Ephemerides ſiue Diarium conficere, in quo non tantum cuiuſcunque diei Euenta & ſucceſſus, ſed modi etiam & cauſſæ notentur: quarum rerum cognitio in omnibus conſiliis non vtilis tantum eſt, ſed etiam neceſſaria.

De modis vero quibus ſpeciatim V. Dom. Principi in bello inſeruire oporteat, nihil aliud quod dicam habeo, niſi eo omnia veſtra ſtudia dirigenda, vt de prompta veſtra voluntate Principi conſtet: eaque in re prudentum conſiliis eſſe vtendum. Nec vero illud tantum operam dabit vt in rebus ad ipſius Regis ſeruitium pertinentibus Principi bene inſeruiat; verum etiam vt ad Principis ipſius guſtum &

humo-

humores (vt loquuntur) ſeſe accommodet: qua vna ratione ipſius gratiam & amorem facillime ſibi comparabit.

Principem aiunt omnibus in rebus ſingularem quamdam præ ſe ferre grauitatem, ideoq; exiſtimāt nonnulli eadem illum erga Veſtr. Dom. vſurum. Sed quidquid huius futurum ſit, dico Principem aut Illuſtr. Veſtr. Dom. vbi ad eum venerit, humaniter familiariterq; acceptutum & tractaturum, eiq; munus aliquod commiſſurum; vel horum nihil facturum; aut mediam quamdam viam ingreſſurum. Primo quidem caſu Illuſtr. Veſtr. Dom. perpetuum quendam obſequii & reuerentiæ tenorem, & in actionibus ſuis conſtantiam oſtendet; ac quanto maiori à Principe honore afficietur, tanto eumdem humiliori obedientia deuincire ſibi magis ſtudebit; nec hoc Principis fauore inſoleſcet, aut in licentiam ſeſe effundet, ſed tanto ſubmiſſius erga omnes ſe geret. Altero caſu V.D. nulla irati animi aut diffidentis indicia præ ſe ferat, ſed cum modeſtia perpetua conſtantem ſeruiendi voluntatem oſtendat, neque vlla re quæ offenſionem parere queat, commoueri aut perturbari patiatur. Conſideret id aut naturæ Principis, aut voluntati tribuendum eſſe: nec aliter ratione muneris & perſonæ quam ſuſtinet, facere poſſe; ac fortaſſe vt ita faciat, in mandatis habere. Tam ex hoc quam ex illo V. Dom. facile poteſt intelligere quomodo in tertio caſu gerere ſe debeat.

Similes amant ſimiles.

Princeps magno eſt animo, & quorumdam iudicio ad quæuis ſubeunda & prouocanda etiam pericula audacior ac promptior quam perſonæ dignitas, quam, vt diximus, ſuſtinet, requirit: vtpote in cuius incolumitate & Regis exiſtimatio, & totius fere Belgii, quantū quidem in eo Regis imperium agnoſcit, poſita ſit. Hinc reprehenſione non caruit, quod ad Tornacum quum animoſius quam prudentius vrbis mœnia ſubiiſſet, ſeq; gregariis militibus immiſcuiſſet; grauiter petiit vulneratus. Quum vero ſimilis ſimili vt plurimū gaudeat; credibile eſt homines animoſos, & conſilio manuq; promptos à Principe amari & magnifieri: quumq; idem ab omni luſu ſiue teſſeratū ſiue chartarum abhorreat, non inepte quis etiam colligat, luſores parum ei eſſe gratos. Quibus vero aliis rebus delectetur idem Princeps, quaſque auerſetur, è familiaribus & domeſticis Veſt. Dom. exquirat.

Aſſiduitas circa Principes moleſta.

Quamuis autem veſtium ſit omniumque qui militiam regis ſequuntur, Principi inſeruire eumque officii cauſſa frequenter comitari, manifeſtum tamen eſt nimiam nocere aſſiduitatem circa Principem, vtpote quæ ipſa veluti ſeruitutem ei imponat, multaque impedimenta & incommoda afferat. Quapropter inueſtiget Veſt. Dom. quomodo Princeps tempus diſpenſet, quas horas otio & recreationibus, quas negotiis tribuat, quando ſolus eſſe cupiat, quando amicorum & quorum expetat conuerſationem: vt ne dum officioſus eſſe velis, moleſtus fias.

Præſente Principe

Præſente Principe Illuſtr. Veſtr. Dom. paulo loquatur, eaque ſibi

optime

quomodo uis ſe gerere debeat.

optime nota, & loco, tempori ac perſonis accommodata. Si quando Princeps alloquendus ſit, fiat id cum præmeditatione & concinno ordine eorum quæ dicenda ſunt Sermonibus quos vel ipſe Princeps, vel alii, eo præſente, habent, attentas aures animumque præbeat: qui enim negligentes hic ſunt, eos qui loquuntur parui facere videntur, qui vero auſcultant, præter beneuolentiam, etiam intelligentiæ ac iudicii opinionem ſibi conciliant. Vt vero quæ dicta ſunt intelligere videaris, externis quibuſdam ſignis ac geſtibus orationem & verba ſubſequere, accommodis accommodatis ad res ipſas affectuum ſignificationibus, prout quidque vel placere vel diſplicere debet. Sed hic omnia vitanda eſt hypocriſis, ſimulatio & fucus.

Præſente Principe nullum animi ſubtriſtis aut cogitabundi dandum indicium. Mœſtitia enim & melancholici ſiue auſteri vultus Principes viros offendere ſolent in ſui quippe contemptum interpretantur, aliquem præſentem corpore, animo veluti interim peregrinari. Si quid Princeps ipſe tibi dixerit, in ſinu tuo illud contine: quod ſi alium id narrantem tibi audias, ignotum id tibi ſimula. Semper vero vltimum in loquendo tibi locum ſume.

An & qui & quomodo commendandi.

Non deerunt qui vt Illuſtr. Veſt Dom. ſe Principi commendet, aut apud eum intercedat, flagitabunt. At meum conſilium eſt, paucis ea in re eſſe gratificandum. nam ſi illi quod petierint obtineant, datum beneficium V. Dom. imputabitur; ſin repulſam ferant, ea tibi quoque moleſtiam pariet. Nihilominus eis qui tale officii genus à vobis poſtularint, iuſta & idonea excuſatione quoddammodo eſt ſatisfaciendum. Quod ſi recuſare non poſſis; illud vide vt res quas petieris iuſtæ ſint, dignæ eo qui petit, loco & tempori accommodatę, nec concedi inſolitæ; ſed quantum fieri poteſt, cum Regiæ Maieſtatis vel Principis honore & commodo coniunctę Perſonæ quas commendandas ſusceperis, ne odioſæ ſint, neve vlla famæ macula contaminatæ. Ante quam vero beneficium aliquod alteri impetrare in animum induxeris, diligenter quære vtrum is qui tuam flagitat commendationem, competitorem forſitan habeat, quis ille ſit, quos amicos & fautores vel ex regis vel Principis habeat miniſtris. Impetratum beneficium magni æſtima; repulſam vero patienter fer, neque ea te offendi, vllum indicium præbe.

Si Princeps V. Dom. negocium aliquod commiſerit, omnia eius capita diſtincte coram ipſo Principe vt ab eo propoſita ſunt replicet; neque ab eo incertus diſcedat. Quod ſi ea prolixa ſint, aut multa, aut graui, ſcripto ea vna cum eorumdem declaratione conſignet; cogitetque ſatius eſſe frequenti interrogatione Principi negocium ac moleſtiam faceſſere, quam erroris forte committendi periculum adire.

In publicis actionibus non valde de gradu aut præeminentia Dom. Veſt. laboret, ſed omnem locum ſibi honorificum; omneque

munus

munus ſibi iniunctum dignum ſe eſſe putet, idque præſente Principe ita exſequatur, ac ſi Rex ipſe ſpectator atque arbiter; abſente vero Principe non aliter ac ſi coram is adeſſet. Si quis forte cui Princeps, vel qui Principi ſubiratus ſit, Veſtr. Dom. familiariter ſeſe applicet, eum ſemel quidem admittat atq; audiat, vicem eius dolere ſe oſtendat, ſcrupulum quantum fieri poteſt, ipſi eximat, Principem excuſet, & ad omnia patienter ferenda eum qui factã ſibi iniuriam putat, hortetur. Ante omnia vero caueat, ne operam ſuam ei promittat, aut conſilium det: ſiquidem eiuſmodi homines non ſemper verum fatentur, ac ſæpe magnis vitiis laborant: neque nos ſcimus quid vel ipſis obſtet odiumque conciliet, vel quomodo erga nos ſint animati, quoque animo nos tentent.

Sermone quomodo vtendum.

Si quis Ill. V. Dom. vitio vertat, quod præſente Principe pauca loquatur; reſpondeat, idem ſe facturam quouis alio præſente: quum tacere non vulgaris virtutis ſit opus, & ſilentii, vt eſt in trito verbo, tutum ſit prçmium. Ita tamen tacendum eſt, vt non ſtupiditati, ſed prudentiæ ſilentium adſcribatur. Sermo vel ad interrogationem vel Reſponſionem ſit comparatus. Interrogationes opportune fiant modeſte; Reſponſiones breuiter & prudenter. Interrogandi vero, qui plurimarum rerum ſcientia ſunt inſtructi; à quibus ea quæ ſcire opus eſt diſcamus. A Narrationibus, Diſputationibus, Contentionibus abſtineat V. Do. nec iudicium vel ſententiam de quoquam ferat. De omnibus bene loquatur, & maxime de iis qui Principi chari ſunt. Neminem vituperet, niſi aliter facere non poſſit; nec tamen perſonam, ſed factũ. De omnibus Nationibus honorifice loquatur, & cuiuſque mores, ingenia & ſtudia habeat perſpecta. Familiaribus, domeſticis & miniſtris iubeat frænare linguam neque male aut contumelioſe de quoquam loqui. Quod enim familia loquendo peccat, patrono ſiue patrifamilias imputari ſolet. Illud ſemper cogitet atq; omnino perſuaſum habeat Illu. V. Dom. quæcumque dixerit aut fecerit, nequaquam latere: caſtraq; exploratorum plena eſſe, qui maxima & minima quæque ad Principem deferant. Quocirca aliorum monita, inprimis domeſticorum, boni conſulat, vt tanto liberius quæ neceſſaria ſcitu ſunt, ſuggerere auſint.

Omnium Nationum ingeniis & moribus Do. V. ſeſe accommodet: cum Italis Italico, cum Hiſpanis Hiſpanico, cum Belgis Belgico more conuerſetur. Belgarum ingenia nôrit: eos ſcilicet credulos eſſe, ſuſpicionũ plenos, nouarum rerum ſtudioſos, parũ gratos, loquaces, ebrioſos, corpori curando plus æquo intentos, tum animi paſſionibus atq; affectibus indulgentes.

Omnium etiam infimæ conditionis hominum quicunque apud Principem in honore aliquo & pretio ſunt, beneuolentiam

quouis officiorum genere demereri ſibi ſtudeat; eius memor, quod vulgo dici ſolet: Vnum hominem ſæpe eſſe inſtar millium; quod in bello maxime verum eſt.

Calumniatoribus ac delatoribus aures occludat, vt & iis qui eiuſmodi aliſque aſſentatoriis artibus in gratiam ſeſe inſinuare ſtudent: idque tanto magis, ſi res turpes, & quæ ad magnates vel ipſum ſpectant Principem deferant: qui non ſolum audiendi non ſunt, verum etiam procul arcendi atque eliminandi.

Si quis æmulus aut inuidus clanculum Veſt. Dom. obtrectauerit, rem omnem diligenter prius exploret, ac contemtu potius quam odio ſe ſe vindicet. Inprimis vero ita vitam inſtituat, vt nemo facile ei fidem habeat: quin etiam honore aliiſque humanitatis officiis animum eius maleuolum frangere, & ad æquitatem flectere ſtudeat.

Amicos aliosque operam nauantes omni beneuolentia complectatur. Amicitiam non facile cōtrahat; contractam vero non diſſoluat, niſi ipſius amici vitio & culpa manifeſta.

Cum æmulis vel apertis etiam inimicis in gratiam redeat, omneque odium deponat, quoties vel Regis vel Principis ſeruitium atque vtilitas requirat, committat, vt ii ad Regis vel Principis præiudicium ac detrimentum aliquid per errorem faciant aut deſignent; ſed mature eos admoneat, & quantum in ſe eſt iuuet, non aliter ac in communi periculo.

Quando tacendum.

Diſſimulatio quidem, inter milites inprimis & aulicos, omnino eſt neceſſaria; non omnis tamen diſſimulatio à prudentia proficiſcitur, aut prudenter adhibetur. Optima eius pars eſt, *Tacere*, ac præcipue has ob cauſſas. Ne propaletur id, quod ab alio noſtræ fidei commiſſum eſt. Ne factum aliquod in lucem protrahatur, è quo nihil niſi ſcandalum oriri poſſit. Ne conſilium aliquod aperiatur, quod apertum, deinde ad exitum perduci non poſſit. Ne alterius vitia & defectus videamur cognoſcere, eique exprobrare velle. Natura enim ita comparatum eſt, vt eos qui vitia noſtra nôrunt, oderimus. Ne alterius conſilia & cogitationes, vel animum maleuolum erga nos aut eos quos amamus; vel beneuolentiam aliorum erga inimicos noſtros perſpectam habere videamur. Ne oſtendamus offenſam aliquam nos ſentire, aut pro offenſa habere, aut eam grauem nobis exiſtimare. Ne nobis ipſis vel contendendi vel reſpondendi cum damno noſtro, aut quando id non res ipſa, aut perſona, aut locus, aut tempus requirit, neceſſitatem imponamus. Ne deniq; vt verbo abſoluam, aut damnum aut ignominiam iumento noſtro (quod aiunt) nobis accerſamus.

Diſſimulatio cū ſilentio.

In his omnibus caſibus diſſimulare ſimul & tacere expedit. Et

quam-

quamquam id aduerſus amicos durius videatur, quidquam ſcilicet eos celare, quod ad vtilitates eorum promouendas ſpectat: ratio ipſa nihilominus id iubet, ne dum aliis prodeſſe volumus, nosipſos grauiter lædamus.

At incidunt ſæpe caſus in quibus etiam in ipſo ſermone diſſimulatione vtendum eſt: quando nimirum ex nobis quæritur, vtrum hoc vel illo modo ſe habeat, quæ noſtra ſint conſilia, opiniones, ſententiæ, cogitationes, &c. Tunc enim tacendum non eſt, reſponſio tamen diſſimulatione quadam ita inuoluenda, vt ne mendacium dicamus in eo quoque deprehendamur, nec verum tamen fateamur.

Diſſimulatio in ſermone.

Sunt quidam qui in tali caſu diſſimulatione ita vtuntur, vt in ſermone parum tranſultoria quadam leuitate, ſibi conſtent, aut ipſum abrumpant ſermonem. Alii rogati, quidquam ſibi conſtare negant: in eoque grauiter peccant, quod & verum negant, & falſum affirmant. Quomodo ergo, inquis, hic formanda reſponſio? Dicam: hoc modo, quo in bello ſæpe milites ſine fuga pugnā deuitant, ſaluis tam fortunis ſiue impedimētis quam viris. Quod vt commode fiat, tria in Reſpondendo obſeruanda ſunt: primum, nec fateri nec negare, quod verum eſt: ſecundum, non dicere, quod dici non oportet: tertium, ita reſpondere vt interrogans æque ac ante fuerat, diſcedat à nobis incertus, ac tanto laudabilior ſemper eſt reſponſio quanto eſt cautior: quamuis liceat nonnumquam eos qui interrogando exorbitant, vel aperte vel occulte perſtringere, pro perſonarum ſcilicet ac circumſtantiarum ratione.

Diſſimulatio in factis.

Eſt etiam diſſimulatio quædam in factis & geſtibus, quando ſcilicet vel gaudium vel dolorem in ſinu noſtro continemus, vt ſpei an timori propiores ſimus, incertum ſit: vel aliis perſuademus nos videre, quæ videmus, & ſentire, quæ ſentimus, ſcire denique, agere & velle, quæ ſcimus, agimus & volumus.

Diſſimulationis quidem in humana vita eiuſque negociis idē fere eſt vſus qui Antidotorum ſiue Curæ præſeruatiuæ in medicina: nam vt hæc contra veneni vim humanum corpus muniunt; ita diſſimulatio multos à nobis depellit errores, fraudes & impoſturas. At eadem minus prudenter vſurpata, tantum abeſt vt proſit, vt etiam valde obſit. Cauendum igitur, ne ſilente lingua vultus, oculi ac cæteri geſtus loquantur: atque ita quod maxime celarum volumus, in lucem protrahatur. Et in primis ſcitum hic & vbique illud eſt: Ne quid nimis.

Occaſionibus quomodo vtendū.

Quum vero in omni rerum maxime in bello fortuna plurimum poteſt. Iccirco omnes occaſiones diligenter captandæ atque in vſum noſtrum conuertendæ ſunt; quippe, quæ ipſa terū gerendarum ſint materia & ex difficilibus reddant facilia, ex

impoſſibilibus poſſibilia, ex periculoſis quieta, ex damnoſis vtilia, ex malis bona. Has igitur non præueniat, ſed exſpectet, non anteuertat, ſed aduertat qui rem quamcumque bene atque vtiliter gerere volet: neque eas impatientia ſua corrumpat, aut dum fortunam anticipare ſtudet, ſeipſum præcipitet. Eæ vero ſi vltro ſe non offerant, quærendæ ſunt, non tamen veluti vi adhibita, ſed prudentia quadam & dexteritate. Emendicatæ enim aut veluti capillo attractæ occaſiones vt plurimum nec commodæ ſunt nec felices. Iam vbi vel vltro ſe obtulerit vel reperta fuerit occaſio, diligenter ea cognoſcenda eſt atque exploranda. Quod etſi difficile quodammodo eſt, vtpote res oculis inuſitata: ab eo tamen qui accidentia vel circumſtantias omnes diligenter conſiderauerit, & certum finem ſibi propoſitum habuerit, indagari atq; erui poteſt. Quum vero omnes occaſiones noſtris rebus non ſtatim opportunæ ſint; iudicio hic opus eſt, quod cæterarum etiam omniũ rerum eſt menſura, easque ponderat & diſcernit. Adhibito iudicio, occaſio celeriter arripienda eſt: quum Fortuna velociſſime abeat & fronte capillata ſit, poſtica vero calua, vt neglecta ſemel, fruſtra deinde requiratur.

Exſequutio quomodo facienda. In exſequendis rebus deliberatis Illuſt. Veſt. Dom. circumſpecta ſit ſimul & cordata. Qui enim timet & dubitat, minus facit quam oportet: qui quidem omnis periculi fons eſt & ſcatutigo. In exſequutione duo reprehendi ſolent. Vnum, quando aliquid imperfecte quis exſequitur, nec ipſum opus ad finem perducit: quod qui facit, occaſionem ſibi ipſe corrumpit atque inutilem reddit. Alterum eſt, quod occaſio bene apprehenſa atque vſurpata ſæpe aliam multo meliorem generat ac ſuppeditat; quam qui aut non intelligit, aut ea non recte vtitur, & Rempublicam commodo, & ſeipſum honore & gloria defraudat.

A ſacris abſtinendũ. Primum ac vltimum monitorum caput illud eſto: vt quocunque Veſtr. Dom. venerit in oppidis & pagis omnem vim à templis, monaſteriis, perſonis ac rebus ſacris abſtineat, ſuosque abſtinere iubeat. Quod quum in omni alio bello impium ſit, tum in hoc maxime, in quo religio & iuſta Catholici Regis cauſſa diſceptatur. Tanto magis id Illuſtr. Veſtr. Dom. præ cæteris hoc facere decet, quod ea S. R. Sedi ſubdita ſit, nata ex familia in qua Cardinales ſunt & Prælati: quæque non ſolum de Sede Apoſtolica bene eſt merita, ſed eidem ſuam quoque magnitudinem refert acceptam. Deus quidem Optimus Maximus Illuſt. Veſt. Dom. eiuſque omnibus actionibus benedicet, ſuamque gratiam impertiet; ac tanto vberius quanto eum magis Dominatio Veſtra timebit & honorabit.

DE REPVBLICA TIGVRINA, BERNENSI ET ALIIS præcipuis ciuitatibus & pagis liberis,

DISCVRSVS IX.

TIGVRVM, quæ Thuregum etiam, Germanis Zurich dicitur, vetuſtiſſima vrbs eſt, ſita loco amœno, ad exitum magni cuiuſdam Lacus, cuius pars inferior ab vrbe nomen habet, effunditque amnem Limagum, quem haud procul à Glarona recipit, & diuidit vrbem in duas ciuitates, maiorem & minorem, quæ tamen tribus coniunguntur amœnis pontibus. Forum habet frumentarium ampliſſimum. Eſt enim ſolum huius tractus, ac præſertim circa Tigurum, vini & frumenti plurimi ferax, quod inde ad Rhætos vſque exportatur. Reliquæ annonæ forum illic quoque locuples eſt: Lacus ſubuectioni idoneus. Etſi autem Tigurum quinto demū loco Heluetico federi acceſſerit, nihilo tamen minus propter vrbis celebritatem & potentiam princeps locus omnium conſenſu illi datus eſt, quem hodie quoque, etſi aucto fœdere, in comitiis, legationibus, aliiſque publicis actionibus retinet, & ſumma cum dignitate tuetur. *Tigurinus Pagus & ciuitas.*

Tiguri & Baſileæ eadem fere obſeruatur Reipublicæ adminiſtrandæ ratio: de qua paucula ſubiiciemus. Ex tribubus omnes qui publicis conſiliis interſunt, pari numero è ſingulis deliguntur, tam Tiguri quam Baſileæ. Sunt autem præcipuæ auctoritatis duo publica Conſilia in hiſce vrbibus. Maius, quando plures totius plebis conueniunt; & id plerumque tantum in grauioribus negociis, & quæ ad totam Rempublicam pertinent, conuocatur. Minus, quod quotidie Reipub. adminiſtrandæ intendit, & ciuium controuerſias cognoſcit. Ac Tiguri quidem Maius Conſilium eſt CC. hominum, Baſileæ CCXLIV. Minus conſilium Tiguri L. hominibus conſtat; Baſileæ LXIV. Etenim è ſingulis tribubus duodeni in Maius conſilium aſſumuntur, niſi quod Tiguri è nobilium ſocietate XVIII. deliguntur. In Minus conſilium Tiguri ſingulæ tribus ternos dant homines, qua- *Ratio adminiſtrandæ Reip. apud Tigurinos & Baſileenſes.*

ternos Baſileæ. Hic accedunt duo Conſules in ſingulis vrbibus, publici conſilii capita. Baſileæ prꝗterea totidem Tribuni, quos vna cum conſulibus capita nominant. Præterea Tiguti Nobilium ſocietas ſenos in Minus conſilium mittit, quum aliæ tribus tantum ternos dent; & adhuc ſex alii liberis ſuffragiis cooptantur, ex quibuſcumque tribubus magiſtratui viſum fuerit. Minus Conſilium diuiditur in Vetus & Nouum Veterem Senatum eos nominant, qui per ſemeſtre munere ſuo defuncti ſunt. Hi etſi quoque conuocantur quum Senatus habetur, non tamen ſemper vocantur; & ſunt quædam quæ Nouus tantum Senatus tranſigit. Baſileæ etiam Maius Conſilium ſimili modo diuiditur, atque è duodecim viris tributum, ſex Nouo, & totidem Veteri ſenatui accenſentur, conuenit autem Minus conſilium plerumque ter, nonnunquam etiam quater, ſingulis ſeptimanis. Vtrique ſenatui præeſt conſul. hunc Maius Conſilium eligit. conſulibus poteſtate proximi ſunt Tribuni: quorum tres ſunt Tiguri, duo Baſileæ, qui vna cum Conſulibus quatuor vrbis Capita nominantur. Sed hæc ſatis plura qui petit, Ioſiam Simlerum adeat, copioſe & docte his de rebus diſſerentem.

Federis porro à Tigurinis cum quatuor Pagis anno M CC-CLI. facti, ea vis eſt: vt communia ab omni parte auxilia præſtentur iis, quibus intra certos terminos comprehenſis, vis aut iniuria à quoquam fiet. Vt ad auxilium vocati, ſine mora præſto adſint: ſumptum vero de ſuo faciant. Vt in ſubitaneis caſibus in Fano Abbatiæ ad D. Virginem conuentus habeatur, & de eo quo opus fuerit, deliberetur & concludatur. Vt obſeſſi iis qui auxilium ferent, impenſas reſtituant. Vt quicumque damnum alicui Confœderatorum dederit, in eum & eos qui ipſum adiuuerint, iure Repræſaliorum ſiue ſequeſtrationis tam in corpore quam in bonis vti liceat. Vt Controuerſiæ inter Confœderatos à binis vtrimque delectis decidantur: inter quos ſi non conueniat, aut ſuffragia paria ſint, illi communi conſenſu vnum è Confœderatis eiuſmodi negotio idoneum adſciſcant, atque ita ſententiam ferant. Vt nemo Confœderatorum ab altero pignus capiat, niſi creditor parum ſibi cautum probet. Vt proſcriptis à ceteris Confœderatis domicilium aut vitæ neceſſaria non ſubminiſtrentur. Vt nemo Confœderatorum cum aliis fœdus faciat. Vt vnicuique ſuis antiquis priuilegiis, immunitatibus & libertate, vti frui concedatur. Vt federis tabulis, ſi communiter omnibus ita viſum fuerit, addere aliquid, detrahere, vel mutare liceat, &c. Cetera capita eadem fere ſunt cum ſuperioribus in federe Lucernate.

Tugium ſiue Zug.

Tugium, vulgo Zug, oppidum, eiuſdemque nominis regio, verſus Septemtriones Suitiam vicinitate attingens, in pede paſcui & vitibus conſiti montis, lacui piſcoſo adiacet, cui à ciuitate nomen, Lacus Tuginus: qui ad meridiem verſus, ad Artenſe oppidum extenditur. Agrum compaſcuum, vini frumentique feracem habet. Paruit aliquando Nobilibus, poſtea in Auſtriorum poteſtatem peruenit. hi bello Heluetico, perpetuo præſidia illic alucre, quæ Suitios & Tigurinos infeſtabant. Itaque anno M C C C L I I. Tigurini cum quatuor aliis Pagis expeditionem aduerſus Tugium ſuſcepere. Præſidiarii oppidi munitionibus diffidentes, ante aduentum Heluetiorum id deſeruere; ciues tamen qui fidem Auſtrio ſeruare vellent, obſidionem per dies X V. ſuſtinuerunt. Tandem deditionem fecerunt, & Heluetiis ſacramentum dixerunt, hac conditione, vt ſi intra præfinitum tempus Dux Auſtrius eos, adducto exercitu, obſidione liberaret, ab Heluetico ſacramento liberi, in eius obedientiam redire poſſent. Quum autem vidiſſent in Auſtrio ſibi nullam ſpem eſſe, Heluetico ſeſe federi iunxerunt, iiſdem plane quæ ſupraſcriptæ ſunt, conditionibus. factum id Lucernæ, anno M C C C L I I. die Mercurii poſt feſtum Ioannis Baptiſtæ.

Tuginus Pagus. *Fedus.*

Glarona, vulgo Glaris.

Glarona, Heluetici federis vallis ſiue regio, iuxta Limagum fluuium, non admodum ampla, longitudine trium milliariorum Germanicorum, nomen habens à præcipuo totius regionis vico, cincta vndique fere altiſſimis alpibus, à meridie & oriente Rhætos, ab occaſu Vrios & Suitios attingit, à Septemtrionibus caſtra Rhætica dictam regionem, qua Limagus vallem egreditur. Huius regionis iuriſdictio, vna cum quibuſdam prouentibus ſunt tempore S. Fridelini per Comitem quemdam donata monaſterio Seckingenſi, tempore ſcilicet Clodouei, primi Francorum Chriſtiani Regis, nempe anno Domini 17. qui primus Francorum Rex fuit qui in Rhætia, Alemania, & Heluetia imperauit. Conſequuta eſt hæc regio poſteris temporibus libertatem & propriam iuriſdictionem, adiunxitque ſe federi Heluetico anno M C C L I I. Viuunt incolæ lacte, caſeo, butyro, & carnibus. Ibi inter anguſtias montium nulli aut pauci ſeruntur agri, raræ plantantur vites.

Glaronenſis Pagus.

Hortos pomiferos habent, & prata lætiſſima. Vinum & frumentum aliunde inuehuntur. Piſces Lacus miniſtrant. Aues carneſque ferinas ſyluoſi montes ſuppeditant. Patriam hanc Henricus Glareanus, & Ægidius Tſcudus, viri doctiſſimi, ortu ſuo nobilitarunt. Eſt autem Glarona in XV. partes diſtributa, quas vocant Taguan. Imperat. Verdenbergenſi Comitatui, quem emeruntanno MDXVII. cum Suitiis alternatim Præfectos mittunt Vzenacum, & in caſtra Rhætica ſiue Veſem.

Fœdus. Porro fœderis idem fere tenor, & eadem omnino vis eſt quæ ſuperiorum.

Berna.

Berna. Berna, ſi annos numeres, non admodum vetus vrbs eſt; ſi ſitum & cultum, ſi mores & ciuilitatem, ſi leges & inſtituta, ſi potentiam & virtutem reſpicias, nulli vrbium cedit. De eius conſtructione ſic legitur. Berchtholdus Zeringiæ Dux IV. huius nominis, conſtruxit ſuo tempore duo Friburga, hoc eſt, libera caſtella, vnum ſcilicet in Briſgouia, alterum in Nuchtlandia. Et quo ſui ſubditi firmiorem & tutiorem in Nuchtlandia haberent manſionem, deliberauit aliam exſtruere ciuitatem, iuxta arcem ſuam quæ Nideck appellabatur, in peninſula quæ Saccus vocabatur, quam tunc ſylua quercina occupabat. Quodam autem tempore quum idem Berchtholdus venationi intenderet, dicebat ſuis: Ciuitatem quam in hoc opportuno loco condere deliberauimus, nominari volumus vocabulo beſtiæ quæ nobis prima occurrerit captaque fuerit. Ceperunt autem Vrſum, quem Germani *Beren* vocant. Eſt autem huius ciuitatis ſitus in peninſula, quam facit Arola fluuius nauigabilis.

Nam ad meridionalem plagam vrbis fluit amnis ille in demiſſo loco ab occaſu in ortum, ac tunc reflexus, petit occaſum, ad iactum bombardæ, quanta ſcilicet eſt longitudo ciuitatis: ſicque amnis eſt ciuitati loco foſſæ aqua inundantis, niſi quod ad occaſum ad iactum baliſtæ, fundus ciuitatis cohæret continenti, qui iſthmus ſi perfoderetur, haberet Berna formam inſulæ. Eſt autem à meridie & ſeptentrione valde profundus deſpectus in ſubiectam aquam; ab ortu lenis eſt aſcēſus in ſummum ciuitatis. Adiacens ſolum omnium rerum ēſt ferax præterquam vini, quod haud procul è ſua terra Bernates optimum aduehunt. Apud hos ſummus magiſtratus & publici Conſilii caput prætor eſt, quem *Schultheiſſen* appellant, Germanica voce, tanquam eū qui debitoribus imperet vt creditoribus ſuis ſatisfaciant. Conſi-

Adminiſtrandæ Reip. ratio.

lia

lia etiam hic publice duo ſunt, Maius & Minus. Maius Conſilium Bernæ, ſicut & Tiguri, nomen habet ducentorum, quamuis plures ſint ducentis. Minus vero Conſilium Bernæ eſt hominum XXVI. Senatus eligendi ratio hæc ſeruatur. Quatuor vrbis ſigniferi ex omni ciuium numero viros XVI. expertæ fidei & virtutis ſibi adiungunt: atque hi XX viri vna cum Conſule, Maiorem Senatum eligunt, ac poſtea etiam Minorem. Conſules, quorum præcipua dignitas eſt, ab vtroque Conſilio communibus ſuffragiis eliguntur. Adminiſtrantur autem à Minore Senatu res vrbanæ, ac prouocationes ſubditorum audiuntur, prætetquam ex Præfecturis Sabaudicis poſtremo bello captis. Quæ autem ad totam Rempublicam pertinent, maximique ſunt momenti, ad ducentos ſeu Maius Conſilium referuntur. Conſul qui vtrique Conſilio præſidet, ab vniuerſo populo deligitur.

Fœderis porro anno MCCCLV. à Bernatibus cum tribus Heluetiorum pagis initi eadem fere vis eſt quæ Tigurinorum, niſi quod certa locorum, quouſque ſcilicet auxilia mittenda, & ſumptuum ratio aſſignatur; tum lites vtrimque incidentes ab arbitris (quorum ibidem eligendorum ratio oſtenditur) decidi iubentur. *Fœdus cum Heluetiis.*

De Rhætis ſiue Griſonibus.

Explicatis præcipuis Heluetiorum Pagis (cæterorum deſcriptionem è Chorographicis libris petat qui volet) de Rhætis & Valeſianis pauca dicenda reſtant. Rhætorum ſcriptor Italicus hanc originem tradit. Bellouеſus, inquit, cum magna Gallorum multitudine annis ante Chriſtum natum CLXXXVIII. in Italiam profectus, eam Hetruriæ ſiue Tuſciæ partem vbi nunc Florentia, Piſæ & Luca cernuntur, occupauit, expulſis vetuſtis cultoribus, qui Rhæto quodam duce inter aſperrimas Alpes, non procul à Rheni & Atheſis fontibus, ſedem ſibi delegerunt, & tam in montibus quam vallibus arces & pagos aliquot condiderunt, & fines ſuos à Brigantino lacu ad Italiam vſque, vbi Comum, Verona & Tridentum iacent, protulerunt. Anno poſt Chriſtum CCCLVII. Conſtantinus Imperator cum Germanis bellum gerens, exercitum in Rhætiam adduxit, & in planicie quadam ad Alpium fauces, vnum milliare à Rheno diſtante, conſedit, vbi poſtea anno CDXLVIII. inſignis & Epiſcopalis ciuitas, ab Imperatoris ſede Curia dicta, effloruit. Habuit hæc vſque ad annum MCDXLI. triginta duos Epiſcopos, qui Rectores & Defenſores Rhætiæ dicuntur. Primum fœdus Epiſcopus & Collegium cum ciuitate percuſſit: cui poſtea vicini Abbates & reguli aliquot nomen quoque dederunt. Id fœdus *Domus Dei* vocatum. Non multo poſt omnes vallem illam habitantes, commune fœdus fecerunt, quod *octo* Calii *Decem iudiciorum* appellant. Tandem Griſones (ſic enim tum dici cœperunt muniendi ſui cauſa tum ſeptem Heluetio- *Rhætorum origo.* *Domus Dei.*

rum Pagis æternum fœdus pepigerunt: cuius eadem omnino vis eſt, quæ ſuperiorum, vt ſcilicet mutua auxilia præſtentur, neque cum hoſte pax fiat, niſi altera quoque parte comprehenſa.

Valeſia.

Valeſia deſcriptio.

Vallis huius ſitum breuiter explicabo. Porrecta eſt ſecundum vtramque Rhodani ripam, trium aut quatuor dierum ſecundum longitudinem itinere patens; cincta vndique altiſſimis montibus, perpetua niue candentibus. Initium ſumit à Fano S. Mauritii, verſus lacum Lemanum, vbi pons Rhodano impoſitus, porta clauditur & à cuſtodibus ſeruatur; & extenditur ad montem vſque S. Gothardi. Populi hi Seduni olim dicti fuerunt; quod nomen hodieque primariæ ciuitati manſit. Vniuerſa vallis in duas partes diuiditur, ſuperiorem ſcilicet & inferiorem. Superior initium ſumit à Furca monte, & ad Morſum vſque fluuium paullo infra Sedunum ſeſe extendit, & VII. Conuentus quos *Decumas* vocant, & in vniuerſum triginta circiter Parochias complectitur. Inferior à dicto fluuio ad Mauritii vſque pontem porrigitur, ſexque continet Communitates, quas *Banderas* vocant, in quibus XXIV. Parochiæ numerantur. Huius incolæ ſuperioribus Valeſiis parent: ſed, vt ſupra quoque diximus, ſummam Epiſcopus Sedunenſis obtinet auctoritatem & poteſtatem, qui ſex arces montibus impoſitas & bene munitas habet. Vallis vniuerſa omnium rerum ad vitam hominis neceſſariarum inprimis fertilis eſt & fœcunda: cuius deſcriptionem latiſſimam vide apud Munſterum in Coſmographia.

Fœdus Valeſianorum.

Anno MCDXVII. Valeſiani cum Lucernatibus, Vriis, Suitiis & Vnderualdis fœdus fecerunt, quinque ſcilicet hæ Decumæ: Sedunum ſiue Sitten, Siders, Viſp, Brigens, & Gembs: Anno vero MCDLXV. cum Bernatibus. Tandem patrum noſtrorum memoria anno MDXXVIII. prædictum fœdus cum Vriis, Suitiis, Vnderualdis, Lucernatibus, Tigurinis, Friburgiis & Salodoranis, ab Epiſcopo, Collegio & ſeptem Decumis eſt renouatum. Eius præcipua capita & leges ſunt: Vt auxilia mutua præſtentur. Vt ad defectionem à Chriſtiana religione alios cogere volentes, communibus auxilis prohibeantur & coerceantur. Vt homicidia vbi commiſſa ſunt puniantur. Vt noua vectigalia imponere aut augere, ad aliorum detrimentum, nemini liceat. Vt vetus libertas tam in ſpiritualibus quam ſæcularibus conſeruetur. Vt vetuſta fœdera rata maneant, niſi Religionis diſſenſio inciderit. Vt decimo quoque anno Fœdus hoc renouetur,

&c.

Oppidum

Oppidum & Monaſterium S. Galli, Mulhuſium & Rotuila.

Præter XIII. Pagos, Rhætos ſiue Griſones, & Valeſianos, Heluetico quoque fœderi adiuncta ſunt oppidum ſiue Fanum S. Galli, Mulhuſiū, & Rotuila S Galli oppidum à lacu Brigantino non longe diſtat, in valle quadam aſpera poſitum. nomen habet à S. Gallo, qui è Scotia eo veniens, primū eo in loco habitauit vbi iam Abbatiſcella viſitur Huius ſucceſſores tandem eo potentiæ peruenerunt, vt vicinos continuis fere bellis vexarint, donec tandem anno MCDLV. cum IV. Heluetiorum Pagis fœdus pepigerunt, quamuis Imperii eſſent beneficiarii ſiue clientes, cuius eadem vis eſt quæ ſuperiorum. *Oppidum S. Galli.*

Mulhuſium ciuitas eſt Imperialis, non longe à Baſilea diſtans: Rotuila vero Sueuiæ ciuitas eſt; quarum vtraque cum Heluetiis, illa quidem anno MCDLXVIII. hæc vero anno MCDLXIII. fœdus iniit, iiſdem legibus fere & conditionibus quibus ſuperiores, quod multoties deinde fuit renouatum.

Porro quum ſuperioribus annis ob religionis diſſidium multæ inter Confœderatos exortæ eſſent controuerſiæ, adeoque in apertum bellum exarſiſſent; tandem conuentibus aliquot habitis, Galliæ regis interuentu, Pax religioni conſtituta eſt, his fere legibus, vt vnicuique liceat quam velit amplecti religionem. Ne religionis cauſſa cuiquam vis fiat, aut iniuria vel probrum & ludibrium inferatur. Vt antiquum fœdus omnibus ſuis partibus integrum conſeruetur. &c. *Controuerſia ob religionem ſopita.*

Cęterum non abs re monendus mihi Lector videtur, tres eſſe modos quibus Reſp. eiuſmodi fines ſuos amplificare ſtuduerunt. Primus à Lacedæmoniis & Athenienſibus fuit vſurpatus, qui quaſcunque cœpiſſent ciuitates, ſuo ſtatim ſubiecerunt imperio; aut quas defendere non poterant, deſolarunt: quod non ignorarent, difficillimum eſſe libertati aſſuetas ciuitates ſub imperio retinere. Et hic quidem modus omnium eſt maxime incommodus & infructuoſus.

Secundus is eſt, quo Hetruſci olim ante Romanum conditum imperium, vſi ſunt, duodecim ſcilicet ciuitates, Feſulæ, Aretium, Volaterra, &c. quæ ſimul iunctæ, Reip. quaſi formam quanquam conſtituebant, ita vt nullus inter eas dignitatis gradus eſſet, & oppida acquiſita, immediate in ſocietatem reciperentur.

Tertius Romanis fuit vſitatus, qui multos populos ſocios ſibi fecerunt, hac tamen lege vt Populi Romani maieſtatem comiter illi obſeruarent, & tam imperandi partes quam regiones bello acquiſitæ Romanorum ſubiicerentur imperio. Et hic modus amplificandæ Reipublicæ ſemper habitus fuit commodiſſimus, vt re ipſa compertum eſt. ſed nec alter ille ſpernendus eſt, quippe quo ciuitates illę non modo totam Hetruriam, verum ëtiam magnam Lombardiæ partem ſub imperium redegerunt.

Et hunc quidem modum hodieque obſeruant Heluetii & Confœderati, qui in vnum quaſi Reipub. corpus, in plura membra diſtinctum coaluerunt, ſine vlla ferè graduum & dignitatis diſtinctione, eiectis permagna ex parte regulis & dominis, qui iuriſdictionem olim & ſuperioritatem habuerunt. Iure enim Heluetii omnes ferè pares ſunt, niſi quod ii qui magiſtratibus funguntur, aut prudentiæ aliarumque virtutum laude commendantur, à reliquis obſeruantur & præcipuo habentur loco. Hinc odium illud inter Principes ab vna, & ciuitates Germanorum ac Heluetiorum Rempublic. ab altera parte. Illi enim imperium affectant; hæ vero libertatem amant ac ſummis viribus propugnant, imo omnem Nobilitatem odio habent, libertati ſcilicet infeſtam. Quapropter illi qui in Germaniæ ciuitatibus remanſerunt, Heluetiorum metuentes exemplum, omni contentione diſcordiam inter eos alere ſtudent: quin etiam omnes qui arma inter Germanos tractant, natura Heluetiis parum ſunt beneuoli, eo ſcilicet, quod illis rei militaris gloria florentibus, ſe non magno in precio ſentiant haberi. Sunt enim Heluetii, vt initio diximus, bellicoſi admodum, & ad quoſuis perferendos labores, natura quodammodo facti, vtpote inter aſperrimos montes nati & educati. Militiam à teneris continuo exercent, & Romanorum more, ordines ſeruare, arma tractare, & quidquid eo pertinet, condiſcunt. Statura plerumque ſunt mediocri, atque etiam infra mediocrem, ſed bene compacto & robuſto corpore. Opibus non abundant: quod tamen deeſt, parcimonia ſupplent, aut facile eo carent. In veſtibus nullus eis luxus, vt nec in cibo & potu, vt qui magnam partem carne & lacticiniis viuant. In moribus agreſte quiddam & impolitum præ ſe ferunt, omnis affectatæ elegantiæ hoſtes.

Heluetij libertatis amantes.

Heluetiorũ natura.

Heluetiorũ amicitia à multis expetita.

Anno MDXIII. Franciæ Rex Inſubriam ſiue Mediolanenſem Ducatum oppugnaturus, Heluetiis vt ſibi militarent, multis modis perſuadere conatus eſt: quod tamen illi ob fœdus cum Maximiliano Imperatore & Domo Auſtriaca præfracte recuſarunt. Quum vero Rex nihilominus expeditionem cum decem peditum & totidem equitum millibus ſuſcepiſſet, à nouem Heluetiorum millibus vniuerſus ipſius exercitus profligatus fuit & diſſipatus. Sequenti anno Pontifex, Imperator, & Dux Mediolanenſis certatim non minori ſtudio Heluetiorum auxilia ambiuerunt, promiſſa annua penſione; eoque res tandem deducta eſt, vt fœdus illi cum Pontifice Leone Decimo percuſſerint. Inde Franciæ Regem iterum cum quadraginta peditum & viginti equitum millibus & centum maioribus tormentis in Italiam deſcendentem, triginta ſex Heluetiorum millia adorti ſunt, & prœlio vicerunt, in quo ſeptem Heluetiorum & duodecim Gallorum millia ceciderunt: tuncque in Pedemontio & Inſubria quinquaginta Heluetiorum millia numerati dicuntur. Commiſſo hoc prœlio Imperator Heluetios per Legatos monuit, ne pacẽ cum

Gallo

Gallorum rege facerent: illi vero nihilominus, promiſſa male ſibi ſeruari ac parum dignam gratiam rependi conqueſti, ad Galliæ opes reſpexerunt, pace cum Franciſco Rege Anno MDXVI. Genuæ facta, atq; etiam arctiſſimo inito cum Galliæ regno, certis aſſignatis annuis penſionibus, fœdere, in quo hactenus conſtanter permanſerunt.

DE REPVBLICA VENETA REBVSQVE Venetis,

DISCVRSVS X.

Interna.

AMPLISSIMAM potentiſſimamque Venetorum Rempublicam deſcripturus, primum res eius internas, inde externas, perſequar. Internas voco ſitum, munitiones, commoditates, pulchritudinem & ſplendorem ipſius Vrbis. Sita eſt in intimo Adriatici ſinus receſſu. Inſulas fere ſexaginta (adiectis tandem aliis duodecim) parua inter ſe ſpacio diſiunctas, intercurrentibus euripis continet. Eas à vehementiori maris impetu agger tenuis (*Litus* vocant) artificio prouide naturæ prætentus tuetur. is curuus inſtar arcus, & oſtiis quinis interruptus, quæ ſingula modicum portum efficiunt, nauigiis & aquis marinis aditum in æſtuaria præbet. His in lacunis (quibus ad ducenta circiter miliaria circundatur) media ſedens, vim omnem à terra. ridet, à mari vero, facile propulſare poteſt: ſic vt ab ipſa natura vix quidquam munitius fieri poſſit. Opportunitates ſiue commoditates tam à mari quam à fluminibus tantæ ſunt quantæ vel votis conceptis optari poſſint. Vnde tam ex inſulis & longinquis regionibus, quam vicinis oppidis res omnes quum ad hominum vſum & neceſſitatem, tum ad delicias ac voluptates expetitæ, tanta copia inuehuntur, vt (quod dictu mirabile) in qua vrbe nihil ferme gignitur, in ea omnium maxima & incredibilis exuberet copia. Quare non immerito à Iaſone *l. ſi inſulam ff. de verb. oblig.* Deliciarum paradiſus appellatur. Quid de frequentiſſimis dicam canalibus vel aquæductibus, per quos exiguo labore & ſumptu, mira cum celeritate res omnes in diuerſas Vrbis regiones infinitis fere cymbis (*Gundulas* vocant, & ſupra VIII. millia eſſe aiunt) tranſportantur. Quod ſi quis terreſtri magis itinere delectetur, ei Pontes è viuo ſaxo mirabili artificio facti, quam plurimi

Situs.

Commoditates.

(qua-

(quadringentos aliqui numerant, additis ligneis) occurrent, ſæpe tamen non agnoſcentur, ita vt quum ſolo inſiſtere te putes, ſalum ſub pedibus habeas: & mare ipſum ab hominibus inambuletur.

Pulchritudo vero ac ſplendor Vrbis tantus eſt, vt Orbis potius miraculum debeat videri. Exornatur enim ædibus vndique pulcherrimis, palatiis regiis, templis ſplendidiſſimis, ſumptuoſiſſimis pontibus, admirandæ ſtructuræ molibus, columnis & ſtatuis, foris ampliſſimis, tabernis innumeris, omni mercium genere refertis: in quibus innumera mortalium, variis ex Orbis partibus, corporum vario cultu, variis linguis ac moribus, multitudo ſumma cum admiratione ſpectatur.

[Ex]terna. Iam ad externa nos deducit oratio: quæ ſunt, Regna, Ciuitates, Populi, Arces, Oppida quæ ſub imperio Veneti habent; Vires terreſtres ac maritimæ; Reditus, Vectigalia, & quæ ad publicum ærarium pertinent; Forma imperii qua in republica adminiſtranda vtuntur; amicitiæ & fœdera quæ cum aliis in toto orbe Principibus colunt. De quibus ſigillatim ordine dicemus.

Et vt à primo auſpicemur, poſſident Veneti in Lombardia & Marchia Taruiſina ſeptē amplas, opulentas ac populoſas ciuitates præter multa oppida elegantiſſima, Arceſq; non paucas. Ciuitates ſunt, Bergomum, Crema, Brixia, Verona, Vicentia, Patauium, quæ omnes natura & arte ſunt munitiſſimæ, excepta Vicentia, quæ tamen quod velut in vmbilico cæterarum incluſa ſit, & ipſa eſt extra periculum. Verona autem & Brixia inexpugnabiles habentur. Oppida ſunt Baſſanum, Caſtellum francum, aliaq; multa; quę breuitatis ſtudio omitto. Arces & caſtella munita ſunt, Orcinovum, Aſola in territorio Brixienſi, Piſcaria, Lignacum. Eiſdem ſubeſt, Poliſinum in Rouigo, in qua multa oppida ſunt admodum lauta. Lombardia, ſeptemtriones verſus digreſſis Foro Iulienſis occurrit diſtrictus (*Forli* Italis, **Friaul** Germanis) quem & ipſum pæne vniuerſum Veneti ſub imperio habēt, vna cum Iſtria, quæ extrema eſt Italiæ ab eo latere prouincia. In tractu Foro Iulienſi nullus munitus eſt locus, præter arcem Matanī, inter paludes & æſtuaria ſitam, haud longe à mari, validiſſimā illam quidem, vtpote ad quam tanquam peninſulam quandam nullus niſi ab vna parte patet acceſſus, quæ mediocri militum præſidio munita, facile omnem vim cluſerit. Non longe hinc abeſt Oſopo arx præualida, ad radices montis ſita, quę vel maximo exercitu, per tritiſſimum hoc iter in Italiam irrumpere conanti, tranſitum præcludere queat. aliæ enim viæ ſiue itinera bellicis machinis imperuia ſunt. In eadem prouincia Vtinum eſt, *Vdene* vulgo, elegans quidem, ſed debile oppidum, quod terra ſabuloſa munitioni nō ſit accommoda. Iſtria quoq; multa habet oppida, ſed patū firma, præter vnum illud quod *Caput Iſtria* vulgo dicitur. A finibus Italiæ orientem verſus omnia fere flumina inſulaſq; quæ Dalmatiæ & Sclauoniæ prætenduntur, in pote-

ſtate habent Veneti: in quibus aliquot ſunt oppida, & arces nonnullæ munitæ, vt Zara & Catharum. Sed oppida Dalmatiæ munire, nihil neceſſe eſt, quod terreſtris exercitus eo duci non poſſit. Excurſiones quidē fieri poſſint, ſed non magni momenti, quæ & ipſe facilime reprimi queant, ob viarum difficultates, & itinerum per aſperrimos montes anguſtias. Præterea ſub Venetorum imperio eſt Corcyra Inſula (*Corfu* hodie) in mari Adriatico ſita, & arcem habens munitiſſimam, quę inſtar clauis eſt vel oſtium Adriatici ſinus, ita vt mediocri claſſem ingreſſus præcludi, & quamuis magna claſſis prohiberi poſſit. Idem imperium agnoſcunt Cephalenia, Zacynthus, Cithera, Lucera, & Zara inſulæ: de quibus Chorographi conſulendi. Vltra has Venetis ſubeſt nobilis illa inſula quę Candia hodie dicitur, olim Creta, cuius ambitus eſt 700. miliarium. Quatuor habet ciuitates, Candiam (à qua vniuerſæ Inſulæ nomen) Caneam, Rethimum, & Scithiam; quarum duæ illæ priores ſitu & arte ſunt munitiſſimę; duæ reliquæ ſitu tantū. Ducali eminet dignitate, eius metropolis eſt Candia Venetorum colonia: quorū multæ nobiles, ſtirpes ibi radices egerūt. Nauale etiam habet, omni apparatu egregie inſtructum. Vt verbo abſoluam, Inſula hæc tantæ eſt magnitudinis, tantæque fertilitatis (vini imprimis generoſiſſimi, & quod ad remotiſſimas regiones tranſportatur ferax) vt non immerito pro regno haberi queat. *Inſulæ.*

Et his quidem populis, regionibus, inſulis, oppidis imperant Veneti; ex quibus (vt ad ſecundum iam veniamus) hodie percipit vicies centena aureorum millia quotannis, pacis quidem tempore. Ex ciuitatibus Italiæ ſupra nominatis colliguntur quotannis octingēta millia. Bergamum quippe & Brixia ſolæ plus q̄ trecenta millia ſoluunt. In ipſa Vrbe ex vario Vectigalium genere coguntur ad Septies centena millia. Solum enim de vino vectigal locatur CXXX aureorum millibus quotannis. Non parum etiam decimæ, & taxæ ſiue capitationes, tam Nobilitati quam vniuerſo populo impoſitæ reddunt. Reliqua quinquies centena de binis illis aureorum millionibus, ex ſale colliguntur, qui fit multis locis ad mare ſitis, nec non ex Datiis quæ vocant gabellis & ſubſidiis, quæ ciuitates maritimæ Reipublicæ largiuntur. Volunt quidam, è ſola Cypro Inſula olim, antequam à Turcis ea eſſet occupata, Rempublicam percepiſſe quinquies centena aureorum millia quotannis: habeturque pro certo iam etiam aliis modis eandem nihilominus ſummam à cæteris Reipublicæ ſubditis ſolui, ita vt publico ærario nihil quoad hoc deceſſerit. *Reditus Venetæ Reipublicæ.*

Tanti ac tales ſunt reditus ordinariis Venetæ Reipublicæ: cui hic vſu venit, quod cæteris fere omnibus Principibus Chriſtianis contingere ſolet, vt ſcilicet reditus fere omnes in expenſas ordinarias erogentur, in militiam nempe, Claſſes, oppidorum & arcium munitiones neceſſarias, in ſtipendia Magiſtratuum, & eorum omnium quibus *Expenſa.*

publicum

publicum aliquod munus demandatum, quibus omnibus detractis, parum reliquum fieri creditur: ſi quid tamen ſuperſit, id fere antiquis debitis exſoluendis erogari ſolet. Quamuis autem, vti diximus, ordinarii Reditus ordinariis fere Expenſis abſumantur: non tamen propterea vires & opes huius Reipublicæ minoris æſtimari debent. Ii enim Principes & Respublicæ cæteris potentiores cenſeri debent, qui plures habent pecuniæ extra ordinem colligendæ modos, qua ſane ratione Veneta Reſpublica vix vlli ceſſerit, quippe quæ plus, atque etiam minore cum periculo & metu conſequi hoc modo poſſit, quam quiſquam aliorum Principum. Quando enim Reipublicę aut bellum infertur, aut pacis etiam tempore Claſſis armanda eſt (id quod fieri ſolet quotieſcunque Turcæ magnam aliquam claſſem eduxiſſe nunciatur) Veneti ad extraordinarios hos modo recurrunt, qui varii ſunt, ad tria tamen hæc genera omnes referri poſſunt. Primus modus eſt, Decimatum multiplicatio, quas tam Nobiles quam Ciues omnes è rebus ſoli ſiue immobilibus ſoluere ſolent. multiplicantur autem decimæ numero, quod ſcilicet loco vnius quæ quot annis pendi ſolebat, penduntur duæ aut tres, prout Senatui viſum fuerit. idem etiam vſurpatur in multiplicando eo vectigali quod à mercatoribus exigi ſolet (*Taxam* vocant) ſecundum mercium valorem: quæ quidem Taxa plerumque decimam efficit lucri partem, & tam à Nobilibus quam ditioribus Ciuibus pendi ſolet. Ad primum hunc modum alius etiam pertinet, Cenſus ſcilicet qui populo indicitur. omnium enim Opificiorum tribus bello ingruente, certum hominum numerum ſuis ſumptibus ad vſum Reipublicę conducere tenētur. Et primus hic quidem modus nihil habet difficultatis: ſoluunt enim omnes lubenter, & vltro patriæ ferunt auxilium. Quod ſi his modus publicis neceſſitatibus non ſufficiat, ſecundo vtuntur, qui eſt, quod Patriciorum omn umque qui Magiſtratibus, aut aliis publicis muneribus funguntur ſalaria Re publicę neceſſitati impendunt, quin etiam honores & imperia proſcribunt quodammodo: quod quidem ſuperiori tempore contigit, ab omnibus fere Chriſtianis Principibus Cameracenſi fœdere colligatis, ob cauſam non grauiſſimam, Reipublicæ illato bello: in quo totos ſeptem annos publicis rationibus paullo minus quater millies CLX. id eſt quinque ducatorum milliones,) Veneti expenſum tulerunt cuius ſummæ decimam partem ex honorum eiuſmodi mercatura quæſierunt. Qua tamen in re ita verſantur, vt non plus offerendi, ſi is malus ſit aut ineptus, ſed ex plus offerentibus optimo & aptiſſimo munus ſiue publicum aliquod officium addicant. Sed laudabilius multo ac tutius eſt illud, quod olim Genenſi bello attritis Reipublicæ opibus & ciuitate pecuniis & ciuibus exhauſta; iidem feciſſe leguntur, cum trecentos ciueis, quos *Cittadinos* appellant, accepta pecunia in Patritiorum album retulerunt, vt eadem qua patritii prærogatiua fruerentur. ex quo magnam pecu-

Modi augendorum redituum.

niæ vim coegerunt, & nouorum Patriciorum incremento, plebeiorum potentiam infregerunt. Eiuſdem fere generis illud eſt, quod *Conſilii Depoſitum* vocant: quo iunioribus, quibus per ætatem nec in Senatum venire, nec honores petere nondum licet, depenſa pecunia ea prærogatiua concedi ſolet.

Tertius modus conficiendæ pecuniæ difficilioribus tantum Reipublicæ temporibus vſurpatur, quando ſcilicet à priuatis pecuniæ mutuo ſumuntur: quibus conferre recuſantibus, etiam vi eædem extorquentur, bona eorum tam mobilia quam immobilia haſtæ ſubiiciendo. Neque tamen tumultus inde aut ſeditio metuenda eſt, quæ apud alios ex multo leuioribus ſæpe cauſis exiſtunt. vulneri enim huic Senatus prudentia medetur. Exempli gratia: Si extrema vrgente neceſſitate Senatus ſtatuat tertiam partem fortunarum omnium ciuium vendi oportere; ſummam omnis eius pecuniæ Reſpublica ſibi acceptam refert, ſeque debiti nomine omnibus & ſingulis pro rata cuiusque parte obſtringit, certo etiam tempore ſolutioni præfinito, poſt bellum finitum, quo ſortem ſimul & fenus (binos de centenis) recipiant: atque ita ſatis fit creditoribus intra annos triginta: & hoc modo vtitur Reſpublica in veteribus debitis exoluendis, diciturque vulgo: *Pro di Monte vecchio*, id eſt, *Mons vetus*. Eſt etiam *Mons nouus*, quo quini de centenis penduntur quotannis; item *Mons ſubſidii*, quo ſoluuntur debita primis illis minus antiqua; aut vſura aliquanto amplior dependitur, ac ſors etiam ſiue ſumma capitalis intra breue tempus renumeratur, & hic *Mons nouiſſimus* appellatur. Et his quidem modis facile omnia debita intra XXV. aut XXX. annorum ſpacium expunguntur, ſi nullum Reipublicæ ſit bellum: quod quantum poteſt, illa fugit ac deteſtatur. Solent quoque Veneti ſub monetæ nomine (quam *Zeccam* vocant) pecuniam accipere beſſalibus vſuris, id eſt, octonûm penſione annua in centenos conſtituta: ſed ea vltra duodeuiginti annos non procedit. Iidem præterea agros publicos aliaque bona ſoli ſiue immobilia *Sortibus* ſubiecerunt, ſcedulæ ſunt, duplicis generis; quarum vnæ ſortientium nominibus, alteræ lucri vel nihili nomine ſunt inſcriptæ: quæ præſentibus aliquot è Senatorum numero binis ex ollis in publico extrahuntur, ſic vt lucrum ſcedulæ inſcriptum, ad eum redeat cuius nomen altera habet. Sed & plures alias amplificandi ærarii ac corrogandæ pecuniæ Senatus Venetus habet rationes, quibus tamen raro, ac non niſi extrema vrgente neceſſitate vſus eſt, ac præcipue ſuperiorum temporum bellis, quæ multa ac grauiſſima cum totius orbis potentiſſimis Principibus geſſit; quamuis hodieque citra vllum ſeditionis metum vti poſſit. Sed nihil laudabilius eſt, quam quod priuatis opibus Rempublicam ſuſtentare ciues non recuſent, Principis ac

Tertius.

Montes Venetorum.

Venetorum amor in patriam.

cæterorum procerum exempla ſequuti, qui voluntaria oblatione non aurum tantum & argentum ſignatum, ſed ornamenta etiam, mundum muliebrem, & quæ talia ad oſtentationem magis quam ad vſum comparata, ad publicas ſubleuandas neceſſitates contulerunt. Nec vero Venetorum tantum in ipſa vrbe ciuium tanta fuit erga patriam liberalitas; ſed municipales etiam eandem ſunt æmulati, in illis ſcilicet inſulis, regionibus, oppidis, quæ Venetorum imperio reguntur. Memini quidem quum Venetiis degerem, optimates in Cypro Inſula, quamuis tum nullo Reſpublica bello, aut alia neceſſitate premeretur, vltra centum ſcutatorum millia Principi ac Senatui obtuliſſe, tantum vt cœptę Nicoſiæ vrbis munitiones maturius abſoluerentur. Vnde facile iudicari poteſt, quid iidem vrgente neceſſitate facturi fuiſſent. Amant enim omnes lene ac manſuetum illius Reipublicæ imperium; in quo iuſtitia omnibus æquabiliter adminiſtratur, nec permittitur, vt pauperes à locupletioribus vel potentioribus opprimantur. Quin plerique etiam ſuas opes publicas ducunt, vt tritum in hac vrbe ſit prouerbium, Non multum referre quantū in ærario ſit, modo ciues opibus abundent. Fruſtra ergo ſit, qui hîc ærario modum ſtatuere, aut ſummam eius quod infertur certam ac definitam inire velit: quum tot eius ſupplendi atque augendi ſint rationes. Quare hoc omiſſo, ad alia pergemus.

Vires bellicæ & munitiones.

Ad munitiones porro & Arma Reipublicæ Venetæ quod attinet, licet Venetorum vnicus ſcopus ſit, cauere ne vrbis imperium offendatur, aut Reſpublica detrimentum accipiat; nec fere cauſa ſit quare cuiquam ipſorum ditionis parti timere debeant: ædificarunt tamen, ædificant etiamnum, ac porro ædificabunt Fortalitia, vt ditiones ſuas tutiores reddant: quorum omnium numerus tam magnus eſt, ſtructura tam perfecta, vt haud ſcio, an quiſquam alius Princeps vel plura vel maioris momenti poſſideat. Cincta enim ſunt aggeribus craſſiſſimis, muris pulcerrimis, propugnaculis contra omnem vim firmiſſimis, denſiſſimo & commode adacto vallorum ordine, foſſis & profundis & amplis. Sed inprimis Ciuitates quædam municipales inter munitiſſimas totius orbis habendæ ſunt, eæ ſcilicet, quæ aquis ita abundant, vt diuerti illæ aut exhauriri nulla ratione, aut certe difficillime poſſint, vt Taruiſium, Lignacum, & Crema. Aliarum circuitus tam amplus eſt planitiesque tam larga, vt non niſi innumerabili quaſi exercitu queant obſideri, quales ſunt Patauium & Verona. Aliis arces hoc modo ſunt impoſitæ, vt earum beneficio etiam captæ iam vrbes facile poſſint recuperari, ac hoſtibus extorqueri, vt Brixiæ, Bergomo, & Veronæ. Sed & omnes fere regiones & oppida quibus imperant Veneti, vel maritima ſunt, vel fluminibus adſita: quibus à Republ. maritimis opibus præualida,

facile ſuccurri poſſit. Ab eo vero latere qua continentem reſpiciunt, vix poſſint tormentis quaſſari, quum propter ſitum, tum propter ipſarum regionum naturam, quæ magna ex parte montoſæ ſunt, & viarum anguſtiis, aut fluminibus & paludibus impeditæ, tormentiſque ducendis imperuiæ: quales ſunt Iſtria, Dalmatia, & inſulæ fere omnes. Sic vt natura ipſa etiam vrbis imperium muniiſſe videatur.

Peditatus.

Milites ad præſidia Veneti ex illis ipſis regionibus in quibus ſita ſunt, conſcribere ſolent, quorum fidei plurimum tribuunt. In Lombardia XXV. virorum millia habent, quæ in armis tractandis exerceri ſolent, vnde miles ad vſum Reipub. velut depromi poſſit. *Cernide* appellantur, id eſt, Selecti, quod in vnaquaque regione ſiue diſtrictu legantur qui armis ſunt aptiores: eorum quotannis variæ fiunt luſtrationes, vniuerſim & viritim. Quum autem hi maiori ex parte ex aratoribus & ruſtica plebe ſint collecti, nec ordines ſeruare nôrint, ac propterea ad prœlia & acies inepti: ſi quando iuſtum Reſpub. velit conſcribere exercitum, ſolet ſtipendiis conducere eos qui in municipalibus oppidis habitant, nec exteros etiam aſpernatur. Italicus quidem peditatus fortitudine, agilitate, & quum in conferendis velitationibus, tum in aſſiliendis oppidis audacia vix vlli genti cedit: at ordines non tam accurate ac conſtanter tuentur Itali vt Germani, quorũ militia eam ob cauſſam maximopere laudatur. Hinc etiam Veneti pagis aliquot Helueticorum ac Rhætorum annuas penſiones largiuntur, vt militẽ ibi conſcribere ſibi liceat. Ex his igitur, exteris nempe, & ſubditis conductum exercitum Veneti alunt, circiter quindecim millium, ad viginti vſq; millia virorum: & ſi neceſſitas poſtulet, additis tyronibus & aliis, ad XXXV. millia facile conficere poſſent. Reliqui ad præſidia tam in oppidis quam triremibus diſtribuuntur. Peditri pro ſtipendio XLV. dierum numerantur terni numi aurei: ingruente autem neceſſitate, quini, plus minus. E-

Equitatus.

quites cataphractos ſexcentos iidem quum ad prçſidium tum ad ſplendorẽ continue alunt ſelectiſſimos: quorum vnuſquiſq; olim ternos ſecum equos trahere ſolebat; ſed hodie plures duobus non admittuntur: iique neceſſe eſt vt ſint validi, & ad bellum apti. Equiti ſtipendii annui loco dantur centeni viceni ducati: ſuntque omnes fere nobili ſtirpe ex aliqua Lombardicarum ciuitatũ orti. Horum numerũ, ſi velit, ad mille vſq; & eo amplius, Senatus augere poſſit. Solebat olim in Lombardia mille leuis armaturç equitibus ſtipendia largiri; ſed inutilibus his impenſis iam parcit: quod facile ſit magnum eiuſmodi equitũ numerum paſſim colligere: præterquam quod ad manum habet Dalmatas illos & Epiroras equites (*Stratiotas & Cappelletos* nominant) quorum opera non inutilis eſt ad obſidenda itinere & cõmeatus hoſtibus

intercludendos. Sunt enim exercitati, agiles; & turbati ac diſiecti, momento ſe recolligunt & aciem redintegrant. Huius generis equitum è Dalmatia & inſulis circiter tria millia conſcribi poſſint; totidem vero leuioris armaturæ ex aliis Italiæ municipiis. Solent autem Veneti ferme quotieſcunque bellum terra geſturi ſunt, peregrinis ducibus vti, eo maxime, qui in cæteros omnes imperium habent; ſic vt Duces etiam & Marchiones ampliſſimis ſtipendiis conducti, ſtipendia ab eis acceperint. His belli tempore duos è Senatorum numero, dignitate, virtutibus & meritis præcipuos adiungunt, quos *Prouiſores Generales* appellant: ſine quorum conſenſu Imperatori nec prœlium committere, nec quidquam quod magni ad rerum ſummam momenti ſit, aggredi licet.

Imperator & Duces.

Vires maritima.

De militia maritima, quæ caput rerum eſt, & qua maxime Venetorum opes nituntur, vt iam aliquid dicamus locus poſtulat. Sed vt omnia melius intelligantur, lectorem prius in ipſum Nauale (*Arſenale* vocant Veneti) quod in vrbe eſt, ducamus. Eſt is locus intra vrbem, ambitu duorum mill. mœnibus vndique validis munitus, cum opportunis ad cuſtodiam turribus, ſine valle tamen è ceſpite, quo non eget, quum tormentis verberari non poſſit: inſulæ ſpeciem habet, quippe canali profundo vndiq; circumdatum: & ſi alio nomine appellare velimus, merito arx Venetæ vrbis dici poſſit. In eo ducentas triremes (*Galeas*) numeraui: præter eas quæ in mare erant deductæ: quæ pauciores non ſunt quam quadraginta. Aliæ inſuper, ad viginti, illis quidem velocitate non pares, ſed magnitudine & robore ad impreſſionem faciendam aut ſuſtinendam multo ſuperiores. *Galeras* appellant: & in maritima militia Cataphractorum vim habent. Aiunt viginti horum ſecundo vento & remis impulſas, ex minoribus illis vel centum præualere: coniunctæ, claſſem quodammodo inuincibilem reddunt. Præterea in hoc nauali tot tamque diuerſa Armorum genera paſſim, non ſine ſpectantium ſtupore, videre eſt, vt integris armandis exercitibus ſufficiat: tum machinarum ac bellici apparatus tanta copia, quanta non maritimis tantum copiis, ſed terreſtribus etiam, adeoque oppidis & arcibus in terra ſatis ſit. Conficitur hic è ligno, ferro, ære, lino, canabi, omne nautici apparatus genus, anchoræ, tormenta, catenæ, ſpiræ, rudentes, vela, à plus quam trecentis viris. Roboris quidem ſeu ligni ingens huc vis comportatur, è quo naues omnis generis, variaque armamenta iis ornandis neceſſaria, remi, antennæ, &c. conficiuntur. Qua in re magna cura vtitur Senatus, querceta in ditionibus ſuis diligenter cuſtodiendo. hinc fit, vt nunquam eis materia deſit. Exciſæ vero quercus, quum ſyluæ vt plurimū haud procul à mari aut flumine abſint, facile Venetias deducuntur.

Nauale.

Galea.

Galera.

Tanta

Tanta vero vtuntur operarii celeritate, vt decem dierum ſpacio XXX. Galeras omnibus ad bellicam expeditionem rebus abunde inſtruxerint atque armarint. Fabricantur in eo tantum triremes paruæ & magnæ (*Galea* & *Galera*) & Cataſcopia ſiue ſpeculatoria nauigia (*Fuſtas* appellant) Onerarias enim probe inſtructas quamplurimas ciues habent: quibus Reſpublica quum op° eſt, pro ſuis vtitur. Venetis quoque non deſunt Epibatæ ſiue nautæ. hos enim quũ ciuitates maritimæ, atque etiam continentis; tum ipſa vrbs affatim ſuppeditat. Claſſiarii ex Selectis illis, quos *delle Cernide* vocant, conſcribuntur. Triremium Præfecti & ſubpræfecti maiorem partem ex nobilitate Veneta leguntur: ſuntq; multi. nam præter Capitaneum & Supracomitem (vt appellant) bini in ſingulis ſunt Nobiles, eo fine, vt artem rei maritimæ à iuuentute condiſcant, & laboribus aſſueſcant. Venetis itaque ad inſtituendam claſſem nihil deeſt, niſi forſan Panis nauticus ſeu bis coctus; maxime annonæ caritate premente. Sed & huius copiã multa ampliſſimaq; præbent granaria, in quibus adſeruatur infinita frumenti aliarumq; frugum vis, vt & panis bis cocti. Porro ad ipſius ſinus defenſionẽ, vt & inſularum maris Ionii, ſemp XXXV. aut XL. triremes excubias agũt, quibus præeſt Prouiſor vnus, & Præfectus vnus. in harũ ſingulas Reſpublica quotannis impendit quina ducatorum millia, præter panem bis coctum. Hæ triremes non ſolum mare ſecurum reddunt à piratarũ metu; ſed & pacis tẽpore velut ſchola ſunt & palæſtra maritimæ militiæ, in qua Nobiles quãplurimi quotidie exercẽtur: qui quidẽ fructus tantarum impenſarũ eſt non exiguus, & Reipublicæ magnã conciliat exiſtimationẽ. Dictus triremium numerus altero tanto augetur quotieſcuuq; Turca claſſem inſtruit; tumque *Generalis* ſiue thalaſſiarchus conſtituitur: quod nomen tantã habet vim apud Turcas, vt non dico ad Venetam vrbem propius accedere, ſed Sinum etiam ipſum ingredi non auſint. Licet autẽ hæc claſſis, cui maris tutela eſt demandata, potens admodum ſit, & vel magno hoſti formidabilis; haud tamen naues oẽs Sinum nauigãtes à piratis poteſt defendere. Eſt enim genus quoddã hominũ qui Vſchochi appellantur. habitãt in oppidis quibuſdã Auſtriacæ familiæ ſubiectis, & alibi. Ii naues Dalmatiæ littus legentes frequẽter inuadere ſolẽt & diripere: tamq; ſtrenue latrocinantur, vt Venetis neceſſe ſit circa ea loca continuo quinque Cataſcopia ſiue Fuſtas armatas, cum præfecto, in excubiis & ſpecula conſtitutas habere.

Naues præſidiariæ.

Vſchochi.

Quantam autẽ claſſem educere Veneti poſſint, facile æſtimabit is qui immenſam nauium multitudinem, quæ illis in prõptu ſemper habeat exploratam. Quum enim nihil omnium earum rerum quæ ad claſſem ornandam requiruntur, eis deſit, tot quot

opus eſſe videbitur naues facile eſt illis inſtruere. Verum quidem eſt iam multis annis Venetam claſſem, vt plurimis, centenis triremibus & paucis nauibus conſtitiſſe. At ſi ſuperiorũ temporũ repetere velimus memoriã, conſtat ante CC. aut CCC. annos, quũ nondũ tantæ eſſent Reipublicæ vires. Venetos ad expeditionẽ in Palæſtinã claſſem eduxiſſe ducentarũ nauium, ac totidem ad expeditionem Conſtantinopolitanam. Quod vero numerũ iã minuunt, eo fit, quod tot naues ſub vnum veluti ictum fortunę ſubiicere, conſultum ipſis nõ videtur. Etiamſi vero numero fortaſſis impar ſit claſſis Veneta Turcicæ; robore tamen & vi præſtat: nec dubium eſt ſi Turcæ Venetos aggreſſuri ſint (quod æquis viribus nunquam ſunt auſi) quin prœlio futuri ſint inferiores.

Reipubl. forma. Nunc vt Reipublicæ formam explicemus ordo poſtulat: quã quidem tam bene conſtitutam habent Veneti, vt nullum noſtro quidem æuo ſit imperium, quod diutius maieſtatem ſuam, nuſquam interrupta libertate, defenderit: vt merito dici poſſit Vrbs omnium Vrbium clariſſima & florentiſſima, Mundi Theatrum, cõmune totius Orbis Emporium, Victrix & domitrix tot tantorumque Hoſtiũ, Adriatici Regina maris, Italici nominis gloria decusq;. Quæ elogia vt merito huic Reipublicæ tribuũtur; ita negari non poteſt, præcipuũ huius felicitatis fontẽ eſſe optimũ Statũ, & miro quodãmodo tẽperatam Reipublicæ adminiſtrationẽ. Quamuis autem ad clauum Reipublicæ Venetę ſedeant Nobiles tantũ, excluſa Plebe; Oligarchia tamen dici nõ poteſt; multo minus Monarchia, licet ei Dux aut Princeps præſit: ſed ex trib⁹ harmonica quadã proportione cõfuſa eſt & tẽperata. In Duce enim regia quodãmodo Maieſtas elucet; in Senatu Ariſtocratia; in Cõſilio maximo, Democratia. Dux, *Doge* vulgo, Reip. caput, & Senatus eſt Princeps: ei tamen iniuſſu Senatus nec pace agere, nec bello quidquã licet. Aditus eidem patet in omnia Conſilia (plura enim ſunt, vt dicemus) ibiq; ſententiæ dicendæ, ſed non ſtatuendi quidquã ius habet. Ipſe Senatũ conſulit. Senatus auctor decernit. Decreta tamen Ducis nomine promulgantur. Senatus, vulgo *Gran Conſiglio*, Baſis eſt totius Status: eius Membra Nobiles oẽs, XXV. annis maiores: quibus mira in dicendo libertas, ſumma in conſulendo integritas, eximius recti veriq; cultus, ſtudium conſeruandæ libertatis tuendiq; Imperii incredibile, inſignis in aduerſis conſtantia. in hoc, ſi recte iudicare velimus, imperii maieſtas conſiſtit. Eſt & aliud Conſilium paucorũ, non ditiorũ tamẽ, ſed ſapientia rerumq; vſu præſtantiorum: ꝙ appellant *Decem ſapientum*. His iunguntur XV. Senatores: quidquid hi, Princeps, ac Sexviri ſtatuerint, ratum eſt. Sunt præterea multa alia Conſilia, q̃ paucorum dici poſſunt: quæ ſigillatim explicare, magni eſſet laboris & ab inſtituta noſtra breuitate abhorrẽtis. Hoc tantũ dico,

ex omnibus paucorum Conſiliis vnum componi, quod vulgo *di Predagi* dicitur. initio enim rogabantur prudentiores ciuiū, vt dicerent ſententiā, deliberarentq; quid eſſet ex vſu Reipublicæ. Ei vltra CCXX. Senatores non interſunt: at ſi rectè non putare volumus, Senatus hic non abſone dici poſſit. In hoc Senatores eliguntur ex maiori illo Conſilio, maxima prudētiæ ac ſapientię habita ratione; quum ad ipſos referantur maximi momenti negocia, de bello, & pace, de locis muniendis, de conducendis militiæ ducibus, de legatis ad exteros Principes mittendis. In hoc itidem Cōſilio referantur literę ad Rempubl. ſcriptæ; omnia deniq; grauiora negotia tractantur. Sed vt ad primū illud, *Grande Conſilium*, redeamus, in id, vt diximus, oēs admittuntur Nobiles, qui XXV. ætatis annum exceſſerunt, ſuntq; omnes in Albo quodā conſcripti. aliqui tamen rogatione lata, ante id ætatis tēpus, XX. tamen annis maiores, admittuntur. Numero ſunt bis mille circiter & quingenti: raro tamen, quod multi & priuata negocia & præfecturas ac magiſtratus foris gerentes, abſunt, vltra mille & ſexcētos in Senatum veniunt. Hi octauo quoq; die coeunt, die ſcilicet Dominico, mane, vt & horis matutinis dierum feſtorū. Creantur tunc magiſtratus, & publicorum munerū functiones diſtribuūtur, pulchro atque admirando ordine: leguntur in Senatū quem *Pregadi* vocant, qui plura habuerint ſuffragia, aut in Decem virale & alia Collegia. Etſi autem eligendi ratio in fortunæ poteſtate tota poſita videatur: candidato tamen vt munus conſequatur: virtus neceſſaria eſt; qui nunquam id conſequetur, niſi Conſilii pars maior eo dignum iudicauerit. Poſſent hic multa dici de mirabili ordine creandorum magiſtratuum, & quam quiete ac modeſte omnia peragantur; ſed longum id nimis eſſet, & Lectori forſan faſtidioſum. Hunc ergo locum enumeratione Magiſtratuum apud Venetos concludam: quos ſermone conſultius cenſeo memorare vernaculo quam Latino, Præter Ducem & Magnum Conſilium (*Gran Conſiglio*) ſunt.

III.	*Pregradi.*
IV.	*Collegio.*
V.	*Sauigrandi.*
VI.	*Saui de terra ferma.*
VII.	*Saui de gl' Ordini.*
VIII.	*Conſiglieri.*
IX.	*Conſiglieri da baſſo.*
X.	*Procuratori di S. Marco.*
XI.	*Conſiglio di Dieci.*
XII.	*Auogadori di Commune.*
XIII.	*Cenſore.*
XIV.	*Petitione.*

XV.	*Foreſtiero.*
XVI.	*Mobile.*
XVII.	*Procuratore.*
XVIII.	*Proprio.*
XIX.	*Eſſaminatore.*
XX.	*Cathaueri.*
XXI.	*Piouego.*
XXII.	*Sindici.*
XXIII.	*Sopracaſtaldi.*
XXIV.	*Superiori.*
XXV.	*Auditori Vecchi.*
XXVI.	*Auditori Nuoui.*
XXVII.	*Auditori Nuouiſſimi.*
XXVIII.	*Signori di Notte Ciuili.*
XXIX.	*Signori di Notte Criminali.*
XXX.	*Quarantia Vecchia.*
XXXI.	*Quarantia Noua.*
XXXII.	*Collegio di XXV.*
XXXIII.	*Quarantia Criminale.*
XXXIV.	*Signori all' Acque.*
XXXV.	*Signori all' Biaue.*
XXXVI.	*Signori alla Santà.*
XXXVII.	*Dogana da Mare.*
XXXVIII.	*Cinque della pace.*
XXXIX.	*Giuſtitia Vecchia.*
XL.	*Conſoli di Mercatanti.*
XLI.	*Sopra Conſoli.*
XLII.	*Sopra le Pompe.*
XLIII.	*Alla Farina.*
XLIV.	*Gouernatori del Entrate.*
XLV.	*Sopra Datii.*
XLVI.	*Giuſtitia Noua.*
XLVII.	*Sotto Sauii.*
XLVIII.	*Signori al Sale.*
XLIX.	*Signori ſopra i Conti.*
L.	*Proueditori di Commune.*
LI.	*Sopra le Camere.*
LII.	*Dieci Officii.*
LIII.	*Cazude.*
LIV.	*Dieci Sauii.*
LV.	*Ragioni Nuoue.*
LVI.	*Ragioni Vecchie.*
LVII.	*Datio dal Vino.*
LVIII.	*Ternaria Vecchia.*

LIX.	*Signori alla Graſcia.*
LX.	*Degana da Terra.*
LXI.	*Panni à Oro.*
LXII.	*Cinque alla Mercantia.*
LXIII.	*La Secreta.*
LXIV.	*Tre Camere di Monti.*
LXV.	*Avogatori Fiſcali.*
LXVI.	*Camerlinghi di Comune.*
LXVII.	*Eſtraordinarij.*
LXVIII.	*Tauola dall' Vſcita.*
LXIX.	*Meſſetaria.*

Quæ munera totamque Venetorum Rempublicam plenius explicant quum alii multi, tum M. Franciſcus Sanſouinus docto libro, cui titulus, *Del Gouerno & Adminiſtratione di diuerſi Regni & Republiche*, vt in Italiæ Chorographia annotauit Merula.

De priſcorum Venetorum moribus Caſſiodorus Rauennas ad Theodorum quendam ita ſcribit: *Paupertas ibi diuitia: ſub æqualitate vnus cibus omnes reficit: habitatio ſimilis vniuerſa concludit. neſciunt de pecuniis inuidere: & ſub hac degentes menſura vitia fugiunt quibus Mundus obnoxius eſt.* Veſtitu Veneti ſimili vtuntur, oblongo ſcilicet graui, & togato, haud pompoſo vel ſuperbo. Vna fere eademque ciborum eſt ratio, ſobria ſcilicet & parca. lege enim ſumptuaria luxus tam in veſtibus quam in Conuiuiis prohibetur, diuitis & pauperis nullum eſt diſcrimen: ſed virtus tantum in honore eſt. obſeruant iuuenes ac reuerentur ſenes tanquam patres; & viciſſim ab iis tanquam filii amantur: atque etiam nonnullis, vti ſupra quoque dictum eſt, ius conceditur veniendi in Senatum, ſuamque ibi ſententiam de Rebuſplicis dicendi: quæ quidem res, meo iudicio, iuuentutem ad rerum grauium ſtudia omni animi contentione complectenda magnopere inuitat & impellit; præterquam quod alacri iuuenum vigore & ardore ſenum tepor calefit. Quamuis autem ipſa rerum ſumma ſit penes Patritios ſiue Nobiles: plebeii tamen ſuas quoque habent partes in illuſtriſſima hac Republica. Admittuntur enim ad functiones honorarias & vtiles, Præfecturas nempe aliquarum Arcium, Scribarum & Secretariorum munera, &c. quod in cauſſa eſt vt populus Nobilitatem amet atque obſeruet; Nobiles plebeſos protegant, & fauore proſequantur, iiſque ad conſequendos honores ſint adiumento. Pauperum quidem Senatus magnam habet curam, eoſque multis modis iuuat, multiſque beneficiis & ſumma liberalitate ita deuincit, vt non ſolum Patritios tanquam ſubditi reuereantur, ſed tamquam mancipia. Impendit enim quotannis magnam pecuniarum vim, vt panis aliaque ad victum neceſſaria, vili væneant precio: eoque mirum non eſt, quod plebs in-

Mores.

Parcimonia.

Amor inter magiſtratus & ſubditos.

cumbente aliqua Reipublicæ neceſsitate, tributa lubenter confert, omniaque onera ſibi impoſita æquis animis ſuſtinet. Populi quoque aliarum ciuitatum Venetis ſubditorum fide & obſequio ipſis Vrbis ciuibus non cedunt. Præfecti enim à Republica miſſi hunc vnum actionum ſuarum ſcopum ſibi habent propoſitum, vt iuſtitiam æquabiliter omnibus adminiſtrent & ciuitatum quibus præpoſiti ſunt vtilitates promoueant & augeant, Sciunt enim hac ſe vna ratione ad maiores in Vrbe honores peruenire poſſe; ſin autem ſecus faciant, non pœnas euaſuros, vel ad minimum ab omnibus honoribus exclu ſum iri. Cauſſa altera ob quam Venetorum amatur imperium, hæc eſt, quod ſubditi grauibus tributis & vectigalibus non onerantur, quibus aliqui tyranni miſeras exhauriunt ciuitates.

Imperij ſoliditas.

Satis hactenus formam Reipublicæ Venetæ (quantum quidem ad noſtrum inſtitutum) expliciuiſſe nobis videmur: quæ quidem ſi cum aliis ante ipſam celebratis conferatur (ſermo mihi eſt non de imperii amplitudine & viribus, ſed de regimine & legibus) tanto omnes poſt ſe relinquere interuallo videbitur, vt illas ab hominibus rapinæ deditis & ſanguinariis; hanc vero ab ipſo Deo & Philoſophis conditam merito quis exiſtimare debeat. Magnum quidem populi Romani fuit imperium, & potentia incredibilis, qua vniuerſum pœne orbem ſibi ſubiecerunt. Illa tamen Reſpublica libertatem ſuam tueri ac conſeruare vltra ſeptingentos annos non potuit: hæc vero tot hoſtibus in perniciem ipſius coniuratis circumſeſſa atque impugnata, ab iis ſocios & amicos ſe finxerant deſerta, ſuis vnius viribus ac ſubditorum fide freta omneis omnium hoſtium impetus; tam Turcarum, quam Principum Chriſtianorum, qui ſua potentia vniuerſum Orbem complexi videbantur, non ſuſtinuit tantum; ſed etiam quando iam actum de ea putabatur, è cineribus tanquam Phœnix quidem reuixit, & floridior ſemper & præclarior euaſit. Certe nulla Reſpublica memoratur, quæ tanto temporis ſpacio, vltra mille ſcilicet annos, libertatem ſuam tam integram atque illibatam conſeruarit. Neque vero quidquam ei metuendum videtur, quod quidem Ciuitatis ſtatum labefactare aut conuellere poſſit, præter illam vnicam Rerumpublicarum labem ac peſtem, Diſcordiam ſcilicet, qua, vt vere dixit hiſtoricus, res etiam magnæ dilabuntur. Sed mirum eſt quanto ſtudio tum Senatus tum vniuerſi ciues, vt huic malo obuiam eatur, inuigilent. Negari quidem non poteſt, multa flagitia, atque enormia etiam ſcelera (quod in tanto hominum colluuie mirum videri non debet) Venetiis frequenter patrari: ex quo ſi quis inferre velit, iuſta Dei indignatione eam exciſum iri, ſiniſtre mihi quidem iudicare videatur. In tales enim flagitioſos & conſceleratos homines Magiſtratus diligentiſſime inquirunt, inque ipſis puniendis iuſta vtuntur ſeueritate. Magna inſuper eſt in vrbe piorum hominum Deique metuentium multitudo, quorum cauſſa credibile

eſt

eſt Deum hactenus Ciuitati pepeciſſe ac porro etiam parſurum, eiuſque imperium proſperaturum.

Reſtat vt quomodo Venetis cum aliis Orbis Principibus conueniat, quæ fœdera, quas ſocietates & amicitias colant, breuiter exponatur.

Amicitia & ſocietates Venetorum.

De quo quidem certi quod dicam nihil habeo: hoc conſtat, eos magni ſemper feciſſe Romanos Pontifices, & adhuc magni facere, religionis quadam reuerentia, & ob arma eorum ſpiritualia: & ſi Pontificem Romanum minus haberent beneuolum, res eorum haud proſpere ſucceſſuræ videntur. Cum cæteris Principibus amicitiam itidem & pacem omnibus modis conſeruare ſtudent; non ignari coniunctis illorum viribus difficulter ſe poſſe reſiſtere; ſed velut in medio poſitos omnibus prædæ relictum iri. Norunt enim magnam Principum partem oculos adieciſſe iis ciuitatibus quas multas & opulentas in Italia ipſi poſſident: tum in vniuerſum omnes Principes fere Rebuſpublicis parum fauere. Sed vt ad particularia veniamus, Regem Hiſpaniarum omnibus officiis colit, & demereri ſtudet Reſpublica, non ſolum quod imperium eius longe lateque patet per Italiam, ſed etiam quod pacis inter omnes Italiæ Principes conſeruandæ ſtudioſum eum animaduertunt. Quamuis autem arctiori ſe cum ipſo fœdere coniungere olim recuſarint, id tamen nulla alia de cauſſa fecerunt, quam ne aliis Principibus ſiniſtri aliquid ſuſpicandi darent occaſionem, Turcæ inprimis, vtque toti Orbi teſtatum facerent Rempublicam nemini addictam eſſe vel obnoxiam, nec eius libertatem aliunde pendere, &c.

Porro ſunt etiam inter Principes, quos non ſine cauſa formidant Veneti: ideoque ab iis cauere ſibi ſtudent, non tantum quod ditiones ipſorum à ſe inuicem remotæ ſint, ſed etiam quod ſciunt Principes vt plurimum popularibus eiuſmodi imperiis minus eſſe æquos. Ex omnibus fere neminem magis metuunt quam Turcam, quod terra vinci poſſe non videatur, marique adeo potens ſit, vt amiſſa vna claſſe, facile aliam reparare poſſit: ipſi vero accepta aliqua offenſione, magno in periculo futuri ſint, ne vniuerſo maris imperio exuantur, vel certe in nauigationibus totaque re maritima plurimum impediantur. Timent inſuper Veneti, ne ſuſcepto cum Turcis bello, famem ſuæ Vrbi inuehant. Pacis enim tempore è Turcico imperio incredibilis frumenti & annonæ vis Venetias, atque inde ad alias Ciuitates comportari ſolet: & credibile ſane eſt, commeatibus eo interclusis, breui magnam rei frumentariæ inopiam apud Venetos futuram: qua vna coactæ quædam ipſorum in Albania & Peloponeſo ciuitates olim poſtquam diu hoſtibus acerrime reſtitiſſent, tandem ſeſe dediderunt. Pacem itaq; cum Turca omnibus modis ſeruare ſtudent Veneti, ſed maxime donis quibuſdam ſiue honorariis non parui

precii,

precii,& ad excurſiones quaſdam conniuendo,quas vt non vlciſcun tur;ita ſibi ſuiſque rebus tam ſollicite proſpiciunt, vt nulla ipſis maior vis aut inſidiæ ſint metuendæ. Eſt Venetis quoque adprime vtilis Turcarum amicitia, propter mercaturam, quam quæſtuoſam & vberem in ipſorum regionibus exercent. Si tamen vltro Turca bellum eis inferre velit.equidem vbi vires ſuas oſtentet,atque exerceat, habiturum eum credo, ac fortaſſe grauiores inimicos reperturum quam putarat. Suſpectam quoque Veneti habere videntur Hiſpaniarum Regis potentiam, quod is magnam Italiæ partem poſſideat: paullo tamen ſecurius degunt, quum videant pacis eum eſſe ſtudioſiſſimum. nec parum etiam ciuitatibus ſuis fidunt, quas ſciunt valide eſſe munitas.

Quod ſi is Reipublicæ quietem turbaret; defenſioni tantum intenti fore videntur,nec in vnius prœlii aleam Reipublicæ fortunam expoſituri: qua ratione ſperant ſe poſſe reſiſtere, quamuis norint ſe viribus terreſtribus ipſo longe eſſe inferiores. Imperator quomodo erga eos animatus ſit, non credo quiſquam facile pro certo dixerit. Eius amicitiam vt omnibus modis demereri & conſeruare ſtudent Veneti; ita ei parum fidendum ſibi exiſtimant, nec tamen valde ſibi metuunt; Imperatorem Turcico bello implicitum videntes. A Francorum Rege auxilium potius exſpectant quam offenſionem;nec vires eius reformidant,quas in Italia nullas habet. Et credibile eſt, ſi Italiæ res turbare Rex vellet (quod fortaſſe nunquam faciet) eum Venetos ſibi fœdere potius coniuncturum,quam hoſtiliter prouocaturum. Ii tamen ita arbitrantur,rebus ſuis magis conducere,vt ſint bellorum quæ inter alios geruntur,ſpectatores, quam vt ſe iungendo vni,alterum offendant,belloq; non neceſſario Remp. inuoluant.

Ab Italiæ Principibus parum quoque ſibi timent, quum ipſos in varia ſtudia & factiones diſciſſos videant, nec ſoli illi valde ſint potentes. Confidunt quoque Pontifices Romanos Reipublicæ partes amplexuros potius quam aliorum: quos quidem omnibus officiis colunt & deliniunt. nec ſane rebus ſuis Pontifices optime conſulturi videantur,ſi Rempublicam negligerent,Principiſque externi potentiam augerent.Principes itaque Italiæ Rempublicam hanc, ſi neceſſitas poſcet, defendendam ſibi potius aduerſus Turcarum vires aut alios exiſtimabunt,quam vt eandem oppugnent,aut in exitium eius coniurent:in qua ſola adhuc radius antiquæ gloriæ nominiſque Italici ſplendor ſupereſſe videtur.

Quæ deſint Reſp.

Enarratis hactenus iis quibus excellit Venetorum Reſpublica, quæ multa ſane ſunt;non abs re erit breuiter quid eidem deſit (quum nihil ſit in hoc Orbe perfectum & ab omni parte beatum) indicare. Primum quidem & maximum eſt, annonæ penuria. Eſt enim non ipſa Vrbs tantum, ſed cætera etiam Venetorum ditio adeo

popu-

populoſa, vt nutriendis ciuibus agri non ſufficiant: & niſi Venetias mari infinita annonæ vis comportaretur, ciuitas fame etiam ſit laboratura: qua quidem nulla res eſt, præſertim in populari imperio, perniciofior, & ad motus excitandos validior; quum Venter, vt rectè ille dixit, auribus careat. Et hanc quidem ob cauſam præcipue tam ſollicite cum Turcis pacem colunt Veneti, nec Hiſpaniarum Regis negligenda eis eſt gratia, ex cuius regnis, Sicilia & Apulia ſæpe etiam frumenta Venetias conuehuntur. Secundo bellicarum rerum intelligentes vitio ei vertunt, quod nullo peditatu quam Italico in Bellis vtantur: de cuius virtute, ſi verum dicere amemus, non eſt hodie ea exiſtimatio quæ olim fuit. Id ex eo accidit, quod pugnandi modi multum ab antiquis illis ſint immutati; ſic vt ad ſtatariam pugnam non valde vtilis videatur peditatus Italicus; nec Germanico, Heluetico aut Hiſpanico comparari poſſit. Rectius igitur factura ſit Reſpublica, ſi copiis ſuis terreſtribus ex Germanis vel Heluetiis conſcriptos pedites adiungat: qua ratione exercitus ſuos optime firmare, & multo formidabiliores reddere poſſit. Tertio reprehenduntur à nonnullis Veneti, quod rebus bellicis adminiſtrandis, ac præcipue rerum ſummæ exteros vt plurimum præficere ſolent: quod quidem aliud non eſt, quam Rempublicam exterorum arbitrio committere, vel potius ſubmittere: quorum tamen poteſtatem, additis inſpectoribus valde reſtringunt.

Præterea quum expugnandarum arcium ac oppidorum noui quotidie modi excogitentur, neceſſe eſt vt aliquando munitionum mutetur ratio. qua in re incredibilem pecuniarum vim Reſpublica fruſtra abſumpſit. Quamuis igitur hæc atque alia multum de felicitate huius Reipublicæ detrahere videantur: omnibus tamen incommodis facilis adhiberi medicina ſolet. Prudentes enim illi patres nihil aliud ſpectant, aut agunt, quā vt omnibus periculis mature obuiam eant, vtq; in vniuerſo ſuo Statu pacem, quietem ac libertatem tueantur: eoque lites omnes ciuium ſtatim in ipſo ortu aut amica tranſactione, aut Decemviralis Collegii iudicio componunt. Neque vero vllum è ciuium ſiue Patritiorum ordine ad tantam dignitatem & potentiam euehi patiuntur, vt tyrannidem inuadere, aut Rempublicam opprimere poſſit, ſed omnes mirabili iuſtitiæ æquabilitate concordes inter ſe viuunt. Vnde ſpes eſt, Rempublicam hanc ſuis legibus & viribus, ſed inprimis Dei ope ſubnixam, incolumem ſtaturam ſemper: quam hactenus ſummæ Deo curæ fuiſſe, multa teſtantur, & abunde omnibus notum eſt. Nos nobiliſſimæ huius & celeberrimæ Vrbis deſcriptionem pulcherrimo illo Iacobi Sanazarii elogio claudamus, quod ſic habet,

Viderat Hadriacis Venetam Neptunus in vndis
Stare vrbem, & toti ponere iura mari:

Nunc mihi Tarpeias quantumuis Iuppiter arces.
Obiice, & illa tui mœnia Martis, ait.
Si Pelago Tybrim præfers, vrbem aſpice vtramque.
Illam homines dicas, hanc poſuiſſe Deos.

Ecce vero magnificentiam & munificentiam populique Veneti. Pro ſingulis verſibus iuſſit Sannazario ſingulos centenos aureos numerari.

DE STATV POLITICO APVD LVCENSES,

DISCVRSVS XI.

Luca deſcriptio.

LVCA Hetruriæ vrbs eſt nobiliſſima, à Lucomone Hetruſco, vt quidã volunt, dicta. Strabo libro V Lucam Lunæ montibus vicinam ponit. hodie certe regio illa adhuc Lunigiana vulgo vocatur, bellicoſis hominibus habitata Porro Lucenſis ciuitatis ambitus duo milliaria Italica complectitur, hominum XXIV. milia in ea numerari dicuntur. Familiæ ibi ſunt opulentiſſimę, mercatutam plerąque exercentes, inprimis ſerici panni, cuius conficiendi artem ciues à Caſtrutio Caſtricano tyrannide oppreſſi, relicta ciuitate, Florentiam & ad alias Italiæ vrbes pertulerunt. Incolæ humani ſunt & ſinceri. Lingua vtuntur præ ceteris Hetruriæ oppidis magis elegauti, & moleſtis illis accentibus purgata. Sola ex omnibus ciuitatibus, quamuis parua, libertatem tuetur. Politici ſtatus fundamentum Senatus eſt à quo rel qui omnes Magiſtratus ordinatur. Hic tribus hominum generibus conſtat. Alii enim ordinarii ſunt Senatores, eamque dignitatem per annum tenent alii extraordinarii, qui prout viſum Senatui fuerit, aſſumuntur: alii in mortuorum locũ ſunt ſurrogati, quorum itidem munus eſt annuum. Senatores in vniuerſum ſunt centum & ſexaginta; ſed vt plurimum ordinarii ſunt tantum centum & viginti.

Senatus ſicie conſitium.

Ciuitas vniuerſa in tres partes diſtributa eſt. Prima S. Saluatoris, ſecunda S. Paulini, tertia S. Mauritii vocatur. Ex his Senatus ſupremum Magiſtratum, quem Signoriam vocant, elegit, ternos ſcilicet è ſingulis partibus, quibus additur Confalonerius, id eſt, vexillifer, Reipublicæ caput, qui per vices modo ex hoc altero anno ex altera, tertio ex tertia & ſic rurſus à prima initio ſumitur.

Confalonerius.

Decem

Decem hi tertio quoque anno eliguntur, & Confalonerio excepto, Antiani vocantur. Fit autem electio hoc modo. Tres, pro patrium ciuitatis numero, viri ad numeranda ſuffragia deputantur, quos Aſſortatores nominant. Inde Senatus quibuſdam Confalonerii eligendi dat negocium. Electioni vero Aſſortatores aſſiſtunt, & ſuffragia numerant, vſque ad C L X X X. quorum numerus præterquam illis, nemini eſt cognitus, ne quid vero fraudis ab eis committatur, duo monachi eis adiunguntur, vnus è S. Dominici, alter è S. Franciſci familia. Aſſortatores magiſtratus certis hominibus mandandi habent poteſtatem, hoc ſcilicet modo: vt Caius hoc menſe huic officio, Mæuius illo menſe alteri præſit, &c. Et deputatio hæc in ſecreto fit, nec cuiquam ſub graui pœna licet eam reuelare. Porro magiſtratus ſiue Signoria in Palatio ſemper ſe continet, & publicis ſumptibus alitur, neque inde niſi capitis pœnam incurrere velint, diſcedere eis licet. Et decemuiris Commendator eligitur per vices, cuius munus per tres annos durat. Is cæteris adeoque ipſi Confalonerio imperandi, & ſolus ad Collegium referendi, non tamen ſine eius aſſenſu quidquam ſtatuendi habet poteſtatem. Rem à commendatore collegis propoſitam & probatam, Confalonerius inde Senatui proponit. Et illorum quidem imperium ad exteros tantum pertinet, non ad ciues; & referendi, nihil tamen decernendi, vt diximus, habent poteſtatem.

Secretariorum, qui tres ſunt, officium ad Maieſtatis crimen tantum extenditur: in quo ipſo Confalonerio ſunt ſuperiores, nec tamen ſine eo quidquam facere poſſunt. Etſi autem prius ad Conſilium quod facturi ſunt referre teneantur, fit tamen ſæpe, neceſſitate ſcilicet ita exigente, vt factum anticipent & poſtmodum rationem eius apud Senatum reddant. *Secretarij.*

Conſilium Colloquii, vt vocant, conſtat XIII. viris è Senatu electis. Hi in rebus intricatis & dubiis, de iis quæ in Senatu proponenda ſunt diſceptant, & dictis ſententiis, cum X. viris ſiue Signoria, quid faciendum ſit, deliberant. *Colloquium*

Sex virorum Collegio publicorum redituum & ærarii cura commiſſa eſt. E Maiori Conſilio eliguntur, & miniſtrum qui decreta ipſorum exſequatur, habent Camerlingum, quaſi Camerarium, dictum. *Quæſtores.*

Rota (magiſtratus pleriſq; Italiæ vrbibus) tribus conſtat Iuriſconſultis, quorum patria quinquaginta ab vrbe miliaribus abſit. Vnus titulum habet Poteſtatis: alter Iudex eſt maleficiorum: tertius cauſſarum ciuilium; ita vt vnoquoque ſemeſtri inter ſe officia permutent. Si poteſtas ciuem aliquem in manu non habeat, ſententiam ſuam ſcriptam Conſilio tradit, quod illam vel approbat vel refutat. De peregrinis vero ſolus Poteſtas ſine aliorum interuentu, iudicat. Breuiter, omnes res Ciuiles à tribus his viris tractantur. *Rota.*

Aula mercatorum.

Aula mercatorum nouem conſtat viris, ternis ſcilicet à ſingulis vrbis partibus electis. Ab his res ad mercaturam pertinentes diſceptantur, & delinquentes etiam capite multantur. Iuriſconſultum habent extraneum, tanquam iudicem.

Abundantia Officium nouem itidem viros habet, pari ratione electos. Horum eſt ea omnia quę ad victum, & alimoniam pertinent, prouidere.

Sunt & alii qui reliquarum rerum ad munitionem ſpectantium, eorumque locorum vbi illæ aſſeruantur, curam habent.

Itemque alii ſex commiſſarii dicti, qui rem militarem procurant, & continuo militum aliquem numerum in armis exercent.

Nec non tres alii, qui Sanitatis curatores dicuntur. Horum eſt operam dare, vt ſordes, immunditiæ, cibi noxii & corrupti, & ea omnia quæ ſanitati nocent, quantum fieri poteſt, amoueantur.

Porro ad maleficiis & ſceleribus purgandam ciuitatem, Lucenſes Conſilium habent, quod diſcolorum appellant. Modus ſuffragia ferendi talis eſt.

Proſcriptionis modus.

Septimana illa proxima ante Paſcha, quæ Sancta dicitur, qui in hoc conſilio ſunt, certo quodam loco congregantur. Ex iis vnuſquiſque ſcedulam in qua nomen eius quem ille pro homine flagitioſo & ciuitate indigno habet, ſcriptum eſt, in arcam ad id præparatam immittit. Quo facto, ſcedulæ promuntur: ac ſi forte alicuius nomen aliquoties iteratum legatur, res ad Maius Conſilium refertur, ibique rurſus ſuffragia ineuntur: quorum duæ partes ſi nominato illi aduerſentur, is talis pro homine nefario & ciuitate indigno iudicatur, ſtatimque exulare eo adhuc veſpere publica pręconis voce iubetur. Proſcriptionis vero hic modus eſt, vt intra triennium quinquaginta milliaribus ab vrbe abſit: cui ſi contrauenerit, capitis pœnam incurrit. Finito triennio ſi is reuerſus vitam non emendarit, rurſus eodem modo in exilium pellitur. Hæc pœna non multum abſimilis eſt Athenienſium oſtraciſmo.

Sunt etiam octouiri qui diuerſoria & hoſpites diligenter obſeruant & examinant, præſertim in mendaciis deprehenſos.

Ab vrbano magiſtratu centum milites extranei, quorum patria L. milliaribus ab vrbe abſit, conducuntur: quibus tamen capitale eſt muros noctu conſcendere, quorum cuſtodia ciuibus commiſſa eſt, addito menſtruo trium ſcutatorum ſtipendio. In ſingulis portis bini Commiſſarii præſidio adſunt, quorum vnus ante, alter poſt meridiem quæ neceſſaria ſunt curat.

DE STATV POLITICO APVD GENVATES,

DISCVRSVS XII.

TOTIVS Liguriæ tam antiquitate quam potentia, nobiliſſima vrbs eſt Genua, vt quæ dictæ regionis maiori parti iam diu imperarit. Vrbs ipſa non ædificiorum tantum tam publicorum quam priuatorum ſplendore, verum etiam ciuium multitudine & induſtria, nulli pene in Italia cedit. Litori maris Liguſtici meridiem verſus adiacet: à Septentrione vero leniter velut è cliuo quodam deſcendit; ita vt partim in plano, partim in alto ſit poſita. Ambitus eius ſex milliaria Italica complectitur, ſitu adeo vndique amœna, vt nihil omnino amœnius deſiderari poſſit. De origine eius multa, ſed pleraque fabulis non abſimilia, circumferuntur. Dicunt alii, nomen & originem habere à Iano Saturni filio; alii à Gemino Phaetontis ſocio; alii à Iano, qui Noe fuerit. id conſtat, ducentis & nonaginta annis ante Chriſtum natum memoriam eius exſtitiſſe, vt è tabula quadam ænea, in valle Porcifera ante annos aliquot reperta, & in templo S. Laurentii collocata, apparet: vbi antiquis litteris ſcriptum legitur, Lucio Cæcilio & Quinto Minutio Conſulibus, legatos à populo Romano miſſos eſſe, qui controuerſias inter Viturios & Genuates de finibus ortas, diſceptarent & deciderent, &c. *Genua deſcriptio.*

Porro Vrbs hæc ſuperioribus aliquot ſeculis longe lateque imperauit; maritimis quidem viribus adeo potens fuit, vt totius Italiæ fere potentiſſima ſit habita. Variam tamen fortunam ſemper experta eſt, modo ab Inſubriæ Ducibus, modo Gallorum armis vexata. Præterquam enim quod ciuitas hæc opulentiſſima eſt, tam commoda etiam loco eſt poſita, vt quaſi porta ſit tranſalpinis nationibus in Italiam deſcendere volentibus. Ciues induſtria nulli nationi cedunt, plerique mercaturam exercent adeo copioſam ac quæſtuoſam, vt complures priuatorum opes ſint ſupergreſſi, ac Principibus eo in genere fere pares ſint. Reperiuntur enim non pauci, quorum facultates quinquies centena ducatorum millia excedunt. Pecuniæ certe ſignatæ vix vſpiam maior eſt abundantia. His confiſi opibus, plurimas inter ſe factiones fere *Genua vexata*

BIBLIOTECA ... ROMA ... VITTORIO E...

Digitized by Google

ſemper aluerunt, dum alter alterum imperio depellere ſtuduit: ſed nobiles inprimis ſunt Adorniorum & Fregoſiorum familiæ, quæ de vrbis imperio ſæpe contenderunt. In hanc vero qua iam fruuntur libertatem Andreæ Auriæ beneficio reſtituti ſunt, qui ſe ſimul & patriam à Gallorum ſeruitute vindicauit, raro ſane nō fortitudinis tantum, verum etiam modeſtiæ exemplo. Quum enim facile imperium ſibi vindicare poſſet, maluit optimus, & æterna memoria digniſſimus vir, patriā liberā quam ſe in ſummo honoris gradu collocatum videre: etſi neſcio, an cuiquam maior honor quam hic ipſe contingere poſſit. Alterum huius ciuitatis lumen & decus fuit Chriſtophorus Columbus, is qui Nouum illum orbem primus nobis detexit: quamuis ſi vere & recte iudicare volumus, huius factum ad illius præſtantiam non accedat. Recte ergo Genuates qui optime de patria merito ſeni ſtatuam in publico poſuerunt. Sed iam tempus eſt, vt Reipublicæ illius formam paucis deſcribamus.

Andreas Auria.

Vrbe in libertatem anno 1528. reſtituta, inſigniores tam Nobilium quam Plebeorum familiæ, quæ ſenas quidem in vrbe apertas domos poſſiderent, deſcriptæ ſunt. Harum repertæ fuerunt duodetriginta: reliquæ quidem ipſæ quoque alicuius nominis & auctoritatis erant, non tamen ſenas ædes apertas habebant, prædictis familiis adſcriptæ ſunt. Sic ergo imperium vrbis in harum XXVIII. familiarum manus deuenit ſub Nobilitatis titulo, excluſo populo & plebe, &c.

Familiæ XXVIII. nobiles.

Conſilium Maius.

Conſilium Maius

E Prædictis familiis Conſilium cogitur quadringentorum virorum, qui vna cum Duce & reliquis Gubernatoribus, ſummam Reipublicæ adminiſtrant. Conſilium hoc à Duce & Gubernatoribus eligitur: qui octo ſunt, & per biennium continuo Reipublicæ negotia tractant. Ad hoc conſilium res arduæ, & quæ ad Status incolumitatem & ſalutem pertinent, referuntur. Speciatim vero Dux & dicti illi octo Gubernatores Italica voce La Signoria (id eſt, Dominatus) dicuntur. Quod ſi res aliquę non maximi, alicuius tamen momenti inciderint; Conſilium Minus, in quo centum ſunt Nobiles, ſuffragiis Ducis & Gubernatorum è quadringentis illis electi, Maiori illi ſuccenturiatur.

Dux.

Dux.

R Eipublicæ vniuerſæ apud Genuates caput & Princeps, Dux appellatur, cui & titulus & omnes honores ad eiuſmodi dignitatem pertinentes, tribuuntur. Antiquus hic honoris & ſummus iam olim gradus apud Genuates fuit. Imperium binos an-

nos

nos continuos tenet, quibus in publico habitat Vrbis Palatio, quingentis Germanis ſatellitibus regium in morem ſtipatus, adeo vt abſoluti ac veri Principatus, ſpeciem habeat. Primis duobus ab initio magiſtratu diebus Ducalibus vtitur veſtibus & ornamentis: toto vero reliquo tempore deinceps priuati in modum, magnifice tamen & ſumptuoſe, veſtitur. Auctoritas eius magna eſt: ſolus enim quiduis ad Senatum ſiue Conſilium referendi & ad deliberandum proponendi poteſtatem habet; quod nemini reliquorum Senatorum licet: eoque omnia ab ipſo prius tractentur neceſſe eſt. Eligendi Ducis ratio hæc ſeruatur. Tertio die Ianuarii, Conſilium Maius & Minus congregantur: quibus is qui præcedentibus aunis Dux fuit, non intereſt: elapſo enim biennio, is Calendis Ianuarii domum ſuam ſeſe abdit, & tãquam priuatus aliquis, tota vita Procuratori tantum audit. Ex vtroque horum viginti octo Nobiles, ſinguli ſcilicet ex vnaquaque familia, eliguntur: electi in Palatii quodam loco includuntur, & vna cum illis Senatoribus, qui aut per ætatem, aut familiæ contumaciam ad Ducalem dignitatem non ſunt habiles, octodecim è ſuorum numero, non tamen plures vno ex vna familia, eligunt: qui octodecim rurſus alios viginti octo eligunt, qui vna cum prædictis Senatoribus eos quos Maiori Conſilio ad Ducalem dignitatem euehendos proponere volunt, legunt. Sed hic notãdum eſt, Maiori Conſilio plures quam quatuor proponi non poſſe: & in electione neceſſe eſt, vt viginti octo illi viri cum prædictis Senatoribus in duas partes conſentiant. Hoc actu finito, priuſquam conclaui egrediantur, iidem alios viginti octo, è ſingulis familiis vnum eligunt, qui ſimul de quatuor illis ſuffragia ferunt, & è ſua electione duas tertias remouere, & in locum eorum qui reprobati fuerint, vnum aut plures, qui tamen Senatores ſint, ſubſtituere poſſunt. His peractis, Conſilium ſiue Senatus conuocatur, & quatuor illi proponuntur: & qui plura ſuffragia tulerit, Princeps ſiue Dux creatur.

Octo Gubernatores.

DVci aſſident octo Gubernatores, velut Conſiliarii. Horum officium itidem binos durat annos: ac proprie, vti diximus, vna cum Duce, Signoriæ ſiue ſupremi magiſtratus nomen & dignitatem tuentur. Penes hos quidem eſt Reſpublicæ adminiſtrãdæ munus: nullam tamen rem maioris momenti, & quæ ad commurem ſpectat ſalutem, ſoli tractare poſſunt, ſed eiuſmodi omnia ad Maius Conſilium referuntur. Bini ſenis menſibus eliguntur, hoc modo. Minus Cõſilium vna cum Senatu & Duce viginti octo è ſingulis familiis vnum eligunt: cum Senatu & Duce

nonnunquam duodecim, interdum quatuordecim viros Maiori Conſilio proponunt, cuius deinde ſuffragiis vnum tantum ex illorum numero ad hanc dignitatem aſſumitur. Sequenti die idem modus in ſecundo eligendo rurſum obſeruatur. Finito biennio, ſinguli horum Gubernatorum Procuratorum collegio accenſentur, inque eo per biennium manent, ita vt in iam dicto Procuratorum collegio ſemper octo reperiantur, qui præcipua Reipublicæ negocia tractarint. Hi omnes in Senatum vna cum Duce & octo Gubernatoribus, veniunt, quando de grauibus rebus deliberatur: exque iis duo cum Duce in publico Palatio, ſex vero reliqui domi ſuæ habitant, ſic vt tertio quoque menſe illi qui cum Duce ſunt, inter ſe permutentur.

Procuratores.

PRocuratorem aliqui perpetui ſunt, vt illi qui Ducali dignitate perfuncti ſunt; aliqui vero biennium tantum muneris hoc adminiſtrant, illi ſcilicet qui Gubernatores fuerunt. Horum magna eſt dignitas atque auctoritas, adeo vt ſine eorum conſiliis vix quidquam paullo grauius adminiſtretur aut decernatur. Publica negocia tractant, vt ſunt reditus ciuitatis & alia eiuſmodi.

Poteſtas.

Poteſtas eiuſq́; munus.

QVos hactenus recenſuimus Magiſtratus, Republica tantum adminiſtranda occupantur. Iam quod ad iudicia, & primũ quæ Criminalia dicuntur attinet, communiter Doctor aliquis ſiue Iuriſconſultus exteræ nationis, quem Poteſtatem vocant, annuo ſtipendio conducitur. Hic ſedem habet in palatio quodam, quod Ducali vicinum eſt; & de criminibus ac ſceleribus cognoſcit; nec tamen abſque Senatus conſenſu capitis pœnam in quoquam exſequi poteſt. Ei alii duo extranei Iuriſconſulti adiuncti ſunt, quorum vnus Maleficiorum, alter Fiſcalis Iudex nuncupatur. Ab his iudicia contra reos conſtituuntur, proceſſus & alia quæ ad iudiciarium ſpectant ordinem, formantur. Præter hos Poteſtas vicariũ habet, qui de ciuilibus cauſſis, quoad exſequutionem tantum, cognoſcit.

Extraordinarii.

VII. Viri Extraordinarii.

APud Genuates collegium quoque eſt Septem virum, qui *Extraordinarii* dicuntur. Hi Principis perſonam quaſi repræſentant, vt qui in Republica adminiſtranda ſint occupati. Munus eorum eſt, lites finire aut prolongare, pupillis tutores dare, & de controuerſiis inter cognatos, aut inter diuites & pauperes ortis, cognoſcere. Officium hoc ſemeſtre eſt, & multum habet dignitatis.

Quinque

Quinque ſupremi.

ALIVS præterea apud eoſdem Magiſtratus eſt, in quo quinque ſunt viri, qui *ſupremi Syndicatores* vulgo dicuntur. Horum partes ſunt tam in Ducem quam Gubernatores, ac ceteros omnes magiſtratus finitis ipſorum officiis, inquirere, quod *Syndicare* Itali vocant, & in male adminiſtratæ Reipublicæ reos animaduertere. Vbi enim magiſtratus ab Officio diſceſſerint. Quinque hi viri promulgari ſiue proclamari iubent, vt ſi quis contra Ducem, Gubernatores, &c. actionem aliquam inſtituere velit, coram ſe compareat, actionem in eum, vel eos daturis; ac iuſtitiam ſine vllo reſpectu adminiſtraturis. Et hanc quidem ob cauſſam octo continuo dies eiuſmodi cauſſis contra Ducem & Gubernatores cognoſcendis deputati ſunt: quorum aliquis ſi reus deprehenſus fuerit, punitur; ſi non publicum ei innocentiæ datur teſtimonium, & ſic in Procuratorum collegium iis cooptatur. Præterea ad hos à multis aliis Reipublicæ magiſtratibus prouocationes fiunt. Dignitas denique huius officii tanta eſt, vt Genuates optimum Principem & patriæ liberatorem Andream Auriam hoc præcipue honore cohoneſtandum ſibi putarint, dum ei primum inter Syndicatores locum tribuerunt. *Syndicatores.*

Rota.

AD Ciuiles cauſſas ſiue controuerſias & iudicia quod attinet, conducunt Genuates ſecundo quoque anno quinque Doctores ſiue Iuriſconſultos extraneos; quorum collegium *Rota* nominatur: Hi ciuilibus cauſſis cognoſcendis vacant, & in Palatio apud Ducem habitant. Lites ſecundum ius ſcriptum Imperiale diſceptant & diiudicant; ordinem vero iudiciorum certum à ciuitate iam olim præſcriptum & antiquitus vſurpatum, obſeruant. *Rota Officium.*

Cenſores.

EORVM quæ arte aut manu fiunt cura Cenſoribus commiſſa eſt. Horum eſt prouidere vt omnis iniuſtitia inter ementes & vendentes, & alios qui mercaturam vel artem aliquam manuariam tractant, præcaueatur, vt omnibus debito pondere & menſura mercimonia miniſtrentur. Habent vero eiuſmodi Artificum & mercatorum collegia ſuperiores quoſdam, *Conſules* dictos, quorum magna eſt auctoritas, eorum præſertim qui *Cenſorum munus.*

pannos ſericos tractant, adeo vt ſui ordinis homines ciuitate expellendi, ad remos damnandi, & aliis modis pro delicti ratione, puniendi, habeant poteſtatem.

Quadraginta Capitanei.

GENVA Quadraginta etiam ſunt Capitanei, è Nobilium numero delecti, qui ſingulis annis permutantur. Hi ſub ſe habent centenos è populo, ſic vt in vniuerſum quatuor millia efficiantur: quorum eſt periculoſis temporibus pro Republica excubare, & præſidium agitare. Quoties vero ſupremus Magiſtratus prodit, quadraginta hi Capitanei, magnifice omnes veſtiti, honoris eum cauſſa comitantur. Sed præter has Centurias ciues vniuerſi ſub certis ſignis, & Capitaneis deſcripti & diſtributi ſunt, ij ſcilicet qui intra vigeſimum & ſexageſimum ætatis annum ſunt conſtituti.

Generalis militiæ Præfectus.

HABET præterea Reſpublica hæc Generalem, vt vocant, militiæ præfectum, cui reliqui Capitanei ſubſunt: vt eius operam belli tempore ſemper habeant paratam.

Magiſtratus Sangeorgianus.

MVNVS hoc nobiliſſimum ann. CXLVII. inſtitutum fuit, cui etiam Reſpublica illa magnam ſuæ incolumitatis partē debet. Quamuis enim Genuenſium ciuitas in ſterili fere ſolo ſita ſit, & opibus ibi genitis parum abundet: magiſtratibus tamen nunquam ad Reipublicæ ſubleuandas neceſſitates, & conficiendam pecuniam rationes defuerunt, quam ij qui ad clauum Reipublicæ ſederunt, à priuatis hominibus vel inuitis vel volentibus, mutuo ſumpſerunt, ſine tamen ipſorum damno, quippe grauibus vſuris, pro temporis conditione & varietate perſolutis, ne ſcilicet qui publicam rem ſuis facultatibus iuuarent, priuatim detrimentum paterentur.

Compra ſiue Camera rationales apud Genuenſes.

Quo vero ad erogandam Reipublicæ pecuniam ciues alacriores redderent, creditoribus, aſſignatis certis hypothecis & redditibus, è frumenti, vini aut aliarum rerum vectigalibus, &c. cauebatur. Et hic quaſi Reipublicæ cum priuatis hominibus contractus, *Compera* dicebatur, additumque vt qui centum libras mutuo dediſſet, in hac velut ſocietate vnum locum, qui ducentas, duos locos teneret, & ſic deinceps: adeo vt Comperæ ſiue ſocietates eiuſmodi valde multiplicatæ fuerint, quarum aliæ dice-

ban-

bantur Capitull, aliæ S. Pauli, aliæ Salis, &c. Harum vnaquæque à ciuibus quibuſdam adminiſtrabatur, quorum erat operam dare, vt creditoribus recte ſatisfieret, & rationes inter hos & Rempublicam iuſte ſeruarentur. Quum vero, vt fieri ſolet, è multitudine magna nata eſſet confuſio, decretum fuit vt omnes in vnum corpus redigerentur, cui Compræ ſiue Cameræ à D. Georgio nomen inditum, eiuſque cura quibuſdam itidem ciuibus commiſſa eſt: qui quum ſingulari induſtria & prudentia munus ſibi iniunctum adminiſtrarent, publicæ vero neceſſitates, magnos requirerent ſumptus, Locariorum (ſic enim ſupra diximus, nominari eos qui in hanc ſocietatem admittuntur) numerus valde creuit, adeo vt oppignerata magna publicorum redituum parte, Officii huius curæ & negocia mirum in modum aucta ſint, & oppida etiam & territoria eius ditioni acceſſerint. Inde factum vt Societas hæc primum ab ipſa Republica, deinde à Pontificibus, Imperatoribus & aliis ciuitatis dominis multa priuilegia impetrarit, ſic vt quamuis hoc Officium ab ipſa Republica & iis qui Palatium gubernant, dependeat, nihilominus tamen vrbano magiſtratui ſubiecta non ſit, ſed omnes etiam qui partem aliquã Reipublicæ capeſſunt eius priuilegia inuiolata ſe ſeruaturos promittere & iurare cogantur. Vt vero in aliis fere rebus principia valde tenuia ſunt, & contempta, temporis vero ſucceſſu paulatim ad perfectionem contendunt; ita in hoc quoque Officio ſiue magiſtratu accidit, cuius hodie multo melior & perfectior eſt forma quam olim fuit, Quantum enim ad comparationem vtilitatis ſiue emolumenti à Locatario percipiendi attinet, non iam certum quid eſt præfinitum aut determinatum, vt olim ſed pro ratione reditus & ſumptuum, itemque ad conſeruationem earum rerum quarum cura Officio huic commiſſa eſt, & prout vectigalia fructuoſa fuerint vel minus, omnia diriguntur, quin etiam ipſa redituum percipiendorum quæ hodie in vſu ratio multo ſecurior eſt & ad conſcientiam accommodatior: præterquam quod, vt diximus hac ratione dominia aliquot & territoria ei ſunt acquiſita, ad quorum faciliorem adminiſtrationem nouas regulas & nouas leges condere oportuit. Huius quidem Officii ſiue magiſtratus reſpectu Genuenſium ciuitas in duas quaſi Communitates diuidi poteſt: quarum prima Maior eſt, & ab iis qui in Palatio ius dicunt, gubernatur, & integram fere ciuitatem comprehendit. Altera parua eſt, cui Sangeorgianus magiſtratus præeſt, & ad Locatarios ſiue redituum participes ſpectat. Illa quidem multis mutationibus obnoxia & tyrannicum imperium nonnunquam experta eſt; hæc vero libera ſemper & ad certos ciues adſtricta, ac proinde firma fuit.

Splendor & libertas huius officii.

Octo Protectores S. Georgii.

Protectores S. Georgii quomodo eligantur.

PORRO huic Officio ſiue magiſtratui octo viri præſunt, qui Protectores vulgo dicuntur, eorum munus annuum eſt: eliguntur vero ſexto quoque menſe quatuor viri ex omni Locatariorum ſiue creditorum numero, ſic tamen vt credita pecunia ad certam & præfinitam aſcendat ſummam, Eliguntur autem hoc modo. Ex omni illo numero octoginta viri ſorte ducuntur; hi ſtatim è ſuo numero triginta quatuor item ſorte ducunt, quibus conclaui egredi non licet, niſi octo prius illis Protectoribus electis; neceſſe vero eſt vt eorum ſinguli decem ſuffragia vel puncta ferant.

Anno MCDXLIV. aliud Officium S.Georgii in quo octo fuerunt viri, conſtitutum eſt, quod ab anno inſtitutionis hodieque nomen habet, & Officium XLIV. ſcilic. anni, vocatur. Cauſſa vero ob quam inſtitutum illud fuerit, hæc fertur. Quum Officium ſæpedictum triginta ſeptem annorum ſpacio valde eſſet auctum, adeo vt octo illi Protectores negotiis tractandis non ſufficerent, nec intra annum vertentem ea poſſent expedire quæ ad conficiendam pecuniam & promouenda emolumenta ſpectarent: creditoribus neceſſarium viſum eſt, ad Reliqua hæc bono ordine conſeruanda (in quibus maxime huius Officii opes conſiſtunt) aliquot eligere qui earum rerum curam gererent, & in omnibus Sangeorgiariæ Societatis vtilitatem promouerent, omnia vero ita occulte adminiſtrarent, ne tyrannis eum tollendi daretur occaſio. Et hoc quidem modo octo viri illi electi ſunt, è quibus bini quoque anno permutantur. Horum eſt colligere & adminiſtrare ea quæ ex annuis prouentibus, quorum cura octo Protectoribus concredita eſt, reliqua fiunt.

Officium hoc Corſicam inſulam, aliaſque nonnullas ciuitates & loca ſub ſuo habet imperio, & omnes ad eorum conſeruationem neceſſarios ſumptus facit, &c.

DE HELVETIORVM CONFOEDERATIONIBVS, EArumque cauſis & prima origine, Relatio ſiue

DISCVRSVS XIV.

HELVETIORVM regio, quæ Germaniæ hodie magna ex parte annumeratur, quaſi dorſo Mundi impoſita videtur, vt quæ tota fere præ cæteris Europæ partibus, in altiſſimos montes attollatur. Ab Oriente Rhætos ſiue Griſones, necnon Conſtantienſe territorium & partem aliquam Sueuiæ,ac diſtrictus Auſtriaeæ familiæ parentes attingit: ab Occidente Valeſiam & Burgundiæ Comitatum: à Meridie Ducatum Mediolanenſem qua Comum ſitum eſt: à Septemtrionibus vero Rhenum & Alſatiæ partem,qua Baſilea conſpicitur. (quæ ciuitas hodie XIII.Pagis accenſetur)pro finibus habet. *Heluetia ſitus.*

Heluetiis confœderati ſunt tres Griſonum pagi, qui olim alta Rhætia.Et ab Oriente Comitatu Tirolenſi includitur ab Occidente Heluetiorum terram vicinam habet: à Meridie Inſubriam ſiue Ducatum Mediolanenſem,ad Bergomum: à Septentrionibus Auſtriacæ familiæ ad Alpes ditiones. His deinde Valeſiani acceſſerunt,Seduni olim dicti ad Rhodini ripam habitantes. quorum regio ab Ortu Heluetia; ac Occaſu Sabaudia; à Meridie Lacu maiori & Pedemontio à Septentrionibus lacu Lemano terminatur. *Rhætia ſitus & Valeſia.*

Horum omnis Confœderatorum regio in tres veluti populos diuiſa eſt:Heluetios ſcilicet,Rhætos ſiue Griſones,& Valeſianos.

Heluetii (vt veterem diuiſionem in Ergouiam. Turgouiam,&c. omittamus)in tredecim pagos ſunt diſtributi; qui Cantones Italis, Germanis Orter,id eſt,loca dicuntur.Suntque hi: Tigurum,Berna, Lucerna,Vrii,Suitii,Vnderualdii,Solodurum, Schafhuſa,Tugium, Clarona,Baſilea,Friburgum,Abbatiscella.

Eſt vero omnis Heluetiorum regio, vt paullo ante dictum eſt,altiſſimis & præruptis montibus & ſaxis aſpera, & multis lacubus & ſtagnis interſecta,è quibus incolæ maximas capiunt vtilitates. Natura & ſitu vndique munitiſſima eſt, quum anguſti admodum per *Regionis qualitas.*

clauſtra inuias pœne vias pateat ad eam aditus, adeo vt vel lapidum iactu etiam magnum exercitum prohibere & profligare poſſint: id quod Leopoldo Auſtriæ Archiduci in Tigurinos moueuti; accidit, & aliis, vt infra attingemus. Vt iam nihil dicamus de commeatuum & annonæ, non ob viarum tantum anguſtias, ſed ipſius quoque regionis ſterilitatem, difficultatibus. Eſt enim is totius regionis ſitus, vt equitatus omnino ibi ſit inutilis; & peditatus quoque exterus, ob locorum imperitiam & alias cauſſas, parum ibi ſemper profecerit.

In hac regione capita & ſcaturigines ſunt præcipuorum totius Europæ fluuiorum, vt Rheni, Addæ, Rhodani, Atheſis, Oeni, Ticini, & aliorum.

De Heluetiis.

Heluetiorũ fortitudo & origo.

HELVETII, vt ex variis hiſtoricorum monumentis apparet, iam ab antiquis temporibus rei militaris gloria floruerunt, vt qui multas variarum nationum profligarint exercitus: vt Romanorum annis centum circiter ante Chriſtum natum interfecto Lucio Caſſio Conſule: quum hominum multitudinem alere non poſſet, inito cum vicinis fœdere, iidem de vniuerſa Gallia ſubiuganda cogitarunt; iamque incenſis quamplurimis pagis, quo ſpem reditus ſuis omnem adimerent, belli initium fecerant, ſed à Iulio Cæſare exercitus tum in Galliis habente, ſubito oppreſſi, temerarii cœpti pœnas dederunt. Heluetiam quoque ingens Cimbrorum, quos maris inundatio laribus exegerat, inundauit multitudo. Hi tranſitu per Germaniam facto, magnam Galliæ Belgicæ partem occuparunt: ſed quum neque hæc tantæ multitudini alendæ ſufficeret, ad Rhodanum conceſſerunt, & à Romanis ſedem ibi flagitarunt: qua negata, pars eorum in Italiam irrupit, vbi multis vtrimque datis & acceptis cladibus. Romanis duce Mario, tandem ad internecionem ſunt deleti. Reliqui qui cis Alpes manſerant, eam Heluetiæ partem quam hodie Suiti & Vrii colunt, tenuiſſe à quibuſdam putantur. Alii ſcribunt, tempore Sigeberti Suecorum Regis, tantam in Septemtrionalibus illis regnis incolarum fuiſſe multitudinem, vt nouas terras atque poſſeſſiones quærere coacti fuerint. Superato ergo Rheno eos Galliam occupaſſe: inde metu conſternatos vicinos populos Legatos de pace ad eos miſiſſe, quibus illi reſponderint, ſe nihil aliud petere quam tantum terræ, vbi ſine damno aliorum ex eius cultura vitam ſuſtentare queant. Ab Heluetiis ergo in patriæ interiora receptos, quæ pars fere tota montibus & lacubus occupatur, ſed à nouis incolis magno labore & aſſidua cultura multo fertilior & populoſior etiam tandem facta eſt. Proditum quoque apud nonnullos hiſtoricos legitur, ad Oceanum tres olim populos habitaſſe, vt Saxones nimirum, Anglos, & Vittos. Ex his Anglos cum Vitto

rum parte, in inſulam quæ hodie ab illis Anglia dicitur, nauigaſſe, & ſedem ibi fixiſſe. Reliquos Vrtos in Heluetiam veniſſe, & non procul à Tigurino agro conſediſſe; vnde & hodie Suitii (vulgo Schweitzer appellari fuere) qui labeſcente Romano Imperio, primo ſub aliorum dominatu fuerint, donec tandem incolæ paullatim in hanc qua iam fruuntur libertatem ſe aſſeruerunt, vt breuiter dicemus, initio à primis huius libertatis auctoribus, Vriorum ſcilicet, Suitiorum & Vnderualdiorum pagis, facto.

DE VRIORVM, SVITIORVM ET VNDERVALDIORUM Pagis,

DISCVRSVS XV.

INTER Heluetiorum pagos Vrii non quidem viribus aut dignitate, ſed fœderis antiquitate primi nominantur. Apud hos nullæ ſunt muratæ ciuitates; ſed regionis caput eſt Altorfum, locus apertus, à Lucerna qua in Italiam itur, vno milliari Italico diſtans, vbi aſperrimi ſunt montes: eiuſque Iuriſdictio vltra montem S. Gothardi extenditur. Volunt nonnulli hanc ciuitatem Iulii Cæſaris temporibus Taurum dictam fuiſſe, à Tauro, quem Germani Vri (Uhrochs) appellarint; indeque hodiernum nomen promanaſſe. Argumento etiā eſſe publicum gentis quod hodieq; vſurpant, inſigne, caput ſcilicet Tauri nigri in area ſiue campo flauo. Incolæ ipſi ſe à Gothis & Vngaris, qui in eam venerint regionem, & fidem Chriſtianam poſtea amplexi ſint, deſcendiſſe ferunt. Poſt multorum dominatus, hanc Vriorum gentem è Germaniam egreſſam, ad Tigurum conceſſiſſe, eo fere tempore quo Romanum Imperium ad Germanos translatum eſt, & omnes fere Imperii ciuitates in libertatem ſeſe vendicarent, & inſtar Rerumpublicarum adminiſtrari cœpiſſent, nec alium ſuperiorem agnoſcerent niſi Sacrum Romanum Imperium: vt videre eſt è priuilegiis à Rudolpho Primo, Habſpurgenſi Comite, poſtea anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo primo Romanorum Imperatore, & aliis ſequentibus, prædictæ Heluetiorum genti conceſſis: quam nonnulli volunt, Auſtriæ Ducibus nunquam ſubiectam fuiſſe, ſed

Vrij, & eorum origo.

Impe-

Imperatoribus tantum ex ea familia, non vero Auſtriæ Archiducibus paruiſſe.

Suitij.

Suitiorum pagus ad ripam iacet Lucernenſis lacus, ad dextram qua Lucerna Altorfum itur. Ab Oriente finitimos habet Vnderualdios, infra & ſupra Syluam, ab altera parte lacus, vbi populi Roma quondam exacti habitarunt, poſitus eſt ad Occaſum.

Præfectorũ inſolentia Pagos ad defectionem impellit.

Pagis his olim, iam aſſerta libertate, Romani Imperatores Iudices dederunt, qui tamen nullam adminiſtrandæ Reipublicæ, ſed ius tantum dicendi poteſtatem habebant. Horum aliqui eiecti, aliqui etiam ab hominibus libertati aſſuetis, male multati, & morte etiam fuerunt affecti; quod munere ſuo ad ſcelera & libidines abuterentur: vt quidam apud Vnderualdios ſiue Syluanos, qui robuſtum iuuenem tamquam bouem iugum ſuſcipere iuſſerat; quod quum ille facere recuſaſſet, per vim eum cogere voluit: at fuga elapſo iuuene, iratus petulantiſſimus Iudex, miſero hominis patri oculos effodi iuſſit. Alius quidam eodem in pago, honeſtam fœminam, marito abſente balneum ſibi parare, & vna ſecum lauare iuſſerat. at fœmina rem eo vſque diſtulit, dum maritus reuerteretur: qui re intellecta, iuſta indignatione accenſus, Iudicem ſecuri occidit. Apud Suitios & Vrios alius quidam Iudex mera petulantia vel ſtultitia potius inſtigatus, palo in loco publico iuxta viam pileum ſuum impoſuit, addito mandato, vt omnes illac prætereuntes, pileo illi ſuo honorem & reuerentiam exhiberent. Id quum Guilielmus Tellus, cordatus homo facere nollet: Iudex vocatum ad ſe acerbe increpuit: deinde pomum capiti pueri (is vero ipſius Guilielmi erat filiolus) impoſitum, ſagitta petere ac ferire iuſſit. Per aliquot dies tergiuerſatus miſer pater tandem quum vim ſibi paratam cerneret, rem aggreditur periculi plenam; artis ſuæ (erat enim iaculandi peritiſſimus) & Dei inprimis beneficio adiutus, illæſo filio, pomum ferit. Quum vero duas ſagittas in promptu haberet, rogatus à Iudice quidnam altera illa facturus fuerit? Ego, inquit, ſi chariſſimum mihi filium læſiſſem, alteram illam ſtatim in te fuiſſem contorſurus. Iratus Præfectus hominem captum nauigio imponi, & domum ſuam abduci in carcerem iubet: at homo locorum peritus, deluſis cuſtodibus, per aſperrima montium iuga aufugit, & ad populares reuerſus, vehementi oratione, & grauiſſimis querelis & eorum & vicinorum omnium animos accendit. His iniuriis & aliis Præfectorum ſceleribus tres illi populi, Vrii ſcilicet, Suitii, & Vnderualdii irritati. Iudices omnes ſiue Præfectos ſuis regionibus eiecerunt, communi inter ſe facto fœdere, cui poſtea reliqui etiam pagi, vt infra ordine dicemus, nomen dederunt.

Tres pagi Ludouico Imp. fauẽt.

Anno MCCCXIV. exorto graui in Romano Imperio ſchiſmate, quod Electores, Septem viri alii Ludouicum Bauarum, alii Fridericum Auſtriacum ad Imperium vocaſſent, iam dicti

tres pagi Auſtriacum pro Imperatore agnoſcere recuſarunt, vt qui pauciorum ſuffragiis electus eſſet. Quare Auſtriacus Leopoldum filium cum exercitu ad Suitiorum pagum oppugnandum miſit; tanto faciliorem ſibi promittens victoriam, quod à Bauaro illis auxilium ferri non poſſe, quaſi pro certo haberet. Vix regionem ingreſſus Leopoldi quamuis lectiſſimus exercitus, mox vndique à tribus illis populis cæſus ac profligatus eſt, loci inprimis commoditate adiutis, hinc montibus, illinc aquis & ſtagnis vndiq; cinctis nec parum profuit eis tum temporis commoditas, viis paſſim glacie adſtrictis, adeo vt equorum in prœlio nullus omnino fuerit vſus, ſed vel ſolo lapidum è montium iugis iactu, tantus hoſti terror incuſſus, vt multi vltro ſe in lacum præcipitarint. Circa idem tempus idem Imperator Fridericus Stamburgio Comiti, Vnderualdiis finitimo, eos oppugnandi negotium dederat: quem tamen illi, quamuis nullis exteris auxiliis adiuti, facile aditu prohibuerunt.

Poſtquam vero tanti belli onus iam dicti tres pagi per biennium ſuſtinuiſſent: tandem, vti dicere cœpimus, in vnum quaſi Reipublicæ corpus ſeſe colligarunt, quod trium pagorum dictum eſt, icto in has leges Federe.

Fedus trium Pagorum ſiue Cantonum.

IN nomine Domini, Amen. Quum hominum memoria valde ſit debilis, & rerum ſucceſſus, qui perpetua memoria conſeruari debebant, obliuione facile tradantur: vtile ſane & neceſſarium eſt, vt res quæ ad pacem, quietem, vtilitatem & honorem ſpectant, ſcriptis & inſtrumentis publicis ſiue diplomatis conſignentur. Quare nos ſympatriotæ, Vrii, Suitii & Vnderualdi, notum facimus omnibus præſentem hanc ſcripturam lecturis, aut legi audituris, quod ad occurrendum temporis difficultatibus, pacem, quietem ac concordiam inter nos conſeruandam, & vitam ac bona noſtra tanto melius tuenda, communi conſenſu fœdus fecerimus, idque fide ſtabili & perpetuo iuramento firmauerimus, ac promiſerimus, nos conſiliis inuicem adiuturos, & perſonas noſtras & fortunas impenſuros tã extra quam intra patriam contra omnes illos, qui vel perſonis noſtris vel fortunis vim inferre, aut quidquam quod in damnum cuiuſcumque noſtrum redundare poſſit, tentare conati fuerint; contra hos tales promittimus nos vim paſſis auxilia pro viribus præſtituros, & iniuriarum auctores vel vi vel ratione ad ſatisfactionem coacturos. *Fedus Pagorum, eiuſque leges.*

Secundo concluſum inter nos eſt & ſtabilitum, ne cuiquã noſtrum Cantonum ſiue pagorum, multo vero minus cuiquam priuato liceat dominatum occupare, aut dominum recipere, ſine aliorum conſilio & conſenſu, ſed potius vt omnes vtriuſq; ſexus, in debitis & honeſtis rebus, veris ſuis dominis obedientiam præſtent, iis tamen exceptis

qui ferro patriam inuadere aut iniuſtum aliquid imperare præſumpſerint, quibus quamdiu à noſtris diſſidebunt, nullum omnino obſequium aut ſeruitium eſt præſtandum.

Tertio, cōcluſum itē eſt & ſtabilitum, ne quiſquā noſtrorū pagorum aut confœderatorū extraneum quemcumq;, ſine cōſilio & conſenſu reliquorum Pagorum & Confederatorum, auxilio iuuet.

Quarto concluſum item eſt & ſtabilitum, ne quis Confederatorum cum extraneo quoquam, ſine reliquorum Confederatorum aſſenſu, in vllam tractationem deſcendat.

Quinto, ſi quis forte aliquē dictorū pagorū ciuē prodiderit, aut in aliorū manus tradiderit, aut quidquā horū ſupra & infra ſcriptorum non obſeruarit, illum pro turpi proditore & nullius fidei homine haberi, Pagorum magiſtratibus tradi, & bona eius publicari iubemus.

Sexto concluſum item eſt, ne quis vſpiam toleretur Iudex ſeu iuri dicundo præfectus, qui vel pecunia vel alio illegitimo modo munus illud ſibi acquiſierit, aut qui non ſit ſympatriota.

Septimo inter Confederatos diſſidium aut ēt bellū exiſtat, eorum eſt qui meliores ac prudentiores habentur, ſeſe interponere, & diſcordiam, turbas, aut bellū modis omnibus tollere & ſopire; contradicentem vero ſiue æquas ſuſcipere conditiones recuſantē, ipſius contradicentis ſumptibus ac damno ad officium communi auxilio reuocare.

Octauo, ſi item inter Pagos ipſos diſcordia aut bellum ortum fuerit, & vnus eorum æquis rationibus acquieſcere nolit, reliqui Pagi cæteris contra hunc contumacem & inobedientem, & quidem huius ipſius ſumptibus & damno, ſuccurrere teneantur.

Nono, ſi Confederatorum quis alterum occidat (niſi defendendi ſui cauſſa, coactum id ſe feciſſe probarit) & fuga ſibi conſulet: tum is qui talem hoſpitio ſuſcepetit, aut defenderit, itidem pro bandito ſiue proſcripto habeatur, nec in patriam reuerti ei liceat, niſi communi Pagorum conſenſu admiſſus fuerit & abſolutus.

Decimo, ſi forte Confederatorum quis alterius domum incenderit, & aufugiat, ei nulla vmquam in patriam reuertendi concedatur venia; qui vero talem hoſpitio ſuſceperit, aut auxilio iuuerit, damnum paſſo id reſarcire teneatur.

Vndecimo, nemo Confederatorū de altero pignus aliquod capiat aut auferat, niſi ſecuritatis cauſſa; neq; id ſine ſuo facere poſſit Iudice.

Duodecimo, omnes & ſinguli ſuo quiſq; Iudici ſiue præfecto obedientiam pręſtare, coram eo comparere, & cauſſam dicere teneantur.

Decimotertio, ſi quis Iudici ſeſe oppoſuerit, aut ei obedire recuſarit, vel ſua inobedientia cuiquam Confederatorum damnum cauſſatus fuerit, reliquorum confederatorum eſt talem ad officium reducere, & ad ſatisfaciendum ei qui damnum paſſus eſt, cogere.

Decimoquarto, vt Fedus hoc & Capitulatio, & omnia ſupraſcripta & comprehenſa in perpetuum firma ſint, & ſuum vigorem retineant,

Nos

Digitized by Google

Nos ſympatriotæ & conciues, Vrii, nempe, Suitii & Vnderualdi ſigilla noſtra præſentibus litteris appendimus, quæ ſcriptæ ſunt in Vren Anno MCCCXXV. Calend Martii, poſtridie S. Nicolai, &c.

Porro eodem anno Ludouicus Imperator ſupradictis Pagis omnia priuilegia confirmauit & rata eſſe iuſſit. Nos poſthac in cæterorum pagorum deſcribendis Fœderibus tanto erimus breuiores, quod primum hoc ſit quaſi cæterorum fundamentum & exemplar.

Imp. Ludouicus Bauarus Heluetijs priuilegia confirmat.

Sopitis quę duob prædictum ſchiſma, Imperium afflixerant, diſſenſionibus, exemplo & libertatis dulcedine inuitatæ reliquæ Heluetiorum vrbes ſiue pagi, quum irritare eas ac laceſſere potentes vicini non deſinerent, idem fecerunt, & inita cum prioribus (Vriis ſcilicet, Suitiis & Vnderualdis, qui confederationis, vt diximus, initium fecerant) & inter ſe ſocietate, eaque artiſſimis federum legibus deuincta, potentiam confecerunt vicinis facile parem, quæ ſociorum acceſſione & victoriis adaucta, iiſdem etiam formidabilis euaſit Lucerna federi trium pagorum quod Anno Chriſti MCCCVIII. factum fuerat, prima acceſſit Anno MCCCXXXII. Tigurum Federi nomen dedit Anno MCCCLI. Berna federi Heluetico iuncta eſt an. MCCCLV. Tugium ſiue Zug, anno MCCCLII. Glarona cum Tugio ſimul & eodem tempore in fedus recepta eſt. Friburgum & Saladorum ſimul anno MCCCCLXXXI. in federis ſocietatem venerunt. Baſilea anno MDI. ſe decem Pagis federe iunxit. Eodem anno Schafhuſa in numerum Pagorum recepta, cum vndecim pepigit. Abbatiſcella anno MDII. numero Pagorum eſt accenſita. Et hæc prima Heluetiæ pars eſt, XIII. Pagis (quos Cantones vocant, vti diximus) conſtans. Hi ſoli hoc iuris habent prę aliis confederatis, quod de omnibus ad Heluetiorum Rempublicam ſpectantibus, in publicis conuentibus deliberant, & ſuffragia ferunt, omnium totius ciuitatis commodorum & incommodorum participes ſunt, Præfecturas quas communibus viribus acquiſierint, pari iure adminiſtrant, & reliquæ prædæ publicæ ex æquo ſunt participes.

Qui populi III. pagorum federi & quando acceſſerint.

Prima Heluetia pars.

Secunda pars ſunt Federati, vt Abbas & Oppidum S. Galli, federe iunctum quatuor Pagis Heluetiorum anno MCCCCLV. & poſtea anno MCCCCLVI. cum VI. Pagis, Tiguro, Berna, Lucerna, Suitia, Tugio & Glarona in perpetuum. Rhætorum populus ſiue Griſonum (vulgo Graupundtner) cum VII. veteribus Pagis æternum fedus pepigit anno MCCCCXCVII. Curienſes vero, quorum ſocietas Domus Dei vocatur, anno MCCCCXCVIII. Tertia ſocietas, quæ Decem Iudiciorum vocatur, cum Heluetiis non pepigit; ſed quia duabus prioribus æterno federe cohæret, etiam Heluetiis amicitiam & fidelem ſocietatem præſtat. Sedunum cum Valeſia tota, æternum iniit cum Bernatibus anno MCCCLXXV. Et poſt quum religionis controuerſia orta eſſet, Hadrianus Epiſcopus Sedunenſis, & ſeptem Decumæ Valeſianorum fedus fecerunt 1532. Fridburgi cum ſeptem Pagis Heluetiæ,

Secunda pars Heluetiæ, Confederati.

Lucerna,

Lucerna, Vria, Suitia, Vnderualdia, Tugio, Friburgo, Salodoro, ex integro Romanæ religioni adhærentibus. Rotueil primo fedus iniit cum Heluetiis an. MDLXIII. in annos quindecim; quod aliquoties renouatum, anno MDXIX. perpetuo ſancitum eſt. Mulhuſen anno MCDXIX. Heluetiis ſeſe coniunxit. Bienna, Piel, Bernatibus ſe federe aſtrinxit annis 1303 1306. 1352. ac 1367. artiſſimo. Geneua ius ciuitatis cũ Bernatibus pepigit, idq; artius firmauit an. MDXXXVI. nondum tamen communi Pagorum ciuitati ſiue corpori inſerta eſt.

Tertia pars Heluetiæ in qua Præfecturæ.

Tertia in parte ſunt Præfecturæ, armis aut ſpontanea deditione acquiſitę. Turgouia anno MCCCCLX. in poteſtatem Heluetiorum redacta, cui VII. vetuſtiores Pagi imperant. Aquenſis ſiue Badenſis ſubiugata anno 1415. cui 9. primi Pagi imperant. Rheguſci, anno MCDCI. conquiſita, à VII. primis Pagis & XIII. regitur. Sarunetum, Sargans vulgo anno MCDLXXXIII. à Georgio Verdenbergenſi Comite VII. primis Pagis venditum, à quibus etiam regitur. Liberæ Prouinciæ captæ anno MCDXV. ſeptem veterum Pagorum agnoſcunt imperium, Lugana, Locarnum, Mendreſium, vallis Madia. Hæ IV. Præfecturæ ex dono Maximiliani Sfortiæ Ducis Mediolanenſis anno MDXIII. in Heluetiorum poteſtatem venere. His omnes Pagi præſunt, excepta Abbatiſcella Biliтonum vel Bellizona, cuius imperium ad III. Pagos ſpectat, eiſque confirmatum eſt anno MDXIII.

Valeſiani.

Valeſia, quæ itidem Heluetico federe comprehenditur, tres populos, ac proinde triplex complectitur fedus. Duo priores ſunt Viberi & Seduni, qui vno nomine Liberi Valeſii ſuperiores dicuntur, & in ſeptem conuentus, quos Decumas vel Decinas vocant, diuiſi ſunt. Veragri, qui & Valeſiani inferiores, ſuperiorum imperio parent. Omnium tamen Princeps eſt Epiſcopus Sedunenſis, qui ſummam tam in Eccleſiaſticis quam ciuilibus rebus auctoritatem obtinet, & Comes atque Præfectus Valeſiæ nominatur.

Reip. apud Heluetios forma.

Porro Heluetiorum Reſpublica ex optimatum & populari imperio miſta eſt. Etenim ex his populis quibus tota ciuitas conſtat, quidam Democratico imperio vtuntur, vbi totius plebis conſilio fere omnia aguntur, veluti in his pagis qui nulla habent oppida, vti ſunt Vrii, Suitii, Vnderualdi, Glaronenſes & Abbatiſcellani. & par ratio eſt Tugiorum, quamuis hi oppidum habeant. Alii ab optimatibus reguntur, vt omnes vrbes Heluetica, Tigurum, Berna, Lucerna, &c. Sed quum poteſtas ſumma penes populum ſit, à quo Magiſtratus eliguntur, miſtæ ſunt hæ Reſpublicæ, & aliæ plus Ariſtocratiæ, aliæ plus Democratiæ habent. Sed iam tempus eſt vt Pagos ſingulos, & eorum federa breuiter deſcribamus.

PAGVS LVCERNENSIS.

PAgus hic nomen habet à Lucerna ciuitate: quæ initium, vt nonnulli volunt, è quodam monaſterio anno DCCCXL. ſub Ludouico II. Francorum Rege cœpit: cuius quidem etiam hodie extra ciuitatem ad alteram Ruſæ fluuii ripam veſtigia monſtrantur. Sita eſt ad Ruſam fluuium, qua is effluit ex Lacu amplo, Lucernenſi à dicta vrbe dicto, & per quem ad tres pagos nauigatur, ad pedem altiſſimi montis, quem Fractum, & Pilati montē vulgo nuncupant. Locus vrbi commodus eſt, quod hac iter ſit in Italiam per Alpes Lepontias, quem Montem S. Gothardi hodie vocant. hinc merces ad Alpes ſubuehuntur, indeque in Italiam clitellariis iumentis, & viciſſim Italiæ merces per Lacum & Ruſam fluuium in Rhenum, ac porro in Oceanum deferuntur. Vrbs eſt ſatis amœna & elegans, dignitate ac opibus florens, commune emporium Suitiorum, Vriorum & Vnderualdorum. Fœderi acceſſit anno MCCCXXXII. vt ſupra dictū eſt: cuius hæc vis eſt. *Lucerna pagus.*

Primo articulo Cæſarea Maieſtas & S. Romanorū Imperium excipiuntur, vt ipſa Lucerna ciuitas, ne ſcilicet quid vnius vel alterius iuri, priuilegiis, & antiquis conſuetudinibus per hoc derogetur. *Præcipua fœderis Lucernenſis capita.*

Secundus eſt de finibus antiquo more regundis.

Tertio & Quarto, vt pars vna apud alteram cauſſam dicat; & de iniuriis partis vnius, reliquæ cognoſcant, & iniuriam facientem ad officium communibus auxiliis cogant.

Quinto, vt auxilium ſuis quiſq; propriis ſumtibus ferat.

Sexto, vt Controuerſiæ melioribus & prudentioribus ex vnoquoque Pago delectis, decidendæ permittantur eorumq; ſententiæ ſtetur, & detrectans, ſuo damno & ſumtu ad officium reducatur.

Septimo, ſi controuerſia inter tres Pagos exſiſtat, & duo conſentiant, vt tertius Lucernarum opera ad concordiam reducatur, niſi manifeſta duorum Pagorum vtilitas aliud ſuadeat.

Octauo, ne alii ſine communi conſenſu in fœdus recipiantur, aut fœdera cum aliis ineantur.

Nono, vt nemini confœderatorum, niſi iudicis interuentu ab altero pignora capere liceat.

Decimo, ſententiæ ſe opponēs, damnum inde ad alios redundans, reſarcire teneatur.

Vndecimo, ab vno Pagorum proſcripti, in cæteris proſcripti, itidem habeantur; & tales ſuſcipiens, in eandem pœnam, non tamen capitis incurrat.

Duodecimo, vt fœderis huius caput aliquod violans, pro homine nullius fidei habeatur.

Decretum Sangallenſe.

Orta deinde de arbitrorum ad lites componendas vtrimq; deligendorum numero controuerſia, in conuentu Sangallenſi decretum eſt, vt in tali caſu è Lucernatibus tot quot à tribus Pagis ad hoc deligantur, & æqualitas vbique, ſiue tres Pagi inter ſe, ſiue à Lucernatibus, aut hi ab vno aut duobus eorum diſſideant, ſeruetur.

DE IMPERIO TVRCICO,

SIVE DE REBVS VARIIS Turcicis,

DISCVRSVS XVI.

Turcæ qui & vnde.

QVVM in ſuperioribus Tomis Turcarũ eorumque progreſſus crebra ſit facta mentio; operæ precium nobis viſum eſt, Compenſam Turcici Imperii Deſcriptionem, omniumq; Imperatorum Catalogum hic ſubiungere.

Turcarum meminit Pomponius Mela libro primo, vbi ait: *Fœcundos pabulo iuxta Maotim. at alia ſteriles nudosq; campos tenent Budini. Geloni vrbem ligneam habitant. Iuxta Thyrſageta Turcæq; vaſtas ſyluas occupant, aluntúrq; venando.* Eoſdem agnoſcit Plinius *lib. VI. cap. VII* Neq; eſt dubium, quin ab his nominis & gentis originem traxerint illi, qui longe lateq; hodie imperitant, ignauia noſtra magni. Horum Imperatorũ a Tartaris originem trahunt, vt & vniuerſa gens; cui ſe Chriſtiani Apoſtatæ adiunxerunt. Sunt autem pleriq; facie lata, membris compactis, corpore quadrato, comam radunt, barbam, myſtacẽ præſertim, alunt. Ingenio ſunt tardo, ſtupido, ignauo: ex quo facile intelligi poteſt, natos, illos eſſe ad ſeruitia, ſed nunc præter naturam, vi iuſtitiæ locum occupante, imperare. In ſuos igitur obſequioſi in exteros ſuperbe imperioſi ſunt, iactabundi, arrogantes, faſtuoſi. Religionis locum apud eos obtinet ſuperſtitio. Hæc à Mahumete, conficta eſt circa annum DCXXIII. imperante Heraclio. Ferunt Mahumetem iſtum fuiſſe natione Cyrenaicũ in patre magno, matre Iſmaelitide, ingenio ſubdolo, & ad quiduis audendum apto, corpore immani, aſpectu truci, voce terribili. Hic heri ſui viduam, Iſraelitici generis, quinquagenariam, quod eſſet locupletiſſima, vxorem duxit: cuius opibus inſtructus, multo magis à ſe inſtitutum ſemel inſaniæ genus aduerſus Veteris &

Turcarum ſuperſtitio.

Noui Teſtamenti doctrinam vrſit. Acceſſit ad huius dementiam Sergii flagitioſiſſimi Monachi perfidia, qui ob hæreſin Neſtorianam Conſtantinopoli eiectus, in Arabiam tunc temporis profugerat. Huius inſtinctu ex Iudaico fermento & maſſa Neſtoriana hæreſin formauit nouam, quam de paxillo ſuſpenſam, protinus Arabes & vicini omnes admirari, ſuſcipere, venerari cœperunt. Epilepſiæ morbo ex intempeſtiuis commeſſationibus cōtracto, vſus eſt ad fingendos arcanos cum Gabriele Archangelo ſermones & congreſſus. Columbam adſuefecerat, vt ex aure ipſius peteret pabulum, quod veterator callide eo loco abdere cōſueuerat. Hanc ille dicebat eſſe ipſiſſimum Spiritum ſanctum. Volumen nouæ ſuæ legis condidit, Alcoranum. Quumque iam appetendi regni opportunum tempus videretur, columbæ ſcedam alligat in qua ſcriptum: *Quiſquis tauro iugum impoſuerit, rex eſto.* Subornatur tauros, cuius inter cornua Alcoranus defigitur. hic cum multorum terrore ſubito erumpens, ad Mahumetem (ita enim adſuefactus fuerat) adcurrit. Is pro concione legem veluti cœlo demiſſam recipit. Sergius aperta columbæ ſcedula, verba legit, adfert iugum; quo impoſito, confeſtim Mahumetes Rex, Sergius Propheta denunciantur. In lege omnia abſurda & ridicula, de creatione Mundi, de eius fine, de Paradiſo, inferno, cœlo, terra, creatione hominis, deque Mahumetis itinere in Paradiſum. Vnum tamen Deum agnoſcit, Chriſtum etiam pro magno Propheta coli præcipit, vt & Moſen, & ſe. Annum non ex Solis, ſed ex Lunæ curſu æſtimari vult. Hiſce omnibus & infinitis aliis à ſe inſtitutis, Arabiaque vniuerſa ſubacta, poſt multa bella tandem veneno à domeſticis extinctus eſt, quum ageret annum XL. Sepulchrum eius in Mecha Perſidis ſummo cultu & veneratione Turcæ & Mahumetani omnes proſequuntur. Vartomanus tamen tradit, monumentum eius eſſe in Arabiæ Petreæ vrbe quam vocant Medinam, atque ibi loci à Saracenis ſolere frequētibus peregrinationibus viſitari. Narrat idem, quum eſſet Medinæ, Ducem quendam quaterna millia ſaraphorum (numi genus eſt) obtuliſſe Myſtagogo, vt oſtenderet cadauer Nabi, quod Arabibus Prophetam ſignificat, ibi Myſtagogum: Tune hiſce luminibus quibus tot ſcelera perpetraſti, audebis eum conſpicari, cuius intuitu Deus maximus cœlum & terram creauit? Tum Ducem: Agnoſco vera eſſe quæ dicis: ſed hoc vnum liceat mihi impetrare, vt videam Nabi; quo viſo, libenter mihi oculos in gratiam eius ſtatim effodiam. Hæc eo hic commemoranda duxi, vt nos quibus à Chriſto lux adfulſit, beatitudinem noſtram ex illorum imperitia miſeriaque æſtimemus, gloriantes in ſola eius cruce. Multa interim ab eis præclare dicuntur, quale illud eſt, quod Panormi in Sicilia ſupra portā quandam politū Arabicis litteris exſtat: *Non eſt*

Mahumetis aſtus.

Religio qualis.

Mira Mahumetis veneratio.

Deus alius præter vnum Deum: Non eſt alius potens præter eundem Deum: neque eſt alius Victor præter eundem quem colimus Deum. Sed profecto ignorantia eſt blaſphemia, quidquid extra Chriſtum de Deo ſcitur, aut dicitur etiam ſpecioſiſſime. Neque enim fieri poteſt, vt qui Filium ignorat, norit Patrem. Ex hoc igitur Architecto noui dogmatis orta eſt fœda Turcarum ſuperſtitio. Hi ſe non Turcas, ſed *Muſalmanos* dici volunt, hoc enim ſonat, *Recte credentes.* Monachorum Ordines, habent quatuor: *Torlacorum, Deruiſiorum, Calendorum, & Hugiemalonum.* Chriſtianos Iudæos multo præferunt: cum illis cœnare aut negociari non detrectant, quin etiam eorum coniugia non refugiunt; hos vero omnium mortalium flagitioſiſſimos viliſſimosque iudicant. Vxores habere quot libet, licet. Aleam fugiunt, alueo delectantur. In eleemoſynis profuſi ſunt, quibus non ſuos ſolum, ſed etiam Chriſtianos iuuant; aues etiam à ſe emtas interdum dimittunt, ſanctitati tale opus adſcribentes. Veſtes omnibus oblongæ. Sidari alba caput tegunt; qui autem ex ſtirpe Mahumetis ſunt, viridi. Honoris cauſa caput non aperiunt, ſed inclinato corpore reuerentiam exhibent. Pars læua omnibus honeſtior, forte quia liberam ſibi cupiunt dextram. Tergum obuertere inhoneſtum credunt: itaque poſt ſalutationem retrocedentes, frontem ſemper aduerſam habent illi quem ſalutarant. Ter edunt quotidie, cernui, cruribus decuſſatim compoſitis, cibus ipſis oryza, piſces, carnes, præter porcinam. Vinum non bibunt, nam id lege vetitum: ſed eius loco aquam, cui mel, ſaccharum aut iulebum admiſtum eſt. Opii frequens apud eos vſus. Domus priuatæ anguſtæ: neque enim curant quomodo habitent, maxima illis cura exſtruendi ſpacioſas Meſchitas ſiue templa, & Catbaſara ſiue Xenodochia: adhæc balnea, aquæductus, pontes, vias, aliaque publici operis. Vrbes muro clauſas perraras habent. Summa ipſis imperii vis in ſubditorum impotentia eſt. Itaque mœnia vrbium à ſe captarum ſtatim deiiciunt tamquam infauſtum & infœlix ſidus, omnia depopulantes. Hinc prouerbium ortum eſt: *Qua Ottomannicus aliquis tranſiuit, ibi neque folia neque gramen prouenire.* Debellatæ prouinciæ, rectorem dant, qui nobiles, præſertim eos qui Principali ſtirpe orti ſunt, ad vnum omnes occidit, familiasque opulentiores alio transfert. Neminem tamen cogunt ad obiurandum religionem. Arma victis adimunt. Ipſi militaris diſciplinæ amantiſſimi, obſequioſi, laboris, æſtus, frigotis tolerantes, pauco cibo eoque vili contenti, in itineribus conficiendis omnia ſilentio peragant. Arma habent, lãceam, arcum, ſecurim, acinacem, clauam ferream, gladios quos vocant *Scimilare*, ſclopeta, aliaq; omnia quæ Chriſtianis in vſu ſunt, niſi quod equites cataphracti apud ipſos rari.

Turca Monachi.

Habitus & mores.

Arma.

Primus illorum Imperator Ottomannus fuit, Tartarus natione, miles magni Cham, homo audax, corporis viribus præ cæteris eximius. Hic prætextu iniuriarum quarundam ſecedens à Tartaris, cœpit in Cappadocia montes atque aditus inſidere. Habebat initio apud ſe equites XL. Acceſſere tum prædæ ſpe, tum ſcelerum ſuorum conſcientia permoti alii multi, quorum opera quod ante clam inſtituerat, palam adgredi cœpit, occupauitque *Cappadociam*, *Pontum*, *Bithyniam*, *Pamphiliam*, & *Ciliciam*, regiones opulentiſſimas. Hæc geſta ſunt circa Annum Domini noſtri M C C C. Imperauit autem Oſmanes ſiue Ottomannus Primus annos XXVIII.

Primus Turcarum Imperator Ottomannus.

Succeſſit ei Orchanes, qui patrium Imperium iiſdem artibus, ſed maiore opum vi & diuitiarum copia ſeruauit auxitque, vſus inprimis opportunitate Chriſtianorum, animis inter ſe diſſidentium, quo factum eſt, vt *Myſiam*, *Lycaoniam*, *Phrygiam*, *Cariam* domuerit, Niceam obſederit ceperitque, & regnum ad Helleſpontum vſque protulerit. Contendebant eo tempore inter ſe Palæologi Conſtantinopolitani cum Cantacuzeno. Ratus autem Orchanes quod res erat, fore vt ſi huic faueret, in Europam accerſeretur traiecit, & viam poſteris ſtrauit Europam diuexandi. Sub finem vitæ infeliciter cum Tartaris decertans, occubuit, poſtquam regnaſſet annos vnum & XXX.

Orchanes.

Sequutus hunc eſt filius MVRAT, ſiue *Amurathes*, magnus ſimulandi & diſſimulandi artifex, robore animi, laborum tolerantia, diſciplina rei militaris maiorum ſuorum par? Hic côtentiones illas, de quibus modo dictum eſt, inter Græcos diſſimulando fouit: quibus bello feſſis exhauſtiſque vſus Genuenſium nauibus conductitiis (ſpecta hominum perfidiam & auaritiam) ex Aſia in Thraciam, ſuperato Helleſponto traiecit. Anno M C C C L X I I I. *Callipolin* in Cherſoneſo ſitam occupauit, quam magna ſtatim pars Thraciæ ſequuta eſt. Poſtea deuicit *Myſiam*, *Beſſas*, *Triballos*. Denique quum expugnata *Adrianopoli*, Seruiæ Bulgariæque inhiaret, à Lazaro Seruiæ Deſpota victus occiſuſque eſt, Anno imperii XXXI. Liberos reliquit Solimannum & Baiazetum.

Amurathes ſecundus.

BAIAZETVS, qui aliis Peſartes, fratre interempto, rerum potitus, Thraciam omnem ſubiugare ſibi inſtituit. Vir erat ingenio acri & maximarum rerum cupido: in rebus capeſſendis audax, in adminiſtrandis ſolers, in laboribus perferendis indefeſſus, in Occaſionibus proſpiciendis acutus & ſagax, in exſequendis conſtans. Igitur *Thracia* omni ſuperata, animum ad Conſtantinopolim adiecerat: ſed primum *Theſſaliam*, *Macedoniam*, *Phocidem*, *Atticam*, occupare viſum eſt *Myſios* quoque (qui hodie Seruii) *Illiricos* (qui hodie Bolnenſes) & *Triballorum* (qui

Baiazetus primus.

Bulgari dicuntur) partem reliquam, Principe Bulgariæ interfecto, ſubegit. Iamque Conſtantinopoleos ſuburbia ſpoliarat, vrbemque ipſam totos annos octo obſederat; quum Hungarorum Gallorumque, quos Imperator eo nomine in Italiam profectus, accerſiuerat, aduentantium copias reformidans, relicta obſidione ad Nicopolim iis occurrit. Congreſſus victor euaſit cæſis captiſque magna ex parte Gallorum ducibus. Occubuit eo prœlio Ioannes Burgundiæ Dux; euaſit Sigiſmundus Hungariæ & Bohemiæ Rex. Elatus rerum ſucceſſu Baiazetus, rurſus Conſtantinopolim contendit, eamque longa triennii obſidione fatigauit: iamque actum erat de obſeſſis, quum *Timurcultu*, quem hodie Tamerlanem vocant, magnus Tartarorum Cham; igni & ferro Aſiam totam depopulari, vrbes vaſtare prædas agere inſtituit, cuius ille ſubito terrore euocatus, in Galatiæ & Bithyniæ finibus aciem inſtruxit. Pugnatum eſt aduerſis ſignis multam in noctem. Baiazetus ſuperatus, captus, aureiſque compedibus vinctus, in cauea per Aſiam à Tamerlane traductus fuit. Periere Turcarum ducenta millia. Incidit hæc clades in annum Chriſti MCCCXCVII. Baiazetus haud multo poſt dimiſſus, in Aſia mortuus eſt, poſtquam regnaſſet annos XIII. menſes VI. Filios reliquit Calapinum, Moyſen, Mahumetem, & Muſtaphum.

Calapinus. CALAPINVS, qui & Alpin, ſubito extinctus eſt; filius eius Orchanes à Moyſe patruo occiſus: ipſe etiam Moyſes à fratre.

Mahumetes. MAHVMETE. Hic *Valachiam Macedoniamque* omnem deuicit, ſignaque Turcica ad Ionium vſque pelagus protulit. Regiam conſtituit Adrianopoli, & poſtquam imperaſſet annos XVII. vita functus eſt anno Domini MCCCCXXII.

Amurathes ſecundus. Ei ſucceſſit Amurathes Secundus, qui Moralbeg ſuis. Hic Genuenſium opera in Thraciam delatus, patruum ſuum Muſtaphum, cui Græci addictiores erant, bello vicit. *Theſſalonicam* vrbem antiquam, & tam temporis amplitudine, amœnitate, opibus ſituque illuſtrem, quam tunc Veneti tenebant, euertit *Cyprum Epirum, Ætoliam* ſubegit. Quumque intelligeret rebus ſuis ſtabiliendis, Chriſtianorum vero debilitandis, magnopere ſibi Georgii Deſpotæ Seruiæ domini, amicitiam prodeſſe poſſe, eam omnibus modis ambiit, ducta inſuper eius filia in vxorem. Fretus itaque tum ſuis viribus, tum perfidi Deſpotæ fide, Belgradum ad Saui & Dannubii confluentem ſitam vrbem, quam paullo ante Deſpota Sigiſmundo Imperatori dono dederat, oppugnare aggreditur. Periere in ea obſidione ſeptem Turcarum millia.

Hac victoria confirmati Chriſtianorum animi maiora ſpe-

rare

rate incipiunt. Vladiſlaus Poloniæ & Hungariæ Rex Ioannem Hunniadem, ob res bene geſtas Vaiuodam ſiue Ducem Tranſyluaniæ fecerat. Hic Seruiam ingreſſus, Turcas expulit, eos, denique poſtea Tranſyluaniæ fines ingreſſus, longe lateque ſtrauit. Poſthæc in Bulgaria ſexies vno die cum Turcis iuſto prœlio decertans, ſemper victor euaſit Capta ibi hoſtium millia quatuor, ſigna nouem, duces tredecim. Ad extremum Amurates tot malis amens, indignanſque induciarum fœdera ſancte cõcepta, Eugenii Pontifices ſuaſu ab Vladiſlao temere rapta eſſe, copiis ſuis omnibus collectis, extrema experiri ſtatuit. Erant tunc forte caſtra Chriſtianorum ad lacum Varnenſem. Turca corruptis ſpeculatoribus, infra Callipolim ex Aſia in Europam repente tranſmiſit exercitum, ſoluitq; Genuenſibus, penes quos faucium illarum poteſtas erat, centum millia aureorum. Pugnatum eſt vtrimque magnis animis tres dies perpetuos. Tandem victoria penes Amuratem fuit, merito Chriſtianos fractæ fidei incuſantem. Rex Vladiſlaus eo prœlio confectus interiit. Hunniades ægre ſaluus euaſit. *Clades Varnenſis.*

Iulianus Cardinalis, auctor, vt quidam volunt, rupti fœderis, equo delapſus, miſere animam in deuio ſalru exhalauit. Quibus rebus elatus Amurates, murum hexamilum in Iſthmo Corinthiaco extructum diruit, ac tandem in Pruſia Bithyniæ vrbe, in qua ſedes tunc erat Imperatorum, vitam finiit, anno imperii ſui XXX.

Suffectus ei fuit in Imperio MAHVMETES ſecundus. Hic fratris nece quum tyrannidem ſuam ſtabiliuiſſet, *Conſtantinopolim* expugnauit, Anno MCCCCLIII. penultima die menſis Maij. Poſt triennium Belgradum ſe contulit; ſed multis ibi ſuorum interemptis, ipſe ſaucius diſcedere coactus fuit. Poſtea *Bulgariam* occupauit, & arcem Raſciæ ad Danubii ripam, quam vocant *Smideron:* tam *Dalmatiam* & *Croatiam*, cum *Raſcia* omni. *Trapezuntem* etiam expugnauit, & *Mitylenem*, cum aliis quibuſdam Ægæi maris inſulis. Venetos qui Hexamilum reſtituere aggreſſi fuerant, diſturbauit. *Eubœam* cæpit, & *Theodoſiam*, quæ nunc Caffa dicitur, Genuenſium vrbem, in Taurica Cherſoneſo. Tandem fruſtra oppugnata Rhodo, obiit Cal. Maij, Anno MCCCCLXXXI. Regnauit annos XXXI. vixit annos LVIII. Filios reliquit Baiazetum & Zyzymum, qui aliis Zeliabus dicitur. *Mahumetes Secundus.*

BAIAZETVS rerum potitus fratrem fruſtra Sultani Ægyptii auxiliis adiutum, Pruſia Aſiaque omni expellit: qui quum ad Chriſtianos defeciſſet, & Rhodum veniſſet, inde miſſus eſt in Galliam: poſtea Anno MDLXXXVIII. Romam ad Innocentium VIII. neque multo poſt ab Alexandro Papa *Baiazetus ſecundus.*

veneno porrecto extinctus eſt. Baiazetus interea *Ciliam* & *Album caſtrum* in Moldauia expugnauit: *Modon* inſulam & vrbem Venetiis eripuit, cum Sophi rege Perſarum diu infeliciter bellum geſſit, Imperauit annos XXXII.

Zelymus Primus.

ZELYMVS filius, vitæ patris pertæſus, eum veneno interfecit, idem fratres nepoteſque ſtrangulari iuſſit. His actibus acquiſitum imperium per tyrannidem rexit & conſeruauit. Primus iſte in Africam traiecit, & eiecto Sultano magnam Ægyptii partem occupauit. Sultanus erat Campho, homo obeſus ſenioque confectus, annorum ſcilicet LXXVI. quo interfecto, Mamaluchi Sultanum fecerunt Tomumberium, Sed & hunc prœlio victum in fugam Zelymus coegit & Alcairum Anno MDXVII. cepit. Sultanum inter paludes latitantem extraxit, & poſt varios cruciatus ſuſpendi iuſſit. Rebus ita confectis quum Conſtantinopolim rediiſſet victor, cancro tenes depaſcente extinctus eſt, Anno MDXX. poſtquam regnaſſet annos VIII. vixiſſetq; XLVI.

Sol manus.

Succeſſit ei SOLIMANVS. Hic *Belgradum* cepit, propugnaculum non Hungariæ ſolum, ſed totius etiam orbis Chriſtiani. Idem *Rhodum* deuicit. *Strigonium* & *Budam* aliaſque Hungariæ vrbes expugnauit. Viennam Auſtriæ obſedit, tandemque ad Sigethum periit, anno imperii ſui XLVII.

Zelymus ſecundus.

Sequutus eſt Zelymus ſecundus, qui inducias cum Maximiliano fecit annorum VIII. *Cyprum* Venetis ademit, *Tunetum* & *Goulettam* occupauit, obiitque Anno MDLXXV. Hac imperantes, claſſis Turcica ad Neupactum memorabili victoria à Chriſtianis profligata eſt.

Amurathes 2. Mahumetes tertius.

Eum AMVRATHES excepit: & hunc.

MAHVMETES Tertius, qui parricidio interemptis fratribus duodeviginti, imperium auſpicatus eſt, & ante biennium fere è vita & ipſe abiit. *Hac de ſerie & Catalogo, & præcipuis rebus geſtis Turcicorum Imperatorum.*

Habet igitur, vt ex pictis iam conſtat, Turcarum Imperator latas amplaſque admodum regiones. In EVROPA *Hungariæ* magnam partem, & *Thraciam* cum *Græcia vniuerſa* hoc eſt, *Macedonia, Epiro, Achaia Peloponeſo, & cum inſulis maris Ægei.* Præterea *Illyridis* ſiue *Sclauoniæ* partem, tam *Boſnam, Seruiam, Raſciã* & *Bulgariam* In AFRICA habet *Algerium Turci, Tripolim, totam Ægyptum ab Alexandria vſque ad Aſuam vrbi, quem Syene eſt.* In ASIA vero habet *Natoliam* quæ eſt *Aſia minor, Cyprum, Paleſtinam, Cœloſyriam, Babyloniam, Arabiam* omne cum *Armenia*. Sed de his & priori Tomo aliquid dictum eſt, & in ſequentibus quoque Tractatibus dicetur.

DE AMPLISSIMO SINARVM REGNO EIVSQVE regni Rebuſpublicis,

DISCVRSVS XVII.

AMPLISSIMVM Sinarum regnum, vt ipſi Sinæ delineant, eſt forma propemodum quadrata. Extenditur à Septemtrione in Meridiem à prouincia Cantonia, vbi maxime depreſſum eſt: quæ prouincia Zonæ torridæ ſuppoſita non plus ſeptemdecim aut octodecim graduum altitudinem habet; quia vero regni altitudo maxima eſt, quadraginta duobus gradibus polus eleuatur. A Cantone qui iter faciunt, numerant milliaria Italica amplius ſexcenta; quæ tecta proficiſcentibus ſunt quadringenta & quinquaginta. Ab ortu habet Loxam quæ illi continens eſt, Iaponem & Oceanum, per quem ad Sinus è Peruana & noua Hiſpania Malaccam iter eſt. Ab Occidente iis minutis regnis quæ inter Bengalam & Mogotis imperium ac Perſidem iacet, terminatur. A meridie inſulas Philippinas, Moluccas & alias ſpectat, & ab aliqua Orientis parte Malaccam, Sionem & alias regiones his finitimas. A ſeptemtrione iis populis attingitur quos vulgo Tartaros nominamus, qui cum Sinis aſſiduo bellum geſſerunt, & ſemel vniuerſam eorum regionem imperio ſuo adiunxerunt. *Sinarum Situs.*

Situm eſt hoc regnum idonea admodum Orbis plaga. nam præter ea quibus ipſum abundat, ab India cæteriſque regionibus tam prope abeſt, vt procliue ſit ea quibus eget, & aliunde conuehere. Sed antequam ad alia progrediar, poſtquam ſitus & altitudinis mentionem feci, quum vt harum rerum curioſis gratum faciam, tu vt tabulas Geographicas etiam nuper editas corrigam, duos minime leues earum errores aperiam. Vnus eſt quod Sinarum regionem tertia parte maiorem vero faciunt, quandoquidem vrbi Pachino tribuunt quinquaginta gradus, quum nos, qui accurate facto aſtrolabio eius altitudinem ſemel & iterum menſi ſumus, non niſi quadraginta deprehenderimus. Iam fines regni quum non omnino tridui itinere diſtent ab hac vrbe, non poſſunt eam plus duobus gradibus excellere atque ita magni illi muri, per totam Europam fama celebratiſſimi, quadraginta duos gradus ſibi vindicant, quę maxima eſt huius regni

altitudo. Alter error eſt, quod tabulæ noſtræ al ud quoddam regnum Sinis adiungunt, quod Cataium appellant: quum reipſa illud ſit ipſum Sinarum regnum; & vrbs Cambalu quam eius caput faciunt, ſit hoc ipſum Pachinum, vbi iam viuimus. Id adeo manifeſte nuper didicimus, quum è Mogoris prouinciis Narratio quædam ſparſa in vulgus de Cataii opibus ad nos allata eſſet, quæ tam belle in Sinas quadrabat vt dubitare cœpenmus, an forte nihil hoc regnum ab illo differret.

Poſtquam Pachinum attigimus, duo nauigiorum agmina offendimus, alterum Maurorum qui è paruis illis regnis, qui exiguo tractu à Sinis diuiduntur: alterum Turcatum, qui tumentibus turbinatiſque pileis tecti è Mogoris imperio aduenerant. & magni Iſmaelitis Sophi: ſic enim vulgo non ab illis modo, ſed ab Hiſpanis etiam, Italis, Venetis, Indis, Luſitanis vocatur; quorum illi populorum famam auditu tantum acceperant. Solemne eſt his Turcis atque Mauris quinto quoque anno terreſtri itinere Sinas proficiſci, in ſpecie quidem quaſi ab ſuo ad Sinarum regem obſequii & vectigalis ſoluendi cauſa ſint miſſi, conſictis ad id litteris, quibus nullo negocio os Sinis ſublinunt, qui libenter ſibi perſuaderi patiuntur reges omnes ſuo regi parere: reuera autem lucrum tantum & mercimoniorum compendia ſequuntur. nam etſi complures non ignorent, falſam eſſe illam tributi penſitationem: accipiuntur tamen ab illis beneuole, & quæſtum minime pœnitendum faciunt. Rex enim ab eo die quo regnum intrant, vſque ad eum quo indidem emigrant, ſuis eos impenſis benigne alit, & diſcedentium arcas, quæ vno anno mille numeratæ ſunt gratis euehi imperat. Magnam etiam mercium partem poſtquam iuſto ab eis precio coemit, Legatiuo præterea abeuntes ornat. Caput mercium quas aduehunt, eſt quoddam lapidis genus, candidi, ſed obſcuri, & prope cinerei, quem Iaſpidem vocant. Videndum ſitne is qui in ſacris literis toties Lapis pretioſus appellatur. Eruitur non fruſtratim è lapicidinis exciſus, ſed integer, ad inſtar ſilicum qui in imis fluminibus iacent. Apud Sinas magno in precio eſt, atque inprimis apud Regem, quod ad multarum rerum ornatum faciat. Præſtantioris libra octoginta, deterioris quinquaginta aut ſexaginta ducatis vænit. Icirco plurimum eius inſtitores ſiue propolæ lucrantur. Vidi in Europa lapides de hoc genere, ſed alius coloris quam ſunt hi qui tanti ab Sinis æſtimantur.

Hi ergo tales vbi in regiam venerint, in domum huic rei diffinitam, è veſtigio compacti, nuſquam abire permittuntur. Inter alia quæ ex his hominibus ſciſcitati ſumus, fuit etiam illud de Cataio, quo nomine ab illis hoc Sinarum regnum appellaretur, Reſponderunt. Cataium, neque in vlla Mogoris aut Perſarum regione aliud nomen obtinere: neque aliud ſe regnum nouiſſe quod ita nuncupe-

tur.

tur. Quærentibus deinde, quo nomine vocaren hanc vrbem Pachinum? reſponderunt Cambalu; quam ciuitatem, vt ante memoraui, vulgatæ tabulæ primariam Cataii eſſe ſtatuunt. Quare nullus hac de re reliquus videtur ambigendi locus, præſertim quod illis terris hic confines ſumus quas ſi nullum in tabulis vitium eſſet, Cataium eſſe oportet.

At certum eſt, præter paucos quoſdam, eoſque viles, Mauros & Ethnicos, nullam ibi eiuſmodi prouinciam aut vrbem reperiri. Didicimus ab eiſdem quid ſit Moſcus, cuius nonnihil ſecum attulerant: eſſe nimirum ſtomachum animantis, quæ fele maior in regione Sinis finitima, ab eorum tamen ditione exempta, locis ſylueſtribus gignitur & paſcitur, atque vnius ſtomachi gratia perimitur atque expetitur. Antequam ex Hiſpania ſoluerem forte in librum typis excuſum incidi, quo ab homine, vanis, credo, auctoribus decepto, de Moſco deque aliis rebus ſexcenta, quæ hiſce oculis poſtea deprehendi, mendacia erant prodita: etſi his vera non pauca iungerentur. Aduexerant iidem non exiguum præſtantis Rhabarbari numerum, cuius aliquantum, delectu pro noſtro arbitrio facto, denis in ſingulas libras denariis, emimus. Eſt autem herba ſylueſtris, rapo non abſimilis: cuius effertos ſtatc campos memorabant.

Qui Sinarum fines accolunt, narrant immenſas illas arenas quas vulgo Coſmographi in Arabia collocant, Sinas à Mogoribus ſiue Tartaris viciniſque regnis diſterminare. Quam eſſe cauſſam oportet, cur Reges illi, quibus neque Sinarum opes neque imbecillitas & mollities ignoratæ ſunt, in tanta vicinitate regionum eos bello tentare non audeant. nempe difficile nimis opere iudicant, per tam ingentem arenarum vaſtitatem exercitum traducere.

Partiuntur Sinæ hoc regnum in tredecim prouincias & duas regias, quæ duabus prouinciis facile ſe æquant. Vna quælibet prouincia ſuam habet metropolim & ciuitas ſuum territorium certo vicorum numero definitum. Ex Sinarum libris liquido diſcere licet, quod vrbes, caſtella, loca alia toto regno ſint, quot in horum quolibet ædes, quantum in ſingulis hominum, quantum fructuum ex ſingulis agris capiatur, quantum vectigal ex ſingulis regis pendatur, & alia eiuſmodi. Equidem toto eo itinere quod confecimus, tot vrbes à nobis, tot caſtella, tot oppida viſa ſunt, vt qui in rem præſentem non venerit, capere huius regionis amplitudinem non poſſit. Neque enim facile adduceris vt credas, alteram, tertiam interdum horam continenter ad alicuius vrbis mœnia ſecundum fluminis ripam nauigando conſumi. Vrbem vero ipſam perpetuo tractu multa oppida & villæ breui interuallo ſic conſequuntur, nunquam vt in vllius conſpectu non ſit alia, atque huiuſmodi totum Pachinum vſque eſt iter. Caſtella quæ voco ſunt etiam magna frequentia, mercatu

celebria.

celebria. Nam etſi hoc nomen eis tribuimus quod apud nos anguſtis fere locis conuenit: Sinæ tamen ampla & exigua nullo habent diſcrimine. atque ita caſtella quædam ſunt maiora, quædam minora, quæ nobis ſunt villæ. Vrbes omnes atq; oppida bene altis mœnibus ſunt cincta. verum quoniam in alium locum hæc mihi percenſenda ſeruaui, de Nanchino duntaxat pauca diſſeram.

Nanchinū. Iacet hæc vrbs ſub graduum triginta duorum & dimidiati altitudine. Octodecim ve leucis abeſt à mari, ad quod per flumen vehi licet, quod late patenti oſtio erumpit. Triplici muro lateritio excelſo & eleganti ambitur. Portas habet amplas, & viſendi operis, quæ maturæ ante primas tenebras clauduntur. Fuit hæc vrbs annis ab hinc ducentis Regum ſedes: quapropter eximie eſt ornata. Plateas habet duarum leucarum aut duarum & ſenis longas, item latas, & vbique vel ſilicibus, vel lapidibus quadratis prægrandibus, aut certe lateribus ſtratas. In eius medio ingentia Regum Palatia viſuntur. Huius vrbis ambitum ſic oſtendere ſolent Sinæ. quum duo equites albente cœlo eadem porta egreſſi, diuerſis viis totum diem ſecundum muros equitantes perpetuo, veſperi ad portam ei qua exierant oppoſitam ſiue contrariam conuenturos dicunt. Hoc certe liquet, eius circuitum minimum vndecim aut duodecim leucas complecti; & quantum ex aſpectu coniici licet, ducenda domorum millia. Nobis quidem qui in ea aliquamdiu morati ſumus, vno conſenſu viſum eſt, tum hanc tum Pachinum, pro ſe vtramuis, tanto aut etiam maiori populi numero abundare, quatuor de illis eximiis & celeberrimis Europæ vrbibus, cuiuſmodi eſt Roma, Vlyſſio, Lutetia, & aliæ frequentiores. quippe quum tanta ſit eius vaſtitas, non vno neque decem tantum vicis, ſed maxima ſui parte totum diem crebro hominum concurſu celebratur. Accedit quod ab ea non paucæ vrbes vnius aut alterius diei duntaxat itinere abſunt, & amplitudine & celebritate mercatus inſignes Eminent inter hos Hancheum & Sucheū. Ac Sucheum quidem grande eſt inprimis, & Venetiarum inſtar plateas partim aqua affluentes, partim terreſtres habet. Sinæ quo eius terræ benignitatem, copias & vilem omnium quæque inibi gignuntur quæque importantur annonam ſignificent, has duas vrbes Paradiſum nominant. Sucheum vero tantopere tum à reliquo hominum genere, tum vero à mercatoribus frequentatur, vt in libro typis edito, quo totius regni vectigalia conſcripta ſunt, proditum ſit, hanc vnam vrbem pendere regi ex argento, auro, oryza, ſerico & aliis quibus circumfluit, quotannis centies & vicies centena millia, id eſt, duodecim milliones, ſiue centum & viginti vaſa auri, vt hodie vulgo loquuntur: quantum è multis prouinciis longo interuallo temporis non cogitur. Hoc quidem incredibile videri poſſet; ſed præterquam quod ipſimet hoc ſcribunt, qui has vrbes norit, mirari deſinet.

Deſunt

Deſunt tamen illis quæ vrbibus magnificentiam & elegantiam præcipuam conciliant: qualia ſunt templa, & ſumptuoſa ædificia. Carent enim eorum ædes externo ſplendore & ſublimibus veſtibulis, quibus noſtrates ornantur. Itaque qui Europæorum habitationes viderit, neque architectoriæ artis plane expers fuerit, plurimum hic deſiderabit. Domus ſunt humiles, carent porticibus, xyſtis, feneſtris, proſpectu in publicum: impluuium duntaxat habent non contemnendum, & intima ædium politiora, & Clarano, vt Luſitani vocant, victa atque illuſtrata.

Sunt vero adeo inter ſe tum ingeniis tum operibus ſimiles Sinę, vt qui vna aliquam eorum vrbem præcipuam viderit, eum non ſit neceſſe luſtrare cæteras. Nam etſi his duabus aliæ de magnitudine concedunt, pro portione tamen eas hominum copia, multitudine mercimoniorum, atque ædificiorum genere ſequuntur.

Pleraque omnis huius regni pars omnium quæ ad vitæ humanæ vſum pertinent apprime eſt ferax. Cuius rei fere cauſa quod fluuius vndique & frequentibus alluitur & magnis, qui non modo piſcium copiam, opportunitatemque ducendarum ad irriganda arua (quod Sinis valde vſitatum eſt) incilium, ſed ſingularem etiam prouinciis omnibus inter ſe agendi contrahendique facultatem præbent. Ideo & mercatores opibus, & vrbes ſingulæ omnibus quæ toto regno vſquam gignuntur, affluunt.

Quum Macao Pachinum peteremus, quod ſexcentarum leucarum eſt interuallum, nunquam niſi vnius diei iter, compendii gratia, terra fecimus, ac fere flumine vecti ſumus, quo me maius nullibi vidiſſe memini: quapropter non immerito Mare paruum à Sinis dicitur: nam quum in eo centum à mari leucis naue aſcendiſſem, affatim tamen eo loco marinorum, & aliorum erat reperire.

Vidi ad huius fluuii ripam quoſdam ad piſcationem auibus vtentes anſeris fere magnitudine, roſtro longo ad inſtar corui, ſed ſuperiori parte valde adunco. Has Sinæ piſcari condocefaciunt: & quia collo ſunt oblongo, ſic illud reuinciunt, vt piſces captos penitus deglutire nequeant; ſin aliqui ob paruitatem in ſtomachum deſcenderint, reductos eiectare compellunt. Cum grandioribus piſcibus tamdiu roſtro depugnant, dum arreptos eo attrahant vt à piſcatore cerni poſſint, qui reticulo ad perticam alligato inferne ſubit, & prædam aufert. Hac arte vidimus interdum piſces vnius aut ſeſquilibræ capi. Aiunt capi etiam maiores: ac poſteaquam adeo certus & quæſtuoſus eſt hic piſcatus, imperatum eſſe ab rege in ſingula coruorum huius generis capita tributum.

In aliud deinde nihilo auguſtius flumen delati ſumus, ſed luto quam aquę ſimilius, propterea quod neſcio quomodo tot iam annos nunquam non terra eius aquis miſcetur, quas affuſo alumine defæcant; cætero qui non ſunt potabiles.

Extra

Extra hos duos amnes cæteri hominum induſtria ſunt facti, quo ex vno oppido in aliud nauigari poſſit. Multitudo certe nauium, quas toto itinere Pachinum vſque obuias habuimus, inter ea merito cenſeri debet quæ in hoc regno præclara memorantur. Duo ſunt enim in qualibet vrbe nauigiorum genera, aliud comparatum ad nauigandum, aliud ad habitandum, atque ex his nonnulla cum ipſis ædibus pulchritudine & commoditate certant, alia rudia & parum venuſta à pauperioribus habitantur, qui eo gallinas & ſues conducunt, ſuumque ſibi ſumptum, vt ille ait, ſiue quæſtum exercent.

Memini nos quum Nanchinum prima luce ingrederemur, quingentas & amplius naues ante noſtram videre, quæ panſis velis pro tanta vrbe annona onuſtæ, eadem nobiſcum hora inuehebantur. Neque vnquam hic vltro citroque commeantium toto die concurſus deficit. Mandarinorum (id eſt, præfectorum) naues regiis impenſis ædificatæ, vel Europæos noſtros venuſtate ſua ducerent, adeo nihil illis fieri poſſe videtur elegantius. Pleræque omnes tympanotribas habent & tubicines, qui vel dum vrbem aliquam prætereunt, vel dum in alias incidunt naues, ſignum dant, quo illis omnes decedant. Longitudine æquiparant triremes, ſed altero tanto ſunt latiores, aliquanto amplius, longe vero altiores. Nam ſuper aquam plus octo palmis eminent, atque idcirco plurimum vehunt. Longinquiores vrbes quæ per difficultates viarum tributa Pachinum conuehere nequeunt, pro iis certum argenti numerum, aliæ vnde promptus eſt commeatus, oryzam fere dependunt. Huic rei ſingulæ vrbes ſuas habent naues onerarias, amplas & munitas, quæ confertim Mandarino aliquo duce, ad diem ſoluunt. Ferunt in vicina Nanchino regione earum eſſe admodum dena millia. At non omnes quotannis hunc curſum conficiunt, ſed in fertiliores annos nonnullas ſupernumerarias habent, neque omnes ad vnum annum proxime ſequentem reuertuntur. De earum numero nolim equidem ſtatuere, hoc ſcio iter omne Nanchino Pachinum, perpetuum quendam vicum nobis eſſe viſum vndique nauibus prætextum, inter quas facile ferebantur, eo quod tarde incedebant, maxime deficiente, vt in amne minime natiuo, ſæpenumero aqua: niſi quod obiectacula portum in modum habent, quæ adduci & demitti poſſunt, quibus quum profluentem tres quatuor aut ſex horas inhibuerint, iis deinde apertis curſum nauibus facilem præſtant, dum ad alium ſimilem locum vel cataractam perueniunt.

Præter has quæ annonam auehunt, aliæ item multæ ſunt quæ quotannis res quaſdam raras & delicatas ex agro Nanchimenſi ſummiſſas, regi eiuſque familiæ conuehunt. Harum agmina interdum duodenis conſtant; quas veſte ſerica ad ornatum regiæ domus onerant: aliæ multas & exquiſitas ciborum delicias aduehunt. Sunt &

alia nauigia laxa & venuſta quibus, præter ſericum, ea ferebantur quæ in exſequialibus ſacrificiis & idolorum ſacris adoleri ſolent. Priuatorum naues mille eſſe perhibentur. Regis Eunuchi præſunt. Nanchino vſque in mediam regiam inuehuntur. Per hos omnes fluuios, ceſſante vento, nautæ ſex aut ſeptem, quantumuis onuſtam nauim facile & quiete pertrahunt.

Porro incredibilis eſt in hac regione earum rerum copia quæ ad hominum vitam degendam neceſſariæ videntur: atq; hęc vna, ſi quæ alia, Sinarum natio aliarum gentium commerciis carere poteſt. Siquidem quæ aliunde importantur, neque ſunt eiuſmodi, vt ſine iis viui nequeat, neque omnibus in vſu ſunt. quippe nihil fere ab exteris expetunt magnopere, præter argentum: quum contra quæ hinc exportantur, & multa ſint, & perutilia, vt ſericum, aurum, moſcus, ſericæ veſtes, argilla ex qua vaſa fictilia fiunt quæ Porcellana vocantur goſſypium, ferrum elaboratum aurichalcum, argentum viuum, ſaccharum, mel, cera, caſia, opera è ligno aurata, vt lecticæ, plutei, arcæ, & ſimilia alia innumera: quæ quum plenis hinc nauibus aſportentur in Iaponem, Indiam, Manilam, & alio, decies tamen plura ſuppeterent, ſi pro rerum facultate eſſet emptorum copia.

Vbertas Sinarum regionis.

Longe apud Sinas viliori quam in Europa paſſim væneunt. Libra ſacchari æſtimatur X. aut XI. quattrinis, & quandoque ſex: ſin aceruatim compares, centum libræ nouem aut X. Iulius *eſt italica monetæ genus*) conſtant. In regia vero vrbe vbi omnia cariora ſunt, libra ſex baiocis aut vno Carolino æſtimatur. Ceræ & magna copia eſt & præſtantia, eius libra Pachini vno Iulio & quadrante paratur: libræ autem noſtra noſtratibus ſunt maiores, quippe quarum pondus ſit duarum & viginti vnciarum. Mellis prętetea ingens eſt copia, ac proptetea mira vilitas: adhæc æris & aurichalci, cuius quantumuis expoliti libra non pluris quam vno Iulio & quadrante vænundatur. Centum acus ſex quattrinis comparantur, & minoris quum pluſculas poſceris. Interea ramen exteros qui cum Sinis contrahunt, ad rem attentos eſſe oportet, quoniam occaſionem nullam augendi rerum precii ſibi elabi facile patiuntur.

Alimentorum non minor copia eſt, vt bubulæ, veruecinæ ouillæ, caprinæ, atque inprimis ſuillæ, qua magnam partem veſcuntur, neque deſunt cerui & lepores, quos falconibus venantur, qui tum alibi freqnentes inueniuntur, noſtratibus pares, & Pachini, in qua vrbe, vti diximus, maior eſt annonæ caritas, ſinguli quinis tantum aut ſeptenis baiocis æſtimantur. Iam vero gallinarum, anſerum, anatum, aliarumque auium, quæ venatu capiuntur, tantum ſuppetit, quantum optare poſſis Denique cæteræ omnis carnis par eſt vilitas. Vrbem quandam tranſiimus ex amplioribus, in qua libra carnis gallinaceæ tanti vænibat quanti bubulæ aut veruecinæ, hoc eſt, ſex quattrinis: Nanchini quamtumuis in ea vrbe ſit

regium Conſilium, dimidio groſſo. Piſcium eadem fere eſt indicatura & pretium aut etiam leuius, quod vrbs ad amnem iacet. Vidimus piſcem decem librarum emi vnico Iulio, noſque ipſi libram truttarum grandium vno baioco; & decem, duodecim, ſedecim, atque interdum duodeviginti oua vno Conduren, qui aliquanto amplius eſt quam baiocus, obſonauimus. Fructuum eadem prope ratio. Certe quum proximum hoc noſtrum iter faceremus, iamque Armaniaca quæ ibi optimæ notæ ſunt matureſcerent, ex iis ducenta tribus baiocis vendi vidimus.

Delectantur Sinę plerique omnes herbis ac leguminibus tum ſale conditis tum recentibus, à nullo tamen lautiore conuiuio & epulo carnem aut piſcem abeſſe volunt. Abundant & nucibus iuglandibus, caſtaneis, auellanis, pineas rariores reperias. Ficus habent abſimiles quidem noſtris, ſed tantum nihilo pauciores aut deteriores, ac fortaſſe etiam meliores. Hæc omnia fert quidem hæc regio, at non quæuis eius prouincia: verum quod vni deeſt, id ſumit ab alia. Victitant vt plurimum Sinæ oryza ſola aqua decocta quæ quidem obſonii inſolentia aduenis initio moleſta eſſe ſolet. Bis fere quotannis fructus capiuntur, quibuſdam locis ter: eſtque ad id terra perquam apposita, quum immenſa planitie, tum crebris ad irrigationem incilibus & foſſis, quæ orizæ cum primis proſunt, ſolum aſſiduis aquis perfuſum poſtulanti.

Poſtquam Cantonem ingreſſi Pachinum iter intendimus, pauci nobis viſi montes, pauciſſimi eis Nanchinum: planities vero interdum centum leucarum, vt viſus in ea deficeret. Vidi etiam frumenti plurimum, è quo placentas nullo admiſto fermento, vapore bullientis aquæ, pinſunt: quæ quum cruſta careant, edentulis ſenibus ſunt accommodatæ. In hac rerum omnium affluentia, præter orizam, multa rerum genera non ſuppeterent omnibus, ſi tanti cibi quanti noſtrates, Sinæ eſſent. Edunt fere ter quotidie, primo mane, deinde altera hora à meridie, tertio primo tenebris, oppido ſemper frugaliter. Præter locupletiores Mandarinos, cæteri etiam qui re ſunt minime tenui, carne & piſce fere abſtinent, leguminibus ſalitis & herbis quæ prope nihilo conſtant, contenti. Caput victus eſt oryza aut milium, quibus famem pellunt. Sunt equi, muli, aliaque iumenta, quorum eos carnibus veſci, etſi non ſub locupletibus auctoribus accepi. Vino vtuntur ex oryza factitio, quare in hoc quidem deteriori ſunt conditione quam noſtrates: ſiue vinum ſeu aquam bibunt, calidum bibunt. Tam ſunt inter edendum elegantes, nihil vt manibus contingant, quamobrem neque mappis neque mantilibus vtuntur. Perpetuus calidæ potionis vſus & abſtinentia à crudis fructibus, quorum illi non ita vt noſtrates, ſunt appetentes, multis eos morbis liberat. itaque pleriq; omnes valent. Carent oliuis, & tamen oleo abundant, quod præſtantiſſimum ex herba quadam conficiunt, quam Hiſpani,

Allegriam,

Allegriam, Luſitani *Gergelinum* vocant. Nolim illud quidem exæquare noſtro, fateor tamen nihil me in illo deſiderare, facileque noſtrati carere. facilius vero Sinę, qui cuiuſuis alius eſum & odorem faſtidiunt, quod experti ipſi ſumus, oblato modico de noſtro quod attuleramus. quinetiam ſuum oleum odoriferum nuncupant, Tantum in natura conſuetudo vim habet. Vt Sinæ ipſi, ſic & fructus diuerſarum prouinciarum inter ſe differunt: quare f. uſtra quæras in frigidioribus regni partibus qui in Cantone naſcũtur. Sunt ibi mala Medica, dulcedine incredibili, quæ vna cũ cortice eſitantur, neq; iis meliora adhuc vſquam comperta eſſe conſtat. Toto regno abunde lignorum eſt: quod ſatis oſtendit nauiũ multitudo, & earum pretii vilitas: ſiquidẽ hic nauis, meo quidem iudicio, tribus quadrantibus minoris quam in Italia aut Hiſpania ædificatur, & rebus omnibus neceſſariis inſtruitur. In emendo aut vendendo non vtuntur auro, etſi eius non ſunt inopes, ſed argento, quod non cudunt, ſed fundunt fere in formam panum: vnde quum quid emendum eſt, præcidunt quantum eſt opus, & appendunt in libella permodica, noſtræ bilanci ſeu ſtateræ prope gemella, quam quilibet ſecum adfert in forum. Iam licet non parum argenti importetur, maximam tamen eius vim, quemadmodum & auri, ex patriis fodinis eruunt. Obſeruant ſtudioſe in mercando quotæ notæ ſit argentum, eo quod alterum vt probius; ita & carius eſt. Sane in rem fuit Sinas non ferire monetam, ſed delectu adhibito argentum expendere, eo quod, vt ſunt induſtrii in re facienda, multis alioqui dolis feneſtra aperiretur. Vſus eſt præterea monetæ ex aurichalco, in qua item probam à falſa diſcernunt, nihil enim nõ fraudibus eſt obnoxium. Agilla quam Procellanam dicimus nulla adhuc vicit Sinenſem, quæ vt minimi eſt precii, ita tanta copia, vt præter id omne quod regno ſatis ſit, poſſit quantumuis nauium numerum explere. Veſtium multitudine & precii vilitate nos ſuperant, præſtantia non alloquuntur. Sericum multum illis eſt & probum, ſed elaborandi artem non tenent. Texunt Damaſcenas, heteromallas raſiles, bombycinas, ſed color vbi aliquamdiu blanditus eſt oculis; cito deperit, ac primo omni nitore exuitur. Vulgaris plebeiorum hominum veſtitus è goſſypio eſt, quem per hyemem item goſſypinis aut ſericis tomentis ad defendendum frigus appoſitis, quæ calanticam aliquam magnitudine æquent, inferciunt, eaque ad id vnum cõparata habent. Sunt ex honeſtioribus, qui ſalutaturi magnates, aut quid ſimile facturi toga talari ſerica induuntur: neque deſunt quibus hic quotidianus cultus eſt; minime tamen eo luxu qui in libris vulgatis deſcribitur. Veſtiuntur omnes, adeoque ipſi milites, veſte ad talos demiſſa, manicis laxis in aduerſa parte apertis, & infra brachia vndique adſtrictis, qua veſtitus forma ſic dele-

ctantur, nihil vt ei par fieri poſſe credant. Et ſane plena eſt dignitatis & modeſtiæ, præſertim ea qua Mandarini vtuntur, quæ a cæteris paulum diuerſa eſt. Viri æque ac mulieres comam promittunt, præter Bonzios (id eſt, eorum ſacerdotes) qui raduntur. Viri capillos in nodum aſtringunt, certoque reticuli genere è ſetis equinis ad inſtar capillatis muliebris laborioſe contexto cohibent, ęſtate vero multi pileis caput operiunt, ſimili opere retiatio. Varia ſunt tegminum capitis genera, cuiuslibet conditioni ſiue ſtatui accommodata: eorum infimum quo plebei homines capita fere operiunt, rotundum eſt. Calcei ex eadem ſunt materia è qua cętera ſunt veſtimenta, ac fere ſerici, variis ad aſpectum venuſtis oris atque obſtragulis deuincti. Turpe ducunt capite non operto in cuiuſquam, præſertim in dignitate aliqua poſiti, conſpectum venire. Permagni faciunt careq; emunt, quæ ex Europa afferuntur, ac pannos quoſdam, præcipue holoſericos triplici villo, quos Luſitani inſtitores vænales habent, longe ſuis anteponunt. Denique omnes panni in honore ſunt & precio, atq; etiam vndulati & ſubtiles nonnulli, qui ex India mittuntur. Specula & quidquid eſt vitrei operis quamuis in Europa contemtum, hic admiratores reperit & minime parcos mercatores.

Habitus corporis Sinarum.

Sunt pleriq; omnes Sinæ barba rara, breui naſo, oculis modicis & nigricantibus quamobrem de meis qui ſunt ferrugineo colore, cuiuſmodi nullos præterea viderunt, multa philoſophantur: ex quibus hoc eſt iactatum, quod eiuſmodi oculis cognoſci poſſe narrant quo loco abditæ ſunt gemmæ aliæque res precioſæ: ſomniant etiam intra illos litteras quaſdam latere. Hominem fœdũ & inuenuſtum quum volunt depingere, tribuunt illi breuem veſtem, magnos oculos, barbam & naſum oblongum. Candidi ſunt maiorem partem, non tamen æque ac Europæi, qui illis valde cãdidi videntur. Eruditi omnes, grauitate præſtant & ingenio, eximiamq; in moribus modeſtiam præ ſe ferunt. Artifices perinde ac nos omnium artium habent, & complures eandem nobiſcum opus faciendi rationem tenent, iiſdemque vtuntur inſtrumentis. Quam quiſque artem factitet, aut quod munus ſuſtineat, id in eius eſt manu, neque, quod nonnullos audiui in Europæ commemorantes, patrem ſequi compellitur, ſed quo libuerit maxime, appellit animum. Ita prout ipſis commodum eſt, vel ſtudent, vel deſerunt aut mutant officia. Operam ſuam non magno locant: atque vt ipſis noſtri artifices ingenio & induſtria, ſic illis ipſi viciſſim aliis rebus multo præſtant. Seruitia ſiue ſint viri ſiue fœminæ, vili conducuntur: neque plus duobus ſcutatis vna cum victu, citra veſtitum, viro datur, eo nimirum quod eiuſmodi hominum mira ſit frequentia. Et vt multos reperire eſt inopes, quibus plurimi ſunt liberi, ita ſolemne eſt, eos vænum ire, neque cu-

nuſquam alterius rei precium vſque eo apud Sinas iacere comperi. Videas hominem adoleſcentem duodecim aut quindecim annos natum, nullo naturali vitio affectum duodecim aut quindecim Iuliis vendi, difficilioribus temporibus etiã minoris empti, non alio fere quam mancipiorum iure ſunt, quanquam habeãtur liberaliter, & vbi tempus eſt, nuptum collocentur. Neque tamen interea in regno tot opibus ac populis redundante quiſquam homo aut vllus hominum ordo diuitiis & potẽtia cum noſtratibus certare poteſt. Ægre inuenies inter eos qui vel regem proxime cognatione attingunt, qui in fortunis ſuis ſiue copiis viginti ſcutatorum millia habeat: pauci ſunt & eximii quidam qui decem millia poſſideant, neque alios fere reditus habent quam quos ex agris muneribusq; capiunt: qui ſane ſat modici ſunt. Sed vt noſtri pecunioſiores ſint, ſi tamen annonæ apud Sinas vilitatem cũ noſtrate caritate cõferas, pares eſſe videbuntur. De plebe nemo prope quiſquam in ocio degit ætatem, pleriq; in omnes opere faciũdo victum ſibi parant. Iam vero in tanta hominum colluuie tantaque regni vaſtitate non plus quam trecenta cognomina ſunt, eaq; omnia monoſyllaba. Nonnulli ſunt, ſed rari, qui equeſtris ordinis cenſeri poſſunt, qui ſcil. pro opera regi in tempore nauata, hereditariis ab eo dignitatibus ſunt ornati. Non eſt tamen vlla prope in Sinis natalium claritas vel ſplendor, neq; quiſquã alteri maiores ſuos audet opponere: ſed nobilitas omnis ex literarũ ſtudiis munerumq; & dignitatum Mãdarinorum gradibus petitur. Itaq; cui filius eſt Doctor vel Mandarinus, is quum ipſi tum vniuerſæ familię honori eſt, quo tamdiu illa floret dum litteratos aut Mandarinos progignit. Nemini à regis propinquis aut cæteris villam vllam propriam aut ſibi vectigalem poſſidere licet, ſed vni regi omnia conferuntur: ipſe autem reditus Mandarinus attribuit, & leges ſtatuit, quo cauſam adimat quidquã à priuatis poſtulandi: nõ tamen idcirco multi eos ſpoliare & vexare deſinent. Sinis ab anno 15. ad 22. aut 20. nuptias contrahendi tempus eſt. Vnam habent præcipuam in legitimo matrimonio, quæ ipſo nuptiarum die quando in mariti domum ducitur, publice per vicos fortunas ſuas & ſupellectilem omnem præ ſe agit. Præter hæc alias quot commodum eſt, emunt, & quum libuerit, diſtrahunt: non tamen deinde eis fas eſt venditæ propinquam aut etiam ſine conſanguinitate vlla cognominem in matrimonium ducere. Concubinarum filios hæredes quoque inſtitui mos eſt: neque magni intereſt ad diuitias & honores conſequendos legitima matrefamilias an alia ſis natus. Atque hoc eſt vnum ex iis ac forte præcipuum, quod homines honeſtos ac Mandarinos à Chriſtiana religione auocat, quod vxorum fere habeant & liberum greges, quos repudiare atque abdicare abſque extra-

ordinario Dei afflictu vix poſſunt. Quum aliis in rebus, tum præcipue in iuſſis faciendis, auguriis ſuperſtitioſe ſunt dediti, quod ita ſe amorem & obſeruantiam erga parentes declarare exiſtimant, cuius rei pleni ſunt eorum libri. Igitur & apprime ſunt obſequioſi parentibus, & in dicto minus audientes graues pœnæ conſtitutæ ſunt. Fit quandoque vt viri dignitate & Mandarinatu præditi, impetrata regis venia, iis ſe ſponte abdicent quo domi ſe abdere, & decrepita iam ætate parentibus inſeruire poſſint. Quæ tam iuſta cenſetur ab omnibus poſtulatio, nemo vt facile repulſam ferat. Mortuos parentes liberi omnes ſummorum infimorum, tres integros annos lugent: atque vt nobis pullus color, ſic illis tela candida, ex qua pileos etiam faciunt, lugubris eſt, Primis menſibus aſpera veſte induti, fune ad exemplum noſtrorum Fratrum diſcalceatorum, ſe præcingunt. Cuilibet Mandarino quamuis potenti, allato de morte patris aut matris nuncio (niſi rebus bellicis præſit) munere & dignitate è veſtigio abeundum eſt, deſerenda Reſpubl. ſuſceptæ pro litterariis gradibus contentiones omittendæ, ſecedendum intra domeſticos parietes, & parentibus extremo honore proſequendis, & elugendis vacandum. Locupletiores non ſtatim à morte ſuos terræ mandant, ſed alterum aut tertium annum domi in conclaui idoneo detinent, quo ad eos ſalutandos, adolendos odores, & imponendas feretro eſcas ventitare ſolent quotidie: nonnunquam etiam Bonzii ad ferendas lachrymas conueniunt. Iam Mandarinis non ſatis eſt ſepoſuiſſe negocia veſtemque mutaſſe, ſed ea etiam prope omnia quibus vtebantur, commutant. Multi non amplius ſellis, ſed ſcabellis inſident: ſalutationibus fere abſtinent, raros admittunt ſalutatores, partem chartæ in qua ſcribunt alio colore inficiunt. Quo die efferendum eſt funus, magno apparatu qui illud comitaturi ſunt, propinqui ac neceſſarii, candidati omnes confluunt, ac pro ſua quiſque copia Bonzios congregãt, qui lugubria carmina inſtrumentis muſicis emodulentur; quos ſiue ex ornatu ſiue ex numeris ſacerdotes noſtrates exiſtimare poſſis, vniuſmodi cantum canentes: adeo illis ſimiles ſunt. Onerant & fercula ſigillis candidis chartaceis aut ſericis, vexilla item conficiunt, aliaque inſignia. Locus quo corpus defertur, variis imaginibus ornatus eſt: effertur autem arca prægrandi: nam quum hæc omnis gens in apparatu exſequiarum felicitatem ſuam ponit, tum maxime in duobus, arcæ qua conduntur præſtantia, & ſepulturæ loco & modo. Non ergo exſpectant dum ſibi poſt mortem arcæ lignum quæratur à poſteris, neque ſi aliis eam curam permitterent, poſſent loculus ante eò opere fieri quo aſſolet, quam corpus puteret. Igitur in re quam tanti reputant, ne liberis quidem ſuis fidunt, ſed ipſi per tempus lignum aliquod ſibi comparant quam poſſunt

minime corruptioni obnoxium, plerumque quatuor, ſex aut octo digitos craſſum, quare quum ad hoc ante etiam clauditur, fieri poteſt vt diu funus citra putorem vllum domi ſeruetur. In vnũ eiuſmodi loculum ſunt qui ſeptuaginta, octoginta aut centũ ducatos expenſos ferant. Atque vt pars quædam beatitudinis ipſis videtur, idoneum eſſe nactum, ita contra ante emori quam vllus præparatus ſit, quod raro vſu venit, infortunatum ducunt. Alterum eſt ſepultura ipſa, & ſepulchrum. Hoc ſortito ſibi deligunt, adhibitis in conſilium huius artis peritis caute admodum & conſiderate, rati ſuam poſterorumque fortunam in electione ſitam eſſe. Itaque eſt inuenire qui annum ipſum in hac delibera tione conſumat, velitne ſuum ſepulchrum ſeptentrionis regionem, an aliam aliquam ſpectare. Quamobrem inter Sinas præcipua de ſepulchris eſt contentio. Fiunt hæc extra vrbium mœnia in campis, aut in montibus, vbi ſtructili, aut lateritio, aut alio opere cryptam ſubterraneam exſtruunt, quam poſtquam in ea arcam depoſuerunt, vndique bene communiunt ac ſubinde eodem redeunt, ſuoſque ritus iterant, & eſculenta afferunt. Male auſpicatum iudicant intra pomœria ſepeliri. Quod ſi cui contra accidit, etſi omnium Sinarum longe eſſet Princeps, numquam eum ſuos lugere mortuos patientur, atque inprimis mulieres, quæ nullum de tali infortunio loquendi plorandique finem faciunt. Sunt etiam qui Metempſychoſin fieri credunt, quocirca à morte præcipue patris aut matris animantium cædibus temperant, ne forte aut illorum aut cuiuſquam alterius animam in iis latentem perimant. Abſtinent præterea quidam pauperiores, qui olim ex diuitiore & ornatiore domo renaſci deſiderant.

Tametſi vero inter Sinas pauci ſunt qui diuinitatis aliquid in idolis eſſe credant, quiue illis maledicere vereantur, omnes tamẽ conſuetudine quadam faciunt, vt eis ſi non diuinos, ac ſtatos tamen honores habeant, quique plus eis tribuunt, chartas, thus, alioſque odores incendant, & hoſtias mactent. In codicibus vanorum Deorum multa de inferis leguntur, qui etiam multifariam atque in omnibus prope vrbibus in quibus eſt aliquod eorum templum, cælati viſuntur affabre, cum tetris formidoloſiſque cacodæmonibus, qui mille modis reos miſere exercent. Res tota artis forte laudem habet, fidem vulgo etiam non habet, quod terroris tantum cauſa ficta putetur.

Quod ſi cuiquam fidem mereri videtur, is ſimul præterito certo annorum numero, animas inde in animantes aliquas migraturas eſſe credit. Qui idola aliquo loco ducunt, forte ante ea tracta conſulunt quid ſibi euenturum ſit. Necdum tamen vſquam toto regno vllum oraculum memoratur cuiuſquam dæmonis p

ſimulachrum aliquod reſponſa dantis, cuiuſmodi alibi reperias, ea eſt vel populi de ipſis exiſtimatio, vel Bonziotum improbitas. Ædes in quibus reponuntur, ſordium fere ſunt & fetoris plenæ, neque vlla fere paullo lautior aut anguſtior exſtat. Plurimum diuinationibus ſe dedunt, atque aliter etiam quam à diis de proſpera atque aduerſa fortuna, deque conſiliorum ſuorum euentu ariolos ſciſcitantur, quorum eſt ingens multitudo hominum circumforaneorum, ſpermologorum, mendacium, qui quam plurimis imponunt. Et tamen Sinæ homines minime hebetes, qui illis hæc ignota eſſe non ignorant, ſæpeque eos vanos comperiunt, non temere iis inconſultis negocium aliquod aggrediuntur. Ac plane exiſtimo, ex eis nonnullos, quamuis paucos, pactiones aliquas cum dæmonibus habere: quod ex quibuſdam argumentis (de quibus hic dicendi locus non eſt) conijci facile poteſt.

Superſtitiones Sinarū. Duæ ſunt egregiæ primariorum in Sinis hominum deliriationes, & ante alias exitioſæ. Vna eſt, quod ſtudio ſe ſuo mirificam quandam vitæ longæuitatem aſſequi poſſe confidunt. Huius artis mille artes excogitant, & medicamenta ſumunt innumera, ad minuendam quam producendam vitam aptiora. Atque huius dementiæ præcepta & multis libris ſunt prodita & à magiſtris hominibus minime leuibus aut egenis explicantur. Sunt qui ſe valde ſenes eſſe mentiuntur, ad quos veluti cœleſtes homines, vulgi concurſus fiunt diu viuendi inſtituta & præcepta (in quo fortunam ſuam verti credunt) ab iis diſcere cupientes. Altera deliratio poſita eſt in ſtudio & contentione fingendi argenti, de qua item arte complures habent conſcriptos libros; vtuntur ad hoc verbis multis & argento viuo: qua in re conſumunt modicum illud argentum quod habent, neque ſpem tamen vmquam abiiciunt. Quod vero needum euentus ſpei reſponderit, id ex eo euenire iactant, quia needum ſua ſibi fors fortuna obtigerit, quam multi multorum annorum ieiunio accerſere conantur.

Militia apud Sinas. In Sinatum regno magna eſt per omnes prouincias militum ſparſa multitudo, quos in tanto tot retro annorum otio alere Sinæ non deſinunt. Verum vt gens pacis eſt & quietis ſtudioſa; ita milites, præter Bonzios deterrima ſunt conditione: nulla in iis virtus, nulla induſtria, nullum robur. Multi ex iis artem aliquam factitant, multi aurigæ ſunt, aut Mandarinorum & honeſtiorum hominum lecticarii. Vbi deinde delectus fiunt, militant donec ſtipendium abſtulerint. Itaque in nullo ſunt honoris gradu. Pœna à tribunis in eos decerni ſolita, eſt ſcutica, qua perinde vt in ludis litterariis pueri vapulant. Neque his tam ad vnguem factis ſtrenuiſque militibus ſiue ad læden-

dum

dum ſiue ad propulſandum hoſtem arma deſunt. Ridere ea potius quam commemorare libet. Nulla eis alicuius precii bombarda, neque enim in cuiuſquam militis manu vllam vidi (vidi autem plurimas) cuius ſipho ſiue fiſtula palmam excederet. Sed minime id mirum videri debet; quippe quum in tam diuturna quiete nullum locum habuerint exercendæ virtutis: qui ſi illis daretur, iis ſunt corporis viribus vt minime ſegnes aut inepti bellatores futuri videantur.

Mandarini quoque ſiue præfecti militares longe iis dignitate ſunt inferiores, qui in aliquo Eruditorum gradu collocati, litteris præſunt. Militares vero eiuſmodi præfecturæ aut tribunatus non acquiruntur vllis militiæ præclaris facinoribus, aut bellica virtute; ſed iubentur verba aut ſcriptum facere de militari aliquo argumento: atque ex omni numero deliguntur ij qui optime id feciſſe viſi fuerint. Ad hoc alteram vel tertiam ſagittam iaciunt, quo ſuam iaculandi peritiam oſtendant. Carent tormentorum adminiſtrandorum ſcientia: quamquam pro mœnibus nonnullarum vrbium vidi quædam breuia, ore æque ac poſtrema parte lato, quæ haud ſcio an vnquam explodantur. Sex aut octo omnino adhuc viſa in muris, qui ſua potius altitudine quam eiuſmodi tormentorum terrore muniantur. Præcipuus militum numerus ac robur in his regni partibus quæ Tartaros attingunt, commoratur.

Quadringenti iam anni ſunt, poſtquam vniuerſa Sinarum regio in Regis Tartarorum poteſtatem venit: cui ſe expugnationi interfuiſſe Paulus Venetus teſtatur. Tenuerunt eam Tartari annos ducentos: quibus elapſis, Bonzius quidam, homo conſilio & manu promptus in regem exortus, eum exturbauit, & regnum inuaſit, quod ex eo die eius poſteri etiamnum obtinent. Hoc ergo eſt quod maioribus præſidiis hanc Tartarorum viciniam tueantur. E Tartaris tum in aliquo regno, tum in his circa Pachinum partibus adoleſcentes multi relicti ſunt, vultu & colore Sinis diſſimiles, atque his in terris Mahumetem ſequuntur, & Moſcheas habent.

Præter milites nemo fert arma, nullius edicti metu, ſed quod præterquam belli, nuſquam iis ſit vſus, deinde viri graues & eruditi arma plane contemnunt: neque eos vnquam inter ſe, vt noſtrates ſolent, armis decertare videas. Quod ſi quando ad manus venitur, pugnis inter ſe conſcindunt, depaxos dant, & comas vellunt: momento deinde redeunt in gratiam. Iam colaphum alicui impegiſſe, & ſimilia, quæ noſtri cædibus vlciſcuntur, non tanti putant.

Plurimum ſunt Sinæ litterarum ſtudiis dediti, quod in iis honorem, opeſque ſuas omnes ſitas vident. Sunt illis circi-

ter quadraginta diuerſarum inter ſe litterarum millia, niſi quod nonnullæ ex aliis conſtant. Carent Alphabeto, & omni quod eius vicem ſuppleat; ſed cuiuis rei ſignificandæ ſua eſt tributa litera ab omnibus aliis diuerſa. Et quum tot ſint litteræ vt earum quotidie octo decemue millia vſurpentur, voces tamen ipſæ numquam plus vna ſyllaba recipiunt. Mos eſt vt ſeptimo ætatis anno legere & ſcribere condiſcant, in quo penicillis vtuntur. Exſtant complures libelli, quibus pueri propoſita Mandarinatus ſpe, ad ſtudia inuitantur. Nullam ſcientiam attingunt, vt Mathematicam philoſophiam, & ſimiles. In vna Rhetorica verſatur omnis eorum labor. Totius enim eruditionis ipſorum ſumma atque laus poſita eſt in facultate de propoſito aliquo argumento diſſerendi, verbis ad rem accommodatis & elegantibus: item vt in Europa noſtra veteres illi Oratores conſueuerunt. Ergo vt pollent ingeniis, præmiiſque etiam accenduntur, omnes huc neruos ſuos conferunt, omnibuſque aliis actibus repudiatis, & abiectis, iis quæ mortem auocare & otium conſumere poſſent, plurimum in hoc vno ſtudiorum genere elaborant.

Non adeunt, neque omnino habent vllas ſtudiorum Vniuerſitates ſiue Academias, ſed quibus per facultates licet, magiſtrum quempiam non magno conducunt ſuis liberis domi inſtituendis: ſin; copia eſt in quolibet oppido complurium, qui certo ad victum mineruali in ſingulos menſes contenti, cuilibet operam nauant. Itaque de magiſtris nihil conſtitutū eſt publice, ſed docere cuilibet licet, & dare operā cuilibet magiſtro, in ſingulorum eſt manu. Proinde carent etiam ratione explorandi à primo eorū doctrinam, qui in nullo adhuc litterario honore ſunt; ſed quicūque eo euehi ſtudet, quolibet tertio anno ad vrbē prouinciæ caput ſponte proficiſcitur vbi magnus eorum numerus qui id expetunt, probatur & excutitur, atq; ex iis ſoli in optato gradu collocantur, quorum compoſitiſſima ſcripta iudicata fuerint. Reliqui vacui domum redeunt, certi ſtudia vigere diligentius, quo proximis comitiis probam ſe iudicibus & honorem adipiſci poſſent. Tres ſunt eruditorum gradus, tribus illis noſtris ſimiles, Baccalaureorum, Licentiatorum, Doctorum. Omnium horum candidatis, eadem proponitur ad ſcribendum materia & ſcribendi modus. Traditur illa pridie, confeſtimque omnes in ampliſſimas ædes deducuntur, vbi conclauibus inter ſe diſcluſi nullam habent facultatem, vel verbum inter ſe conferendi. Ad hoc hominem certum ſingulis adiungunt, qui eos cum quoquam loqui vetet; cauentque ſtudioſe ne quis vel chartam digitali longitudine ſecum afferat: qua in re valde ſunt ſeueri. Nihil iis dant præter atramentum, chartam & lucernam, defi-

niunt

niunt viginti quatuor horas, intra quas orationem elaboratam eſſe oportet. Ea res homines ſic ſollicitos habet, vt nonnulli elapſis viginti quatuor horis, ita confecti conſumptique prodeant vt paullo poſt emoriantur: quod potiſſimum Licentiæ & Doctoratus petitoribus ſolet accidere. Cæterum quamuis confectæ ab ſe orationi quilibet nomen ſuum adſcribat, iudices tamen & Mandarini ea non inſpiciunt. Adhibent ſiquidem celeres librarios, qui quod ſinguli ſcripſerunt, omiſſo nomine deſcribant, ac deinde ipſa autographa claudant, obſignent & diligenter cuſtodiant. Apographa dantur iudicibus, hominibus omnium eruditiſſimis, qui ignari cuiuſnam ſit quodlibet opus, neque vllo relicto gratiæ loco, ſincere ea ſcripta deligunt & ſeponunt quæ ornatiora cenſuerint. Vbi renunciandi ſunt qui puncta tulerint, autographa cum apographis comparant, atque ita quinam ii ſint, cognoſcunt & promulgant. Qua in re tam ſunt attenti & cauti, vt quiſquis alicuius doli compertus ſuſpectuſve fuerit, loco ſuo moueatur, ſit licet vnus quiſpiam principum Mandarinorum. quod in altero & tertio gradu obſeruatur ſeuerius. Primum gradum aſſequutus, multis ipſe vniuerſaque familia facultatibus, immunitatibuſque eximius eſt, ſed eum neceſſe eſt tam diu iudicibus iterum atque iterum doctrinam ſuam pertentandam præbere, donec tertium gradum contigerit: quod ea gratia fit, ne ſtudium remittat. Hac neceſſitate non eſt aſtrictus qui necdum vllum eruditionis titulum ſuſtinet. Fit etiam ſæpenumero, vt qui hac lege tenetur, neque tamen grauiter in ſtudia incumbit, de primo quem iam conſequutus eſt gradu, non ſine probro & decore deturbetur: multi item quod vltra porro aſcendere nequeant, in primo conſiſtunt. Eadem eſt alterius gradus ratio ad eum accedunt qui iam ad primum peruenerant: non tamen omnes, ſed qui delectu habito, ad examen admiſſi fuerint, quod priori longe eſt accuratius & honorificentius. Huius alterius ordinis tot ſunt in qualibet prouincia quod rex eſſe permiſerit; qui vt quamque ornatam eſſe deſiderat, quod maiorem minoremve litteratorum numerum ferat, aut ſimili aliqua de cauſſa, ita huius ei honoris facultatem indulget. In hoc honore conſtitutus, quum libuerit Mandorinatu ornatur, & Reipublicæ gubernaculis admouetur: non tamen iis adhuc muneribus, quæ tertio ordini propria ſunt, dignus eſſe iudicatur. Singulis qui pro tertio gradu periculum ſui facere cupiunt, Mandarini è pecunia regia certum ducatorum numerum dant, quo in regiam proficiſci, & ſpecimen ſuæ eruditionis, quod quolibet triennio fieri ſolet, dare poſſint. Qui ſpe fruſtrantur, iterum atque iterum exſpectant, dum tandem vel decrepiti quod optant aſſequantur. Horum candidatorum numerus ita definitus eſt, vt plures trecentis quinquaginta eſſe non poſſint: quos inter cenſeri multa alterius ordinis millia certatim appetunt. Ad hunc vltimum ſtatum qui peruenerit, nihil iam habet quo vltra

progreditur; neque in hoc genere quidquam cuiquam arbitrantur accidere poſſe fortunatius. Ex his trecenti quinquaginta proſcriptionis cuiuſque elegantia, duæ claſſes eximiæ conficiuntur. Prior tres continet omnium præſtantiſſimas, quorum vnus eminet. In hos rex præcipue munificus eſt, ac ſimul electi ſunt, etſi etiamnum adoleſcentes ſint, inter primos proceres palatii numerantur. Altera claſſis triginta eſt vel quinquaginta reliquis inſigniorum, qui Mandorini palatii fiunt. Qui ſuperſunt, ſparſi per prouincias, extemplo Mandarinatu & munere aliquo ſiue in regia ſiue foris in prouinciis decorantur, vti deinde compertum fuerit eos Rempublicam gerere, ita vel porro euehuntur, vel, quod interdum accidit, abiecti honoribus exuuntur. Quilibet Doctor quamprimum eo honore potitus eſt, in patria ſua ædium liminibus, eam domū Doctoris inſcribit. Omnes exinde ei domui honorem habent, & fores quibuſdam quaſi arboribus cingunt, quas ſinguli eius vrbis Mandarini cum expanſo vexillo ad eum mittunt: atque inibi arbores ſtæ perſtant impoſterum. Ei vero qui Doctorum primus renunciatur, arcum triumphalem inſignem erigere ſolent.

Libri Sinarum.

In ædium veſtibulis Sinarum Doctores libros habent, bis mille aut bis mille & quingentis adhuc annis à veteribus philoſophis elucubratos, in quibus de virtutibus moralibus & gerenda Republica luculente diſſeritur. Hi quaſi in Diuorum numero habentur, atque ante alios vnus quidam, quem præcipue omnes colunt, cui etiam quotannis Mandarini & eruditi omnes pro ſcriptis ab eo libris aliiſque in Remp. meritis gratulabundi ſacra faciunt. Reges etiam Sinarum iam ipſos bis mille annos eius poſteros pro ſua erga eorum parentem obſeruantia, alunt, atque maximis in Republ. dignitatibus cumulant. Hi ſunt libri quibus ſe dedunt, & è quibus ſuos petunt ad ſcribendum locos, in quo & ordinis litterarum inter ſe, ne temere poſitæ videantur, & aptæ ſententiarum diſpoſitionis ratio habetur. Poſtquam renunciati ſunt Doctores eorum, omnes illæ lucubrationes eduntur in lucem, non modo ipſorum, ſed patriæ etiam & patris nomine multiſque laudibus additis. Sunt hi Philoſophi ad Sinas eodem loco quo apud nos Seneca & Plato: nemo tamen illorum vel copia vel elegantia ſcriptorum cum quoquam noſtrorum componi poteſt. Pondere vero ſententiarum, quæ in cæteris non ſunt contemnendæ, ille vnus quem præſtare dixi, noſtris par videri poteſt. Iis qui ſcite norunt ſcribere longe maior ab Sinis quam à noſtratibus honor tribuitur. Itaque plurimorum quotannis libri vulgantur, in quibus nihil eſt accuratum, nihil ſelectum; ſed quod cuique in mentem venit, ſiue probum ſit ſeu prauum, id protrudit, quo fit vt plerique libri nugarum ſint pleni. Qui inter eos excellunt, de nulla ſcientia (quarum, vt dixi, ſunt ignari) verbum faciunt, ſed ſententias duntaxat quaſdam complectuntur, conformandis moribus, aut ordi-

nandæ

nandæ Reipublicæ idoneas. Typorum exprimendorum ratio multum à noſtra diſſidet: non enim coniungunt literas, ſed in ſingula folia tabulam formant, quæ vtrimque characteres haberet: quod etſi per quam laborioſum videbitur, ſunt tamen in eo celeres & expediti, neque care ſua æſtimant. Solent quoque candidas literas formare in nigro; qua in re noſtras antecellunt, etſi in illo concedunt. Ad hoc vtuntur typis lapideis, qui non gerunt characteres vniuerſos, quo recti exprimantur in charta, ſed quum in lapide tum in charta eundem ſitum habent. Id autem faciunt, humefacta in principio charta, ac lapidi impoſita quam vbi leuiter re aliqua minime dura identidem impulerint, ſenſum in typorum lacunas inſignunt, dum eæ partes reliqua charta ſunt depreſſiores. Tum vero chartam atramento tingunt, quod quia ima literarum non alluit, candidæ illæ manent. Liber quiſpiam noſter quamuis magnitudine par, plurimum eorum quemuis rerum copia ſuperat: idcirco quod nos non longe minutioribus literis vtimur. Neque vero tantus in hac lingua ſcribendi legendique labor Sinas deterret; qui ad negociandi conſuetudinem, plerique omnes vtrumque norunt. Suus eſt & pactis honor. Igitur homines etiam primi ordinis in eam artem inclinabunt: Laudi præterea habetur pingere & fidibus didiciſſe, de quo ſpectatæ etiam auctoritatis viri gloriantur. Ac pingendi quidem inter illos media ars eſt, quod neque vmbras addere, neque oleum norint: ad canendum tamen grauiter ac temperate fidibus, fere pleriſque multa dexteritas ineſt Audiui non ſemel eorum concentus, præſertim in aula, quum ornandi recreandique mei cauſſa, Eunuchi regii aliquamdiu, vt mihi quidem viſum eſt, iucunde ſuis cytharis ſonuerunt: non tamen noſtris exæquari poſſe exiſtimo: ſibi fortaſſis etiam longe ſuperiores videntur. Vnum eſt illis duntaxat cythatæ genus grauiorum hominum auribus accommodum, quod valde laudare ſolent, ſambucæ non abſimile, quam communiter Harpam dicimus: etſi in forma & canendi modo neque cum hoc neque cum vlla alia noſtratium fidium conſentiat.

Porro quemadmodum nullum eſt in Sinis hominum genus eruditis atque doctoribus honeſtius, ita nullum eſt meliori indole, neq; grauioribus magiſque ingenuis moribus præditum. Nam illi quoque qui humiles ante erant & pauperes, parentibus ſordidæ officinæ deditis, vt fere plerumq; ſunt nati, vna cum honoribus altiores quoſdam & generoſiores ſpiritus induunt. Quod ſi vllum eſt in Sinis hominum genus quos cum magnatib. noſtris, quos Titulatos dicimus, equitibus aulicis conferri poſſit, hic vnus eſt Mandarinorum ordo: adeo multi inter illos ſunt, eximia in ſuis negociis ſuſtinendis ſedulitate, innocentia, & boni publici ſtudio. Noſtris ſane admirationi ſunt, quum homines ethnici, qui Dei nec metu nec amore ducuntur, tanta vitæ integritate ſunt; cuius vt proximis annis documenta ſolito cre-

Mandarinorum apud Sinas dignitas & mores.

brıora darent, fecit huius regis impotentia, flagitioſi mores & auaritia. Nam etſi ſummam ille rerum omnium poteſtatem habeat, parique, quum libuerit, in maximum quemuis Mandarinorum, atque in poſtremum quemque hominem dominatu vtatur: extiterunt tamen per hos annos non pauci, qui inſigni loquendi libertate excellentique animi ſcriptis ad eum literis quæ ab omnibus legi poſſent (hic enim eſt, regem palam conueniendi modus) vitia eius coarguerent: neq; eos vllius ſupplicii quod præter certam dignitatis iacturam impendebat, metus auertit, ex iis vnus litteras ſuas ſic exorſus eſt: Etſi, Rex, compertum habeo, ſtare iam furcam mihi paratam, & inflammatum eſſe rogum quo cremer, non tamen iccirco flagitia tua, iniurias, & noxia publicæ improbitatis exempla reprehendere dubitabo aut deſinam. Ita quum ſcripſiſſet, viſus eſt Rex non modo obſtupeſcere confidentiam, ſed integritatem etiam animique celſitudinem revereri: ergo etſi in eum animaduerti, modum tamen adhiberi iuſſit. Adiungam & aliud commemorabile quod ſuperioribus hiſce annis geſtum eſt. Habet Rex præter legitimam vxorem alias complures pellices, quas inter quidem eſt ordo, vt alia primum alia alterum obtineat locum. Ex legitima coniuge nullos ſuſcepit liberos, ſed qui maximus eſt natu ex tertia aut quarta, alter vero minor & ſecunda genitus eſt. Quum ergo more inſtitutoque gentis natu maior hæres ſcribendus eſſet, Rex tamen alterius pellicis quam amabat ardentius, rogatu, eius filium ſtatuit, poſthabito priori, ad Principatum vocare. Hanc peruerſitatem Mandarini complures increpare auſi & maiori ſtudentes gradu ſuo deiecti. Hic Mandarini reliqui qui plurimum poſſunt in regia, quum regem tergiuerſari, atque id quod ipſi peterent, quodque ius ipſum poſtularet, detrectare cernerent, communi conſilio edicunt publice, vt omnes aulici Mandarini, quorum ſunt aliquot millia, ad diem & horam in regia adeſſent: qui defuiſſet, dignitate multaretur. Poſtquam ad condictum vna cum inſignibus Mandarinatus conuenerunt, libellum dant regi, quo ei denuntiant quando toties cauſæ tam iuſtæ admonitus, neque audire neque legitimum Principem renunciare vellet, quærere qui ei ſeruire vellent, ſed quidem iam id minime poſſe, & ſponte Mandarinorum ornamentis ſe abdicare. Territus hoc principum totius regni conſilio Rex, Eunuchum ad eos ablegat qui ornamenta recipere iuberet, facturum Regem quod ipſi rogauiſſent. Denique hominem perpulerunt, vt quod ius eſſet, faceret igitur hoc ipſo anno legitimus Princeps (de quo poſtea aliquid dicetur) renunciatus eſt.

Occaſio quidem hoc loco eſſet de Mandarinis dicendi, neque abs re foret ſingillatim gubernandi vias explicare: verum tanta numerum multitudo maioris eſt operis quam vt in pauca capita conferri poſſit. Hoc generatim ſciendum eſt, complures Mandarinos præclare excogitare multa: ſed cogitata factis non perſequi. Quid plura?

Adminiſtratio plane ethnica eſt,& plurimis vitiis cumulata. Carent multis legibus: in iure dicundo animi ſui ſententiam ſequuntur: in ſuis prouinciis nouas ferunt leges vt libet, eaſque plurimum ab aliorum legibus alienas. Poteſt enim quis vel ex eo coniicere,non optime hoc regnum adminiſtrari, quod non quiſquis ornate ſcribere didicit,idem etiam habeat legislatoris prudentiam. Taceo quod ſæpe lites in rem ſuam vertunt,ius violant, & qua licet,rapiunt. Muneribus nihil crebrius, neque cuiuſquam rei tam vulgata nundinatio quam gratiæ, & quamquam alteri non ignotum ſit alterius ſcelus, diſſimulant tamen inter ſe, quippe eorundem participes facinorum. Sed quum maxime latere ſtudent,produnt ſe maxime. Magna eſt in omnibus vrbibus Mandatinorum multitudo,at in regiis Paehini prope immenſa. Vt enim præteream Mandarinos bello præpoſitos,qui non magno ſunt loco; aliorum maior eſt hic quam vbiuis alibi numerus: nam præter eos qui negociorum cauſſa aſſidue has vrbes celebrant, huius quidem vrbis aſſidui Mandarini ſunt plus bis mille quingenti Hi omnes quotidie conſultoribus & litigatoribus dant operam: quis vero tantus ſit cauſſarum concurſus, aut quæ cuiuslibet iuriſdictio, nondum ſatis nobis compertum eſt. E præcipuis totius regni Mandarinis ſex in hac vrbe degunt; ſex pari numero conſiliis præſident, Supremus eſt qui totius regni Mandatinos vel euehit, ad altiores magiſtratus, quum ita merentur, vel in ordinem redigit atq; caſtigat.quum ſuo muneri deſunt, hunc Sinæ propter poteſtatis amplitudinem,Mandatinum cœleſtem appellant. Is cauſſas omnes promouendorum ad dignitates & abdicandorum refert ad Regem, qui de ſingulis ita ſtatuit, vt minimus etiam totius regni Mandarinus ſuum honorem Regi acceptum referat. Alter Mandarinus curam gerit rituum omnium,tum humanorum,vt eorum qui in omnibus Regis negociis adhibentur,in oratione noui Regis & deſignatione Principis, in vtriuſque nuptiis; tum diuinorum, vt qui vſurpantur in inferiis & ſacrificiis quæ Reges cœlo & terræ facere mos eſt. Alius ex iiſdem ſex conſilii bellici eſt caput. Alius rationes Regis procurat. Alius ædificiis ac domibus regiis, atque impenſis ad eas neceſſariis, deinde mœnibus etiam vrbium, & ſimilibus rebus præeſt. Alius iuri dicundo cauſſiſque capitalibus. Hos ſex vnus duntaxat Mandarinorum ordo antecedit, quos Rex ad conſilia de quauis re adhibet. Atq; hi quidem, vt eſt captus Sinarum,opulenti ſunt & lauti: nemo tamen illorum vlli magiſtratuum noſtratium etiam vulgarium eſſe poteſt. Annona quam à Rege habent,mediocris eſt,famuli contempti,neq; vllum ſplendorem præ ſe ferentes;vulgus tamen hominum hos etiam veretur,iis paret,neque minus ad eorum quam ipſorum Mandarinorum pedes procumbit. Pœna ordinaria quam à ſontibus Mandarini omnes exigunt, eſt vt parte arundinis trium quatuorue digitum longitudine iuſtaque craſſitudine eos percuti iubeant: quo ſupplicio

ſæpe

ſæpe intereunt, tanta eſt eorum cum data opera cædunt, imma... tas. Caſtigant autem fere puerorum ſtudentium more, leui aut ... de cauſſâ, tum petitorem, tum vnde petitur, imperato vtrique ... ictuum numero exinde modus liti ponitur. Neque aliam ... ſententiam, quam quum ita duntaxat pronunciant: Vapulet vi... verberibus. Solent Mandarinis maioribus prodeuntibus in publi... anteire nonnulli qui voce aut inſtrumento aliquo populum dece... re iubeant. In minoribus autem oppidis prætereunte Mandarino ... quo magno, in ædes omnes diffugiunt, ſeque abdunt, & opifice... peras ſuas intermittunt. Ipſe adeo vidi quum oppido ad Manda... conſpectum ſummo omnes ſilentio, atque adeo canes ipſi diff... rent, tanta eſt omnium in eos reuerentia. Sunt etiam qui catenas ... que inſtrumenta ante ſe raptari iubeant. In regiis autem nul... quantumuis ampliſſimum Mandarinum prætereuntem populus ... git, ſed tantum de via cedit. In iiſdem regiis maiores Mandarini ... etiam vehuntur, alii ſellis; in prouinciis autem omnes in ſellis, ho... num humeris deportantur, habentque pro magiſtratus amplitu... ſellas duas, aut quatuor, vel etiam octo.

Eſt præterea cuique prouinciæ magiſtratus qui eam quota... palam inſpiciat, atque in Mandarinos inquirat: ſunt etiam oc... quidam & clandeſtini inſpectores, ſed ii nequaquam ordinarii ... vt ferunt ſunt huiuſmodi inſpectiones iam pridem deſitæ, hoc ... co dixerim quod olim quum eſſem in Hiſpania ſemper accepe... perpetuum eſſe hanc apud Sinas inquirendi morem. Solius pu... inſpectoris eſt, capitis damnare. Minime ſunt in vltimo decern... ſupplicio crudeles. Solus Rex, atque hic inprimis, cuius eſt ſingu... ſæuitia, atrocibus exemplis reos nonnunquam mori cogit: vt ... in hac vrbe proximis ſuperioribus diebus hiberno cœlo, frigidiſ... tempeſtate, octo homines leuis cuiuſdam atque, vt fertur, falſi... minis reos, ſtare iuſſit in publico, collo aſſeri inſerto, ea craſſitud... vt magnam capitis partem amplecteretur, qui duobus ſcamnis ... nixus ſic homines ſuſtinebat, vt dies noctesque pedibus cogere... inſiſtere. Huic ergo ſupplicio quum illi tres integros menſes, app... ta cuſtodia, addicti eſſent, putrefactis ac perditis diuturna ſtation... biis, ante quintum decimum diem morte ſunt defuncti. Vidi ho... nes quum hoc ritu ſtarent ac me ſane eorum miſertum eſt. Nul... aliud vidi vel audiui ſupplicium diritate frequentari, niſi quod, vt ... te narraui, Mandarini interdum flagris & verberibus miſeros ... cant: quod ſane atrox eſt facinus.

Sunt Sinę rerum nouarum ſane per quam curioſi, quas typis ... datas breui tota regione diuulgant. Habent & libros quibus Ma... rinorum omnium inſcripta nomina & patria eſt: quorum ſi quiſq... gradu dimouetur, vt ſæpenumero fit, eius & nomen delent, & q... ita res fert, facile reſtituunt.

Præter

Præter alia in officiis etiam commitatis humanitatiſque tuendis multi ſunt, quæ pro conditione eius qui cum agitur, varia ſunt. Vulgate eſt quod adhibetur in ſalutationibus, vt hoſpiti ſalutatum venienti manus honeſtior detur, quæ alibi eſt dextera, alibi ſiniſtra; deinde altera manu in alterius manicam, quæ longa eſt & laxa, inſerta, ambas ita connexas protendunt, corpuſque ad terram vſque incuruant. Deinde hoſpes ſedem patrisfamilias, paterfamilias ſedem hoſpitis ſublatam ſuo loco deſtituit. Cæterum hoſpitis locus eſt ſuperior, in atrii medio, ſeiunctus ab omni pariete: patris vero familias inferior, alteri contra oppoſitus, ita vt alter aduerſus alterum ſpectet. Tum vero poſt delicias verborum, potio exemplo affertur, quam *Cham* vocant, aquæ ex herba quadam magni inter eos precii, quam ſine ſumma inhumanitatis atque inſcitiæ nota omitti non licet. Hæc bis aut ter propinanda eſt, non ſine fructibus & dulciariis, additur & cochleat hauriendæ potioni. Quod ſi hoſpes moretur diutius, non committunt quin aliud præterea aliquod eſculentum præbeant, quod ille, niſi inſtet quotidianum veſcendi tempus, parce ad modum deguſtat. Qui alterum ſalutaturus accedit, niſi perfamiliaris & neceſſarius ſit, famulum præmittit cum litteris ſalutis, quas *Pattre*, hoc eſt, libellum ſalutationis appellant, quo nomine, ſicut & ipſo libro, nihil eſt frequentius. In eo quatuor verbis declarant, quanto officio & ſtudio eum proſequantur quem conuentum volunt. Pro conditione tamen tum ſalutaturi, tum eius cui ſalus affertur, alia atque alia eſt litterarum formula, aut enim vti ad maiorem, aut æqualem, aut minorum, aut diſcipulum ſcribunt, denique vt eſt hominis dignitas, ita eſt & obſequii modus. Neque enim fieri poteſt quin in tanta congreſſuum vel varietate vel crebritate multiformes etiam ſint ritus. Tum huius tum aliorum quæ de hac re poſtea perſcribam, exempla mitto in litteris, quas à primatibus Mandarinorum, atque à vulgatibus etiam hominibus ad nos ſcriptas accepimus: ad recta ſingulis interpretatione, lingua patria. Eas omnibus qui eas inſpicient, voluptatem allaturas non mediocrem confido. Simulac epiſtola quam *Pattre* vocari dixi, allata eſt, certior fit is qui adeundus eſt; qui è veſtigio ad accipiendum hoſpitem iam iam adfuturum ſe apparat. Quod ſi quotidiano vſu notus eſt, depoſita vulgari, propriam quandam eius temporis veſtem induit, quemadmodum item is qui ſalutatum venit, ad quem alter hoc cultu ornatum, niſi mutata veſte prodire non audet. Ea ergo celeriter iniecta, id quod vrger tranſigunt. In digreſſu hoſpes præit, ac ſub ipſo limine muneribus & officiis inter ſe pro dignitate vtriuſque, certant, quocirca paterfamilias propius aut longius, atque interdum etiam vſque in publicum, hoſpitem perſequitur, atque ibi tantiſper exſpectat dum ille ſellam aut equum conſcendat. Tum demum brachiis manicisq;

ſubla-

ſublatis inter ſe valere iubenr, atque diſcedunt. A digreſſu famulos inter ſe allegant qui gratias agant; hic quidem de ſalute ſibi dicta; illos autē de liberalitate in ſe accipiendo exhibita. Si ſalutator quē ſalutatū ibat, domi nō reperetit, Paitre, id eſt libellum ſalutationis, ibi relinquit, quo ille de hoſpitis ad ſalutandum aduentu fiat certior. Tum vero eius eſt cui ſalus afferebatur, quamprimum hoc officium exſequi vel eadem vel proximo die, ſi ſalutator dignitate maior; aut intra tres vel quatuor dies, ſi par eſt. Præſtat hæc ille ad eundem ipſum modum qui explicatus eſt. Quod ſi eum domi non offenderit, vbi ſalutis libellum tradiderit, munere ſuo perfunctus cenſetur. At vero quando dignitate illo anteſtat qui prior acceſſit, vt ſi de numero ſit primorum Mandarinorum, poſtridie ad eum adit qui ſalutatus fuit per libellum, quo ei de ſalutatione facta gratulatur, quod ſi obuium etiam habuerit, verbis præterea gratias agit. Salutatorum item digniorum mos eſt aliquanto maturius libellum de ſuo aduentu præmittere, & patremfamilias aduerſum agredi atque aduenientem honore & hoſpitio excipere. Domus pars præcipua & honeſtiſſima in ſummo eſt, in quam hoſpitem deducunt. Quemadmodum vero in ſcribendo variant pro cuiuslibet dignitate, conditione, & ætate (nam characteres etiam maiores format qui Mandarinatu præcellit, minores qui inferior eſt) ſic etiam ſermonem ad cuiuſque fortunam accommodant. Obuios in publico ſalutant manibus conſertis intra manicas atq; elatis, breuique in eam rem formulam verborum. Qui primum inter ſe noſſe incipiunt, hoc etiam in amplius adiungunt, vt ad pedes abiecti, terram ſæpius fronte feriant, alioſque ritus adhibeant, quos percenſere nunc quidem piget. Quum munus aliquod mittunt, adiungunt ſcedulam ſiue Paitre, vt ante dictum eſt, in qua res omnes perſcribuntur quæ dono mittuntur, non ſine bonote verborum.

Porro ſiue donum accipiatur, ſiue pars eius duntaxat, ſeu omnino refutatur, nunquam non alter libellus mittitur, miniatis marginibus, cui hoc inſcriptum eſt: *Gratias tibi ago*. Neque vero vmquam eum qui munus attulit, ſine pecuniaria mercede domum licet dimittere; neque munus par aut præſtantius non rependere. Id quod magno ſtudio, cumprimis qui tenuiore fortuna ſunt obſeruant. Et id quidem nobis tædium ac moleſtiam non mediocrem parit, poſteaquā cū potentiſſimis Mandarinis, qui res noſtrates, quarū indigi ſane ſumus, expetunt aſſiduo muneribus certandum eſt. Afferuntur interdum ad nos Macao horologia arenaria, thecæ pectinanæ, cultelli, aliaque Europæa; quæ quum iſthic nihili prope æſtimantur, hic autem prætioſa ſint, homines nobis conciliant, cauſſamq; dant de noſtris ſacris deque eorum ſalute verba cum illis faciendi.

Ad munera & ſalutationes accedunt conuiuia atq; epulæ, quibus vna amant indulgere. Solemnibus epulis duas ſingulis conuiuis men-

ſas in-

ſas inſtruere mos eſt: alteram carne & piſce, alteram fructibus & bellariis refertam. In vulgaribus conuiuiis vel vnam vni, vel vnam duobus apponunt. Dapibus eas onerant multa varietate, quæſito apparatu atque inſtinctu: quas ne refrigeſcant, per interualla, proferunt. Quinque vel ſex diebus, ante, miſſo Paitre ſiue libello ad diem inuitant: cui venire integrum non eſt, is alio libello reſcripto excuſatum ſe haberi rogat. Alioqui ſilentio, ſe véturum oſtendit. Is libellus officii honoriſque ſignificationibus plenus eſt. Prima luce eius diei quo conuiuium futurum eſt, allegat, & ſub ipſam horam alium: qui conuiuam iterum atq; iterum acceſſat, neq; vero ille, ſi vel vna harum vocationum deeſſet, venire dignaretur. Vbi ad ipſum conuiuium ventum eſt, magis vrbanitatis ſtudiis certatur, ſed nihil, vt de loco in accubitu capeſſendo: itaque ſæpe dum ordinantur, dum collocantur, annus, vt ille ait, abit: nimirum quilibet ſeu vere ſeu falſo alteri ſtudet concedere. Iam in capiendo cibo plurimum ſane diſcrepant à nobis ſuſpicari poſſis epulas eſſe non ad edendum comparatas: adeo dicis duntaxat cauſſa, modicum quid delibant, bibuntque ſæpius è cyathis fictilibus procellanis, quorum quilibet non plus quinque aut ſex vini cochlearia capit. Interea variis ſermonibus conuiuiũ in quartam ſextamve horam producitur: & tamen famem referunt domum, quod nobis etiam non raro euenit, quamquam damus operam, ne inuitantibus quãtum licet, annuamus, eo quod nimis longi temporis iacturam faciamus, niſi à ſupremi ordinis Mandarino vocemur, metu ne eius humanitate repudianda eam offendamus. Finitis epulis, ſinguli conuiuæ poſtridie famulum mittunt cum literis, quibus de præbito epulo conuiuatori gratias agunt. Ex quibus intelligitur, quibus in rebus Sinæ dimidium ætatis ſuæ conſumant. Nullum enim maius illis eſt negocium, neque in quo plus temporis conterant, quam ſalutationibus, cœnis, muneribus intentos eſſe. Sed inprimis multi in his ſunt, anno nouo ineunte, cuius quindecim primores dies feſtas habent; deinde per dies ſuas natales, quas ſplendide agitant: & quum iter facturi, aut ex eo ſunt reduces. Denique vt modum his omnino ponam, mitto ex multis literis quæ ad nos ſcriptæ ſunt, ſingularum exempla: quarum etſi verba non intelligis, animaduertes tamen ritus & mores huius gentis, & quantum inter illos & candorem illum qui in Europa colitur, interſit: nobis tamen omnibus ita neceſſario viuendum, atque ad ipſorum conſuetudinem fingendi mores videntur, quo iis mollioribus & facilioribus ad accipienda Chriſti inſtituta, vtamur.

Degit in hac vrbe homo Turca, qui annis abhinc quadraginta vnum vel alterum Leonem ad huius regis parentem aduexit: is, quod neque habitu neque moribus & inſtitutis Sinas vllo modo

ſequi velit, non reperit qui vel cum eo rationem habere, vel ad fores eius dignetur accedere. Noſtros autem, Deo nobis omniũ animos deuinciente, nemo fugit: ſcilicet, quod vident nos nullum eorum agendi, veſtiendi, cæteræque vitæ morem aſpernari: nam omnes Mandarini, qui valent plurimum, nos ſalutatum domum noſtram ventitant, & (quo animo ne in ſibi quidem muneribus & gradu pares, eſſe ſolent) de noſtra etiam palam amicitia gloriantur. Merito igitur Deo laudes gratesque agendæ ſunt: quippe paucis ab hinc annis fieri non poſſe credebatur, vt eo loco, exiſtimatione, ſanctitatis & eruditionis opinione aliquando Patres eſſent, qua nunc eos florentes videmus. Id ſpem nobis facit fore vt reliqua etiam à quibus eſt difficultas, Deus perfringat; quo ſummo cum totius Europæ noſtræ Patrumque noſtrorum, qui tot labores in hac regione exantlarunt, gaudio videre poſſimus ſanctæ noſtræ religionis decreta libere vulgari & accipi à multis, Deique noſtri honorem & gloriam, ac ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ditionem longe lateque propagari. Non prætereo animi lætitiam; qua cum eruditi inter Sinas ordinem illum honoremque rerum Eccleſiaſticarum & ceremoniarum audiunt; quumque intelligunt Epiſcopos nobis eſſe, quos ipſi Mandarinos vocant, aliosque rerum ſacrarum magiſtratus. Sed præcipuam voluptatem hauriunt ex iis, quę de Pontifice Maximo narrantur: vt, quod ad tantum faſtigium non hæreditario iure, ſed innocentiæ & ſanctitatis ſuffragiis aſcendatur; quod Reges omnes ei obtemperent; quod quum ab illo res omnes quæ ad ſacrorum religiones moresque probos pertinent: libríque omnes qui de his rebus conficiuntur, vna & auctoritatem obtineant, tamen reperiantur qui oblatam ſibi tantam dignitatem recuſent. His nos rebus in ſpem inducimur, eos quæ tam libentes audiunt atque approbant, Deo annuente, ſequuturos, neque in mores grauate inducturos, quod verbis tantopere dilaudant. Veruntamen vt hæc quæ de Pontifice Maximo dicuntur à nobis minime obſcura ſint vel ambigua, neque ipſi diſſentiant, nobis tamen ſane quædam ridicula in hoc genere euenere. Vnum eſt, quod quum ex nobis audiunt, modeſtiæ cauſſa nonnunquam eſſe qui Pontificatum Maximum defugiat, confeſtim ſciſcitantur: Ecquid idcirco recuſet, quod certus ſit ſuam excuſationem minime acceptum iri? rati ſcilicet nemini cauſſam dicturum quin Pontifex fiat, ſi eam locum habituram eſſe cognoſcat. Id ſcilicet ex ſuis moribus loquuntur: quoties enim magiſtratu aliquo augentur à Rege, extemplo libellum ei mittunt quo mille rationibus eum honorem deprecantur: at nihil tamen eis accidere poſſet infelicius quam ſi deprecantibus Rex obſequeretur. Quod etſi plerumque non facit, tamen cum incredibili, vt ipſe vidi, deprecan-

tis dolore, interdum facit. Solemne nihilominus eſt, vel cum hoc periculo excuſationem afferre, & in ſpeciem oblatam dignitatem ab ſe amoliri. Alterum riſu dignum eſt, quod complures nobis affirmant, vbi in patriam redierimus procul dubio ad Pontificatum nos euectum iri: cauſam afferunt, vel potius muſſant inter ſe, quod poſtquam eorum libros vidimus atq; peruoluimus, qui, vt ipſi ſentiunt, ſoli perfectionem abſolutionemque ſcientiarum continent, Europæos omnes homines longo iam iam interuallo ſupremus. Tanto apud illos in honore & precio ſunt Philoſophorum aliorumque libri, in quibus ſtudium ipſorum omne verſatur. Video ex iis quæ inſtitueram dicere, ſupereſſe cõplura, & nunc vſque eo egere temporis, vt ne ſummatim quidem ea, vt adhuc feci, perſtringendi ſit locus, quare faciendum mihi videtur, vt illa iam quidem prætercam, dum maiore aliquando ocio, meliore ordine ac non vti nunc tumultuario opere & impetu ea perſequi liceat. Abſoluam ergo has litteras ſi duo duntaxat addidero, vnum de fœminis, ſed paucis; alterum de Rege, eiuſq; domibus & famulitio.

Sinæ omnes, vt ſupra narraui, quot collibitum eſt, vxores habent: ea res dedecore, turbis, rixis ac iurgiis inter ipſas ipſarumque liberos, domos & familias confundit ac miſcet. Quare nullum noſtratium laudandorum finem faciunt, quum eos intelligunt vno matrimonio eſſe contentos; tametſi hanc beatitudinem ipſi necdum opere experiri velint. Certe hæc vxorum inter ſe, & proinde etiam à maritis alienatio animorum, ſtimulus erit, vti ſpero ad leges diuinas, quæ præter vnam legitimam coniugem, cæteras omnes vetant, libentius amplectendas. Cætera nobis fœminarum vita moresque idcirco ignota ſunt, quod ætatem intra domeſticos parietes tenent, neque vſquam niſi perraro ad matres, ſorores aut valde propinquos conſanguinitate, ſalutandos prodeunt in publicum: nam alium quempiam hominum adire, ne in mentem illis venit. Vidi interdum habitum fœminarum vilium & operariarum, quibus in publico verſari licet, minime ſane ſordidum aut indecorum. Per viam item alicubi offendimus nonnullas de plebe, inſtar fere virorum noſtratium, breuibus veſtibus ſuccinctas, nullo præterquam in capite & pedibus diſcrimine. Interea quæ fœminis Sinenſibus ſtudio ſunt, non poſtremum eſt, modicis eſſe pedibus, ſic vt ægre propterea ingrediantur, ſemperque lapſuræ videantur. Cauſſam necdum comperi, neque ipſi Sinæ produnt, quando id pro venuſto haberi ſit cœptum. Sunt qui negent originem ab vllo ſtudio leporis hauſiſſe, ſed quod fœminis cauſſam ademtam vellent domo exeundi.

Fuerunt Sinæ hiſtoriarum admodum ſtudioſi ac diligentes, quas de ſuis regibus habent, plus quatuor annorum millia complexas. Sane ſi quid eorum libri fidei merentur, qui nonnihil etiam de diluuio meminerunt, tum ex ipſis tum ex aliis diuerſis hiſtoriis comperiri videtur, maiorem longe annorum numerum inter illud noſtramque memoriam fluxiſſe, quam vulgaris noſtrorum Chronologorum & frequentioribus probata ratio ſtatua, aiuntſe aptam inter ſe & perpetuam hiſtoriam habere. Verum, quia nihil mihi de horum librorum fide hiſtoriarumque veritate exploratum eſt, hoc miſſum faciam. Illud certum habeo, prodi quædam de eorum rebus deque regibus, qui quandocumque diluuium orbem oppreſſerit, non multo poſt ea tempora exſtiterunt.

Inter eos antiquos Reges nonnulli tanta virtutis laude floruerunt, eaque excellentis cuiuſdam virtutis exempla præbuerunt, vt naturalis legis obſeruatione ſalutem aſſequuti credi poſſint. Neque illi idola vlla, ſed vnum duntaxat numen cœli terræque auctorem coluiſſe memorantur. Ex his fuerunt, qui quum filios ſuo ceteroqui legitimos patriæ dignitatis hæredes, minus ad regnandum idoneos eſſe cognoſcerent, illis abdicatis, ei regnum tradiderunt, quem omnibus prudentia atque integritate præſtare compertum habebant. Fuit hoc regnum tamdiu in multa minuta diuiſum, donec in vnum coaluit. Quadringentis abhinc annis, vt prius dixi; Rex Tartarus totum tenuit; quem ducentis poſt Pronzius Sina expulit. Is Tartarus tum alia ſui monumenta, tum nonnulla Mathematica inſtrumenta ænea reliquit. Nanchini, quibus paria, certe non perfectiora in Europa reperiri, iis omnibus eſt viſum qui ea inſpexerũt. Ex iis vnum eſt globus orbis terreſtris gradibus, meridianis, parelisq; omnibus diſtinctus alterum eſt aſtrolabium, quod in ſe tria complectitur: primum à Septentrione in meridiem; alterum ab ortu ad occaſum; tertium in aliam partem altitudini locorum, ſtellis, horis, aliiſque ſimilibus metiendis idoneum. Tertium inſtrumentum eſt ſphæra cœleſtis. Sunt omnia ita ad vnguem & accurate facta, nihil vt in iis deſiderare poſſis. Singulorum dicuntur eſt amplius octo palmorum. Supra ſunt Dracones ita apte collocati, atque accommodati ad ſuos horizontes, vt eorum ordinandorum, atque adeo totius Mathematicæ diſciplinæ peritiſſimum fuiſſe neceſſe ſit qui illa cõſtituit. Sina illa Pronzius qui Tartarum exturbauit, ſingulari ſapientia animique robore fuit; ac de eius in rebus agendis prudentia, apophthegmatis; domiciabilique dubiis in rebus cõſilio; multa memoriæ commendata circumferuntur. Huius adeo locuples teſtis eſt tanta vniuerſi regni moles, inſtitutaque omnia quæ ab ipſo profecta, ad hanc vſque diem ſancta inuiolataque

cuſtodiuntur. Is Magiſtratus, magiſtratuumque nomina mutauit, vt fere ſolent ex alia familia ad imperium prouecti, regum etiam, dignitatum atque vrbium appellationes nouare; Rempublicam omnem tam diſtincte primoribus regni gubernandam commiſit, vt, quod Sinæ etiam prædicare ſolent; multis annorum millibus, ſublata omni turbatum perduellioniſque cauſſa, florere poſſe videatur. Qui enim hæc antea tentabant, prætores prouinciarum & potentiores Mandarini, in quorum manu adminiſtratio rei communis, exercitus & ærarii erat, ab eo in ordinem redacti ſunt. Itaq; qui nunc militibus imperant, nullam habent curam ſoluendi ſtipendii; quique hæc curant nullũ in milites imperiũ obtinent. Multum etiam authoritatem magiſtratuũ attriuit, eamque in plures partitus eſt, opes item quorundam potentium, & locupletum ſic accidit, nemo vt iam in regno multũ poſſe dici poſſit. Memini me in libro quodam legere Hiſpanis litteris ſcripto, regem quando ſuis tribunis non fideret, ob nimiam eorum potentiam, adiungere illis hominem de ſua familia, qui eos obſeruaret. Huius vero nihil eſt, quemadmodum neque alia quæ narrat author de conſtitutis ab rege annonis, deque magiſtratibus, in plures principes diſtributis, quæ profecto aliter habent, neque eorum veſtigium vllum extat, ſiquidem tribuni neque poteſtate, nec opibus valent, etſi non deſit hominum turba, qui eis obſecundare iubentur, pluribus tamen in eoſdem ius eſt. Quapropter ægre vnquam, ad faciendam rebellionem, præſertim in medio regno, vbi fere continentur, tantaque regis vicinitate conſpirabunt.

Regum Tartarorum, eiuſque qui illos regno exuit, ſedes Nanchinum fuit, quo ſalubritate cœli, ſolique vbertate, nullus eſt in Sinis locus præſtantior. Deinde vero quo Tartaros præſentior arceret, huc in eorum viciniam ſe contulit. Tametſi vero nunc nunquam deſint è Tartaris latrunculi; tamen partim, quod gens tota in factiones hodie ſciſſa eſt, partim quod militari gloria non ſane multum Sinis antecellunt, nihil præclari ab iis patratur. Huic regi inſignia proinde vt Cæſari Aquila, & noſtro regi Leones cum caſtellis, ſunt Dracones. His omnia complentur, atque adeo veſtes non modo ſuperiores, ſed etiam, vt ferunt, intimæ, in quibus filis aureis acu pinguntur.

Intuenti mihi huius regni fortunas, ſolus rex, reſque eius amplæ, illuſtreſque videntur. Neque enim, vt in Europa noſtra quicquam eſt, quod contra eius copias æſtimari poſſit. Itaque rex eſt longe omnium rerum potentiſſimus, & vere magnus. Eius vectigalia ita prope immenſa ſunt, vt ea, niſi in ipſorummet tabulis, in quibus omnia ſigillatim perſcripta ſunt, legiſſem, commemorare dubitarem. Non quod mihi res certa non

ſit(quo enim plura de hoc regno cognoſcuntur, eo minus,) ſed quod metuo ne nimis arduum mihi ſit, iis quibus explorata non ſunt hæc talia perſuadere. Vt ergo breui rationem computem, ſunt omnino huius regis prouentus in ſingulos annos millies & quingenties centena millia, quę ex argento fere, auro, oriza aliiſque rebus innumeris, plerumque tamen ex argento capit. Neque incredibilia iudicabit eſſe, quæ dico, qui regionis amplitudinem, qui impoſita capitibus hominum, terris arboribus, omnibus denique prope rebus vectigalia attendet, cum interea nemo ſit, qui regno tributi quicquam exportet. Verum vt magnus eſt cenſuum numerus, ita frequenter ſunt eorum profundendorum cauſſæ. Plurimi enim ſumptu regio viuunt, vt Mandarini omnes, quibus à rege confertur annona, omnes milites, omnes regis propinqui, Eunuchi, aliudque vulgus hominum prope infinitum. Quare ingentes ab eo impenſæ fiunt. Non tamen idcirco deeſt magna pecuniæ vis quæ in theſaurum recondatur, neque dubito, quin ea nunc ſit longe maxima.

Complura modica regna quæ Sinas circumiacent, huic regi parent, aut certe vectigalia ſunt, tale eſt ab hac parte Coreanum & alia, quorum necdum nomina teneo, ab illa vero Malaca, Macaum, aliaque multa, non raro etiam ex iis regionibus iniurias illi inferunt abductis, aut cæſis hominibus. Quæris fortaſſis, cur quæſo his moleſtiis ſe non expediat, & tantus rex tantilla regna ſui iuris non faciat? Ad id principio reſpondeo, minime illi facultatem deeſſe: deinde narro rem compertam, ſed noſtris hominibus admirabiliorem. Neque Sinæ, neque Rex cogitationem vllam de promouendis regni terminis ſuſcipiunt, quod adeo verum eſt, vt ne oblatas quidem ſibi duas regiones ſint accepturi. Longe vero ægrius, ſi longinquæ eſſent, quod cum cæteris, tum Mandarinis præcipue, ornatiſque hominibus infortunatum eſſe videatur, è ſuo regni in alias oras exire. Recens etiamnum, ac ſane illuſtre exemplum exſtat in regno Coreano, quod cum Iaponii inuaſiſſent, Sinæ ſuis terris quas illud attingit, præſidio futuri, numeroſum eo militem miſerunt. Verum poſtquam Iaponii nunciata ſui regis morte ſponte ceſſerant. Sinæque alterum tertiumue annum Coream tenuerunt, denique cum reperire non poſſet, qui ad eam adminiſtrandam domo vellet egredi, omnino deſeruerunt; adeo nulla regem libido tenet imperii proferendi. Idem facturum crediderim, ſi aliud quoduis ei regnum daretur in manus. De regnis vero ſibi tributariis nihilo magis eſt ſollicitus, pendant quicquam nec ne, nam ſi non deſunt, id ſui potius emolumenti ſtudio faciunt, quam regis metu. Itaque facile paſſus eſt, Philippinas inſulas, quæ olim Sinis vectigales erant, nihil iam ſibi debere.

Eſt

Eſt huic regi vt cæteris, vna coniux legitima, in qua deligenda nihil præter mores, & formæ venuſtatem ſpectatur, quando natalium nullus hic ſplendor eſt. Secundum hanc alias ſibi complures iiſdem conditionibus quæſitas, in concubinatum copulat. Harum liberi, cum ex legitima nulli naſcuntur, regno potiuntur, quod non raro vſu venit, nam & is qui modo regnat, quique illi ſuccedet, ita geniti ſunt. Nulla Deo deuota virgo perinde vt hæ fæminæ poſtquam ad regis connubium accitæ ſunt ædium ſeptis arcentur, quippe non modo domo prodire, ſed ne parentibus quidem aut fratribus loqui ſinuntur. Nulla aut ſane per exigua ſunt poteſtate, nimirum nihil præter id, quod forte precibus a rege obtinent, poſſunt. Seruitium porro omne eum regis, tum reginæ cæterarumque mulierum Eunuchis conſtat, quod profecto ſtirpe regia indignum eſt.

Sunt hi Eunuchi ad vnum omnes ex humillima regni fæce, quos parentes, eum præ inopia alere non poſſint, teneros adhuc, Eunuchos ea ſpe faciunt, quod olim aditum aliquem in regiam ſint reperturi. At non eius ſunt generis, euius nonnulli in Europa, ſed cuiuſmodi Turcis ſunt familiares. Eadem cauſa quæ parentes eo impulit, facit etiam vt nulla eura educati, nihil aut exiguum quiddam litterarum deguſtent. Eliguntur nonnunquam hi Eunuchi in demortuorum locum, ac primo, poſtquam huc acceſſi, anno plus termille cooptatos eſſe conſtat: competitorum vero viginti millia fuiſſe accepimus. Eorum deligendorum prouincia data erat ei Mandarino, quem ex primoribus eſſe dixi, eaque quæ regem attingunt eurare, ac deinde Eunucho grandi natu, multaque apud regem gratia. Qui eo munere ſunt digni à duabus potiſſimum rebus animaduertuntur, formæ dignitate, & exercitatione, celeritateque linguæ, quamobrem hoc eos experimento inſpiciunt, vt duas voces, quæ, niſi à pronunciandi gnaris, ægre proferuntur, edicere iubeant. Lecti deductique in regiam diuerſis muneribus occupantur, atque inprimis morigerari antiquioribus Eunuchis iubentur, qui multiplici patientiæ, & moderationis exercitatione eos probant, atque vti ſe præclare dederint, ita ad altiora prouehunt.

Ex eiſdem Eunuchis habet rex ſuos ſymphoniacos, & Mathematicos, qui vt eos vno verbo tibi expediam, rerum omnium ſunt ignariſſimi, niſi forte in ſpeciem quid venditent. Nonnullis quandoque negotium datur, vti totam noctem excubent, atque obſeruent, num quis cometa, aut quid ſimile in cælo appareat, regemque certiorem faciant, ſunt & alia huius generis officia.

Plerique omnes ſunt pecuniæ vehementer auidi, atque vt

ſunt è ſordibus emerſi, vbi primum ſe apud regem gratioſos eſſe ſenſerint, faſtu quodam atque aduerſum omnes inſolentia tumeſcunt. Regi ſeruilem plane ſeruitutem ſeruiunt, ſiquidē in quāuis partem eius libidinibus obſequuntur, ac ſi vel tantillum deliquerint, acerbe vapulant, ab hoc præſertim rege, qui quauis offenſiuncula accepta, flagris in eos ſæuit vſque ad necem. Non tamen deſunt nonnulli integrioribus moribus, neque vulgari prudentia, quorum conſiliis rex in ſuis negotiis maioriſque momēti rebus vtitur: & quamuis non immodicæ fortunæ in eos ab rege conferuntur, ſunt tamen ita lautæ, vt bene & honeſte viuere, ac veſtibus etiam ſericis, eleganti opere ornatis abundare poſſint, multum illi indutu, amictuque a cæteris mortalibus diſſentiunt. Tanta eſt eorum in regia colluuies, vt ad ſedecim millia eſſe ferantur. Atque ex eo facile coniicere poteris, qualia ad virtutem exempla, qualeſque inſtitutores regi ſuppetant, qui inter has hominum ſordes, interque fœminarum quaſillos educetur. Conſueuerunt hi reges nonnullis è ſupremo Mandarinorum ordine quandoque aſpiciendos ſe præbere cæterorum hominum neminem aſpectu verboue dignantur. At non licet ei, cui conueniendi regis copia facta eſt, aulam eius intimam ingredi, ſed ipſe in quendam locum prodit foras. Porro ſi nulla eoque vſpiam gens, in qua ius gentium iaceat, ei licet Sinas annumeres, nam vt nulla eſt ipſis cum cæteris populo conſuetudo, ita ab eo more qui omnibus communis eſt, abhorrent plurimum. Itaque Legatis exterarum gentium haud aliter quam per cauſſam deferendorum munerum, aditus fieri ad regiam poteſt. Neque tamen interea ſpes fuerit videndi, aut cognoſcendi regis. Non enim inducunt animum credere quemquam vſquam gentium viuere, qui dignus ſit cum ſuo rege per legatos agere. Quod ſi qui mittuntur, vt annis ſuperioribus Iaponii de pactionibus quibuſdam legati venerunt, neque accerſuntur in conſpectum, neque audiuntur à rege, ſed à Mandarino, qui deinde de tota legatione refert ad regem. Iam honor, & humanitas qua ab iis accipiuntur, tanta eſt quanta eorum de exteris exiſtimatio, id eſt prope nulla. Quiſquis acceſſerit, continuo in miſeras ædes contruditur, nulla exeundi poteſtate. Quare vaniſſimum eſt, quod olim in Hiſpania legi, Sinarum regem quatuor habere aulas, in quibus Regum legatis pro eorum dignitate, daret operam, cum de eo Sinæ ne cogitent quidem, neque omnino huc Legati deueniant.

Regis pallatia quamuis operis elegantia Europæis inferiora ſint, multum tamen in gentium ſubſtructionum molibus præcedunt. Triplici muro ambiuntur in quadrum ducto, quorum primus iuſti oppidi amplitudinem exæquat. Intra primum

ac ſe-

ac ſecundum, alius quidam eſt, qui magnam domus partem, quam Eunuchi, opifices, & viliores, vt ianitores, & ſimiles tenent. Intra primum, ac ſecundum domus eſt regia non continens, ſed in plures partes contra inter ſe proportione reſpondentes diſtributa, variiſque diſtincta domiciliis, Earum qualibet perceſſa eſt, longa vero item, & turſus vnius equi patiens. In imo nulla eſt habitatio, ſed moles lateritia longitudine & amplitudine ædificio æqualis, non ſine portis marmoreis, quibus ex vna in aliam tranſitus patet. Ea ſtructura hominis altitudinem, aliquantum ſuperat. Huic impoſitæ ſunt pergulæ, porticus, auiæ, conclauia, quæ extrinſecus aſpicientibus, (introite enim nemini licet,) peruenuſta videntur. Magnam partem lignis conſtant, auratis tranſennis, varioque pictutæ ornatu. Tecta per quam ſcite fabricata ſunt, imbricibus meliori longe forma quam noſtrates, nam & croceo colore, qui regi proprius ac familiaris eſt; tinctæ ſunt, atque ita inter ſe aptæ, vt cœlatæ videantur. Denique hæc domicilia ſiue ob multitudinem, ſiue ob molem ſuperbum mihi quiddam, ac magnificū eſſe viſa ſunt. Inter hos etiam muros amnis, cuius ante commemini, labitur, ſtratus, ad commeandum vtrimque, multis quadro marmore affabre conſtructus pontibus. His iiſdem duobus muris illa etiam regiæ pars claudebatur, quæ prætetitis annis fulmine icta, atque eius ardore conſumpta eſt, quo tempore iuentium ex alto lapidum impetu complura grandiora ſaxa eliſa, & ruinæ, vt ipſe vidi, & incendii retinent notas. Regem perhibent cum effuſas cœlo flammas videret, imperaſſe filio, vt ſupplex cœli pacem expoſceret: neque enim ſe dignum eſſe, cuius preces audirentur. Sepiuntur his muris Eunuchorum grauiorum ſedes, qui vt in collegiis aſſolet, vna viuunt habitaculis diſcluſi. Sunt in eodem ſpatio montes, nemora, aliaque ad regis voluptatem comparata. Late admodum excurrunt, quod vel tum didici, cum an erudiendos de ratione aptandorum horologiorum Eunuchos eo itarem. etenim prius mihi octo ingenta palatia tranſeunda erant, quam ad eorum domus accederem, nque pauciora vltra illas ſupererant. Eunuchi humiles fere habitant domos & male fabricatas, cæteroqui hominibus, quos regi ad manum eſſe oportet, ſatis opportunas.

Sequitur tertius murus, intra quem Rex cum coniugibus, liberis iiſque qui familiares ſunt adminiſtri, viuit, quo nemini cæterorum pedem inferre fas eſt. Quapropter etſi hanc tertiam partem inprimis ornatam, viſuque dignam eſſe cognoram, vt ſane videtur, nihil tamen de ea habeo, quod diſerte commemorem. Vnum hoc non reticebo, me cum in Eunuchorum Mathematicorum ædibus diuerſarer, turrim aſcendiſſe vnde in tecta, arbores hortos proſpectus erat, viſumque mihi eſſe, qui non paucas in Europa ſumptuoſas domos viderim, nunquam tam inſanum, vaſtumque opus à me eſſe viſum. Ideirco nunquam non illic magna operarum vis, omnis generis

partim noua molitur, partim vetera reficit, ac tuetur.

Nunquam Rex, atque hic inprimis progreditur foras. Bius enim maiores ſemel quotannis in templum cœlo & terræ ſacrum ſacrificatum exibant. quare quo apparatu educatur equidem explicare non poſſum. niſi quod eius aſſeclæ adeo nihil auguſtum & ſplendidum præ ſe ferunt, vt mihi videatur non poſſe longo interuallo ad noſtrorum regum maieſtatem accedere. In principe filio promulgando morem hi reges tenent, ſane quam barbarum, paucis enim exinde diebus cæteros omnes liberos domo in certos quaſi fines relegant. Ibi, vſque ad pronepotes, regium in morem habentur, nulla inter ea ſpe vel parentum, vel maioris fratris videndi. Eorum poſteri, Regis cognati audiunt, atque ab eo vectigal modicum quidem, quod tamen ad tolerandum victum ſatis ſit, accipiunt, at nullo vnquam publico munere fungi ſinuntur. Contrahunt, & matrimonia ineunt cum quouis de populo, adeo nulla prope regiæ conſanguinitatis rationem habent, neque vllam ſibi iccirco eximiam authoritatem vendicant. Alii regis affines, qui aut ſorores filias, aut alias Reges vel Reginæ propinquas duxerunt domum, etſi idoneis ad viuendum copiis non egent, non magno tamen ſunt loco, neque magnifico cultu vtuntur, ſed vtroque ſe à Mandarinis præuerti patiuntur. Maritus ſororis huius Regis nos ſalutatum venit tribus quatuorve ſeruulis comitatus. Maritus item ſororis eius, quæ filio principi nupſit, ad nos equo aduectus eſt, vno duntaxat circum pedeſequente. Idem comitiis intereſt quibus Doctoratus aut Mandaritatus candidati, inſpiciuntur. Tantillum ad augendas eorum fortunas Regis cognatio confert, vel affinitas.

Hic tempus, mi Pater, at non vel ſcribendi materies, vel amor tibi cæteriſque patribus, & cariſſimis fratribus gratificandi me deſerit. Quod ſi hæc pauca, quæ ſcribo, non diſplicuiſſe cognouero, equidem libenter de iis quæ Deo opem præſtante, gratiaque nos ſua amplectente, gerentur in poſterum, vos faciam certiores. Ili vt me commendetis, enixe rogo.

Mitto vna cum his literis duas tabulas, in quibus hoc Sinarum Regnum deſcribitur quæ poſt ad me allatæ ſunt, quàm illa ſcripſeram. Decreueram ea in linguam patriam transfundere, quæ Sinenſibus literis adſcripta ſunt, quibus vectigalia omnia, quæ ſinguli s prouinciis regi penduntur, ædium, populique numerus, aliaque ſimilia explicantur. Verum excluſo tempore præſtare non licuit. Quare nunc ſola ipſa exempla tranſmitto, alio anno eadem, ſi Deo cordi erit, explanata à me habebis. Rotunda & quadrata quæ in eis viſuntur, ſunt vrbes & oppida celebria, ac munita, nam quæ mœnibus carent, etſi crebriora ſunt, eorum tamen incolarum numerus non perſcribitur. Amnes diſtincte admodum annotantur. Lineæ grandiores prouinciarum fines oſtendunt, tenuiores, & leuiore gyro,

definiu it ditionem primariarum vrbium. Nos more noſtro alias tabulas vniuerſum orbem complexas, Sinenſibus literis, confecimus, quas item ſequenti anno, quò interpretandi ſit locus, ſi Deus vitam noſtram tuebitur, exſpectabitis. Mitto & alias chartas complures, vt videas cuiuſmodi ſit Sinarum ſcriptura, & quale nobis ſciendum ſit literarum genus. Pachini VII. Idus Martias MDCII.

DE STATV POLITICO IN REGNO Galliæ,

DISCVRSVS XVIII.

GALLI omnium ſcriptorum iudicio, populi ſagaciſſimi ac bellicoſiſſimi, optimum ſibi Politiæ ſtatum conſtituere conantes, Monarchiam Regalem elegerunt. Natura enim ita comparatum videbant, vt vnum aliquem excellenti dignitate magis venerentur & metuant homines, quam co actum aliquem numerum delectorum, qui tempore commutantur. Ratio etiam ipſa præſcribit, in omnibus rebus ad vnum aliquem, velut ad caput atque fontem, neceſſario confugiendum; & rem eſſe plenam incommodi & periculi, quando plures imperium ſimul obtinent.

Monarchia laus.

Quinetiam exempla teſtantur Monarchias, etiamſi vel interitu Principum vel alio quodam humano caſu fuerint immutatę, diuturniores fuiſſe & tranquilliores, quam vel Optimatum vel popularem ſtatum: vt in Aſſyriis & Ægyptiis & Parthis, immo vt propioribus exemplis vtamur, in Britannia, Hiſpania Galliaque videmus; quibus ſane prouinciis nullæ aliæ Reſpublicæ temporis diuturnitate conferri poſſunt. Fit vero plerumque, vt Optimatum ſtatus, qui Ariſtocratia dicitur, in Oligarchiam commutetur, quæ paucorum eſt dominatus, quando ex Optimatibus & primis ciuitatis quidam pauci, velut coniuratione facta, honores & emolumenta omnia inter ſe partiuntur, & ſuas priuatim fortunas amplificare ſtudent; neglecta communi vtilitate, quam ſolam & inprimis curare debebant.

Alterum genus quod ad promiſcuum vulgus pertinet, & popularis

ſtatus

ſtatus ſeu Democratia dicitur, ſemper habitum eſt tumultuoſum & periculi plenum, & viris præſtantibus inimicum. Prudentiſſime ergo Galli populi ab omni tempore vni magis, quem ex virtute & iuſtitia æſtimabant cæteris præcellere, quam & pluribus ac præcipuis populi, vel multitudini, rerum ſummam commendandam eſſe cenſuerunt, prout & ſingularis aliquis, qui ſolus rerum potitur, facilius aut promptius incommodis & periculis mederi poteſt, quam multi ſimul, gradu & dignitate pares. Neque vero effrænatam ſiue abſolutam in Reges ſuos tranſtulerunt poteſtatem, ſed certis legibus & conditionibus optime limitatam & circumſcriptam, nè tyrannidi locus daretur, vt in progreſſu oſtendemus. Cæterum quemadmodum in humanis actionibus nihil ſtabile eſt & perpetuum, ſed cuncta vel temporis lapſu collabaſcunt, vel ſæculorum prauitate immutantur; ſic in Gallia quoque licet idem ſemper ſtatus, monarchicus ſcilicet Regalis, fuerit, non omni tamen tempore eadem gubernandæ Reip. ratio fuit: quam omnem ab initio conſtituti Regni breuiter ac dilucide exponemus.

Status Galliæ, priuſquam à Romanis illam in prouinciam eſſet redacta, is fuit, vt neque vniuerſa vnius imperio regeretur, neque ſingulæ ciuitates vel in populi vel in Optimatum poteſtate eſſent; ſed ita diuiſa fuit, vt pleræque Optimatum conſilio regerentur (quæ Liberæ dicebantur) cæteræ Reges haberent. Omnes quidem id inſtitutum tenebant, vt certo anni tempore publicum gentis concilium agerent, in quo quæ ad ſummam Reip pertinere videbantur, conſtituerent. Ciuitates autem LXIV. Tacitus libro III. numerat, hoc eſt, vt ex Cæſare intelligitur, regiones quæ non modo lingua, moribus & inſtitutis, verum etiam iiſdem Magiſtratibus vtebantur, qualis ipſe multis locis Heduorum, Auernorum, Rhemorum, &c. ciuitates præcipue commemorat.

Reges vero vel Regulos potius Galli tum eos appellabant, qui non ad tempus, vt ciuitatum Magiſtratus, ſed in perpetuum, regium imperium, quantumuis exiguis finibus, obtinebant: quos immutata temporum conſuetudo, Duces, Marchiones, Comites, nominauit.

Erant hi Reges non hæreditarii, ſed à populo propter iuſtitiæ opinionem eligebantur; neque habebant infinitum, ſolutum & effrænatum imperium, ſed certis legibus ita circumſcriptum, vt non minus ipſi in populi, quam populus in ipſorum poteſtate eſſent: vt fere regna illa nihil niſi Magiſtratus perpetui viderentur. Nam multos nominat Cæſar priuatos, quorum tamen parentes ac maiores Regnum obtinuerant. Optimatum ergo & delectorum auctoritate, quibus eam poteſtatem populis permiſerat, tanquam fræno coercebantur: quæ optima Reip. forma, teſte Platone, Ariſtotele, Polybio & Cicerone, fuit.

Porro Gallia à Romanis in prouinciæ formam redacta, eodem

modo Reges ipſorum ex virtute & Nobilitate (ad Germanorum exemplum vt apud Tacitum videre eſt) totius populi iudicio ac ſuffragiis electi ac conſtituti ſunt: quorum tres tantum in hodiernum vſque diem, annis fere MCC. quibus regnum illud durauit familiæ recenſentur.

I. Merouingiorum, qui orti à Merouco, ſtirpem ad annos CCLXXXII. propagarunt.

Regia apud Gallos ſtirpes.

II. Carolouingiorum, qui orti à Carolo Magno, ſobolem ad annos CCCXXXVII. produxerunt.

III. Capeuingiorum, qui ab Hugone Capeto prognati, annis fere DXC. regnum obtinent.

Nam licet deferendi Regni iudicium arbitriumque penes Ordinum comitia publicumque totius gentis Concilium ſemper fuerit; filiis tamen & iis qui ex Regis demortui ſtirpe eſſent, propter nobilitatem, more Germanorum, & innatam quodammodo virtutem, prærogatiuam illam fere relinquerunt, vt eos quaſi hæreditatis quodam iure aliis pari virtute præferrent, ita tamen, vt ſi Regis defuncti filii annis XXIX. minores eſſent, eos creari ius non eſſet, adeo vt alium ætatis legitimæ creari neceſſe eſſet: cuius exemplum exſtat anno Chriſti CCCIX in Elogio Rege. Sed & ſubinde hoc ipſum Regnum quod Francogalliæ dicitur, inter plures Regum demortuorum filios ex procerum Regni voluntate & arbitrio diuiſum fuiſſe, plurima exſtant exempla. Si vero populus filio repudiato alium eligeret, relinquebantur filio repudiato ad tuendam ſuam dignitatem res quæ propriæ Regis & ipſius patrimoniales fuerunt. Cætera quæ Regni & Reipublicæ erant, & Reipublicæ dicuntur, ei ad quem regnum deferebatur attribuebantur, ſicut, & eæ res, quæ Fiſci dicuntur, quæ ſcilicet ad tuendam dignitatem ſuam partim ad vſus Reipublicæ repentinos attributæ ſunt, vt erant Ducatus & Comitatus varii, qui etiam in populi comitiis illis aſſignabantur. Secundo & illud ſemper obſeruatum fuit, vt filiæ à regni ſucceſſione excluderentur (non quidem lege Salica, vt quidam male exiſtimant. nam ea de priuato tantum patrimonio, nec de feudis quidem ſed de allodiis, auctore Salagaſto, vno ex Regni proceribus, vnde Salica ab eius nomine dicta eſt, conſtituta fuit) & iis neglectis, fratribus vel patruis, aut etiam extraneis per Proceres regnum ſemper delatum ſit, atque hæc de Regibus, primo Reipublicæ capite. Antequam autem reliqua de Regis electione, eiuſque & Reipublicæ concilio, rationeque adminiſtrandi regni aliquid dicam: operæ pretium facturum me arbitror ſi prius membra illa regni quæ Regem conſtituendi & abdicandi poteſtatem habere diximus, paucis deſcripſero, quo magis dulcis bella harmonia qua Regnum hoc à maioribus conſtitutum & temperatum eſt, elucescat.

Illud in primis magni eſt momenti, Regiam poteſtatẽ ac reliquos omnes

omnes regni ordines adeo commodis & æquis rationibus inter ſe deuinctos eſſe ac velut coagmẽtatos, vt vix vllum poſſit inter ipſos magnum diſſiduum oriri. Sunt autem ordines in Gallis tres præcipui, penes quos legitimum gentis concilium regnumque adimendi ac conſtituendi facultas omnibus temporibus fuit, Nobilitas ſcilicet, Populus, Vulgus. Hi ſinguli pro ſua quiſque conditione ſuas habent leges ac Inſtituta, quibus vtuntur, & adeo commode ſunt inuicem aggregati, vt ægre facultatem habeant alii alios opprimendi, aut etiam aduerſus Reges coniurandi. De Eccleſiaſticorum ordine, qui quartus cenſeri poteſt, (quamquam hodie, quum in tantam excreuerit potentiam, primum obtineat) deinde dicturi ſumus.

Nobilitas apud Gallos.

Nobilitas igitur Galliæ ſiue Equeſtris ordo maximis fruitur commoditatibus ac priuilegiis, eoque fit vt magno quodam affectu Regem complectantur, & vitam quoque pro ipſius ac patriæ ſalute profundant. Neque enim vllum pendunt tributum, & armatis licet ipſis eſſe quoque loco, & multa habent vitæ præſidia, ſic vt non ſit opus illiberalem aut quæſtuariam aliquam artem exercere. Hoc enim noſtris moribus, minime illis conceditur, niſi forte domi maneant, ac rei familiari ſtudeant. Sed ſi Regem ſectari velint, habent quo ſe honeſte alant. Plurima enim ſunt domus & aulæ Regiæ miniſteria, quæ ſolis Nobilibus attribuuntur, qui ſinguli partem aliquam anni procurandis conſumunt, & reliquum tempus vacuum habent ac liberum rebus priuatis atque domeſticis adminiſtrandis. Hi omnes annuum à Rege accipiunt ſtipendium, & ampliora ſperandi magnas habent occaſiones. Principes autem viri & maioris dignitatis Proceres, quoniam & ipſi Regis beneficentiam experiuntur, ac partem Reipublicæ procurant, Nobilibus qui ſunt re familiari minus lauda, victum & alia ſæpe communicant. Deinde Reges perpetuum alunt & numeroſum equitatum exercendæ & alendæ nobilitatis cauſſa, ac in tanto equitatus numero plurimæ ſunt præfecturæ quę in illos diſtribuuntur, eaque ratio non minus pacis quam belli tempore durat. Maioris quidem loci Nobiles pro ſua quiſque conditione ac virtute præficiuntur equitibus, ex reliquis autem alii ſunt legati, alii ſigniferi, alii cataphracti, & qui per ætatem arma ferre non poſſunt, reliquis famulantur, & quum nullum eſt bellum, licet ipſis manere domi, eiuſque ſtipendii partem aliquam parcimonia conſeruare. Ad hæc vix credibile eſt quam multæ ſint per Galliam præfecturæ, vt ſic dicam, vrbanæ quæ ſoli Nobilitati committuntur. nam alii prouinciis, alii finibus, alii caſtellis & arcibus, alii vicis præficiuntur. vt interim nihil dicam de maioribus illis muneribus quę Principibus tantum tribui ſolent, cuiuſmodi ſunt qui ipſorum lingua Conneſtabuli, Mareſcalli, Ammiralii, & id genus alii dicuntur. Sed & annuam pecuniam, velut honorarium quoddam Reges liberalitate quadam elargiri ſolent in multos nobiles qui nulli ſunt addicti miniſterio.

Hi appellantur ipſorum lingua Penſionarii. Satis igitur ex iis quæ diximus apparet, ordinem Equeſtrem valde honeſte & liberaliter in Galliis haberi; & recte quidem. nam & patriam ab hoſtibus defendunt, & natura fere cæteris antecellunt, & non ſolum ipſis, verum etiam maiorum ipſorum meritis atque virtuti illud tribuitur.

Alter etiam ordo ſuas habet commoditates non exiguas. Ad hunc pertinent mercatores, qui eo maiorem quęſtum faciunt, quod tuto ipſis per omnem Galliam proficiſci ac negociari licet, tum quod nobiles ab omni mercatura abſtinent, & ſplendide ſete ac ſumptuoſe veſtiuntur. Huic etiam ordini conueniunt ac tribuuntur quæſturæ & rationes numariæ, item prætturæ, & quidquid ad iuriſdictionem pertinet: quæ ſane in re plurimum eſt honoris & emolumenti. Sunt enim in hoc regno Iuris adminiſtri, Iudices, Aduocati, cauſſarum Procuratores, Scribæ, & id genus alii, multo plures, mea quidem ſententia, quam in reliquis omnibus orbis Chriſtiani prouinciis: quod peropportune illis accidit, qui relicta mercatura, his rebus operam nauare volunt.

Et adeo quidem fructuoſus & diues eſt hic ordo, vt Nobiles etiam inuideant: quamquam certe dignitate & ſplendore reliquis omnibus præſtent. Et qui ſunt alterius ordinis, vt plurimum ad hunc aſpirant, vt poſtea dicemus.

Tertius ordo plebis ſiue Vulgi.

In tertio genere eſt Vulgus & promiſcua hominum multitudo, qui & agros colunt, & omnis generis artificia tractant. Vt autem hi vel nimia vtantur libertate, vel admodum ſint diuites, vel in armis etiam exercitati, non eſt conſultum. Nam quia conditionem ſeruitutis oderunt omnes, & natura ſuas fortunas amplificare ſtudent, facile fit, vt arma capiant, & potentiores opprimant: quod & in Galliis & aliis in locis non ſemel accidiſſe conſtat. Vt autem eiuſmodi ſint ordines ac veluti gradus in omni Republica, neceſſe eſt: quemadmodum in corpore humano videmus infirmiora & ignobiliora membra miniſtrare dignioribus. Neque tamen eſt quod hi ſtatum ſuum cauillentur aut deplorent & indigne ferant; quoniam & ius ipſis communicatur æquabiliter, & quam à maioribus acceperunt, ea vtuntur libertate, & multis etiam Reipublicæ miniſteriis adhibentur, & ſola virtute, induſtria & aſſiduitate poſſunt emergere, & ad ſecundum ordinem peruenire quod ſecundo non licet, vt ſcilicet ad primum euadat, niſi Regis ſingularibus beneficio, quod ille ſolet iis impertiri qui aut iam fecerunt, aut pro republica præclarum aliquid & egregium facere poſſunt. Et prudenter quidem iſtud inſtitutum eſt, primum vt ordo conſeruetur Equeſtris, qui per bella fere minuitur, & ſumptus vix tolerare poteſt. Deinde vt homines tantis excitati pręmiis, virtute cōtendant, & ad ſupremum gradum eluctentur. Hac etiam ſpe confiſi qui ſunt plebeii & infimi ordinis adſpirant ad ſecundum, & quum in

eo ver-

eo verſari fuerint aliquamdiu, ad primum. Itaque fit vt minus ſit inter ipſos inuidiæ & maleuolentiæ, quando vident meritis ac virtuti patefactam eſſe ad ampliſſimos honores viam, & propoſitum eſſe periculum, ſi malis rationibus eoſdem ſtudeant obtinere. Quod ſi vel conatus nimium difficilis, vel nulla ſpes eſſet amplior conſequendi, qui ſunt mediocris & infimi gradus, magni præſertim animi cauſſam reperirent, & occaſionem excitandi motus, & ſui ordinis homines, contra potentiores armandi: nunc autem minime difficilis eſt ratio: & videmus quam multi ex humili ſæpe loco ad ſummum faſtigium euadant. Hanc quoque rationem diligenter olim ſeruabant Romani. nam à populari ſtatim gradum faciebant ad ordinem Equeſtrem, & hinc deinde ad Patriam & Senatoriam dignitatem patebat aditus.

Ordo Eccleſiaſticus.

Eſt præterea ordo Eccleſiaſticus nulli non communis, qui modo animum huc adiiciat: & pro Galliæ, conſuetudine non raro accidit, vt etiam plebei homines, virtute ac eruditione præſtantes, ampliſſimos in eo genere honores conſequantur, Cardinalatum aliquando, vel etiam Pontificatum. Quæ ſane ad virtutem & litterarum ſtudia mirificam homines inflammandi vim habet.

Coharentia Ordinum Regni.

Ex iam dictis liquet quam apte & venuſte inter ſe cohæreant omnes regni ordines è quibus ſi quis aliquid delinquat, facilis eſt medicina. nam ſi Nobiles cæteris iniuriam faciant, coercentur ab iis qui ius reddunt, quorum tãta eſt auctoritas, vt quantumuis magni Principes eorum cogantur parere decretis. Quod ſi populus etiam ſiue vulgus aliquid moliatur, vt nonnunquam accidit, non eſt difficile Nobilitati propter potentiam & vſum armorum illos ad officium reducere, eoque fit vt ſuarum rerum finibus ac veluti cancellis ſeſe contineant omnes, ac pacem alii cum aliis colant, quando neque cauſſam habent neque facultatem etiam aliquid conandi, & periculum in eo ſummum eſſe vident. Itaque Regem tanti beneficii auctorem amplectuntur & amant omnes ac quum tempus incidit, libentiſſime imperata faciunt, & publicis neceſſitatibus magno ſtudio ſubueniunt. Quod ſi priuatim aliqui ab officio diſcedent, parata ſunt remedia, ſic vt malum non poſſit longius ſerpere. Et hæc quidem de Ordinum in hoc regno ſtatu ſatis.

Ex quibus conſtat, quam concinne Monarchia hæc iuxta iuſtitiam diſtributiuam ſit temperata, atque adminiſtrata & Ariſtocratice, hoc eſt, Optimatum imperio, & Democratice, hoc eſt, totius populi interuentu: quippe quum ad omnes honores omnibus pateat aditus. Quæ quidem eſt illa Reipublicæ forma, quam tantopere propter dulcem harmoniam omniumque Reipub. generum temperationem, omnes Philoſophi commendarunt, & vbi vetus illa Lex aurea locum habet: *Salus populi ſuprema Lex eſto.*

Concilium publicum.

Verum vt redeamus vnde digreſſi ſumus, ex tribus hiſce Regni

Ordini-

Ordinibus ſeu Statibus ſolet quotannis ad Calendas Maii publicum ac ſolemne Concilium ſeu Parlamentum vulgo haberi, atq; adeo quoties maior aliqua res inciderit, cui Rex in aureo tribunali ſedens, præerat; & hinc primum Principes Regnique Magiſtratus, tum inferiori loco legati ex ſingulis ciuitatibus ſubſidebant, quos vulgo Deputatos appellant. Carpento autem Rex in atrium vehebatur, bobus tracto, quos auriga ſtimulo agebat. Vbi in atrium vel potius in Reipublicæ ſacrarium ventum erat, tum Principes Regem in aureo ſolio collocabant, reliqui vero, vti diximus ſuo quiſque loco atque ordine ſubſidebant, eoq; demum in ſtatu atq; Sacrario Regia Maieſtas dicebatur.

Auctoritas vero huius Concilii omni tempore ſumma fuit, & hæc potiſſimum in eo agi ſolebant. Primum de creando vel abdicando Rege: tum de Pace & Bello, de Legibus publicis, de ſummis honoribus, præfecturis & procurationibus Reipublicæ, de aſſignanda patrimonii parte liberis defuncti Regis, vel dote filiabus conſtituenda, quam Germanico verbo Abannagium, quaſi excluſoriam partem appellant: denique de iis rebus omnibus quæ vulgus etiam nunc Negocia Statuum populari verbo nominat, quoniam de nulla, vt diximus, Reipublicæ parte, niſi in Statuum ſiue Ordinum Concilio agi ius eſſet. Item ſi quis Princeps aut illuſtriore loco natus, criminis alicuius inſimularetur, in iudicium ad illud Concilium vocabatur, ibique cauſſam dicere cogebatur. Quinetiam ſi quãdo Rex maiores ſumtus facere inſtituiſſet, veluti in templis ædificandis, & monaſteriis fundandis, Rex Ordinum conſilium & ſententiam exquirebat. Poſtremo nec illud quidem prætermittendum eſt, tantam huius Concilii apud cæteras gentes auctoritatem fuiſſe, vt etiam Principes exteri, ſi quid controuerſiæ haberent, id interdum huius Concilii arbitrio ac iudicio permitterent. *Auctoritas concilii Statuum.*

Atque hoc Concilium hiſtorici alias Curiam, alias Conuentum, alias Parlamentum, alias Placitum appellare ſolent, quod re in multorum conſilio quæſita & deliberata, tandem inter ipſos placuiſſet & conueniſſet. Vnde & Placita Philoſophorum apud Ciceronem & alios dicta ſunt. Atque hinc etiam promanaſſe videtur hodiernum illud in mandatis ac litteris Regis: *Quoniam ita nobis placitum eſt.* quod male nunc à Scribis Gallicis traductum eſt: *Car tel eſt noſtre plaiſir.* *Placita ſiue decreta.*

Eligi etiam ſolebant in eodem hoc Ordinum conuentu ſeu concilio præfecti Reipublicæ, qui Merouingiis temporibus Maiores domus, hoc eſt, Magiſtri Palatii dicebantur. Horum eadem apud Reges poteſtas fuit, quæ quondam apud Imperatores Romanos erat Præfectorum prætorio, qui etiam Aulæ præfecti dicebantur. Qui quum Regiam poteſtatem deſidia Regum aliquã- *Magiſtri Palatii.*

diu obſediſſent, eandem facultatem nacti, eam pro ſua occuparunt & vſurparunt. Nam quum omnia fere Reipublicæ munera obirent, & ſi quod gerendum eſſet bellum, exercitibus præeſſent, Reges domi nudo atque inani nomine contenti, in ocio viuebant: vnde eo progreſſa res eſt, vt Childerico Rege XVIII. regnum obtinente, Pipinus Magiſter Palatii qui Regis nomine magna diuturnaque bella geſſerat, Saxones deuicerat, ſuamque in poteſtatem redegerat oblatam Regii nominis occupandi facultatem non repudiarit, exercitu præſertim eoq; victore & glorioſo inſtructus. Tanta autem Præfectorum potentia initium (vt diximus) cœpit tempore Clotharii II. circiter annum Chriſti MLXXXVIII. id eſt circiter annum 130. poſt regnum Francogalliæ conſtitutum.

Porro hic Pipinus in regnum, depoſito Childerico, ſublimatus eſt: de quo hæc in Appendice Hannibaldi apud Trithemium, præter Marſilium Patauinum de translatione Imperii capite VI. Eodem anno, inquit Trithemius, Proceres totius Regni conuenientes in vnum, ſuper abrogatione Regis Childerici inutilis, cœperunt habere Concilium. Placuit autem in commune omnibus, vt Regem Childericum nullam regnãdi vel peritiam vel poteſtatem habentem deponerent, & Pipinum, penes quem totius regni ſumma manebat auctoritas, in Regem ſublimarent. Sed Pipinus in hanc rem conſentire noluit, niſi prius conſilium Pontificis Zachariæ inquiratur, cauſſas allegans ſe mouentes.

Comes ſtabuli, & quatuor Mareſcalli Franciæ.

In Magiſtri huius Palatii locum ſucceſſiſſe videntur Comites ſtabuli, vulgo conneſtabuli. Comites vulgo dicebantur omnes, qui ampliſſimos quoſq; honores in Regia obtinebant, & Rempublicam pro parte adminiſtrabant. Erat autem comes ſtabuli fere is qui apud Romanos Magiſter equitum dicebatur, id eſt qui equitatui præerat, cui cuſtodes equorum ſuberant, qui vulgo Scarieri appellãtur. Mareſchalcus Germanis vocatur, hodie eandem obtinet dignitatem quam olim Præfecti Prætorio, ſeu, vt diximus Magiſtri Palatii, & ſub eo ſunt quatuor Mareſchalci, id eſt, Equitũ Magiſtri, ad quos pertinet litium militarium & eiuſmodi rerum diiudicatio.

Pares Frãciæ.

Poſt hæc erecti ſunt tempore Hugonis Capeti (licet non ſatis inter ſcriptores de hac origine conueniat) illi quos Pares Franciæ vocant. Ille enim amoto legitimo herede quum Regnum occupaſſet, Proceres aliquot nouo beneficio & honore ſibi deuinciendos putauit: nam eiuſmodi aliquid ab eo factum eſſe, omnes conſentiunt. Horum Parium conſtituendorum duplex cauſſa fuiſſe videtur: Primum vt Regum Inaugurationi, & vt tum loquebantur, Inueſtituræ præeſſent, hoc eſt vt Regem Imperii ſui inſignibus atque infulis ſolemniter in Principum atque Optimatum

conuen-

conuentu exornarent. Deinde, vt ſi quis è Potentiorum aut Principum Franciæ numero, criminis alicuius capitalis reus fieret, iudicium illud exercerent: nam quum antiquitus iudicia illa in publico gentis concilio exercerentur, vt ſupra dictum eſt, atque is mos maiorum paullatim Capeuingiorum inſtituto ad Iudiciale Parlamentum rransferri cœpiſſet, neque Principes Regni facile illi Parlamento fortunas ſuas committendas putarent: Regibus ad ſuas rationes id commodiſſimum viſum eſt, præter illius Parlamenti curiam, hunc Parium conſeſſum inſtituere, quæ Parium Curia vocata eſt: quorum tamen numerus atque ordo aliquamdiu varius fuit, neque enim duodecim viri ſemper fuerunt, vt nonnulli exiſtimant, ſed interdum plures, interdum pauciores erant, prout Regi, à quo ſummi honoris ac beneficii loco dignitatis hæc conferebatur, commodum viſum fuit (idque variis exemplis probari poſſet) ſicut & Parium hæc dignitas ſæpe variis Principibus attributa eſt, & ad illorum iudicia nōnulli inſuper alii è Franciæ Proceribus, Satrapis & Epiſcopis adhiberi ſunt ſoliti, Poſtremo in illorum numero etiam exteri Reges ac Principes fuerunt.

Porro, etſi hac Parium inſtitutione, & quod Hugo ille Capetus ad conciliandos ſibi retinendosque, vt diximus, Procerum animos, dignitates quæ temporariæ erant, puta Regni Ducatus & Comitatus, perpetuas fecit, haud parum publici, de quo ſupra, Concilii auctoritatem, licet cum eiuſdem Concilii aſſenſu, aſtute imminuerit; cætera tamen cuncta adhuc ab eodem, pro more, pendebant Concilio, adeo vt etiam Budæus & Carolus Molinæus tradant, rei numariæ ius, hoc eſt, poteſtatem numorum vel augendi vel minuendi precii, ſemper penes Francorum populum fuiſſe. Memorabile eſt illud bellum, quod propter publicum bonum Proceres Regni, aſſiduis plebis querimoniis & expoſtulationibus incitati, aduerſus Ludouicum XI. Regem decreuerunt. Quin nec illud omittendum, ſub eodem Ludouico Concilium publicum apud Turones ad Calend. Aprilis, anno MCDLXVII. coactum fuiſſe, in quo placuit vt certi probatiq; viri XXXVI. ſcilicet, Curatores Reipublicæ ex ſingulis ordinibus deligerentur, qui Rempublicam ordinarent, & iuri ac iuſtitiæ prouiderent, duodecim ſcilicet ex Clero (qui vnum ordinem iam obtinebat) totidem à Nobilitate, & totidem iuris ac iuſtitiæ periti ex populo: fidemque Rex tum Regali verbo promiſſoque dedit, ratum ſe habiturum quidquid illi XXXVI. viri conſtituerent.

Publici cō-cilii aucto-ritas.

Atque hæc quidem in genere ad Capeuingiorum vſque tempora totius Reipublicæ guberuandæ, Regni ve adminiſtrandi fuit vſurpata ratio nosque ea hactenus recenſuimus Officiariorum

Regni munera, quibus qui præſunt ſeu funguntur, proprie Regni ſeu Coronæ adminiſtratores, officiales vel Sapientes dicuntur, quales ſunt inprimis illi, quos publicum Concilium conſtituere diximus. Item Pares Franciæ, deinde Conneſtabilis, Admiralius, Cancellarius, Quæſtor generalis Franciæ, &c. Alii etiam omni tempore fuerunt Conſiliarii & Officiarii Regi, qui priuata Regum negocia curabant, eisque famulabantur aut adminiſtrabant, quales ſunt Camerarii, & alii miniſtri & Officiales Aulæ Regiæ.

Curia ſeu Parlamenta Galliæ.

Præter hæc publica munera, inſtituta ſunt ſucceſſu temporis, alia atque alia Parlamenta Iuridica quæ de re ſciendum, ad hæc fere Capeuingorum tempora, & ſimplicem minimeque intricatam iuris reddendi rationem, raraſque omnino lites fuiſſe: quod vel hinc licet cognoſcere, quod Rex Ludouicus cognomento Diues, qui regnauit circiter annum MCCXXX. (vt ex Ionuillio, qui eius vitam deſcripſit, conſtat) ipſe vel controuerſias diſceptabat, vel diſceptandi negocium nonnullis e ſuo comitatu demandabat. Quod idem de Carolo Magno proditum, qui vel dum calciaretur, lites dirimebat; Huius lex talis in Capitulari exſtat: Hoc miſſi noſtri notum faciant Comitibus, & populo, quod nos in omni ſeptimana vnum diem ad cauſſas audiendas ſedere volumus. Creſcente deinde, prauitate temporis, litium multitudine, primum Baſiliça magnifica Regis Ludouici Huttini, vel, vt alii volunt, Philippi Pulchri Imperio circiter annum MCCXCII. ædificata eſt. Tum ex mediocri Iudicum numero tres Decuriæ factæ, Magnæ Cameræ ſcilicet, Inquiſitionum & Poſtulatorum. Sed anno MDXXII. Rex Franciſcus quartam deinde Cameram, in qua XX. noui Conſiliarii, adiecit. Rurſus idem Rex anno MDXLIII. alios, viginti creauit. Sed hic Iudicum conuentus nō fuit perpetuus & perennis, vt hodie, ſed indictiuus, nec niſi certo Principis mandato exerceri ſolitus. Ad diem idem S. Martini, id eſt, II. Idus Nouemb. à Rege edictum proponebatur, quo Parlamentum inchoandi Iudicibus à Rege datur auctoritas.

Parlamentum Pariſienſe.

Verum paullatim in tantum huius conſeſſus ſiue Parlamenti auctoritas excreuit vt nulla Regis lex, nulla conſtitutio rata eſſet, niſi cuius illi Conſiliarii auctores aut approbatores fuiſſent: deinde vt nullus tota Gallia magiſtratus non modo vrbanus, verum & militaris eſſet, quem non ab illo Conſeſſu inaugurari, & apud eundem in leges iurare oporteret: tum vt ab eorum ſententiis appellandi ius non eſſet, ſed vt eorum decreta rata ac fixa eſſent: poſtremo quidquid poteſtatis, imperii, auctoritatis, penes publicum Concilium & Statuum Parlamentum (cuius ſcilicet illi iam & nomen & auctoritatem obtinent) fuiſſe diximus, id totum in Senatum illum translatum fuerit.

At hodie, quando ſolus Rex pro ſuo iudicio, cum Secreto ac Priuato ſuo Conſilio quiduis decernit, prorſus in ordinarium Iuridicum Conſilium conuerſum eſt, non amplius circa Rempubl. regnique negotia occupatur, fixamque ſuam ſedem in Pariſiorum habet vrbe. Quod quidem latiſſime patet, & ampliſſimam præ cæteris Ordinariis Curiis ſeu Parlamentis (quę ſeptem omnino in Gallia nunc ſunt) iuriſdictionem habet. Cognoſcunt autem ſingula de cauſſis & criminalibus omnibus, & quod à ſingulis definitum fuerit, ei ſtandum eſt. Illud Pariſienſe præ cæteris habet, quod in eum conſeſſum quandoque ipſi Reges venire ſolebant, quoties magnam aliquam rem tractandam haberent, quæ vel bellum vel pacem concerneret. Hodie adhuc pactiones Regum, & quidquid omnino ad Regni conſtitutionem pertinet, in eo recitatur, & ſcriptis publicis, quorum ipſi cuſtodiam habent, inſeritur.

Sic quæ ab omni antiquitate & primordio Regni Francogalliæ ad publicos Ordinum conuentus referebantur, & poſtea iis abolitis, ad Senatum ſeu Parlamentum Pariſienſe, ea hodie ad ſolum Regem, & quos ille in conſilium adhibere vult, tranſlata ſunt.

Magnum conſilium.

Eſt & aliud in hoc Regno inſtitutum Conſilium, quod Magnum vocant, ex veris Principibus ac præcipuis Aulæ & Regni conſtans, quod tempore Caroli Septimi & Octaui non niſi circa negotia Status Regni ac ipſius Reipublicæ incolumitatem occupari ſolebat. Sed & hoc ipſum adeo multitudine cauſſarum ac litium, temporis ſucceſſu, obrutum fuit, vt Carolus Octauus ordinarium ex eo Conſilium XVII. Conſiliariorum fecerit: quos deinde Ludouicus XII. ad viginti adauxit, addito Cancellario Concilii præſide, adeo vt ſub rege Franciſco & ipſa Cancellarii dignitas in Præſidatum, vt ſic dicam, erecta fuerit, atque deinde illi ſolum vacarent cognitioni cauſſarum extraordinariarum, à priuato Conſilio iis commiſſarum, & fere ordinariæ appellationibus Præfecti hoſpitalis, vt vocant.

Conſilium priuatum vel Secretum.

Præter ordinaria iam dicta ſeptem Iuridica Parlamenta, vt vulgato vtamur verbo, & Magnum Conſilium, habet Rex priuatum adhuc Conſilium, quod perpetuum & ordinarium eſt, Regemq; fere comitatur, & circa negotia Regni præcipua, occupari ſolet: quamquam & id hodie in Ordinarium quaſi Conſilium conuerſum ſit, quando ſcilicet cauſſis ciuitatum & Parlamentorũ fere vacat, & plerumq; etiam aliorum priuatorum non ita magni momenti cauſſis, adeo vt hi viri ſpectabiles & Illuſtres aliis rebus occupati, negotiorum publicorum, & ſtatum Regni concernentium, cognitionem & curam propemodum omnem amiſerint, totaque Regni adminiſtratio & cura Regis ar-

bitrio & paucorum delectorum iudicio commiſſa eſſe hodie videatur, quod Secretum Conſilium nuncupatur, in quo cunctæ proponuntur deliberationes ſummam rerum concernentes, & ſuper quibus deliberatum à Priuato & Finantiarum Conſilio fuit, ſi eiuſmodi modo negotia fuerint quæ Regis peculiarem cognitionem requirant. In hoc cuncta beneficia, litteræ & mandata Regia ſignantur, aliorum Principum, Legatorum, Præſidum, & Capitaneorum litteræ reſerantur, Reſponſa concipiuntur, & Statuum Secretariis committuntur.

DE STATV POLITICO IN BELGIO SVB BVRGVNdica ſiue Auſtriaca familia,

DISCVRSVS XIX.

allia diſio.

GALLIA omnis, vt Cæſar habet, diuiſa eſt in Belgicam, Celticam & Aquitanicam, Belgicę ſemiſſem fere Auſtriaca poſſidet familia; alteram, Picardiam ſcilicet, Campaniam, Normaniam (quamquam hæ duæ poſtremæ non totæ ſub Belgio continentur) Galliæ rex, Dux Lotharingiæ, Iuliæ, Cliuiæ, Archiepiſcopi Moguntinus, Treuirenſis, Colonienſis, & Leodienſis Epiſcopus poſſident. Produxit hæc Belgica, teſte eodem Cæſare, illuſtriores ſemper ac fortiores milites quam reliqua Gallia, ita vt non modo illius tempore, verum etiam noſtro ſæculo omnem belli molem ſuſtinuerit.

Continet autem hoc noſtrum Belgium circiter trecentas, & viginti munitas vrbes, & circiter ducenta & triginta oppida priuilegiata, pagorum vero plus minus, duodecim millia.

allia Belica.

Et quamquam tota hæc Belgica propter diuerſas Imperiales & Regales dignitates, Electoratus, Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, tum coronationem tam Imperatoriæ Maieſtatis, quæ Aquiſgrani fit, quam Regni Francici apud Sueſſones, celeberrima ſit; illa tamen pars quæ Regi Catholico ſemper paruit, longe nobiliſſima eſt, tum propter frequentes in ea & opulentiſſimas vrbes, infinita oppida, & innumerabiles pagos, adeoque inhabitatorum admirandam frequentiam, eorum diuitias, ciuilitatem ac animi fortitudinem. Quibus rebus etiam Carolum V.

motum

motum fuiſſe ferunt, vt non ſemel de regno ex his prouinciis conſtituendo, deliberarit: verum propter priuilegiorum, morum atque legum in ſingulis prouinciis diuerſitatem, tum continuorum bellorum difficultates, quibus opprimebatur, ab inſtituto reuocatum fuiſſe.

Hæc pars ambitu ſuo vniuerſo continet milliaria Flandrica trecenta & quadraginta circiter, quæ faciunt Italica fere mille. Continet vrbes clauſas ducentas & octo, & circiter centum & quinquaginta oppida, vrbibus propter ſplendorem & priuilegia, haud inferiora, pagos vero plus minus ſexies mille & trecentos maiores, minorum autem infinitum fere numerum, ſicut & diuerſa Dominia, Comitatus ac Principatus, merum & miſtum imperium habentes.

Hodierna Belgii magnitudo.

Eadem in hoc Belgio eſt adminiſtrandæ Reipublicæ ac iuſtitiæ ratio quæ in Regno Galliæ, eadem Magiſtratuum nomina, eademque auctoritas prouinciis omnibus. Vnus à rege Catholico ſemper eſt generalis cum ſumma auctoritate Præfectus, qui & Burgundiæ Comitatui præeſt, neque ob multitudinem regnorum ac prouinciarum quas poſſidet Rex Catholicus, ipſius præſens, ſicut Burgundiæ Duces ſolebant, Belgii imperium adminiſtrare poteſt. Quapropter tempore Maximiliani Cæſaris, eiuſque filii Philippi, ſummæ rerum ibi præfuit Georgius Saxoniæ Dux, Caroli V. Imperatoris tempore, primum Margareta Auſtriaca, Imperatoris matertera: qua defuncta, ſoror dictæ Cæſareæ Maieſtatis Maria Vngariæ Regina, ab ann. MDXXXI. ad annum MDLV. quo Imperatoria Maieſtas totum Belgium Philippo filio reſignauit, qui ſucceſſiue eaſdem prouincias demandauit ſuo nomine regendas Emanueli Philiberto Sabaudiæ Duci conſobrino (nam ex duabus ſororibus Regis Luſitaniæ vterque natus erat) qui à Rege in Ducatum Sabaudiæ reſtitutus, Præfecturæ renunciauit: itaque in eius locum ſurrogata eſt Regis ſoror, Margareta Parmæ ac Placentiæ Ducis vxor; cui præter alia conſueta, aſſignata fuere in ſingulos annos XXXVI. coronatorum millia. Porro hic Præfectus licet ſummam adeoque pleniſſimam haberet per totum Belgium auctoritatem, cuncta tamen maiora munera atque officia, vt ſunt Præſidiatus, cancellariatus Statuum, itemque omnes leges, decreta & negotia ſub Regis nomine diſtribuuntur ac promulgantur. Scire autem hic oportet, antequam de ſingulis conſiliis ſeorſim aliquid dicamus, olim duo illa conſilia Statuum & Priuatum vnum tantum apud Principem fuiſſe, quod Priuatum nuncupabatur: verum multiplicatis negotiis, in duo diuerſa id partiri neceſſe fuit.

Præfect ſiue Gubernator totius Belgii.

Conſilium Statuum vt vocant, quod apud Gubernatorem reſi-

Conſilium Statuum

reſidet, incerto conſtat conſiliariorum numero. Pro arbitrio enim Principis & negotiorum grauitate, plures vel pauciores adhibentur. conſtat vero ex diuerſi Belgii prouinciarum Præfectis, nonnulliſque Iuriſperitis, qui propter doctrinam, integritatem ac virtutes in hunc conſeſſum recipiuntur. Huic ordini vnus præeſt iudex ſeu Præſes concilii. Cum hoc concilio deliberat ſummus Belgii Præſes ſuper rebus Principis, & publicis, puta de bello & pace, deque generali totius patriæ adminiſtratione. Eodem in deliberationem deferuntur omnes quæ hinc inde emergunt difficultates & negotia: item Federa cum Principibus & vicinis: an dimittendi ſint vel retinendi belli duces ſeu capitanei. Item de propugnaculis, munitionibus, prouiſionibus ſiue apparatu armorum; demittendis aut recipiendis legationibus; cunctaque huc referuntur à reliquis conſiliis grauiora negotia, denique vt ſummatim dicamus, quidquid conſeruationem ac protectionem totius patriæ intus & foris concernit, in hoc conſilio deliberatur. Solent & extraordinariis magiſque arduis negotiis adhiberi quoque omnes Ordinis aurei Velleris collegæ, & ex aliis Gubernatoribus prouinciarum & Officiariis Regiis nonnulli.

Conſilium Priuatum ſeu Secretũ. Conſilium quod vocant Priuatum ſeu Secretum, ſimiliter apud Gubernatorem reſidet, conſtat ordinariæ x. vel xii. conſiliariis, iiſque Doctoribus aut Licentiatis, à rege vel eius locũ tenente electis. Hoc quum diuiſum ſit propter multitudinẽ negotiorum à conſilio Statuum, de quo iam diximus, ſibi reſeruauit quidquid ad iuſtitiam, ius & politiã pertinet, vt & inſpectionem aliorum conſiliorum. Huius itaq; eſt concedere priuilegia, conſenſum, gratiam, veniam, immunitates, remiſſiones. Item condere leges, ordinationes, ſtatuta, edicta: vnde & libellorum ſiue ſupplicationum Magiſtri vocantur. Huius item conſilii eſt cognoſcere de limitibus & confinibus prouinciarum, deque partibus principalibus dominii, ſuperioritatis & auctoritatis Principis, dominiorum & aliorum aulicorum immatriculatorum. Denique penes hoc Conſilium eſt conſeruatio atque adminiſtratio Iuſtitiæ, cæterarumque rerum omnium inſpectio: quamquam ſubinde magis ardua Conſilio Statuum communicet, ac viciſſim hoc ea quæ politiam ac Iuſtitiam aliquo modo concernunt, ad illud referat, eiuſque ſententiam exquirat. Habet hoc Conſilium ſuum quoque Præſidem.

Conſilium Finantiarum. In eadem Curia reſidet & aliud Conſilium, quod vulgo Finantiarum appellatur. Huic communiter præfecti ſemper fuere, tres è prudentioribus dominis præcipui, tamquam Capita, vnus Theſaurarius, vnus Receptor generalis, & tres Cõmiſſarii docti ac prudentes cum duobus Graphiariis ſiue ſcribis, aliiſque

Offi-

Officiariis. Hoc Conſilium etiam habet bonorum patrimonialium & redituum Principis, ſubſidiorum ordinariorum & extraordinariorum, Cameræ rationalis. Receptorum, aliorumque Officiariorum Regias pecunias tractantium. In eodem fiunt taxationes, aſſignantur rationes ſoluendi quidquid pacem vel bellum concernit, itemque fortificationes, munitiones prouiſiones, adeoque omnes expenſæ tam ordinariæ quam extraordinariæ, pro conſeruatione Status patriæ. Hoc item bona Principis elocat, facit moderationes ac reſtrictiones, eius ordinationibus contentas. Breuiter, omnem habet curam Principalis Theſauri vniuerſi.

Eſt alius Bruxellæ magiſtratus Regius, qui eſt tamquam membrum Conſilii Finantiarum, appellaturque camera rationalis, cui præeſt vnus Præſes, & ſeptem Magiſtri rationum, quatuor ſcilicet ordinarii & tres extraordinarii, cum nonnullis aliis Officiariis. Reddunt huic rationem adminiſtrationis pecuniarum regis omnes Theſaurarii & Receptores Brabantiæ, & adhærentis ditionis, item agri Lucemburgici; recipiuntque omnes hic ſuas acceptilationes ſiue quitantias. Præter hanc vero cameram ſunt adhuc in Belgio tres aliæ cameræ rationales, in Flandria ſcilicet, Hollandia & Geldria: quæ omnes ſummarie rationem reddere coguntur Finantiarum conſilio, tanquam omnium inſpectori. Atque hæc ſunt conſilia, vel Officiarii, qui perpetuo generalem Belgii Præfectum comitantur, vel apud eum reſident. *Camera rationum.*

Eſt & aliud in hoc Belgio Conſilium in ſingulis fere prouinciis, quod Parlamentum Regium vulgo nominant, quale eſt Machliniæ, in Brabantia vero Cancellariam vocant. Præſunt huic vt plurimum, pro locorum diuerſitate, vel XII. vel XV. vel XVIII. Conſiliarii Doctores & Licentiati, vnuſque Præſes ſeu Cancellarius tamquam iudex. Adſiſtunt pariter Aduocatus & Procurator Fiſci, Graphiarii, Secretarii, aliique Officiarii, omnes à Locumtenente Regio electi, & à Rege ſtipendiati. Hic Magiſtratus ſummam habet poteſtatem de cunctis tam ciuilibus quam criminalibus cauſſis, & omnibus in hiſce prouincialibus regiiſque dominiis controuerſiis cognoſcendi. Habet & actiuam & paſſiuam cognitionem fundamentorum confinium, differentiarum, quæ à Prælatutis earumque iuriſdictionibus exſiſtunt, exceptis bonis mortuis, vulgo *amortiſez* dictis, quorum cognitio ad curiam Eccleſiaſticam pertinet. Similiter obſeruari curat priuilegia, exemptiones, officia, beneficia, prouiſiones, &c. à Principe conceſſa; ſaluis nihilominus ſemper iuriſdictionibus & priuilegiis locorum particularibus. Huc vocantur in ius non ſolum omnes Regis officiarii & miniſtri prouinciales, ſed & Rex ipſe, pro quo reſpondent eius Procurator & Aduocatus minimeque ſumma eius auctoritas aut dignitas cuiquam præiudicio eſt aut damno. Quinimo accidit iam pridem in Geldria, regnante rege Philippo, vt quum Regia *Conſilia Prouincialia.*

Maieſtas in cauſſa quadam contra dominum de Anhold ſuccubuiſſet, ac nemo Officiariorum ſententiam exſequutioni mandare vellet aut auderet, Rex ipſe eam realiter & ipſo facto ſit exſequutus. Ad hoc tribunal eunctæ deferuntur Appellationes inferiorum cuiuſque prouinciæ iudiciorum: neque hoc vllam econtra appellationem admittit, ſed duntaxat ſyndicatum, quem Reuiſionem vulgo appellant. Rarius vero fit, vt Reuiſionem petens, non maximarum expenſarum eo nomine faciendarum, & ipſius cauſſæ iacturam patiatur. Sed nec per Reuiſionem hanc prioris ſententiæ exequutio differtur. In omnibus his cuiuſque prouinciæ Curiis iudicatur ſecundum ius commune, ſaluis tamen legibus municipalibus, & ſingulorum locorum conſtitutionibus, quæ plurimæ ſunt, decretiſque Principum, vulgo Mandamentis, quæ quatenus priuilegiis fraudi non ſunt, cæteris omnibus præferuntur. Verum tamen antequam hæc publicantur, in deliberationem & cognitionem dicti conſilii trahuntur. ſuntque eatenus & habentur æqua & in iure fundata, quatenus cum ſcriptis legibus conueniunt.

Præter iam dicta deputat etiam Regis nomine Præſes certos ſingulis annis legatos per ſingulas fere prouincias; qui Reuiſorum funguntur officio, vt ſcilicet rationes redituum ſeu prouentuum aliaque patriam concernentia reuideant, animaduertantque quid in quoque peccatum ſit, & ſpecialiter in Brabantia, vbi Princeps ſingularem habet in loca ſacra auctoritatem. Quapropter iiſdem mandatur etiam, vt animaduertant in rationes Eccleſiarum, Monaſteriorum & Xenodochiorum; & ſi indebite quid adminiſtratum deprehendatur, relatione ad curiam facta, ſeuere id corrigitur & reparatur, adeo vt liceet ſingulæ prouinciæ & ciuitates ſuis legibus & priuilegiis viuant & gaudeant, ſumma tamen adminiſtrandæ Iuſtitiæ ratio à Rege emanet atque in eum redundet, cui etiam omnes Officiarii iuramento obſtringuntur.

Militia Belgica. Tempore pacis, Rex ſiue Princeps non niſi paucos habet in regni confinibus præſidiarios milites, ea autem loca ſunt numero viginti ſex, omnia quidem & ſingula maximi momenti propugnacula. Alia deinde equeſtris militia, ab omni antiquitate obſeruata à Carolo V anno M D X L V I I. prudenter reſtituta, & reparata eſt, quam *Turma ordinaria.* ordinarias Bendas ſeu Turmas vulgo nominat. Sunt verò in his tria millia lectorum equitum, qui diſtributi in X X I V. Bendas, præcipuis prouinciarum dominis regendi committuntur: hique ſuos habent vicarios ſiue Locumtenentes, alioſque Officiarios. Vnus eſt generalis Quæſtor militiæ, qui Regis nomine hiſce turmis ordinariis ſtipendium ſoluit.

Res maritima. Præterea nullam fere habet Rex pacis tempore claſſem maritimam inſtructam; ſed quia omnes portus nauibus varii generis & magnitudinis abundant, neceſſitatis tempore omnes eas naues, vel

quot

quot & quas ex iis libet, eximi iubet, ſuiſque eas ſumptibus ad bellum ornat, ſoluto nauium dominis quod æquum eſt. Atque in hunc finem toti rei maritimæ præfecit vnum belli totiuſque claſſis ſummum ducem ſiue præfectum, quem admiralium vulgo vocant. Hic omnis prædæ belli tempore, omnium confiſcationum, omnis denique generalis mercaturæ, quæ cum licentia Principis ad prouincias ex hoſtili ſolo defertur, ſuam habet partem. Hanc vero Regis vel Principis Licentiam Admiralius ſua manu approbare & confirmare debet, antequam indemnitatem promittere ſibi mercatores queant. Eſt & alius maxime quidem dignitatis Præfectus tormentorum bellicorum, & quidquid ad id genus armorum pertinet: quæ quidem Arma Machliniæ ordinariæ aſſeruari ſolent.

Venationes, aucupia & piſcationes per haſce prouincias, pro diuerſitate Iuriſdictionum, ſunt Principis, ciuitatum, propriorumque dominiorum, excepta Brabantia, vbi quinque tantum ſyluæ Principi ab omni venatione & aucupio liberæ ſunt, per reliquam vero totam prouinciam vnicuique cum canibus & auibus, non tamen retibus, libera eſt venatio & piſcatio. Princeps in ſingulis fere prouinciis ſuos venationi Præfectos habet, & nominatim in Brabantia magnæ id dignitatis officium eſt, & qui ei præeſt, Magnus Venator Brabantiæ appellari ſolet. *Dominia ſeu bona patrimonialia Principis.*

Præcipuæ quæque earum regionum ſyluæ ad Regis viſum non modo venandi, ſed & lignandi iure ſpectant, eſtque hæc non minima redituum ipſius pars. Reliqui reditus in ciuitatibus, villis, caſtellis, terris, molendinis aliiſque, ab omni antiquitate Principibus patriæ attributis, conſiſtunt, qui vulgo *Domaines*, Latine forſan Dominia, magis vero proprie *Bona patrimonij* ſiue *patrimonialia* dicuntur. Sed & vectigalia quædam mercium tam mari quam terra inter eos reditus connumerantur. ſimiliter Princeps reditus quoſdam in præcipuis habet ciuitatibus, Antuerpiæ præſertim, vbi præter certam bonorum confiſcatorum partem, habet & monetæ, carcerum & piſcationum & locationem, aliaque nonnulla, quæ Principis ærarium ſiue dominium mire collocupletant. *Syluarum reditus.*

Princeps petiturus quid, vel nouum tributum nouaſque leges impoſiturus, conuocare ſolet, certo aſſignato die & loco, qui communiter Bruxellis eſſe ſolet, tum propter Regiam Curiam, tum quod Brabantini extra ditionem ſuam nihil deliberent, omnes totius Belgii Ordines ſiue Status, qui ſic debito modo interpellati, haud grauare comparent, vel ſaltim ſecundum ſub mulcta aliqua pecuniaria appellati, legitimo numero, plures vel pauciores, prout citati ſunt, pro cauſſa neceſſitatis, conueniunt. Sunt autem qui communiter Bruxellis comparare ſolent hi: Brabantini, Flandri, Arteſii, Hannonii, Valenciniani, Inſulani ſiue Riſſelani, Duacenſes, & Orcheſii, Hollandi, Traiectenſes, Selandi, Namurcenſes, Tornacenſes & Tornæſii, & *Modus conuocandi Status.*

Machli-

Machlinienſes. Reliquarum prouinciarum ordines, vt ſunt Geldri, Friſii, Lucemburgii, quia remotiores ſunt, à ſuis Gubernatoribus (niſi grauiſſima aliqua inciderit deliberatio, vbi omnium ſuffragiis opus eſt) domi conuocantur, ibidemque res proponitur & decernitur.

Ordines vel ſtatus generales.

Porro Ordinum generalium tres ſunt ſtatus. Primus, Eccleſiaſticus; ſecundus, Nobilitas; tertius, præcipuæ Ciuitates. Horum ſtatuum membra perſonę ac deputati ii, qui ſemper ad id electi fuerunt comparent, vel ſuos deputant legatos. Verum non omnium regionum eſt in hac parte idem vſus & conſuetudo. Exempli gratia. Brabantini, Hannonii, Arteſii, Namurcenſes & Selandi diuerſis Commiſſariis eem expediendam committunt, puta, Eccleſiaſtic Abbatem, Nobilitas Ducem, Marchionem Principem, Baronem & Nobiles; Ciuitates vero conſules, vulgo Burgomagiſtros, & duos vel tres Scabinos, vnumque ciuitatis Syndicum, quem Penſionarium appellant, plures vel pauciores, prout rei neceſſitas exegerit, delegant. Flandri per vnum ſolum Legatum, vel Commiſſarium vulgo, ratione quatuor Membrorum comparent; quæ quidem quatuor Membra ſupradictos Status omnes repræſentant: quamquam & hi ſeparatim ſuos delegare queant, qui inſpectionem in id, quod à dicto Membrorum Legato fit aut conceditur, habeant, ne quid præiudicii inde ſibi exſiſtat. Verum communiter quod quatuor illa Membra ſtatuunt, id ratum firmumque habetur. Hollandi duorum tantum Statuum nomine, Nobilitas ſcilicet & Ciuitatum nomine Legatos deputant, iique totam prouinciam repræſentant. Hoc modo coacto Concilio, in præſentia Regii Præfecti ſiue Locumtenentis, Præſes vel aliquis Statuum Conſiliarius, Principis ſeu Regis nomine petitionem eiuſdem in vniuerſo conſeſſu humaniſſime exponit. Illi poſt conſuetas deliberationes, ſinguli pro ſe inſcriptis reſpondent: quo quidem Reſponſo ſi Regi non ſit ſatisfactum, multis conatur ille rationibus Ordinis ad aſſentiendum petitioni permouere, nec enim illud tyrannicum hic vllo modo locum habet: *Sic volo, ſic iubeo.* quin etſi ad vnum pœne omnes Ordines regis petitioni aſſenſiſſent, ſola tamen Antuerpia conſenſum hunc infringere & irritum facere poteſt; ſiquidem Ordines omnes ea lege & conditione conſentire cenſentur, ſi omnes ſtatus atque ſingula eorum membra aliquid comprobant, & in ſuam quodque ratam portionem conſentiant. Quocirca omnino neceſſe eſt, vt non modo omnes Ordines ſeu ſtatus generaliter conſentiant, ſed & omnium ſtatuum ſingula quoque membra ſuum præbeant aſſenſum.

Vnde ſæpe fit, vt nulla habita regiarum demonſtrationum ratione, nihil pœne vnquam propter ſuffragiorum diuerſitatem, Regi cōcedatur: quo quidē caſu Rex pro eo tempore patienter acquieſcit, & rem in commodius tempus differt. Attamen rarius eſt, vt moderatus

Prin-

Princeps à ſubditis placito & prudenti ingenio præditis, id quod petit non tandem conſequatur. Si quam Ordines pecuniam Principi ſiue Regi promiſerint, neque eam commode in numerato habere queant, aliam ineunt inter ſe, cum conſenſu tamen Principis, conquirendis rationem, decimam vel vectigal quoddam rebus communibus ad tempus imponendo, vel alio quodam modo, pro ratione loci temporis & occaſionis: quæ pecunia iuxta modum, taxam & proportionem conſuetam dependitur. Eccleſiaſtici ſuam portionem ſeparatim ſoluunt. Nobilitas & Ciuitates, propter neceſſitudinem commerciorum & vtilitatis inter ſe, ſimul ſoluunt. Brabantini quidem, tanquam primi propter antiquitatem & dignitatem Ducalem, ſuam dependunt partem in florenis vicenum ſtuferorum. Et ſic reliquæ quoque prouinciæ, iuxta conſuetas taxas, quæ non facile mutantur.

Quod ad Pontificum in has ditiones ius attinet, non maius illud eſt quam in regno Franciæ. Cunctæ enim nominationes & ordinationes Prælatorum, Epiſcoporum, &c. ad Principem pertinent; Pontifex ſolam habet confirmationem & expeditionem, nec vllum cuiuſcumque ſtatus laicum vel ſecularem propter quoduis delictum vel cauſſam, extra patriam euocare poteſt. Quare ſi quis de eiuſmodi prætendat, legatum certum de facto vel iure cogniturum, expediat neceſſe eſt. Nullum præterea conferre beneficium poteſt, nec gratia vel bullam largiri quæ ſortiantur effectum, niſi exſequendi poteſtas ex Principis Placito, vt vulgo nuncupant, petenti concedatur. Quantum ad decimas, eæ feræ per totam ditionem ſoluuntur, ſed diuerſis modis, alibi enim ſolis Eccleſiaſticis, alibi vero partim his, partim loci dominis: alii vndecimam tantum partem dependunt alii minus, ſecundum diuerſarum prouinciarum & locorum conſuetudines & priuilegia: exſtatque Caroli V. Imperatoris decretum, ne liceret in poſterum vllis Eccleſiaſticis perſonis vel locis ſacris vllam rem immobilem abſque Principis licentia coemere aut habere.

FINIS TOMI TERTII.

RERVM

RERVM POLITICARVM SIVE DE STATV IMPERIORVM RERVMQVE PVBLICARVM, ac eorum perfecta cognitione & adminiſtratione,

TOMVS QVARTVS,

Continens

VARIAS ET MISCELLANEAS RELATIONES, Diſcurſus, Inſtructiones ac Deliberationes, præcepta de publicis & alijs regnorum ac rerumpublicarum Negotijs, & quomodo ea bene gubernari debeant.

DE RELIGIONE, QVOD IN EA PRÆCIPVVM FVNDAMENTum conſeruandi quamcumque Rempublicam,

DISCVRSVS I.

Religionis vſus & neceſſitas.

INITIVM Sapientiæ, fonſque omnis boni eſt Timor Domini: ſine quo omnium hominum conſilia vana ſunt ſomnia, & ſtultitia mera. Et profecto grauiter errat Princeps, exiſtimans ſe ſolius humanæ Prudentiæ ope fretum, ſine diuini numinis auxilio & ſeipſum & imperium vel ſtatum gubernare

poſſe.

poſſe. Quin etiam videmus plerumque eos, qui abiecta omni Religionis cura, Dei honorem ſuſque deque habent, horrendis modis puniri, & triſtiſſimis calamitatibus tum quando nihil minus cogitant, inuolui. Quare opera danda eſt Principibus, vt ſubditi vera Dei cognitione & timore ſiue Religione imbuantur, in eaque foueantur: perſuaſumque habeant, diuinorum præceptorum tranſgreſſionem & temporalibus pœnis in hac vita, & æterno ſupplicio in illa altera eſſe luendam.. Hinc eſt quod plerique omnes qui Reipublicæ alicuius ſtatum conſtabilire voluerunt, à Religione tamquam præcipuo fundamento, auſpicium ſibi ſumendum duxerunt: quum ea vna veluti frænum quoddam ſit, quo ſubditi in vnius Dei cultu & adoratione, & debita erga Principem obedientia retinentur. Neque enim ſuperiorem aliquem in hoc mundo agnoſcere aut ferre poſſunt: qui ſupremum illum cœli ac terrarum moderatorem non agnoſcunt aut non reuerentur. Equidem facile hic nobis eſſet complura ex antiquis hiſtoriarum momentis eorum afferre exempla, qui ad ſtabiliendam monarchiam præcipue Religione, aut prætextu quodam & ſimulata ſpecie Religionis vſi ſunt; cui myſteria quædam & varias cæremonias attexuerunt, vt earum admirabilitate populos quos legibus ſuis ſubiicere volebant, tanto obſequentiores redderent, & veluti Numinis quadam reuerentia in officio retinerent. His artibus vſi Numa Pompilius, Lycurgus, Sertorius, & alii, magnam ſibi omnibus in rebus conciliarunt auctoritatem, quod ſcilicet nihil niſi conſultis prius diis, auſpicari viderentur, idque etiam vltro præ ſe ferrent. Alii qui nouam comminiſci Religionem non potuerunt, antiquam & receptam in quibuſdam immutando, ſingularis opinionem ſanctitatis parere ſibi ſtuduerunt: vt Iſmael Perſarum rex & Harduellus eius cognatus, qui ad Mahumetanas leges nouis additis ſuperſtitionibus, magnas in Aſia res confecerunt. At peius etiam Hugonoræ in Galliarum regno, dum putiorem Religionem obtrudere conantur, nullo diuinarum aut humanarum legum habito reſpectu, & proculcata omni quæ Magiſtratui debetur reuerentia, omnia peruerterunt, & vniuerſalem in Eccleſiam ſcandalum inuexerunt. Tandem vero tam alieni ab omni Religione deprehenſi ſunt, quam procul omnis eorum vita ab omni pietate abeſt: adeo vt veræ & Apoſtolicæ fidei quæ in ſola Catholica Romana Eccleſia pura ſemper permanſit, Deformatores potius quam Reformatores haberi debeant.

In Reipubl.

Perſæ religionem mutant.

Sed, vt ad rem redeamus, illud inprimis tenendum eſt, non eſſe vllam ad conſeruandum cuiuſcumque imperii ſtatum magis accommodatam, quam Chriſtianam Religionem: vtpote quæ conſcientiæ vinculo omnes homines ad Regis vel cuiuſcunque etiam moroſi & acerbi domini obedientiam adſtringit. Quid vero ad conſeruationem alicuius ſtatus vtilius reperiri poſſet, quam id

Chriſtiana Religio vnica & vera.

quod

quod ſubditis Regi aut principi in omnibus plene obediendi neceſſitatem imponit? Quod ſi ipſe Saluator & Dominus noſter IESVS CHRISTVS Imperatoris ſe ſubiecit legibus, dum & pro ſe & pro D. Petro Apoſtolo vectigal perſoluit: quis dubitet diſcipulos, (ſi modo Magiſtrum, vt omnino neceſſe eſt, imitari velint) idem facturos. Hic mihi in mentem venit id quod in libello quodam à Patribus ſocietatis Ieſu edito, memoriæ proditum nuper legere me memini: fuiſſe ſcilicet neſcio quem in Nouo Orbe Principem, qui quamuis paganus eſſet & idololatra, vbi tamen doctrinæ Chriſtianæ puritatem & ſimplicitatem cognouit, ſubditis confeſtim, vltro permiſerit vt Chriſtianæ Religioni nomina darent, & ſancto baptiſmate initiarentur, quod diceret, debitam ſe certo de Chriſtianis obedientiam & fidelitatem ſibi poſſe promittere, ſi legem cui ſeſe obſtrinxerunt, obſeruare velint. Sed iam de ipſa Religione id quod ad noſtrum maxime inſtitutum pertinet, perſequamur.

Mahumetanæ ſuperſtitionis impuritas.

Ac primum Mahumetana Religio (vt hoc ei nomen precario tribuamus) è tot tamque abſurdis fabulis, tamque monſtroſis opinionum portentis concinnata eſt, vt falſitatis facile conuinci poſſit: quod quidem ſi ſolidis rationibus, magnum vniuerſo Turcarum fiat imperio periculum ſit allaturum. Quid abſurdius, quid magis ridiculum nugaciſſimis & impiis Alcorani fabulis? Equidem nullum ſomnium tam vanum eſt, quam nugæ illæ Mahumeticæ: fraudes vero & impoſturæ tam craſſæ, vt mirum ſit quemquam cordatum iis decipi potuiſſe. Id quum homo aſtutiſſimus ipſe animaduerteret, ac vereretur ne vel minimo admoto ariete tam imbecilla Nouæ Religionis fundamenta collaberentur: nouos eius ſtabiliendæ & ſtupidis hominibus commendandæ modos exagitauit. Ac primum legis ſuæ præcepta omnino ad ſenſum naturalem, & inferiora hæc ſiue terreſtria accommodauit; ratus & obſeruationem eorum hac ratione multo faciliorem, & carnis illecebris magis gratam futurum. Et ſane verſipellis ille impoſtor commodiorem rationem excogitare non potuit, qua craſſæ illius omnique doctrinarum & humanitatis ſtudio deſtitutę gentis animos incantaret, & quidquid in eis generoſi eſt ſpiritus, velut in profundo voluptatum & ſenſuum externorum cœno ſepeliret. Idem de Luthero & Caluino eſt iudicium: quorum diſcipulis pro ludo & ioco fuit templa diripere, altaria deiicere, nouis nuptiarum modis matrimonii ſacramentum polluere, omnemque erga legitimos Principes obedientiam abiicere & proculcare. Vt breuiter abſoluam, omnis eorum religio & zelus ad oſtentationem & fucum, & ad illum ſolum finem comparata fuerunt, vt doctrinæ ſuæ falſitatem prouarum cupiditatum illecebris commendarent.

Mahumetis fraudes.

De religione Turcis diſputare non licet.

Alter modus quo ſuperſtitiones ſuas ſtabiliuit Mahumetes, is fuit quod de religionibus aut vllo earum articulo, niſi gladio diſputare ſeueriſſime prohibuit: vnde & legem ſuam *Gladij legem* appellari

voluit.

voluit. Quocirca Turcarum Princeps, cui ſumma rerum omnium eſt poteſtas, idem omnium quæ in religione occurrunt controuerſiarum iudex eſt & arbiter, quas etiam ipſe pro ſuo libitu decidit: adeo vt Nouatoribus locus nō ſit, qui quamprimum caput exſerere cœperint, funditus & à ſtirpe amputantur & exſtinguuntur. Et ſane credibile eſt barbaros illos exemplū à Chriſtianis Principibus capere: apud quos Religionum Nouitas & Varietas diſcordiis & turbis omnia permiſcuit. Quæ omnia quum Turcarum Principem nequaquam lateant, nihil prius habet quā vt tanta incommoda, quāta noua affert legis interpretatio, auertat. Harduellus momento temporis hac ratione totam fere Aſiam commouit, & Baiaſeti II. res & ſtatum in extremum diſcrimen adduxit. Sed profecto nihil eſt, quod impuri huius nebulonis (Mahumetis ſcilicet) ſuperſtitionibus plus auctoritatis atque etiam roboris conciliat, quam quod ſummus ipſe Princeps ſiue Imperator eas tam deuote obſeruat, tam demiſſe veneratur, & tam religioſe colit atque amplectitur, vt deuotius aut ardentius nihil fieri poſſe videatur. Nec minorem vim apud ſtupidos illos & barbaros homines, qui ſenſu magis quam ratione ducuntur, illud habet, quod cæteras nationes in ipſorum regionibus diſperſas tot tantiſq; miſeriis & calamitatibus quotidie afflictas vidēt; vnde ſe ſolos Deo charos, ſuamq; Religionem vnice ei gratam & acceptam perſuaſum habent. Dici enim non poteſt quam crudeliter barbari iſti eos omnes habeant, qui ipſorum ſuperſtitiones non ſequuntur; ſed in primis nullum miſeriæ eſt genus, quod in Chriſtianos non effundant.

VTRVM MELIVS SIT ET COMMODIVS IN BELLO VLTRO AD hoſtem oppugnandum exire; an domi impetum eius excipere & vim propulſare?

DISCVRSVS II.

Difficilis admodum & multorum diſputationibus vexata eſt quæſtio: Præſtetne in bello vltro hoſtem oppugnare, an vim eius domi noſtræ exſpectare & propulſare? Langæus quidem, Machiauellus & alii noſtræ ætatis Scriptores ſatis prolixe quæſtionem hanc tractarunt. Quod ſi

mihi quoque iudicium meum interponere heic liceat, equidem exiſtimo melius ſemper eſſe prius aſſilire quam dum ab alio aſſiliaris exſpectare: id quod præſtantiſſimos militiæ duces, Alexandrum Magnum, Annibalem, Scipionem, Iulium Cæſarem aliosque re ipſa feciſſe hiſtoriæ teſtantur; qui omnes eos qui aliter ſentirent, minime audiendos, ſed procul a conſiliis habendos, niſi quis decipi velit ſuo exemplo docuerunt. Ac ſane ſi aliter feciſſent, quis non videt eos grauiter erraturos fuiſſe? Sunt quidem qui neſcio quam ſubtilibus argumentis contrarium demonſtrare conati ſunt; quorum tamen rationes parum validæ ſunt, inprimis quod attinet ad bellum Turcis inferendum. His eos quoque annumerandos exiſtimo, qui neſcio quæ noua inuenta & machinas iactant, & mirabiles earum effectus promittunt, neque tamen vlterius progrediuntur, quam quod ſimplices quaſdam formas in charta adumbrant: aſt tum demum quando ad rem ipſam venitur, quantum inter ſuperficiariam delineationem & effectum ipſum interſit, non ſine ſtupore intelligunt. Sed vt ad rem redeamus, certum eſt ei qui alterum aſſiliat plus animi eſſe quam ei qui vim exſpectat & propulſat tantum: ſiquidem ille, dum hic media quibus ſe defendat circumſpicit, iam à principio quid facere velit, deliberatum habet. Deinde bellum, quod infertur, ſemper plus habet commoditatis, quam quod propulſatur: quum aſſiliens in ipſa quam inuadit regione multa inueniat ad res ſuas opportuna. Vt, exempli gratia, ſi vnum aut alterum è ſubditis nouerit, qui Principi quem ipſe inuadere conſtituit, infenſi ſint, quam facile erit eos ad ſuas partes pertrahere? quin etiam ſæpe occaſio vniuerſalem ſeditionem excitandi ſeſe offert. Quæ omnia ſi diligenter obſeruentur, aſſulturi propoſitum multum iuuare poſſunt. Sic Carolus 8. Rex Franciæ facilem ſibi aditum ad Neapolitanum oppugnandum regnum aperuit. Sic Ludouicus 12. Inſubriam ſuo ſubiecit imperio: iiſdem de cauſis Mamalucorum imperium Selimo 1. ceſſit. Sed & alia longe validiori ratione ſententia hæc comprobari poteſt. Hoſte enim ante portas ſtante, quis neſcit omnia timoris & periculi ita plena eſſe, vt omne fere conſilium ciuium animis excutiatur? Tum enim vndiquaque turbæ inopinatæ emergunt, omnia ſuſpecta ſunt, & ad tractandum ita difficilia, vt ad quemnam Diuorum ac Diuarum confugere debeamus, incerti ac velut attoniti hæreamus. Quum enim multis locis prouidendum, ac præſidia huc illuc vbi maxime opus fuerit, diſtribuenda ſint: fit plerumque vt rebus noſtris ab vna parte pacatis, ab altera nouæ turbæ exſiſtant. Præterea copiis huc illuc diſtributis, exercitus imminuatur neceſſe eſt; ex quo fit vt hoſtis libidini omnia relinquantur, ac tandem Reſpublica in præſentiſſimum veniat diſcrimen.

Quod ſi quis copias ſiue exercitum diuidere nolit, is multa loca hoſti occupanda relinquet, vnde ille pedetentim progredi & arma vlterius proferre poſſit. Econtra etiamſi quis inuadenti paribus cum copiis & viribus alacriter ſeſe obiiciat, in eius nihilominus arbitrio erit vel confligere vel pedem referre: id quod totum à iudicio ſapientis Imperatoris dependet, qualis Solimanus fuit, qui Carolo V. ad defenſionem alacriter properante, exercitum ex Hungaria reducendum ſibi exiſtimauit. Et quamuis periculum ſæpe in ipſum aſſilientem, quantumuis conſilio manuque promtum ac ſtrenuum, recidat, aut certe recidere poſſit: credibile tamen eſt, non propterea victi res ita afflictas fore, vt reſtaurari nullo modo poſſint, præſertim ſi ea quam inuaſerat regio à ditione ipſius hæreditaria longe ſit diſſita. Exemplo ſit Franciſcus Rex Franciæ, cuius ad Ticinum clades & captiuitas victori ad ſummam rerum non multum profuit, nec Franciæ regno (quod multi putabant) mutationem aut exitium attulit. Quin etiam facilius eſt fuſum & diſſipatum exercitum in peregrina quam propria regione recolligere & redintegrare. Nam ſi domi ſiniſtre cadat prœlium, fortunaque nos deſerat; ſtatim homines nouarum rerum cupidi criſtas erigunt, beneuoli vero metu attoniti obſtupeſcunt, ita vt parum ab eis auxilii ſperandum ſit: hinc opus eſt conſternatos rurſus bonam in ſpẽ erigere, inprimis vero eorum quos fidos nobis experti ſumus, reliquias diligenter recolligere, eorumque cuſtodiæ quæ reliqua ſunt loca patriæ permittere: quæ omnia hoſti tam vicino, quantum periculi & difficultatis habeant, nemo non videt. Econtra vero clades forte procul à noſtris regionibus in aliena terra accepta, ſubditos noſtros tanto metu nequaquam percellet; quinetiam eoſdem ad opem multo promtius ferendam excitabit, quo ſcilicet periculum quam poſſunt longiſſime à ſe depellant. Equidem Machiauellum hic magno in errore verſari video, exiſtimantem atque etiam pertinaciter aſſeuerantem, ſi Romani tres illas inſignes clades, quibus ab Annibale affecti fuerant, extra Italiam accepiſſent, numquam eos tam facile, vt quidem feciſſe eos legimus, diſſipatas copias reſtauraturos fuiſſe. Opinionis ſuæ fundamentum in eo ponit, quod ait, ſi extra Italiam Romanorum tum fuiſſet exercitus, non potuiſſe fieri vt tam bene, aut tam cito reſtitueretur, rurſusque victori inſultanti obiiceretur. Sed profecto egregie decipitur Machiauellus. Conſtat enim iis cladibus quas Romani in Italia acceperunt, non ſolum ad bellum aptæ iuuentutis florem, ſed multas etiam ciuitates & oppida amiſſa; tum multos populos ad rebellandum excitatos, qui vtplurimum victoris ſequuntur fortunam, & orientem ſolem, quod dicitur, adorant: quæ

Exemplo Gallorum regis.

Macchiauelli error.

numquam contigiſſent, ſi nō in ipſis veluti patriæ viſceribus clades iſta hæſiſſet. Quin etiam, ſi Annibal victoria vti ſciuiſſet, actum de Romanis fuerat: adeo vt fatendum ſit, Romanorum vires plus quam humanas fuiſſe, Deique conſilia vtplurimum rebus eorum interueniſſe. Nam cuius animi quæſo, fuit, quod tam multis ciuium millibus cæſis, nec fugitiuos recipere, nec captiuos liberare voluerunt; immo etiam quoſdam ignominia notarunt, alios vero in Siciliam deportandos curarunt? His equidem rationibus eas quæ à Machiauello adferuntur, ſatis ſuperque refutatas eſſe arbitror. Verum antequam finem huic imponamus Diſſertatiunculæ, de Turcarum progreſſu aliquid dicendum videtur. Ac primum deſidia & malo quodam fato Chriſtianorum factū arbitror, vt imperii ſui in Europa Turcarum Princeps tam longe lateque protulerit: neque vero hoc ea ratione conſequutus eſt, quod ſcilicet, ſecundum Macchiauelli ſententiam, domi deſederit, hoſtemque exſpectarit, ſed quod foris eum quæſierit & oppugnarit. Hoc enim & non alio modo vicinos omnes ſubegit, ſuaſque vires ita auxit & ſtabiliuit, vt domi eius oppugnandi non dico conatum, ſed ne cogitationem quidem vix quiſquam Chriſtianorum Principum ſuſcipere audeat. Plerique omnes quidem Chriſtianæ Reipublicæ in primis vtile & ſalutare futurum perſuaſum habent, ſi Turcæ in ſuis ipſorum regionibus oppugnentur: at qui primus glaciem hanc frangere, aut pontem ſternere auſus fuerit, iam diu inuentus eſt nemo. Quod ſi tamen Deus eam noſtris mentem & alacritatem inſpiret, vt tam atroces tamque multas iniurias, quibus miſeros Chriſtianos hactenus perditiſſimi homines peſſime afflixerunt, vlciſci, & quas triſtiſſima oppreſſas ſeruitute tenent, regiones liberare velint: equidem alia nulla ratione aut via vtendum cenſeo quā ea qua ipſi ſunt vſi, vt ſcilicet domi ipſos aſſiliamus, eoſque quos ipſi vſurparunt modos perſequamur, & in ſuſcepto ſemel conatu conſtanter perſeueremus. Quod ſi fecerimus, Deumque, vti ſperandum eſt adiutorem habuerimus; eſt quod non minores de ipſis victorias ſperemus, quam ipſi longo iam tempore de nobis reportarunt.

Romanorū inuicta fortitudo.

Quibus modis Turca imperiū propagarint.

Satis ſuperque tam inhumani ductoris magiſterio ſiue pædagogio vſi ſumus, & Minerual nimis precioſum pendimus. Iam tempus eſt, vt is ipſe non indociles nos fuiſſe, ſuo malo experiatur, & quod intereſt, multo liberaliori manu refundatur. At ne quis exiſtimet Turcas domi oppugnare rem eſſe ſumma cum difficultate & periculo coniunctam, operæ precium eſt duo non ita vetuſta & pleriſque nota exempla in promtu habere. Numquid Andreas Doria exigua cum hominum manu & paucis nauibus in Græciam deſcendere non dubitauit, & nobiliſ-

Turca domi aſſiliendus.

ſima duo oppidi, Patras & Coronem, in ſuam poteſtatem redegit? Sed memorabilius eſt quod Ioannes Auſtrius Anno 1571. feciſſe legitur, qui ad Echinadas vſque hoſti obuiam profectus, claſſem eius, qua validior, eo in mari viſa non fuerat, multo minori claſſe & paucioribus copiis oppugnauit, & Dei auxilio ita fudit ac diſſipauit, vt inter paucas victoria illa cum primis memorabilis habeatur. Turcarum quidem Princeps nihil magis metuere dicitur quam ne domi à Chriſtianis oppugnetur, quod & eorum virtutem animique robur perſpectum habeat, & qui ſub ipſius imperia plurimi ſunt, Chriſtianis diffidat: qui ſi noſtra inſignia exercituſque bene inſtructos ante ſuas veluti fores conſpexerint, procul dubio & ipſi arma capient, & communem hoſtem vltro profligabunt.

DE OCCASIONE, ET QVANTVM ILLA IN REBVS humanis, maxime vero in bello poſſit; quamque impigre celeriterque arripienda ſit,

DISCVRSVS III.

VETERES illi Romani vt Occaſione ſiue Fortuna, quam vti Deam colebant, bene vtendum eſſe monerent, ita eam depingere ſunt ſoliti. Muliebris ſtatua globo inſiſtebat, pedibus alatis, caluo occipite, fronte vero capillata. qua quidem pictura innuebant, Occaſione nihil celerius eſſe aut volubilius; ac proinde eam quam diligentiſſime obſeruandam, & à fronte, quum poſtica calua ſit, arripiendam. Et ſane vix quidquam in omnibus hominum actionibus laudabilius eſt atque vtilius, quam Occaſione recte vti; inprimis autem in bello, vbi, quod argute quidam dixit, bis peccare vix licet. Hæc enim non poſtrema eſt earum virtutum, quibus imperatorem ornatum eſſe oportet. Eſt autem Occaſio nihil aliud, quam opportunitas quædam, fortuna magis aut caſu oblata, quam prudentiæ beneficio quæſita, res noſtras bene gerendi, aut immature deliberata ſuſpendendi; vt quod agimus, ad felicem exitũ perducatur. Atq; hoc illud eſt quod pagani illi & infideles, quos Deus ad caſtigandos non excitauit, omni ſtudio amplexi & per

Pictura occaſionis.

Occaſio quid.

ſequuti ſunt; quo etiam viciſſim nos contra ipſos vti deberemus, ad ſolatium noſtri, & gloriam diuinæ Maieſtatis, cuius ira contra nos, vt video, nondum placata eſt. Omnes deniq; qui imperii ſui fines amplificarunt, in hanc vnam (Occaſionem ſcil.) maxime intenti fuerunt, & ex recto eius vſu incredibiles vtilitates pepererunt. Id quod ex Græcorum & Romanorum hiſtoriis & exemplis abunde demonſtrari poſſet: ſed iis tamquam à noſtro tempore longius remotis, & veluti vetuſtate quadam obſoletis, propiora recordemur. Pipinus & Carolus Magnus, à ſede Romana in Italiam; itemque Carolus Andegauenſis in regnum Neapolitanum accerſitus fuit. Arragonenſes à populo in Siciliam inuitati, & à Ioanna II. Regina in regnum Neapolitanum introducti fuerunt. Et hi quidem omnes Occaſioni minime defuerunt, ſed ad auxilium tantum vocati imperium ſibiipſis pepererunt. Quæ hodie familia in vniuerſa Europa plura regna, plures regiones ac ditiones poſſidet, quam Auſtriaca? atqui eorum pleraq; connubiis, tutela & ſimilibus Fortunę beneficiis ſunt quæſita, vnus quidẽ Belgicas prouincias ſuo adiecit imperio; alter Hiſpanias addidit; tertius ne quid ad ſummũ illuſtriſſimæ familiæ deeſſet faſtigiũ, Luſitaniam quoq; & immenſas vtriuſq; Indiæ regiones acquiſiuit, imperiumq; ſuum iiſdem quibus ſolis curſum finibus terminauit. Quod ſi rerũ humanarum inconſtantiam & varietatẽ conſiderare voluerimus, fateamur ꝑfecto neceſſe eſt, vires etiã maximas Occaſione deſtitutas inutiles aut certe parũ fructuoſas eſſe.

Occaſio quibus Imperia pepererit.

Ottomannidæ Turcarum Principes tam grande imperiũ nulla re magis ſtabiliuerunt, quam quod occaſiones à Chriſtianis ꝑ ſummam ignauiam, & non ſine probro & ſcelere velut vltro ipſis datas auide arripuerunt: inter quas prima fuit Græcorũ imperatorũ ignauia, qui in libidines toti effuſi Sardanapali & Heliogabali vitam imitati ſunt, turpiſſima monſtra & mãcipia omnis nequitiæ & luxuriæ effecti. Hinc, vt fieri ſolet, eorum mores imitati ſubditi, omniſque generoſi ſpiritus obliti, facilem modo huius modo illius regni & prouinciæ occupationem hoſti reliquerũt.

Turcæ quibus occaſionibus imperium quæſiuerint.

II. Occaſio.

Græcorum ignauia & perfidia.

Secunda occaſio qua Turcarum res vehementer auctæ & promotæ ſunt, fuit Græcorum à cæteris Chriſtianis Principibus diſſidium. Quum enim multi per Europam Principes fedus de recuperanda Palæſtina ſiue Terra Sancta iniiſſent: tantum abeſt vt Græci, prout debebant, tam ſalutare conſilium ſanctumq; ꝓpoſitum approbarent, vt etiam nullum non mouerint lapidem, quo ſuſcepta expeditio impediretur, aut Chriſtiani exercitus progreſſus ſiſteretur: nec cogitabant miſeri homines, hac ratione Turcis ingentem feneſtram ad tyrannidem patefactum iri. Quod & euenit poſtea, quũ Turcæ tẽporibus inſidiati, Chriſtianorum vires defeſſas iam & diſtinctas, ex vniuerſa Palæſtina

eiece-

eiecerunt & profligarunt: deinde etiam contra Græcos conuerſo impetu, imperio eos deiecerunt, ac diu peſſime habuerunt, hodieque habent; tanto minus commiſeratione dignos, quod ipſi non ſibi tantum, ſed omnibus etiam Chriſtianis ſuo, quod dicitur, iumento tanta mala & calamitates, quas hodieque ſentimus accerſiuerint.

Diſſidia porro querelæ & oppreſſiones Græcorum Principum inter ſe, tertiam Occaſionem Turcis augendi vires ſuas præbuerunt; & potiſſimum eo tempore quum Imperator Conſtantinopolitanus Amurathem I. eius nominis Turcarum Principem ad ferendam ſibi opem, per ſummam imprudẽtiam euocauit. Et hic quidẽ, in omnes occaſiones animo & oculis intentus, copias ſuas in Greciã libentiſſime tranſmiſit, non tã ad iuuandũ Imperatorẽ, q̃ ad explorandam & tanto facilius poſtea occupandã regionem. Quum enim milites eius è Græcia reuerſi, multa de regionis fertilitate, amœnitate & diuitiis narraſſent; homo auidus & naturâ rapax ita exarſit, vt prius non conquieuerit, quã traiecto Helleſponto, in Europa ſibi & ſucceſſoribus Imperij ſedem fixit. *III. Occaſio. Diſſenſiones Imper. Conſtant.*

Quartam occaſionem Turcis proferendi ſui Imperiis ſchiſma ſiue diuortium Græcæ Eccleſiæ à Romana, peperit: quo quidem Principum animi vtrimque ita fuerunt exacerbati, vt firmo aliquo fœdere coniungi nunquam poſtea potuerint. Hinc factum eſt, vt nihil vel ad promouendam rem Chriſtianam, vel ad ſiſtendum effuſum communis hoſtis impetum, eorum quiſquam voluerit; nec ſi voluiſſet poſtea, potuerit moliri. Quid mirum igitur, hoſtem vigilantiſſimum, Chriſtianorum ſecordia & diſſidiis abuſum, res ſuas tantopere interea ſtabiliuiſſe, quum nemo eſſet qui vel leuiſſimum ei obiiceret impedimentum, ſed omnes veluti data opera ad commune, quo & ipſi & alii conflagraturi erant, incendium, fomites & ligna congererent. Et hæc quidem calamitas tanto triſtior fuit, quanto à paucioribus tamquam ab vltrice Dei manu profecta, potuit agnoſci. *IV. Occaſio ſchiſma Græcæ Eccleſiæ à Romana.*

Ad hæc mala ingens facta eſt acceſſio, poſtquam etiam nonnulli Italiæ Principes Turcarum auxilia implorarunt, atque ita iuratis Chriſtianorum hoſtibus noſtra quoque maria & portus, tamquam amicis & confederatis aperuerunt. Facinus profecto coram Deo & hominibus abominabile, & extremi periculi plenum! Sed ne dicis tantum cauſſa hæc fingere exiſtimer, eorum qui tam turpi dedecore ſeſe commacularunt exempla aliquot & nomina recenſebo. Alphonſus II. & Ludouicus Sfortia Dux Mediolanenſis Baieſethem II. vnus quidem contra Gallos, alter contra Venetos euocauit. Iſabella Hungariæ regina ad Solimanni contra Ferdinandum Romanorum Regem auxilium confugit. Franciſco I. & Henrico II. Francorum Regũ rogatu claſſis Tur- *V. Occaſio, Italicorum Principum temeritas & ambitio.*

cica non tantum mare Liguſticum traiecit, ſed ad Niceam quoque & in Corſicam exſcenſione facta, innumeram Chriſtianorum multitudinem, nulla ſexus, nulla ætatis habita ratione, in triſtiſſimam ſeruitutem abduxit. Sed hæc ſatis.

VI. Occaſio, Multitudo Principum apud Chriſtianos.

Sexta Occaſio qua feliciter Turcæ vſi ſunt, meo quidem iudicio è magno Chriſtianorum Principum numero proceſſit: è quo facile ipſi colligebant, fieri non poſſe quin in tanta Principum multitudine vix quidquam ſuſpicionibus, æmulatione, inuidia & metu vacet. Sic igitur vniuerſum Imperium in tam multa dominia & veluti membra diuulſum, non potuit non vehementer debilitari: ſiquidem virtus vnita & veluti vnam in maſſam aut corpus compacta, multo fortior eſt, quam diſperſa veluti & in multas partes diuiſa. Illud vero longe peius eſt, quod ex hac Regnorum & Principatuum ſiue Dominiorum diſtractione ambitio & vires ſuas augendi deſiderium in Principibus exſtitit, quæ ambitio deinde, vt fieri neceſſe eſt, voluntatis & ſtudiorum diuerſitatem, adeoq; ipſam diſcordiam generauit. Ex his ſuſpicio nata eſt (communis inter Principes peſtis) quæ vnioni omnem aditum præcluſit, vt nulla ſpes ſit federis inter Chriſtianos Principes vel ad defenſionem vel offenſionem, contra Turcas ineundi. Et ad defenſionem quidem fedus contra Turcas facere, difficile admodum fuerit, quum tam longo interuallo diſſitæ ſint Chriſtianorum Principum regiones: quorum qui longiſſime abſunt, etiam à piculo longe ſe abeſſe exiſtimant & ætatē ſecuri degunt. Sed & ad offenſionem fedus contra Turcas conciliare, non minus habet difficultatis: quum vtilitatis ſiue commodi ſpes valde diſpar ſit & inæqualis. Vix vero quiſquam eſt qui vicini ſui cōmoda non limis ſpectet oculis, eiuſq; magnitudinē non inuiſam ſimul & ſuſpectam habeat. In federibus quidē eiuſmodi & armorum coniunctionib. qui vel portus habet vel prouincias, ad bellū gerendū aut parta tuenda aptiſſimas, grauiſſimis apud reliquos ſuſpicionibus & inuidia laborare ſolet: & verum eſt illud, neminem eſſe quin ſibi quam alteri bene eſſe malit. Et hæc quidem ſunt quæ obſtant quo minus Chriſtianorum vires ad cōmunem propugnandam ſalutem, vniri ac coniungi poſſint. Sed & vnuſquiſque fere Principum exſpectandum ſibi potius putat, dum tempus Ottomannidarum Statui ſiue imperio mutationem aliquam afferat, res vero ipſorum conſtabiliat, quam vt periculum aliquod ipſi ſibi ſubeundum, aut impenſas non neceſſarias, vti ipſis videtur, faciendas ſibi putent. Huic illa quoque forſan poſſit addi ratio: quod quum ſingulorum vires per ſe parum ſint validę, eorum nemo, ſollicite vires ſuas cum aliorum virib⁹ cōparando, generoſum aliquod conſilium capere auſit: quæ cunctatio ſiue ſui ipſorum diffidentia multo plus quoque viribus detrahit, ita

vt ſi deinde in hoſtem potentiorem inciderint, eius libidini omnes ipſorum fortunæ & vita etiam maneat expoſita. Hoc modo Veneti Longobardiam fere ſubiugarunt: ſed quum Inſubriam quoque ſiue Mediolanenſem Ducatum tentaſſent, cohibitus eorum fuit progreſſus, & limites ab illa quidem parte, imperio ipſorum ſunt poſiti. Eadem ratione Franci iam olim omnes in Gallia Principes imperio exuerunt: quum vero ad Hiſpaniæ vſque fines arma protuliſſent, vicinorum viribus impediti, quaſi è medio curſu reuocati ſunt, & ſubſiſtere coacti. Turcæ ſimiliter, quum vniuerſas fere Græciæ, Macedoniæ, Bulgariæ & Seruiæ Principes, vt ita dicam, deglutiiſſent; conuerſis in Hungariam armis, multo plus quam putabant difficultatis repererunt. Tam enim Reges aliquot quam populi ipſis ſubditi, longo vſu iam bellis aſſueti, primos aliquot eorum impetus fortiter exceperunt & retuderunt; in primis vero Rex Ladiſlaus, & Matthias Coruinus, quorum multæ Illuſtriſſimæ de Turcis victoriæ feruntur. At quamprimum tam Reges quam populi degenerare, & relictis armorum ſtudiis, voluptatibus & ignauiæ ſeſe dedere cœperunt, ſecutæ ſunt triſtiſſimæ illæ ad Belgradum & ad Mogacium clades: quæ profecto exitium Hungariæ attuliſſent, niſi Deus illuſtriſſimam familiam Auſtriacam (ad quam deuolutum erat regnum) excitaſſet, quæ Germanorum Principum, inprimis vero Catholici Regis, cui Turcarum vires numquam formidabiles fuerunt, opibus freta, miſere lacerati Regni reliquias egregie hactenus defendit, & inſolentiſſimi hoſtis progreſſum retardauit. Venetorum quoque Reſpublica ſola ſæpe, aliquando etiam Pontificis & Hiſpaniarum Regis claſſibus adiuta, magna cum laude ſuos fines contra Turcas defendit. Illud quidem noſtro tempore commode cecidiſſe videtur, quod regiones Turcarum imperio confines, nec à tam multis nec tam exiguarum virium Principibus tenentur, vt olim: ex quo illud boni ſequitur, vt iam multo facilius defendantur; eæ inprimis quæ Hiſpaniarum Regis & viribus nituntur, quæ Turcis maxime ſunt formidabiles, adeo vt ſine periculo tentare vix quidquam poſſint. Solus enim Catholicus Rex is eſt, qui ſine vllo metu Turcarum arma propulſare, & bellum etiam ſuis viribus vltro eis inferre poſſit; ſic vt tam potentis Regis metu non tam facile, vt antea, ad arma proſilire auſint. Sed & Moſcouitarum Princeps, & Poloniæ Rex, itemque Perſarum Monarcha, quorum fines Turcarum quoque imperium attingunt, quorumque vires illi non ſemel ſunt experti, fibulam veluti & obicem graſſanti tyranno facile ponere queunt.

Septima Occaſio, quæ Turcarum imperio magnum dedit incrementum, ſectarum eſt, ſiue religionum inter Chriſtianos diuerſitas & multitudo, quibus iam olim tam corda quam vires Chriſtianorum diſtractæ ſunt, dum Catholici arma arripere, & contra damnoſa

VII. Occaſio Diſſidia religionum.

& peruerſa ſectariorum conſilia defendere ſe ſunt coacti. Sed inter omnes eiuſmodi mortiferas contagiones, nulla maiori cum damno & periculo latius ſparſa eſt, quam ea, quæ vulgo Hugonotarum ſiue Caluiniſtarum dicitur. Hæc illa eſt quæ ſubditorum auribus rebellionem contra Principes inſuſurrauit, perſuaſitque, licere Religionis cauſſa, ſine vlla macula perfidiæ, arma capere: qua quidem ratione, armata ſcilicet manu, perniciosum ſuæ ſectæ virus illi longe lateque ſparſerunt. Hi iidem Ioannam Nauarræ reginam contra Regem & Catholicos armarunt: in Anglia, vero, traducta in ſuas partes Eliſabetha Regina, ea incendia excitarunt quibus totum illud regnum poſtea conflagrauit, vniuerſi etiam Chriſtiani Orbis quietem concuſſerunt & perturbarunt: Catholicis è toto Angliæ regno profligatis, & crudeliſſime, tam quoad fortunas quam corpora ipſorum, vexatis.

Quanquam vero harum perſequutionum & ſuppliciorum cauſſam non Religionem, ſed Rebellionem & Crimen læſæ Maieſtatis, adeoque tam clandeſtinis quam apertas contra Regni Statum machinationes fuiſſe, videri velint: tyrannicus tamen contra reos, ſine vlla iuſtitiæ aut æquitatis forma, procedendi modus facile contrarium euincit.

Hac quidem arte olim quoque Ariani vſi ſunt, ſalutem ſiue Statum Reipublicæ vel Imperii perſequutionibus quibus Chriſtianos diu vexarunt, prætexentes.

Interea quidem dum Chriſtiani mutuis vulneribus concidunt, Turcę imperium ſuum mirum in modum auxerunt & confirmarunt, vt iam omnibus Chriſtianis Principibus, nedum ſingulis, ſint formidabiles.

VIII. Occaſio, Apoſtatarum perfidia.

Quid quod etiam nonnulli eo impietatis proruperunt, vt abiecta religione Chriſtiana, Mahumetanæ nomen dare, & infidelibus illis non ſolum ſecreta Chriſtianorum prodere, ſed ipſorum quoque copiis duces ſe præbere non dubitarint? Quæ quidem pro octaua Turcici imperii magnitudinis cauſſa vel Occaſione haberi poſſit.

IX Occaſio, Turcarum aſtutia in faciendis induciis.

Ad nonam quod attinet, conſiderare oportet quanta aſtutia in omnibus rebus & actionibus vſi ſint. Equidem ita exiſtimo nullate Turcarum contra Chriſtianos conatus & inſultus promotos fuiſſe, quam frequentibus, quas de induſtria cum Principibus noſtris ſuſceperunt, induciis & pacificatoriis Actionibus quibus illud conſequuti ſunt, vt ex improuiſo, deinde noſtros ſecure degentes adorti, facilem victoriam reportarint.

Nec minoris momenti illud eſt, quod Turcæ nunquam contra quenquam Chriſtianorum Principum bellum ſuſceperunt, tam ad ſui imperii defenſionem, quam alieni inuaſionem, niſi rebus domi plane pacatis, & finibus contra vicinos & quoſcumque hoſtes, ſed inprimis contra eos quorum iniuriis magis opportuni erant, probe

munitis;

munitis; ne ipſis externo bello occupatis, alius res domi turbaret, & prouinciam aliquam ab imperio auelleret, ſibique ſubiiceret.

Quid enim aliud ſibi vult pax illa, quam cum Polonis tam longo tempore coluerunt, & etiamnum colunt? Idem eorum conſilium tam diuturna pax cum Venetorum Republica oſtendit.

Sed & longa illa cum Gallis ſiue Francis pax & veluti quædam ſocietas manifeſte docet, quam ſollicite id vnum curent Turcæ, ne cõſilia ipſorum & conatus ab externo aliquo & ex improuiſo superueniente hoſte turbentur aut impediantur. Inducias quidem illi ſæpe, ſemper vero ſibi vtiles cum Imperatore fecerunt. Superiori tempore quando grauiſſimum eis contra Perſarum Regem inſtabat bellum, aſtute admodum inducias ab Catholico Hiſpaniarum Rege impetrarunt.

Illud vero inprimis Turcarum Princeps ſtudet, vt pacis & belli ſit arbiter, vtque ſuorum conſiliorum telam qua vi, qua aſtu pertexat, non ſine ingenti Chriſtianorum Principum damno & probro, quibus ille tantopere eſt formidabilis, vt pacem aut inducias quamuis noxias & turpes cum eo facere, quam vires eius experiri malint, & ſic præclaras ſæpe domandi eius occaſiones elabi ſibi patiantur. Cuius rei vix vllum clarius exſtat exemplum quam illud quod nuper bello Perſico accidit: in quo à Perſarum rege vno ad Tauriſium prœlio octuaginta Turcarum millia cæſa dicuntur, præter eos qui paſſim velitationibus aliiſque certaminibus abſumpti fuerunt.

Quæ vero melior ac pulchrior occaſio, ô Principes Chriſtiani, acceptas iniurias vlciſcendi, & crudeliſſimi Tyranni exſcindendi vobis potuiſſet ferri? Fierine potuit, vt amiſſo exercitus robore, & auctoritate ipſius collabaſcente, mutationem aliquam Turcarum res non ſenſiſſent, ſi modo vos Occaſioni quam Deus dederat, non defuiſſetis? ſed vos quidem in vtramque ſtertitis aurem, nec quidquam habetis in promptu, quo nocere ipſi queatis. Peccata ſcilicet noſtra ſunt quæ Turcis fores ad nos aperiunt, quæque ciuili bello miſeras Chriſtianas prouincias ita lancinant ac diſtrahunt, vt ab interitu non procul abſint. Galliæ illud quondam florentiſſimum regnum, & Belgium quis videat; vbi tanta contentione tantiſque odiis certatur, vt non niſi cum alterius partis exitio certamen deſiturum videatur.

Hinc Reges & Principes domeſticis turbis componendis non ſufficiunt, adeoque ipſi maximis in periculis verſantur: tantum abeſt, vt in communem hoſtem arma conuertere poſſint. Vicini vero, ſuam rem agi putantes, quum proximus ardet paries, ſuæ ſuorumque cuſtodiæ vnice intẽti ſunt, ac ſuo ſe functos officio exiſtimant, ſi caueãt ne tanti mali cõtagio in ſuas quoq; ditiones proſerpat. Interim Turcę non ſolum vires recolligunt, verumẽt noſtram ſtultitiã acerbe rident. Illud quidem mirari ſæpe ſoleo, quod Turcarũ Princeps vicinorum

arma ita ſuſpenſa ſemper tenuit, vt numquam certamen cum duobus aut pluribus ſimul ſuſceperit; Romanorum in eo prudentiam imitatus, quibus illud ſemper curæ fuit ne duplici bello eum diuerſis hoſtibus diſtringerentur, ſed armis contra vnum motis, omni ſtudio blandiſque perſuaſionibus id efficiebant, vt alii ſpectatores aut ſocii ipſorum eſſe mallent. Selimus Primus qui acerrimum cum Perſis bellum geſſit, tanta prudentia & dexteritate vſus eſt, vt toto illo bello durante, Ægypti Sultanus, cæteroqui parum ei amicus, quieuerit ac ne gladium quidem contra ipſum ſtrinxerit. Quos patris mores imitatus Solimanus filius, dum bellum id perſequitur, neminem Chriſtianorum Principum hoſtem vidit aut expertus eſt.

X. Occaſio. Bella inter ipſos Chriſtianos.

Porro tam cruenta illa quam diuturna bella, quæ potentiſſimi totius Europæ Principes pertinaciſſime inter ſe geſſerunt, decimam quaſi feneſtram ſiue Occaſionem Turcis prolatandi imperii aperuerunt; tanto maiori cum Chriſtianorum periculo, quanto maiori animo ac potentia dicti illi Principes præcelluerunt. Quæ vmquam inimicitiæ ferro & igne crudelius exercitæ ſunt, quam nuper inter Gallos & Hiſpanos? Quodnam odium atrocius memoratur quam quo duo illi potentiſſimi Reges inter ſe exarſerunt? Quæ verò ſub ſole gens eſt aut Natio, quæ ad Turcarum imperium oppugnandum, vel etiam euertendum, plus virium ac roboris habeat, quam duæ illæ Francorum & Hiſpanorum gentes? quas ſi quis ſancto pacis vinculo colligare tum potuiſſet, Deum immortalem, quantum is Chriſtianæ Reipublicæ commodum, quantum vero Turcarum imperio damnum & periculum allaturus fuiſſet! Nam, vt ad particularia veniamus, quis vmquam Chriſtianorum Principum ad Turcas domandos & profligandos magis aptus & ab ipſa Natura factus, vel, vt verius dicam, ab ipſo Deo datus fuit, quam Carolus Quintus Imperator? in quo præter internas dotes, inuictam ſcilicet animi magnitudinem & ſingularem prudentiam, ad tantum hoſtem ſuperandum, tantumque bellum conficiendum ſumma omnia fuerunt.

Habebat enim circa ſe peritiſſimos rei militaris duces, copiaſque validiſſimas: imperium eius ſequebantur populi bellicoſiſſimi, è quibus non veteres tantum ſupplere, ſed nouos etiam exercitus conſcribere facile erat: idemque portus poſſidebat ad bellum mari gerendum, quam maxime opportunos. At quotieſcumque tam ſalutare hæreditarii hoſtis oppugnandi conſilium cœperat, vicinorum partim metu partim iniuriis coactus, in medio quaſi curſu conſiſtere fuit coactus.

Eadem impedimenta filio eius Philippo II. Hiſpaniarum Regi, ſeſe obiecerunt: ita vt vere illud dicere poſſimus, Dei peccata noſtra punientis, manum illam eſſe quæ immaniſſimorum hoſtium res quaſi in tuto collocauit, noſtras vero tam multis periculis propoſuit,

vt tanto citius peccatorum veternum excutiamus. Inter omnes vero Turcarum Principes vix quiſquam fuit in quærendis Occaſionibus ſagacior, in arripiendis iiſdem magis impiger quam Amurathes Primus, qui (vti ſupra diximus) Conſtantinopolitano Imperatori ſuppetias miſit, atque ipſe etiam Helleſpontum traiecit, & duobus illis è regione ſibi oppoſitis caſtellis occupatis, vniuerſam illam oram, vt & mare, ſuo imperio ſubiecit. Huius filius Baiaſithes non minus ſagax in agnoſcendis, nec minus patiens in exſpectandis, nec minus diligens in arripiendis quibuſcumque Occaſionibus fuiſſe dicitur: quibus etiam non ſine Chriſtianorum damno, ad ſuas res quamoptime vſus eſt.

Celeritate in Occaſionibus vtendum.

Sed in Occaſione multum prodeſt celeritas: ſiquidem illa elapſa numquam poſtea aut certe raro admodum reuertitur. Quocirca non ſatis eſt, vt quis rerum opportunitates ſiue Occaſiones agnoſcat: verum etiam opus eſt vt iis quis ad efficiendum id quod vult recte vtatur. Quamuis autem matura quædam celeritas omnibus in rebus laudabilis ſit & vtilis; in bello tamen ea quam maxime eſt neceſſaria: ſiquidem vt Selimum Primum Turcarum Principem dixiſſe ferunt, in bello etiam quam minima mora maxima damna adferre ſolet, tum potiſſimum quando oportunitatem illud quod prudenter & mature deliberatum fuerat exſequendi, nobis aufert. Eo nomine Annibal celeberrimus alioquin & fortiſſimus imperator reprehenditur, quod ſcilicet lentus eſſet & piger, & quod Adherbal apud Liuium ei obiicit, vincere ſciret, victoria vero vti neſciret. Eodem vitio Magnus ille Pompeius laborauit, & peſſumdatus eſt. Verbo dicam, Nullus motus celeritate deſtitutus efficax eſſe, aut notabilem aliquem effectum producere poteſt. Et violentæ quidem agitationes cum celeritate impetum conſumant & perficiunt; naturales vero eum acquirunt paullatim, ſeque in ipſo confirmant. Et hac quidem vna ratione Turcæ ad tantum magnitudinem imperium ſuum peruexerunt, quod conſilio & manu prompti, omnibuſque rebus neceſſariis inſtructi, in procinctu quaſi ſemper ſteterunt, neque vllam Occaſionem commode aliquid atque vtiliter gerendi, prætermiſerunt.

Turcæ quibus noſtros præcellant.

Verum enimuero dicat aliquis, eum qui bene Occaſione vti velit, multis aliis rebus inſtructus eſſe oportere. Sic profecto res ſeſe habet: & in primis opus eſt, vt quis ſemper veluti armatus, in procinctu ſtet, & quæ neceſſaria eſſe intelligit, ad manus habeat? Qua quidem in re Turcæ multis paraſangis noſtros homines antecedunt; quorum Princeps continuo tantos alit exercitus, vt ex improuiſo velut imparatus opprimi nunquam poſſit, neque conſilii incertus reddi, ſi quando validus educendus ſit exercitus. Quinetiam tum maxime ſuperbit, equitum præcipue numero confiſus, quorum ingentem multitudinem vel pede, quod dicitur, in terram illiſo excitare poteſt; adeo vt dictum quis ac factum ſimul putet. Accedit quod tam equitatus

quam

quam peditatus Turcicus leui vtitur armatura, ac fere quocumque parum ſeruatis ordinibus, rapitur magis quam ducitur. Sed nihil Turcarum conatus magis accelerat ac promouet quam ſobrietas & parcimonia admirabilis. Militiæ enim aqua illis potus, oryza & carnes ſalitæ in puluerem contuſæ, cibus illis eſt: ſic vt vnuſquiſque vnius menſis cibaria ſecum ferre poſſit. Quod ſi oryza & carnes deſint, equina, vt etiam Tartari & Moſcouitæ, carne veſcuntur. Econtra ad noſtros alendos milites quod rebus opus eſt? quantùs numerus carrorum, lixarum, colonum, omnium, denique rerum non ad vſum tantum, verum etiam luxum comparatarum? Qua quidem ex re duo impedimenta exiſtere ſolent. Primum quod tot tantaſque res præparando tempus inutiliter præterlabitur. Deinde quod numquam ſatis mature & in tempore exercitus tot impedimentis impeditus, quo debet, duci poteſt: vt ad Eſſeccium videre fuit, vbi milites noſtri magis rerum & commeatuum penuria quam hoſtium armis conflictati fuerunt, quorum impetum illi facile ſuſtinuiſſent, ſi non inedia languidis & manus ſimul & animi obtorpuiſſent. Quod quum Turcicæ militiæ præfectus animaduertiſſet, ſenſim ac pedetentim eos carpere conſtituit; media & fame confecti, ſigna ipſi desererent & dilaberentur; vt etiam poſtea euenit. Memini è viro fide digno me audiſſe, Emanuelem Philibertum Sabaudiæ Ducem tum quum pro Rege bellum gereret in Belgio, nulla in re quam in comparandis commeatibus & caſtrenſibus apparatibus plus difficultatis, laboris & moleſtiæ habuiſſe. Atqui, (vt noſtros pudeat) illud dicere licet inauditum eſſe vt vmquam vllus apud Turcas ob iſtarum rerum penuriam diſſolutus aut diſſipatus ſit exercitus.

Chriſtianorum luxus.

Sed ad celeritatem, qua in exſequendo vtendum eſſe monui, eiuſque adminicula ſiue inſtrumenta breuiter explicanda redeo. Primo quidem illud inprimis non vtile tantum ſed neceſſarium etiam eſt, vt qui feliciter aliquid exſequi vult, bonam pecuniæ ſummam in promptu ſemper habeat: quod difficile futurum eſt ei qui in tempore ſuas cogitationes & conſilia non eo conuertat: tum etiam pecuniam larga & quaſi prodiga manu eroget, vt quidem Chriſtiani facere ſolent. At Turcarum Princeps longe maiori vtitur parcimonia vnde nec mirum eſt quod numquam tam ad ſubleuandas militum neceſſitates quam comparandos bellicos apparatus, pecunia ei deeſt: quæ quidem præcipuus belli neruus eſt, & vnicus quemcumque conatum celeriter feliciterque perficiendi modus. Barbarus quidem ille Princeps non minus barbara vtitur eius quod ipſe impendit recuperandi ratione, impoſito ſtatim ſubditis nouo tributo, ad lacunas illas ærarii ſuppleudas: quod quidem facile ipſi eſt. Apud nos vero nihil æque difficile eſt & impeditum, quam pecuniam ad belli ſumptus conficere. Pleri que enim omnes Chriſtiani Principes rem familiarem parum frugaliter adminiſtrant, adeoque in magnis rei numariæ

Pecunia cōficienda difficilis ratio.

mariæ

manę anguſtiis fere ſemper verſantur, vt ſi forte pecunia opus ſit, aut fenori eam ſumere aut reditus ſuos oppignerare cogantur. Licet autem Chriſtiani populi non tam turpiter auari ſint vt Turcæ, ægre tamen & ipſi pecuniam contribuunt, vt ad mediocrem aliquam ſummam colligendam, integris annis opus ſit. Hinc plerumque noſtri, quod in prouerbio dicitur, poſt feſtum veniunt, vbi ſcilicet iam præteruolauit Occaſio, nec quidquam reliquit quam pudorem, & acerrimi doloris ex infelici euentu ſenſum. Quod ſi quando iidem Occaſioni inſiſtant, eamque premant, fit illud tanta cum feſtinatione, & præcipitantia & imprudentia omnibus in rebus, maxime vero in conquirendis apparatibus, nihil vt recte atque ex ordine & diſciplina, vt apud hoſtes noſtros, fiat.

Turcarum diſciplina militaris & obedientia.

Eſt & aliud non leue ad res magnas gerendas Turcis adiumentum, incredibilis ſcilicet præfectorum erga militiæ ducem, & militum erga pręfectos ſiue Capitaneos obedientia, reuerentia atq; amor quo vno freti atque incitati, maxima quæque pericula ſubeunt, atque etiam vltro prouocant, & vincunt. Adeo illis cordi eſt præfectorum iuſſa recte exſequi. Neque vmquam apud Turcas euenit, quo apud nos nihil iam eſt vſitatius, vt ſcilicet militum ſeditione aut imperii detrectatione, conatus aliquis fuerit impeditus, aut victoriarum curſus inhibitus.

Turcarum habitus.

Aliud quoque apud Turcas reperitur, non minus conſideratione dignum, quod ſcilicet quum homines ipſi robuſto ſunt corpore, tum etiam mira celeritate præditi. Econtra noſtri exercitus vix mouere ſe audent, niſi Germanorum & Heluetiorum copiis quaſi fulciantur: quæ quidem gentes ad ſubitanea & in quibus celeritate opus eſt, inutiles fere ſunt; at in acie & ſtataria pugna, inſtar ſolidi & immobilis ſunt muri. Quam autem ad res celeriter gerendas parum apti ſint Germani, res ad Budam & alibi infeliciter geſtæ ſatis docent. Equos etiam meliores noſtris Turcæ habent. Hiſpanienſes quidem leues ſunt & bene compacto corpore, ſed parum habent roboris. Germaniei grandes ſunt & fortes, ſed molles, & vt plurimum duri oris, vt difficulter manu regi poſſint; ad ſuſtinendum quam faciendum imperum aptiores. Neapolitani noſtri boni quidem ſunt & generoſi; agiles etiam, ita tamen vt ad perfectam celeritatem non nihil eis deſit. Turcæ vero primum Hungaricos habent equos, ad bellum inprimis idoneos: deinde Barbaros illos, ſummæ celeritatis; nec non illos, è Valachia, & Epiro, qui omnes laborum ſunt tolerantiſſimi, & facili manu reguntur.

Ex quibus concludere licet, Turcas omnia quibus ad celeriter aliquid exſequendum opus eſt, multo præſtantiora ac melius diſpoſita, ac maiori etiam numero quam Chriſtianos, in promptu habere, ac propterea mirum non eſſe quod celeritate & occaſionibus vſi, res magnas geſſerint, & ad tantam imperium ſuum extulerint magni-

tudinem.

tudinem. Etſi vero dictę celeritatis innumera paſſim extant exempla; duo tamen hoc loco, aut tria annotabo. Amurathes 2. bello in Caramania occupatus, quum accepiſſet Ladislaum Hungariæ regem, cum quo pacem paullo ante fecerat, ingentes copias colligere, & bellum moliri; ſubito motis caſtris, & celeriter traiecto Helleſponto, ſeptimis caſtris ſiue 7. dierum ſpacio cum octoginta millibus ad Varnam peruenit. Similiter Serdar Baſſa, à Baiaſithe II. ad diuertendos à Mediolani oppugnatione Venetos miſſus, tantis itineribus ad Taruiſium peruenit, vt pæne famam aduentus ſui anteuerterit. Tanta vero celeritate Selimus I. à Cæſarea Halepum vſque exercitum cum machinis & omni inſtrumento, per Tauri iuga duxit, vt Sultanum nihil minus cogitantem, & quiduis potius quam tale quid ſibi imaginantem oppreſſerit.

Nec vero in bellis tantum quæ terra geruntur, tantam celeritatem quantam diximus, Ottomanidæ Principes adhibent, ſed etiam in maritimis expeditionibus: in quibus quem ordinem obſeruent, breuiter indicabo. Ac primum prægrandes illas naues ſpernunt, vtpote quas niſi vento adiuuentur, pondus immobiles atque inutiles reddit, vt potius ſæpe impedimento ſint quam adiumento. Biremibus ſiue Galeris vtuntur leuibus admodum: claſſem vero vniuerſam milites omniſque generis apparatu quam optime inſtrui curant. Econtra nos magnum prægrandium Nauium & Gallionum, quas vocant, numerum, tanquam virium noſtrarum fundamentum & aſylum, educere ſolemus: quibus præparandis, exſpectandis, aut conducendis ſępe melior temporis pars conſumitur, aut reliqua claſſis diſtrahitur. Hinc aliud exiſtit incommodum, illud nimirum, quod quum maximam victoriæ ſpem in maioribus illis Nauibus poſitam habeamus, minores interim quaſi animo abiecto, hoſti appropinquare non audent, & nihil aliud fere quam fugam meditantur. Interim vero hoſtis quibus poteſt, inſidiatur, nec ad pugnam in tam late patenti æquore cogi poteſt, ſed ex occaſionibus tantum aſſilit: vt quidem Anno 1537. ad Preueſſam, & Anno 1571 ad Naupactum accidit, vbi multæ ſociorum naues cum magno claſſiariorum numero nullam pugnæ partem capeſſere potuerunt, quod neſcio quibus rebus impeditæ, claſſi ſe nondum coniunxiſſent. Anno ſequenti idem fere incommodum noſtros valde retardauit, & quominus quidquam à tam valida & inſtructiſſima claſſe effectum ſit, in cauſſa fuit. Similiter quum Pontificiæ & Venetæ triremes ſeſe coniunxiſſent, & Ioannem Auſtrium, qui ad Meſſanam in Sicilia ob rumorem de Belgicis tumultibus allatum aliquamdiu ſubſtiterat, exſpectarent, in Turcicæ claſſis conſpectu; Ochialis qui Turcicæ claſſi imperabat, ſemel quidem prœlii copiam noſtris fecit: quum vero animaduerteret ventum nobis ſecundum eſſe, ac rotundarum Nauium vim ac celeritatem timere, noſtros miro quodam ſtrategemate eluſit, tali nempe.

Grandes naues inutiles.

Mandauerat ſuis vt in ſingulis nauibus vas aliquod puluere pyrio plenum im promtu haberent, eique dato ſigno, ita vt ne quid nocere poſſet, puluerem ſubiicerent. Noſtris ergo triremibus vna cum Nauibus bono ordine ad ipſum tendentibus, proras, ne ſugæ daret ſignificationem, aliquamdiu obuertit: vbi vero incenſo puluere fumus vniuerſam eius claſſem operuit, ſtatim ſublatis omnibus velis, Neapolim in Romania contendit. Et hac quidem ratione illud effecit, vt iam longius antequam noſtri tale quid ſuſpicarentur, progreſſum aſſequi non poſſent, nec ordines aut claſſem ſoluere auderent, quid ille moliretur, incerti. Octo diebus, poſt quum in eundem Ochialim rurſus incidiſſemus, & leuia aliquot prœlia ſiue velitationes conſeruiſſemus, Ochialis vbi triremes noſtras Nauibus deſtitutas animaduertit, integram claſſem contra nos eduxit; at quam primum claſſem cum eis coniunctam vidit, in portum rediit. Et tum quidem ſatis hoc experimento compertum fuit prægrandes & tardigradas Naues in claſſe aliqua impedimento magis eſſe quam adiumento. Huius rei ego qui huic Expeditioni interfui, Illuſtriſſimi Ducis Mainii comes, in Commentariis Rerum memorabilium noſtri temporis, Latina lingua conſcriptis, prolixiorem aliquanto mentionem feci: ad quam Lectorem remitto.

ILLVSTRIS D. HORATI MALAGVCI, PATRICII REGIENSIS, Diſcurſus ſiue Diſſertatio, in qua ſtatus & magnitudo quinq; totius Orbis potentiſſimorum regnorum; Regis ſcilicet Hiſpaniarum Catholici, Regis Abyſſinorum, ſiue Presbyteri Ioannis (vt vulgo vocant) magni Tartariæ Chami: Regis Perſarum: & denique Imperatoris Turcici, rationibus è Geographia & Arithmetica petitis, inter ſe comparantur.

DISCVRSVS IV.

Terræ partes.

TERRAM vniuerſam recentiores Geographi plerique in quatuor partes diuidunt, Europam ſcilicet, Africam, Aſiam, & Americam ſiue Nouum Orbem. Et in tribus quidem tantum prioribus Turcarum Imperator multas ac latas regiones poſſidet; at Rex Catholicus non ſolum in illis quoque longe lateque dominatur, ſed Nouum etiam Orbem ſolus ſub imperio habet.

Turcarum in Europa [illegible]m.

Verum vt ad particularia veniamus: in Europa quidem Turca bonam partem earum regionum poſſidet, quas Ptolomæus Nona ſua Tabula complexus eſt, magnam nempe Iazygarum Metanaſtarum partem, qui hodie Valachia comprehenduntur; partem Daciæ quæ hodie Tranſyluaniæ accenſetur; Myſiam ſuperiorem, quæ Boſnam, Raſciam & Seruiam complectitur; Myſiam inferiorem, cuius partem, vt & Thraciæ, Bulgariæ regnum continet; reliqua vero pars Thraciæ hodie Romania dicitur. Idem præterea ſub imperio habet omnes eas regiones quas, Ptolomæus in Decima Tabula collocat, Macedoniam nempe, quæ hodie Albania eſt; Epirum, Butrintum hodie; Achaiam, nunc Græciam vulgo; Peloponneſum, hodie Moream. Idem dominatur omnibus inſulis in Archipelago; magno numero ſpar-

ſis,

Google

ſis, quas Cyclades antiqui nominarunt: quamuis earum paucæ ſub Venetorum manſerint imperio. Includitur itaque Turcarum Imperium verſus Orientem, Propontide (quod hodie *Mare di Marmora* vocant) Ponto Euxino, qui hodie *Mare Maius*; & Mari Ægæo, quod Archipelagus alias appellatur: a Meridie mari Cretico, itemque Mediterraneo: ab Occaſu mari Adriatico; à Septentrionibus vero Hungariæ, Moldauiæ & Tranſyluaniæ finibus. Et circuitus quidem vniuerſi Imperii, quod in Europa Turcæ poſſident, ſecundum prædicta litora complectitur Italicorum milliarium circiter decem millia, & quingenta. Quam ſuperficiem vniuerſam, ſi redactis in quadrum milliaribus, menſura complecti velimus, reperiemus milliaria Italica circiter trecenta duodecim millia, & vndeſexaginta.

In Africa. In *Africa* Turca oram litoralem à Firamida tanquam termino Orientaliſſimo, ad Gerbin vſque poſſidet: quo quidem tractu vniuerſa Ægyptus, & omne id quod Ptolomæus in Secunda & Tertia Tabula Africæ ponit, continetur, vt & Lybia Marmarica, quæ recentioribus Borea dicitur. Tractus hic omnis milliaria circiter mille & quadringenta complectitur. Quod ad interiora Africæ, nihil ibi Turcæ poſſident præter Ægyptum, quam olim Sultani Alcairi ſub imperio habuerunt. Reliqua tenent Arabes, gens vaga, nulli certo domino vel Regi obtemperans. Poſſident tamen iidem Turcæ Maris Rubri aliquam partem Occaſum verſus, à Sues vſque ad Zibit: quod quidem ſpacium milliarium eſt circiter trecentorum & quinquaginta. Vlteriora vero Rex Æthiopiæ ſiue Abyſſinorum (*Presbyter Ioannes* vulgo) ſub dominio habet. Sic igitur Turcarum in Africa Imperium ab Ortu quidem partim Mari Rubro, quod antiquis etiam Sinus Arabicus, partim eo interſtitio, quod eſt à Sues Firamidam vſque, includitur: ab Occaſu regno Tunetano; à Septentrionibus, mari Mediterraneo & Sinu Ægyptiaco: à Meridie vero deſertis Lybiæ, & parte aliqua Æthiopici regni diſterminatur. Vniuerſa autem ora maritima, quæ Turcarum in Africa ſubeſt imperio, continet milliaria circitet 1750. Ægypti quidem ſuperficies milliarium eſt circiter 356160. ſed quum multa ſint cultoribus vacua, nonnulli etiam populi Turcarum imperium non agnoſcant; non errabit qui ſemiſſem à ſuprapoſito numero demſerit: atque ita reſtabunt 178080. milliaria quadrata. Certum vero eſt nobiliſſimas tam Africæ quam Europæ regiones Turcarum ſubeſſe imperio. Hodie quidem præſtantiſſima totius Europæ regio Italia habetur: at olim antequam Romani florere cœpiſſent, nihil nobilius aut celebratius

fuit Græcia,quam vniuerſam hodie Turcæ tenent: Inter Africæ vero regiones quantum ad omnia,quibus regio aliqua nobilitari & commendari poteſt, Ægypto ſemper ab omnibus palma fuit tributa,& etiamnum tribuitur.

In Aſia. Ad *Aſiam* quod attinet, Turcas quidem eam pene omnem ſuo complexos eſſe imperio, inprimis vero eas regiones quæ olim armis & litteris præ cæteris floruerunt, extra controuerſiam eſt. Ac primum Turcarum imperio ſubeſt omne illud, quod a Ptolomæo in prima Aſiæ tabula collocatur, Pontus ſcilicet & Bithynia,quam Turciam dicunt; nec non Aſia proprie dicta, quæ Turcis hodie Natolia; item Phrygia, quæ Paria hodie & Bebrycia; tum Lycia, vulgo Briquia; præterea Galatia, Paphlagonia,Pamphylia, Cappadocia (quæ nunc Amaſia) Armenia minor, & Cilicia, quæ hodie Caramania: quæ regiones omnes hodie ſub Natoliæ nomine comprehenduntur, olim vero Aſia proprie dicta fuerunt. Huius vero Peninſula (quæ olim Aſia minor,hodie Natolia) ab Alexandria Trapezuntem vſque circuitus continet milliatia circiter bis mille, & quadringenta. Poſſident inſuper Turcæ magnam partem earum regionum,quæ à Ptolomæo in Tertia Aſiæ Tabula ſub Armeniæ maioris nomine ponuntur, quæ hodie Turcomania vocatur. Reliqua Tartari habent. Tenent iidem omne id,quod quartæ Aſiæ Tabula apud Ptolomæum continetur, Cyprum ſcilicet Inſulam, Syriam, Palæſtinam ſiue Iudæam, oram Syriæ maritimam à Foramida Alexandriam vſque, quæ eſt milliarium ferequadringentorum & triginta; Arabiam Petræam, hodie Baraab dictam; Meſopotamiam, Diabeth hodie; Arabiam deſertam; & Babyloniam, ſiue Chaldæam. Eorundem imperium agnoſcunt pleræque omnes regiones, quæ Quintæ Aſiæ Tabulæ apud Ptolomæum inſertæ ſunt, Aſſyria nempe, ad Arabiam vſque Felicem. A Trapezunte dein Septentriones verſus idem imperium ad Cimmerium vſque Boſphorum porrigitur, qui Cherſoneſo, hodie Gazariæ dictæ, confinis eſt, quo quidem tractu Septentrionali, Caitachi dicto, Matrigam vſque (quæ fortaſſis Ptolomæi Hermanaſſa eſt) ſecundum litus numerantur milliaria 450. A Sues deinde (quod fortaſſe Ptolomæo Cliſma præſidium nuncupatur) circumeundo Arabiam Felicem, vſque ad oſtium Tigris fluuii (qui hodie Tigil) milliaria circiter ſunt ter mille, ſeptingenta & quinquaginta. Sic ergo in vnam ſummam computatis, quæ Turcæ in Aſia ſecundum litus ambulando poſſident, efficientur milliaria circiter 7030. Superficies vero omnium regionum quas illi ſub imperio in Aſia habent, complectitur milliaria 710640. quadrata.

Quin

Quia vero earum pars |aut deſerta iacet, aut aliis regulis & dominis ſubeſt, nos etiam poſita ſumma quartam partem detrahemus, quæ eſt milliarium 177660. ſicque reliqua fient 532980. milliaria.

Porro Turcarum in Aſia imperium ab Ortu quidem ſinu Perſico (qui hodie Elcalif) Tigri flumine, & litore Maris Caſpii (quod nunc Mare de Baccu) ab vna parte terminatur: Ab Occaſu fines habet Sinum Arabicum, ſeu Mare Rubrum, Mare Ægæum ſiue Archipelagus, Propontidem ſiue Fretum Conſtantinopolitanum, & Pontum Euxinum, qui hodie Mare Maius. A Septemtrionibus itidem Ponti Euxini aliqua parte, & palude Mæotide, quæ Mare Zabuch hodie, ac tandem parte aliqua Sarmatiæ Aſiaticæ ſiue Tartariæ includitur: ad meridiem vero Oceanum Auſtralem ſiue Indicum, Mare Mediterraneum, & Mare Maius attingit.

Fines Turcarum imperii in Aſia.

Iam vnam in ſummam computatis omnibus quæ in tribus hiſce Terræ partibus Turcæ ſecundum oras maritimas ſub imperio habent, inueniemus milliaria vndecies mille, ducenta & octuaginta: ſuperficies vero vniuerſi huius imperii milliaria complectitur decies centena & viginti tria millia, ducenta & vndeviginti.

Hactenus Turcarum in Europa, Africa & Aſia imperium deſcripſimus: nunc quæ Catholici ſiue Hiſpaniarum Regis in iiſdem Terræ partibus ſubſunt imperio regiones indicabimus. Ac primum imperatis in Europa Hiſpaniæ vniuerſæ, Iberiæ Græcis à flumine eius nominis olim dictæ: quæ quidem regio omnis non minus populoſa eſt quam ampla, Strabo corio bouis extenſo eam ſimilem facit; Ptolomæus vero ſecunda Europæ Tabula eam comprehendit. Vniuerſa Mari vndique clauditur (niſi qua Franciam reſpicit, à qua Pyrenæis montibus dirimitur) ab Aquilone ſcilicet Oceano Cantabrico, ab Occaſu Heſperico ſiue Atlantico, ab Auſtro vero mari Iberico ſiue Balearico, & freto Herculeo, vbi olim Herculis columnæ, in Hiſpania ad Calpen vna, altera vero in Africa ad Abilam memorantur. Prouincias Hiſpaniæ refert Ptolomæus tres, Bæticam, Luſitaniam, & Tarraconenſem.

Hiſpaniarũ Regis imperium in Europa & primum in Hiſpania.

Alii memorant ſex, Tarraconenſem, Carthaginienſem, Luſitaniam, Galliciam, Bæticam, & transfretum in regione Africæ Tingitanam. Maurorum tempore regna fuerunt in Hiſpania plurima, quæ poſteriores in quinque diuiſerunt, Caſtella, Aragonia, Portugallia, Granata & Nauarra. Partiuntur tamen quidam noua diſtributione totum imperium in tria regna, Aragoniæ nempe, Caſtiliæ & Portugalliæ. Sub regno Caſtiliæ comprehendũtur Biſcaia, Legion ſiue Leon, Aſturia, Galæcia, Eſtre-

fuit Græcia, quam vniuerſam hodie Turcæ tenent: Inter Africæ vero regiones quantum ad omnia, quibus regio aliqua nobilitari & commendari poteſt, Ægypto ſemper ab omnibus palma fuit tributa, & etiamnum tribuitur.

In Aſia.

Ad *Aſiam* quod attinet, Turcas quidem eam pene omnem ſuo complexos eſſe imperio, inprimis vero eas regiones quæ olim armis & litteris præ cæteris floruerunt, extra controuerſiam eſt. Ac primum Turcarum imperio ſubeſt omne illud, quod à Ptolomæo in prima Aſiæ tabula collocatur, Pontus ſcilicet & Bithynia, quam Turciam dicunt; nec non Aſia proprie dicta, quæ Turcis hodie Natolia; item Phrygia, quæ Paria hodie & Bebrycia; tum Lycia, vulgo Briquia; præterea Galatia, Paphlagonia, Pamphylia, Cappadocia (quæ nunc Amaſia) Armenia minor, & Cilicia, quæ hodie Caramania: quæ regiones omnes hodie ſub Natoliæ nomine comprehenduntur, olim vero Aſia proprie dicta fuerunt. Huius vero Peninſula (quæ olim Aſia minor, hodie Natolia) ab Alexandria Trapezuntem vſque circuitus continet milliaria circiter bis mille, & quadringenta. Poſſident inſuper Turcæ magnam partem earum regionum, quæ à Ptolomæo in Tertia Aſiæ Tabula ſub Armeniæ maioris nomine ponuntur, quæ hodie Turcomania vocatur. Reliqua Tartari habent. Tenent iidem omne id, quod quartæ Aſiæ Tabula apud Ptolomæum continetur, Cyprum ſcilicet Inſulam, Syriam, Palæſtinam ſiue Iudæam, oram Syriæ maritimam à Foramida Alexandriam vſque, quæ eſt milliarium fere quadringentorum & triginta; Arabiam Petræam, hodie Bataab dictam; Meſopotamiam, Diabeth hodie; Arabiam deſertam; & Babyloniam, ſiue Chaldæam. Eorundem imperium agnoſcunt pleræque omnes regiones, quæ Quintæ Aſiæ Tabulæ apud Ptolomæum inſertæ ſunt, Aſſyria nempe, ad Arabiam vſque Felicem. A Trapezunte dein Septentriones verſus idem imperium ad Cimmerium vſque Boſphorum porrigitur, qui Cherſoneſo, hodie Gazariæ dictæ, confinis eſt, quo quidem tractu Septentrionali, Caitachi dicto, Matrigam vſque (quæ fortaſſis Ptolomæi Hermanaſſa eſt) ſecundum litus numerantur milliaria 450. A Sues deinde (quod fortaſſe Ptolomæo Cliſma præſidium nuncupatur) circumeundo Arabiam Felicem, vſque ad oſtium Tigris fluuii (qui hodie Tigil) milliaria circiter ſunt ter mille, ſeptingenta & quinquaginta. Sic ergo in vnam ſummam computatis, quæ Turcæ in Aſia ſecundum litus ambulando poſſident, efficientur milliaria circiter 7030. Superficies vero omnium regionum quas illi ſub imperio in Aſia habent, complectitur milliaria 710640. quadrata.

Quia

Quia vero earum pars aut deſerta iacet, aut aliis regulis & dominis ſubeſt, nos e iam poſita ſumma quartam partem detrahemus, quæ eſt milliarium 177660. ſicque reliqua fient 532980. milliaria.

Porro Turcarum in Aſia imperium ab Ortu quidem ſinu Perſico (qui hodie Elcalif) Tigri flumine, & litore Maris Caſpii (quod nunc Mare de Baccu) ab vna parte terminatur: Ab Occaſu fines habet Sinum Arabicum, ſeu Mare Rubrum, Mare Ægæum ſiue Archipelagus, Propontidem ſiue Fretum Conſtantinopolitanum, & Pontum Euxinum, qui hodie Mare Maius. A Septemtrionibus itidem Ponti Euxini aliqua parte, & palude Mæotide, quæ Mare Zabuch hodie, ac tandem parte aliqua Sarmatiæ Aſiaticæ ſiue Tartariæ includitur: ad meridiem vero Oceanum Auſtralem ſiue Indicum, Mare Mediterraneum, & Mare Maius attingit. *Fines Turcarum imperii in Aſia.*

Iam vnam in ſummam computatis omnibus quæ in tribus hiſce Terræ partibus Turcæ ſecundum oras maritimas ſub imperio habent, inueniemus milliaria vndecies mille, ducenta & octuaginta: ſuperficies vero vniuerſi huius imperii milliaria complectitur decies centena & viginti tria millia, ducenta & vndeviginti.

Hactenus Turcarum in Europa, Africa & Aſia imperium deſcripſimus: nunc quæ Catholici ſiue Hiſpaniarum Regis in iiſdem Terræ partibus ſubſunt imperio regiones indicabimus. Ac primum imperatis in Europa Hiſpaniæ vniuerſæ, Iberiæ Græcis à flumine eius nominis olim dictæ: quæ quidem regio omnis non minus populoſa eſt quam ampla, Strabo corio bouis extenſo eam ſimilem facit; Ptolomæus vero ſecunda Europæ Tabula eam comprehendit. Vniuerſa Mari vndique clauditur (niſi qua Franciam reſpicit, à qua Pyrenæis montibus dirimitur) ab Aquilone ſcilicet Oceano Cantabrico, ab Occaſu Heſperico ſiue Atlantico, ab Auſtro vero mari Iberico ſiue Balearico, & freto Herculeo, vbi olim Herculis columnæ, in Hiſpania ad Calpen vna, altera vero in Africa ad Abilam memorantur. Prouincias Hiſpaniæ refert Ptolomæus tres, Bæticam, Luſitaniam, & Tarraconenſem. *Hiſpaniarũ Regis imperium in Europa & primum in Hiſpania.*

Alii memorant ſex, Tarraconenſem, Carthaginienſem, Luſitaniam, Galliciam, Bæticam, & transfretum in regione Africæ Tingitanam. Maurorum tempore regna fuerunt in Hiſpania plurima, quæ poſteriores in quinque diuiſerunt, Caſtella, Aragonia, Portugallia, Granata & Nauarra. Partiuntur tamen quidam noua diſtributione totum imperium in tria regna, Aragoniæ nempe, Caſtiliæ & Portugalliæ. Sub regno Caſtiliæ comprehendũtur Biſcaia, Legion ſiue Leon, Aſturia, Galæcia, Eſtre-

madura, Andaluſia, Granata, Murcia, vtraque Caſtilia cum acceſſione Canariarum inſularum. Sub Aragonenſi regno comprehenditur præter Aragoniam, Catalaunia, Valentia, Maiorica, Minorica. Sub regno Portugalliæ comprehenditur præter Portugalliam, Algarbia. Bætica à Luſitania flumine Guadiana, qui hodie Ana, dicitur, & Eſtremaduram præterlabitur: ab Aragonia vero Capite di Gata, quod veteribus Charidemum dictum fuit promontorium, diſterminatur, ita vt Bætica vniuerſa intra Durim fluuium & iam dictum promontorium includatur, tria continens regna, Granatenſe ſcilicet, Andaluſiam & Eſtremaduram: quorum metropoles & regiæ ſunt Granata, Hiſpalis & Merida.

Luſitania.

Luſitania ab Aragonia eodem flumine Duri ſeparatur, & à Cale, vel vt alii volunt, Gallorum portu, hodie portugalliæ nomine notior eſt, quo quidem comprehenditur omne id terrarum ſpacium quod inter Ieppen vrbem. Andaluſiam & Baionam continetur. In hoc terrarum tractu ſitum eſt iam dictum Portugalliæ regnum, cuius metropolis eſt Oliſippo, Lisbona vulgo: item Galæciæ regnum, cuius metropolis eſt Compoſtella: reliqua Aragoniæ adſcribuntur, in qua nouem (vt alias quoque diuiſiones non prætereamus) regna recenſentur, Legionenſe ſiue *Leon* (alias *Vetus Caſtilia*) cuius regia eſt ciuitas Legionenſis, *Leon* vulgo: ſecundum Toletanum (alias *Caſtilia Noua*) cum eiuſdem nominis metropoli: tertium Aragoniæ, cuius præcipua vrbs Saragoſſa hodie dicitur: quartum Valentianum, cum eiuſdem nominis vrbe regia; quintum Catalauniæ, cuius præcipua ciuitas Barcino eſt, Barcelona vulgo: ſextum regnum Murciæ, cuius metropolis Murcia: ſeptimum regnum Nauarræ, cuius metropolis Pampelona: octauum, regnum Biſcaiæ, cuius præcipua vrbs Bilbæo dicitur: nonum vero regnum Lipurquæ, cuius metropolis Fanum ſiue portus S. Sebaſtiani cenſetur.

Hiſpaniarum magnitudo.

Porro Hiſpania, initium à Conimbrica ſumendo (*Colibre* vulgo) per montes Pyrenæos ad Fonterabiam, & inde ad promontorium quod Caput Finis terræ vocatur, hincque ad promontorium S. Vincentii, inde ad Gribalterram, ac hinc denique rurſus ad Conimbricam redeundo, ambitu ſuo complectitur milliaria 1896. Hiſpanica, quæ Italica efficiunt bis mille centum & nonaginta fere. Ex qua ſumma ſi planæ huius ſuperficiei magnitudinem indagare velimus, reperiemus milliaria centies & octies mille, octingenta & quadraginta circiter.

Belgium.

Idem Rex Catholicus inferiorem etiam Germaniam quæ Belgium olim dicta fuit, & à Ptolomæo partim Gallia Belgica partim ſub Germania comprehenditur, ſub imperio habet: in

qu-

quo ſeptemdecim Prouinciæ numerantur, Ducatus ſcilicet quatuor, Brabantia, Limburgum, Luxemburgum, & Geldria; Comitatus ſeptem, Flandria, Arteſia, Hannonia, Hollandia, Selandia, Namurcum, & Sutphania; Marchionatus S. imperii: Dominia quinque, Friſia, Machlinia, Vltraiectum, Tranſiſalana, & Groninga.

Prouinciæ hæ vniuerſæ ambitu ſuo ſecundum maris litus, comprehendunt ſexcenta circiter milliaria Italica, facto initio ab Oſtio Amaſis fluuii, tamquam orientaliſſimo limite, Greuelingam vſque ad oſtium A. fluuii, tamquam finis earum regionum ad occidentem extremi.

Tractus hic à ſeptemtrionibus Oceano Germanico & Gallico clauditur, ab aliis vero partibus diuerſas regiones attingit, vt Comitatum Friſiæ Orientalis, Epiſcopatum Monaſterienſem, Ducatum Cliuiæ, Archiepiſcopatus Colonienſem & Treurenſem, Ducatum Iuliacenſem, & Franciæ regnum. Plana eius ſuperficies continet circiter quadragies centies mille & ſexcenta milliaria.

Habet idem Rex ſub ſe Burgundiæ Ducatum, Franciæ regno vulgo annumerari ſolitum: cuius populi ſiue incolæ præcipui à Cæſare & Ptolomæo Sequani dicuntur. Sed ne in eius deſcriptione longius immorer, planam eius tantum ponam ſuperficiem, quæ continet nouem millia & octingenta milliaria Italica. Præcipua totius regionis ciuitas & caput eſt Veſontio, hodie *Beſarzon* *Burgundia.*

Porro ſemiſſem fere totius Italiæ idem Rex poſſidet, vtpote in cuius ditione ſunt Regna Neapoleos & Siciliæ, Sardinia, & Ducatus Mediolanenſis; præter arces quaſdam & territoria, quæ in Hetruria idem habet. Vt iam de Genuenſium Republica nihil dicam, qui ab imperio Catholici Regis fere vnice iam dependent, vt non immerito Liguriæ, vt & Corſicæ inſulæ, quam Genuenſes tenent, dominus dici & credi poſſit. *In Italia.*

Regnum Neapolitanum à mari Adriatico ſiue ſupero initium ſumit, ad fluuium Truentum, & Fundos vſque porrigitur. Vt vero vniuerſum eius ambitum rectius intelligas, ducito lineam tranſuerſam per mediam Italiam ad mare Tyrrhenum ſiue Inferius, Fundos vſque, Ptolomæo etiam hoc nomine notos. inde vlterius eandem, litus ſiue oram maritimam legendo, per fretum Mamertinum, & ſic porro ad oſtium vſque prædicti fluminis Truenti ducito: quo quidem terrarum ſpacio nobiliſſimæ hæ regiones comprehenduntur, Campania felix (hodie *Terra di Lauoro*) Lucania (iam *Baſilicata*) Brutii ſiue Calabria inferior, Magna Græcia ſiue Calabria ſuperior, *Regnum Neapolitanum.*

Salentini (hodie *Terra de Otranto*) Apulia Peucetia (nunc *Terra di Bari*) Apulia Daunia (hodie *Puglia piane*) Samnites ſiue Aprutium. Omnis vero hic tractus mari alluitur, Adriatico ſcilicet & Tyrrheno, excepto illo interſtitio inter Fundos & oſtium Truenti: ac complectitur ambitu ſupra mille & centum milliaria Italica; ſuperficie vero ſiue in plano viginti quinque millia & ducenta fere.

Sicilia. Iam inter omnes Maris Mediterranei inſulas Sicilia claritate & rerum omnium fertilitate eminet. Ab Italia anguſto admodum freto, quod *Pharum* hodie vocant, dirimitur, vbi anguſtiſſimum eſt, tria circiter aut quatuor milliaria lato. Triquetra eſt, vnde & Trinacria olim fuit dicta. duo eius cornua ſiue latera æqualia fere ſunt, vtrumque vero tertio illo maius. Ambitus eius eſt milliarium circiter ſeptingentorum Italicorum: ſuperficies vero plana decies ſepties mille, ducenta & viginti fere complectitur.

Sardinia. Sardinia ſequitur, cuius circuitus milliarium eſt paullo minus ſexcentorum: plana vero ſuperficies 12800. milliaria circiter habet.

Ducatus Mediolanenſis. Habet idem Rex Ducatum Mediolanenſem, qui Montisferrati, Pedemontii, Venetæ Reipublicæ, Liguriæ ſiue Genuenſium, Rhætorum & Heluetiorum confinia attingit. Plana eius ſuperficies patet circiter quater mille ſeptingenta & viginti milliaria.

Iam ſi omne id quod ſæpedictus Rex Catholicus ad maritimas Europæ oras poſſidet, computemus, efficientur ſecundum ambitum circiter quater mille centum & nonaginta milliaria Italica; ſecundum vero ſuperficiem; ducenties ſexagies ſexies mille, centum & ſexaginta.

Regis Catholici in Africa imperium. In AFRICA Rex Catholicus Regnum Oran ſub dominio habet, cum vniuerſa ora maritima, ad Gribalteram vſque, in quo ſpacio Marzachibir, Melilla, Tanger, & alia oppida & arces continentur. Oran quidem eum portum eſſe qui Ptolomæo Magnus dicitur, & Tanger Tingim, ſub Mauritania (quæ hodie Barbaria) olim comprehenſam, regnumque Oran Tremiſſenum olim dictum, veriſimile videtur. Littoris ambitus ab Oran vſque ad fretum Gaditanum ſiue Herculeum milliaria habet circiter trecenta & quinquaginta.

Idem Rex Canarias Inſulas poſſidet, Fortunatas veteribus dictas.

In Aſia. In ASIA Regis Catholici imperium agnoſcunt, primum Molucæ inſulæ, ex ea diuiſione quam Alexander Papa inter Reges Caſtiliæ & Portugalliæ fecit, qui illas quidem terras

ad Oc-

ad Occidentem ſitas, & à Chriſtophoro Columbo Genuenſi primum detectas, his vero ad Ortum exporrectas adſcripſit, abolito communi antea limite, per Heſperides (quæ nunc inſulæ Capitis Viridis) Meridiano ducto, & altero quodam vno gradu vlterius à primo conſtituto, ſic vt in Luſitanorum poteſtate Moluccæ & Philippinæ inſulæ permanſerint (quarum priori Tomo à nobis facta eſt mentio) nec non aliæ multæ, Zeilon nempe, Borneo, Celebes, itemque ampliſſima Iapponiæ & Sinarum regna, quorum tamen pauca, vt & prædictarum inſularum, Luſitanos dominos agnoſcunt.

Moluccæ aliaque inſulæ.

Quum vero poſtea Ferdinandus Magellanus ſuperato freto à ſe poſtea denominato, ad Moluccas appuliſſet, nomine Imperatoris Caroli Quinti earum poſſeſſionem apprehendit ſibique vindicauit.

In Aſia igitur Rex Catholicus longe lateque imperat, quamuis, vti diximus, multæ & vaſtæ regiones ac fere innumeri populi eius imperium vel non norint, vel non ferant: vt etiam Braſilia, quæ eſt Peruanæ pars, non Luſitanis, ſed Caſtellanis ſubeſt.

Huc acceſſit, quod Carolus Quintus Imperator rei nummariæ penuria preſſus, Iohanni Vltimo huius nominis Portugalliæ Regi, Sebaſtiani Anno MDLXXII. in Africa cæſi auo, eam partem Moluccarum quæ in diuiſione à Papa Alexandro facta ſibi obuenerat acceptis trecentis Ducatorum millibus oppignerauit. Vnde factum vt poſtea Luſitani Moluccas ſoli poſſederint, excluſis Caſtellanis.

Sed omnium latiſſimum Catholici Regis in Nouo Orbe eſt imperium, quo etiam ſolus ipſe fruitur: nec ſolum maritimas, ſed mediterraneas etiam oras & vaſtiſſimas regiones ſub ſe habet.

In Nouo Orbe.

Porro Nouum Orbem nos in duas partes nunc diuidemus, quarum vna *Noua Hiſpania*, altera *Peru* appellatur. Nouam Hiſpaniam illum terræ tractum dicimus, qui à freto vbi Peruana, quæ peninſula eſt, Continenti iungitur, vbi Panama ſita eſt. Sumpto ergo à Panama initio, vniuerſæ Peruanæ, per Braſiliæ oras & Fretum Magellanicum Panamam redeundo, circuitus eſt milliarium circiter 12600. At ſuperficies vniuerſa complectitur ſex milliones, & viginti millia milliarium. Ex hac ſumma ſi detrahas ſepties centena & viginti millia, quæ loca deſerta & occulta occupant, reliqua fient circiter ſexagies centena millia, ſiue ſex milliones.

Noua Hiſpania.

Nouæ quoque Hiſpaniæ ora à prouincia Florida Iucatanam, inde Panamam & Quiuiram vſque verſus occaſum & Septemtriones, milliaria continet quinquies mille ducenta & viginti. Superficies vero decies centena & 88. à quibus demptis octuaginta millibus, quæ inculta forſan iacent, reſtant decies centena millia, quibus in

vniuerſum paret Noua Hiſpania. Iam contracta totius Noui Orbis vnam in ſummam quantitate ſiue magnitudine, circuitus eius litoralis milliarium eſt 17820. ſuperficiei vero ſinus omnis ſeptem circiter milliones, ſiue ſeptuagies centena milliarium millia complectitur.

Vt vero ſupra in deſcribenda Turcici imperii magnitudine multas inſulas omiſi; ita heic quoque in Noui Orbis demetienda quantitate nullas quæ in Nouo Orbe plurimæ ſunt & immenſæ, addo: quamuis harum ſpacium illarum ambitu multis partibus maius ſit.

Quod ſi ergo vnam in ſummam contrahamus illud quod à Catholico Rege in Europa & Nouo Orbe tantum poſſidetur, omiſſis quæ in Africa & Aſia eius ſubſunt imperio, reperiemus circuitum litoralem complecti milliarium viginti duo millia & decem; ſinum vero ſiue ſuperficiem vniuerſam ſeptem milliones, & inſuper ducenta ſexaginta ſex millia centum & ſexaginta.

Quum vero ſupra demonſtratum ſit ambitum oræ maritimæ à Turcis poſſeſſæ continere milliarium Italicorum vndecim millia ducenta octuaginta; manifeſtum eſt Catholici Regis ſecundum hanc dimenſionem imperium dimidio fere eſſe maius. Iam ſi ad ipſius ſinus ſiue ſuperficiei veniamus dimenſionem, quum Turcarum quam longe lateque patet imperium, complectatur ſeptem milliones milliarium, & inſuper ducenta ſexaginta ſex millia, centum & ſexaginta; certa demonſtratione euincitur Catholici regis imperium Turcico imperio ſexies fere & dimidia parte maius eſſe, nec hoc, quoad amplitudinem, cum illo comparari poſſe.

Globi terreſtris magnitudo. Iam, vt illud quoque addam, quum vniuerſus orbis terreſtris pateat milliaria Italica viginti vnum millia & ſexcenta, vni gradui maioris circuli cœleſtis attribuendo milliaria Italica ſexaginta in terreſtri circulo, diameter vero terræ, ſecundum Archimedem, complectatur milliarium ſex millia, octingenta ſeptuaginta duo: ex multiplicatione prædictæ ſummæ naſcetur vniuerſæ ſuperficiei terreſtris quam late patet quantitas, continens centum quadraginta octo milliones, quater centies & quinquagies mille, nongenta & nouem milliaria circiter: cuius vniuerſæ ſummæ rex Catholicus vnam & viginti cum dimidia partes fere poſſidet. Quod ita intelligendum eſt: ſi vniuerſam hanc ſuperficiem in viginti partes diuidamus, Regem Catholicum de ea tenere ſub imperio vnam partem & dimidiam fere; ac ſi eamdem in centum & quadraginta octo partes partiamur, Turcam vix vni eius parti imperare.

Quod ſi omiſſa iſta accuratiori terræ dimenſione, & milliarium calculatione, ſcire quis cupiat quantum Turcarum imperium ſpacii in terreſtri globo complectatur, ſciat is in vniuerſum eſſe circiter decies centena trecenta ſexaginta octo millia nongenta & vndeſexaginta

ſexaginta milliaria. At Catholici Regis imperium continet octo milliones, ſexaginta quatuor millia centum & ſexaginta. Hinc manifeſtum eſt, Catholici Regis imperium habere ſe ad Turcici imperii quantitatem, tamquam tredecim ad duo; aut vt accuratius rationem ſubducamus, velut octoginta ad tredecim; aut quam accuratiſſime, velut ſe habent 8074160. ad 1378956. vel denique ad minutos numeros reducendo, velut 433 ad 74. Monitum tamen te hic velim, Lector, nos ad viuum, quod dicitur, omnia hic non reſecare, ſed verba rebus accommodare, quæ quidem Geometricas demonſtrationes non admittunt.

Quod ſi quis dicat, in Hiſpaniarum dimetiendo ambitu nos Luſitaniam ſiue Portugalliam quoque incluſiſſe, quæ quum Hiſpaniarum Regi ſubiecta non ſit, ad ſuperiorem quoque illam ſupputationem venire non debeat; is velim conſideret quam magnum terrarum ſpacium Hiſpanico ſubiectum imperio omiſerimus: vt omnem illam cui Catholicus Rex dominatur, Africæ oram, vt Baleares inſulas, Maioricam & Minoricam hodie, vt Fortunatas ſiue Canarias, aliaſque permultas; quarum omnium ſpacium illud quod Portugallia detrahit, non modo ſuppleuerit, verum etiam ſuperarit.

Ex iis quæ hactenus demonſtrata ſunt facile patet, ſi imperii amplitudinem ſpectare velimus, Catholicum Hiſpaniarum Regem inter omnes totius Orbis terrarum monarchas primum obtinere locum, nec quemquam cum eo comparari poſſe.

Quamuis enim magnus Tartariæ Cham ſiue Imperator vaſtiſſimis regionibus dominetur: vniuerſum tamen eius imperium tantum circiter vicies & bis centena millia milliarium, quantum quantum eſt, complectitur. *Tartarici imperij magnitudo.*

Perſarum quoque Rex licet ampliſſimum poſſideat imperium; id tamen Tartarico aliquanto minus eſt: quippe quod in vniuerſum circiter vicies centena & quinquaginta millia milliarium continet. *Perſici.*

Inter omnes vero ſolus Abyſſinorum ſiue Æthiopiæ Rex (quem vulgo *Presbyterum Iohannem* nominant, alii *Pretioſum Imperatorem* interpretantur) imperii magnitudine Catholico Regi proximus eſt: quum quinquagies centena & quinquaginta milliarium millia (quinque ſcilicet milliones & dimidium) ſuo imperio ſit complexus, in quo tamen multæ vaſtiſſimæ ſunt ſolitudines & loca habitationibus vacua. *Abyſſinorũ Regis.*

Reliqui Orbis terrarum Monarchæ, Reges & Principes, ſi imperii ſpectetur amplitudo, cum prædictis nullo modo comparari poſſunt; eoque in hunc numerum ſiue Catalogum non accenſentur.

Monarcha præcipui Orbis terrarum.

Dicimus itaque, idque iam demonſtrauimus, quoad imperii magnitudinem, primum & præcipuum totius Orbis Monarcham eſſe *Catholicum Hiſpaniarum Regem.*

Secundum locum *Presbytero* ſiue *Precioſo Ioanni, Abyſſinorum vel Æthiopum Regi* dabimus.

Tertium *magno Tartarorum Chamo vel Imperatori.*

Quartum *Perſarum Regi ſiue Sophi.*

Quintum *Turcarum Imperatori.*

Omnes reliqui, vti diximus, totius Orbis Principes, quantumuis magnas & opulentas ſibi imperio habeant regiones, cum quinque his Monarchis conferri non poſſunt: quippe quorum omnium imperium contineat vndeviginti circiter milliones, ducenta tria millia, centum & vndeviginti milliaria: quæ ſumma cum vniuerſa Terreſtris globi ſuperficie comparata, vix octauam eius partem adæquat.

Quod ſi quis ad terreſtre illorum imperium Maria & Aquas eo comprehenſas adiunxerit, procul dubio deprehendet vniuerſum eorum dominium ſemiſſem Terræ & Aquæ, vnum globum conſtituunt, complecti, & fortaſſis aliquanto plus. Quum vero Terra eorum contenta imperio, aquis permiſta, vt eſt, intelligatur; credibile eſt ex omni terrarum illarum ſpacio vix duas partes alteras eius quod aquis obrutum eſt, reliquas fieri, vt facile deprehendet is qui Mathematico hic calculo vti velit. Sed hæc iam ſatis ſunto.

DE REBVS TVRCICIS

DISCVRSVS V.

In quo primum demonſtratur vanam eſſe illam diffidentiam, quæ nonnullorum animos occupauit, Turcas à Chriſtianis apertis viribus debellari aut vinci non poſſe. Deinde cauſſæ explicantur, ob quas pleraque Chriſtianorum Principum contra Turcas Federa parum hactenus fructuoſa & efficacia fuerint, ſpeciatim vero quid in illis, quę An. M.D.XXVII. & M D.LXXI. inita ſunt, peccatum fuerit. Modus denique indicatur, quo perfectum & ad Turcici imperii expugnationem ſufficiens Fedus inter Chriſtianos Principes confieri poſſit.

ETsi multorum animos ea occupauit opinio, Turcarum imperium tantis opibus ſubnixum, à Chriſtianis non dico euerti, ſed impelli aut concuti, id eſt, graui aliquo damno affici non poſſe: eos tamen ego non modo vehementer errare, ſed etiam Chriſtianæ Reipublicæ non parum obeſſe, non rationibus tantũ, ſed exemplis etiam atq; experientia demonſtrabo. Ac primum Turcarum vires, quantæcunq; eæ ſint, nõ eſſe inſuperabiles, mirabilis potius q̃ miſerabilis Baiazethi I. caſus docuit: qui à Tamerlane Tartarorum Imperatore, ad internecionẽ ipſius deleto exercitu, captus, & per ludibrium diu circumductus, atque etiam aſcendentis in equum Tamerlanis pedibus ſcabelli loco ſuppoſitus, in triſtiſſima ſeruitute vitam finiunt. Simili ſtrage Carambeirus ab Amurathe II. ad bellum contra Hungaros & Polonos gerendum-

miſſus, in valle montis Hæmi ab Vladislao Poloniæ Rege affectus fuit. Quum enim iam dictus Cambeirus magnis cum copiis veniſſet vt cladem quam Naioliæ Præſes à Ioanne Hunniade, qui magnam ei Seruiæ partem, & vniuerſam fere Moldauiam eripuerat, vlciſceretur, noſtriſque rependeret: tantum abeſt vt quod inſtituerat perfecerit, vt etiam amiſſis omnibus copiis, in noſtrorum venerit poteſtatem. Eodem modo Turcarum exercitus quem Baiazetus II Calibeio & Querſeolo ductoribus contra Caitheum Ægypti Sultanum miſerat, quod is Zizimum fratrem Baiazethi milite & pecunia iuuiſſet, non procul ab Adena Ciliciæ vrbe tanta clade affectus fuit quantam ad eum vſque diem Turcæ vix ſenſerant: quum ex centum bellatorum millibus qui prœlio interfuerant, vix triginta millia euaſerint, quamuis Sultani exercitus vix ſextam Turcici partem adæquaret. Sed numeri defectum duorum Italorum conſilium & Meneluchorum induſtria facile ſuppleuit, quandoquidem Turcæ improuiſo Ægyptiorum aſſultu, quum nihil minus exſpectarent, oppreſſi, fugæ circumſpiciendæ tempus habuerunt, in qua tamen ipſa quamplurimi quoque perierunt. A Viennæ obſidione Solimanus diſceſſit, amiſſis ſexaginta hominum millibus, qui in viginti aſſultibus quibus vrbem inuaſerat, occiſi ſunt. Et licet is ſequenti anno maiorem fere inſtruxerit exercitum (vtpote in quo ducenta bellatorum millia fuiſſe memorantur) eo conſilio vt vniuerſam Hungariam, & Bohemiam quoque depopularetur, atque ita acceptam offenſam quam crudeliſſime vindicaret: tamen vbi primum de Caroli V. contra ſe expeditione accepit, tanta cum feſtinatione receſſit, vt impedimenta auehendi vix tempus ſibi ſumpſerit. Quid vero de naualibus Turcarum copiis ſentiendum ſit, inſignis illa & æterna memoria digna ad Naupactum Chriſtianorum, Ioanne Auſtrio Caroli Quinti notho, Sebaſtiano Venerio, Marco Antonio Columna, aliiſque ductoribus, victoria declarat, quæ Turcarum ferociam ita compreſſit, vt iam vinci, vt cum Poeta loquar, dociles, Chriſtianorum vires tam terra quam mari multo magis quam antea extimeſcant. Scanderbegi facinora omitto; quibus ille Epirum ſiue Albaniam patriam ſuam & auitum imperium è triſtiſſima Turcarum ſeruitute vindicauit, tot tantiſque inclitus victoriis, vt verus Hercules merito videri poſſit. Nihil hic quoque dicam de Ioanne Hunniade & Matthia Coruino, qui exiguis copiis ingentes Turcarum exercitus fugarunt ac diſſiparunt. Sed & Luſitani non ita magnis viribus Turcarum impetus per Mare Rubrum in Indiam penetrare conantium repreſſerunt, vt tale quid amplius rentare nec velint nec poſſint. Nuper quoque Tartari (ſi vera fama eſt) Tauricam Cherſoneſum, *Perocopſcam* hodie dictam, Turcis eripuerunt. Qui Turcarum hiſtorias ſiue res geſtas curioſius perſcrutati ſunt, aiunt è triginta ſex prœliis, quæ ducentorum & octoginta annorum

Itemque Nauales.

Ioannes & Matthias Hunniade.

ſpatio

ſpacio Turcæ cum diuerſis gentibus commiſerunt, duodeviginti tantum proſpera ipſis eueniſſe, in reliquis omnibus eos fuiſſe inferiores. Ex quibus ſane manifeſtum eſt Turcarum vires minime eſſe, prout dicuntur, inuincibiles, ſed æqua fere lance inter victoriam & cladem ſemper fuiſſe appenſas; adeo vt ſi ſerio vires ſuas Chriſtiani Principes contra illos conuerterint, magna victoriæ ſpes oſtendatur, & vna facile plures paritura ſit. Quamuis autem Turcarum potentia, vti diximus inſuperabilis non ſit: fatendum tamen eſt, ſingulorum Principum Chriſtianorum vires ſeparatim parum contra eam poſſe. Quis igitur eius debellandæ ac frangendæ modus? Equidem non alius niſi vt vel omnes, vel certe præcipui Chriſtiani Reges & Principes commune contra hereditarium hoſtem fedus percutiant, & communem, coniunctis viribus, fortunam experiantur. Quod quibus rationibus quam commodiſſime fieri poſſit, breuiter indicabo, vbi prius cauſſas explicauero, ob quas Federa hactenus inter Chriſtianos contra Turcas inita, non talem qualis ſperabatur, ſortita ſint euentum.

Multa quidem hactenus in Chriſtianorum Principum Confederationibus vel ſecus facta, vel inconſulto decreta, vel perperam fuiſſe obſeruata dubium non eſt. Id ſi cui durius aliquanto dictu ac minus probabile videatur, age omnes res diligenter mecum expendat. Certum eſt atque indubitatum, omnibus fere Principum actionibus duos eſſe fines propoſitos, honeſtatem atque vtilitatem. Neque illud humanarum rerum peritus negauerit, maiorem ſæpe à pleriſque vtilitatis quam honeſtatis haberi rationem. Porro quum illa, ad quam omnes hominum actiones collineare diximus, vtilitas ab omnibus qui in Turcici belli cogitationem incumbunt, par aut æqualis ſperari nequeat, quum vnus propius, alter longius vt à metu & periculo, ita à ſpe quoque emolumenti abſit: fit quoq; vt alii aliis conſiliis vtantur, & hic illum, alius alium rei gerendæ modum proponat. Quamquam vero non leuia hinc oriantur incommoda; illud tamen longe maius eſt, ac neſcio an longe maximum, quod in Federis ſanciendis legibus inter omnes vix vllus reperitur conſenſus vel concordia. Huius vero diſſenſionis cauſſæ præcipuę ſunt. Primo quod Principum Turcico imperio finitimorum non eadem eſt aut æqualis potentia, ſed vnus quidem viribus præpolleat, alter vero multo ſit inferior. Ex hac virium diuerſitate illud exiſtit, vt alter altero plures habeat & meliores propriis viribus vel defendendi ſui, vel hoſtis oppugnandi facultates: quum imbecilliores Turcarum iniuriis, excurſionibus & rapinis vndiquaque ſint expoſiti. Iam illud certo certius eſt, eos qui longius à periculo abſunt, difficilius quoque ad bellum tam ſuſcipiendū quam gerendum, aut vllam eo nomine pecuniam conferendā induci: qui ſi periculo propiores eſſent, non modo non opibus, ſed ne vitæ quoq; ipſi parſuri erant, vt illud quam primum & quam

Quæ in Federibus Chriſtianorum contra Turcas peccata.

Cur Principes nonnulli ægre contra Turcas arma capiāt.

procul

procul à ſe depellerent. Præterea illi Principes qui eiuſmodi Expeditionis vtilitates aut non intelligunt, aut non ſperant, exiguam admodum vel potius nullam eius promouendę curam gerunt: econtra vero quos propinqui Tyranni metus premit, omnibus cogitationibus & viribus eo incumbunt, vt tam ſuis quam aliorum viribus quam diligentiſſime ſe muniant & defendant. Si denique Principum aliquis ad commune Fedus vocatus, illud ſuis rebus parum vtilitatis allaturum proſpexerit; etiamſi confederationi nomen dederit, numquam tamen ad communem cauſſam defendendam eam animi alacritatem, affectum & diligentiam afferet, quam rei magnitudo requirit. Ecce quomodo diuerſa vel inæqualis potius vtilitatis ratio ipſis Confederationum principiis obſtet, progreſſum retardet, finem vero omnino incertum reddat, ob varios Principum affectus & conſilia, quæ illi ex ſuis ipſorum rationibus capiunt & moderantur. Ex quo ſane fit vt eiuſmodi Confederationibus ægre ſubſterni ea poſſint fundamenta, quæ felix principium, progreſſum proſperum, finem denique ſiue exitum optatum dare, aut certo promittere poſſint. Quocirca fruſtra fuerit qui non remoto hoc vtilitatis reſpectu, aliquem ex eiuſmodi Confederatione ad rerum ſummam fructum ſperabit. Huc alterum accedit incommodum, altero illo tanto maius itidem ex vicinitate ortum. Prout enim quiſque Turcarum imperio eſt propinquior, tanto magis ob metum à bello contra eos abhorret. Exempli gratia. Hiſpani Algeriani regni vicinitatem formidant; Veneti Epirotas nimium vicinos metuunt, &c. Iam ſi inter Hiſpanos & Venetos contra Turcas Fedus ineatur, Hiſpani quidem meridionalem, Veneti vero Orientalem Turcici imperii plagam oppugnari volent: quæ diſſenſio dubium non eſt quin omnem huius Confederationis vtilitatem corruptura ſit. Eſt & aliud incommodum, Contributionis ſcilicet inæqualitas. Quum enim ſociorum vires inæquales ſint, fit quoque vt alter plus alter minus in belli ſumptus conferat. Iam ſi, verbi gratia, ſociorum aliquis ſit qui dimidiam partem oneris ſuſtineat, is proculdubio præcipuas imperandi partes ſibi ſumet, omnemque ad ſe trahet auctoritatem, ſic vt reliquorum omnium fruſtra ſine eo futurus ſit conatus. Qui ſi pedem alicubi figere aut morari voluerit, cæteris quoque deſidendum erit: ſi alio quam initio conſtitutum erat, caſtra tranſtulerit; cæteris ſequendum erit: ſi domeſticis negotiis auocatus, exercitum vel claſſem reducere ſtatuerit, cæteri ſequi eum, velint nolint, cogentur: ſicque illi omne oleum & operam, quod aiunt, perdent, & non modo conſilii ſui nullum inuenient exitum, ſed etiam, tam formidabili irritato hoſte, longe maioribus periculis ſe ſuaque exponent. Et profecto hæc quæ diximus omnia & ſingula, ſi non ex corpore, ſed ſingulis eius membris ea metiamur, tanta ac talia ſunt, vt nulla firmæ in eiuſmodi Federibus

concot-

concordiæ ſtabiliendæ ac diſſenſionis amoliendæ ratio ſupereſſe videatur, niſi Deus eam ipſorum Principum animis inſpirarit.

Hic à propoſito noſtro non alienum fuerit defectus quoſdam & vitia indicare, quæ in duabus præcipuis ac maxime memorabilibus Chriſtianorum Principum ſuperioris temporis Confœderationibus prudentiores notarunt. Harum prima fuit illa quæ inter Paulum III. P. M. Carolum V. Imperatorem, & Venetos icta fuit. Inter alias conditiones hæ quoque fuerunt: Vt Imperator & Melitenſium equitum Ordo octoginta duas triremes mitterent, Veneti totidem, Pontifex vero tantum ſex & triginta. Imperatoriæ Claſſi præfectus fuit Andreas Auria; Venetæ, Vincentius Capellus; Pontificiæ, Marcus Grimanus Patriarcha Aquilegienſis, eique vicarius datus Paulus Iuſtinianus. Terreſtribus copiis ſummo cum imperio præerat Ferdinandus Gonzaga. Cõuentum itidem fuit inter Principes, vt quidquid in Græcia vel Dalmatia à claſſe occuparetur, id omne Venetis cederet, ad compenſandam quam paullo ante à Turcis acceperant iacturam, & explendas quodammodo tantorum quos ſuſtinebant, ſumtuum lacunas. Solimannus vbi claſſem contra ſe in procinctu ſtare accepit, magna & ipſe diligẽtia ſuam ornauit, & verſus Cretam inſulam eduxit, vbi exſcenſione facta, prædæ aliquãtulum egit. His rebus perfectis, Barbaruſſam cum claſſe in ſinu Lartenſi Chriſtianorum claſſem exſpectare atque obſeruare iuſſit, quæ quidem ſe mouerat iam, ſed tam parum promouerat vt omne rei bene gerẽdæ tempus interea amiſerit, ac hoſtem ne ſemel quidem viderit. Sed omnium incommodiſſime noſtris accidit, quod tempeſtate coacti, ad Corcyram claſſem, vnde egreſſa fuerat, reduxerunt. Interea Barbaruſſa ad Antipaxon vſque inſulam noſtros inſequutus, quum à noſtris ad prœlium claſſem inſtrui animaduertiſſet, ad priſtinam ſtationem ſubito reuerſus eſt. Quocirca noſtri conſiliorum incerti, Dyrrhachium petere decreuerant: ſed quum portus ille triremibus minus eſſet idoneus, Caſtellum nouum oppugnarunt & cœperũt, cuius quidem expugnatio, ſi ſumtuum in hanc claſſem factorum ſpectetur magnitudo, noſtris pudori magis quam honori, exiguo certe emolumento fuit. Arcem hanc vniuerſæ claſſis viribus expugnatam Hiſpani continuo ſuę poteſtatis fecerunt: quam ſui iuris eſſe, ex Fœderis legibus, Veneti cõtendebant. Quum vero Hiſpani cedere nollent, Veneti occaſionem deſerendi Federis arripuerunt. Quo rupto, Solimanus anno ſequenti Caſtellum nouum non recepit tantum, verum etiam omne Hiſpanorum præſidium partim interemit, partim in miſerabilem ſeruitutem abduxit. Quamuis autem pax, quam cum Turcis Veneti poſtea fecerunt, detrimentoſa ipſorum rebus aliquantum fuerit: maluerunt tamen pace non iniquiſſima frui quã

Vitia Fœderis à PP. Carolo V. & Venetis cõtra Turcas initi.

eiuſmodi Fœdera in quibus potentior præcipuum ſibi victoriæ fructum vindicat, iterum experiri. Quanquam & aliæ ſunt cauſæ quæ Venetos ad pacem faciendam impulerunt, inprimis vero cõmerciorum ceſſatio, à quibus omnis fere iſtius Reipublicæ incolumitas dependet, & ærarii tantis in claſſem ſumtibus exhauſti vel propediem exhauriendi inopia: cuius ſubleuandæ, ceſſantibus commerciis, nullus reſtat modus.

Ex altero illo Fœdere, quod Anno MDLXXI. ictum fuit, non multo maius emolumentum Chriſtiana Reſpublica conſequuta eſt. Tantorum enim ſumtuum ac tam celebris victoriæ vix vllus alius fructus fuit, quam quod noſtri, præſertim mari, Turcis formidabiliores eſſe poſthac cœperunt. Patrato ſiquidem prœlio ſociorum vires paulatim diſtractæ ac dilapſæ ſunt, Venetis iterum, eadem fortaſſis qua in ſuperiori Fœdere æmulatione, in pacis ſtudium incumbentibus.

Iam res monet vt oſtẽdamus quibus modis omnia hæc amoueri poſſint impedimenta, & Confœderatio firma ac ſtabilis, excluſo omni priuatæ vtilitatis reſpectu, ex libera voluntate, & ſingulari animi magnitudine, ad Dei gloriam & Chriſtianæ Reip. augmentum, inire. Cuius quidem Confœderationis leges & cõditiones quum à nulla neceſſitate impoſitæ, ſed liberæ omnino ſint, maiorẽ etiam proculdubio illa afferet fructum. Duo quidẽ illa modo à nobis cõmemorata Fœdera temporibus tã periculoſis percuſſa ſunt, vt cæteri quamuis à periculo longe adhuc abeſſent, cum Venetis tamen (qui periculo proximi erant, & per quorum latus cæteri quoque, præſertim finitimi Principes, petebantur) arma coniungere decreuerunt. Sic igitur quum hi quidẽ, Veneti ſcilicet, inter ſacrũ & ſaxũ conſtituti, extrema fere exſpectarent; illi vero nullo armorũ metu, ſed vel ſpe quadã amplificandi imperii, vel etiã commiſeratione inducti, in ſocietatẽ adſcribi ſe paterentur: factum eſt vt ea fœderi adſcriptæ ſint conditiones, non quæ ad rem bene gerendam fœdusque ſtabiliendum & conſeruandum commodæ erãt, ſed quas Veneti rebus ſuis magis neceſſarias quam vtiles aſpernari non poterant, vt impendens ceruicibus ſuis malum quibus poterãt modis amolirentur. Quapropter Fœdus tum demum firmum erit & ſtabile, ſi nulla neceſſitate exprimatur, ſed ſponte fiat: nec eouſq; exſpectandum eſt dum ſociorum alicui hoſtis iam inſideat. Qui enim tum demum quum oppreſſi fuerint, alienã opem circumſpicient, præterquã quod in ſuorum animis metũ augent, ſe ipſos quoq; inconſiderate multis neceſſitatibus adſtringunt, dum non vtilia ipſis aut honorifica, ſed rebus ſuis neceſſaria conſectari atque etiam acceptare coguntur. Pacis ergo tempore, ac tum potiſſimum quum nulla cogit neceſſitas, Fœdera & ſocietates ineundæ ſunt, ſi promte atq; ala-

Fœdus à libera voluntate debet proficiſci.

criter

criter conſentientibus animis auxilia à ſociis, vel ad hoſtem vltro oppugnandum, vel ad vim repellendam conferri velimus.

Quo vero tanto maior atque honeſtior fructus ex eiuſmodi Confœderatione percipiatur, remouenda ſunt omnia illa obſtacula, quibus fœlix binæ illius, de qua ſupra diximus, progreſſus fuit retardatus. Ac primo quidem, vti dicere cœperimus, neceſſe eſt vt pactiones hæ ſiue Confœderationes voluntariæ ſint, id eſt, vt Principes ſponte ſua & vltro, nulla cogente neceſſitate vires ſuas coniungant, eademque animi intentione, quamuis diuerſis viis & rationibus, communem hoſtem oppugnent: ne vbi ad tractationem aut ipſam rem ventum fuerit, vnus ex alterius neceſſitatibus ſuum commodum quærat. Hac enim ratione conditiones æquales omnibus ferentur, ac pro virium ſuarum proportione, procul ab omni ſuſpicione, aut inuidia, vel metu, quiſq; ad felicem Confœderationis finem conſequendum tam auxilia quam conſilia ſua diriget atque accommodabit.

Quomodo Fœdera fieri debeant.

Sed quia non ſatis eſt Confœderationum defectus & vitia habere cognita, iam etiam quomodo earum ſtabile fundamentum poni queat, paucis & veluti digito commonſtrabo. Illud, meo quidem iudicio, in primis neceſſarium eſt, vt ſi non eodem loco, ſaltem eodem tempore Confœderatorum vires in hoſtē conuertantur, vtque ſinguli eum qua proximus ipſis eſt, hoſtem oppugnandum ſibi ſumat. Exempli gratia, vt Hiſpani regnum Algerianum vel Tunetanum, Veneti & Pontifex Epirum ſiue Albaniam inuadant, Sabaudicæ ſiue Pedemontanæ, Melitenſes & Florentinæ triremes, ſi Venetæ aut Hiſpanienſi claſſi coniungere ſe nolint, vſitatum ſibi hactenus teneant curſum, & qua proxima ſeſe offert occaſio, fortunam experiantur: Poloni vero Valachiam & vicinas regiones; Imperator denique & Germaniæ Principes quæ Turcæ in Hungaria tenent oppida & præſidia aggrediātur. Certa res eſt, ſi hoc modo quiſque à ſuo latere hoſtem carpendo veluti inter ſe certamen cœperint, fore vt boni exitus ſpe, aut etiam verecundia quadam, ne quis cæteris ſtrenue rem gerentibus ignauior habeatur, omnes ſumtus & labores bene collocati videantur: quum quiſq; rem ſuam agat, & quantū hoſti demſerit, tantum ad ſuā ipſius addat vtilitatem & ſecuritatem. E contra hoſtis vndiq; armis petiti vires diſtrahentur, & quocunq; conuertētur, depellēdo ab omnibus locis periculo ſatis nō erunt. Melitenſiū quidē Orientalē maris Mediterranei partē peruagantium (quod facile ipſis) triremiū metu, Alexandria & Rhodienſis claſſis intra ſuas ſe ſtationes continebit. Quod ſi Hiſpaniarū Rex Mauritaniā (quę Barbaria hodie) aſſiliat, credibile eſt Algerianas naues ſtatione ſua aut portu egredi non auſuras: interea vero per totum mare libere volitabunt Veneti, & quidquid occurrerit, in ſuā facile

redigent poteſtatem. Sed & quam confuſionem apud Turcas orituram exiſtimas, ſi Poloniæ Rex Valachiam & vicinas regiones, Imperator vero & Germani Hungariam vno & eodem tempore inuadant? Exemplum ſi quis requirat, recens dabo. Quo tempore Solimanus Hungarico bello contra Carolum V. occupatus, maximas ſecum vires in Hungariam & Auſtriam traxit, Andreas Auria Imperatoriæ claſſi præfectus paucis nauibus omnes ad Orientem maris Mediterranei ſinus impune ac magno cum ſui metu peruaſit, & Coronem etiam & Patras oppida cœpit & diripuit, nullibi ne conſpecto quidem hoſte. Ex quo facile perſpicitur, ſi Chriſtiani Principes Turcis vno eodemque tempore arma ſuis quiſque in finibus inferant, in quantas eos redacturi ſint anguſtias. Reſtat aliud quoque ad debellandos Turcas aptiſſimum remedium, ſed difficilius aliquanto quam vt eius vſurpandi ſpes ſit. Id vero eſt, vt omnes vbique Chriſtiani Principes, etiam qui à Turcici imperii finibus longe abſunt, auxilia cõferant. Sed vereor, ne hic ſurdo, quod aiunt, canatur: ſiquidem quum illi periculum ad ſe non attinere exiſtiment, non facile quiſquam ab eis impetrabit vt in eo amoliendo aut diſcutiendo vllos facere ſumtus in animum inducant; quippe qui minus prudentis eſſe putent, ſuis impenſis aliorũ proſpicere ſecuritati. Quũ ergo plerique omnes nihil magis quam proprias vtilitates ſequãtur; earum vero ex hoc bello conſequendarum non eadem omnibus ſpes ſit: perſpicuum eſt fieri vix poſſe, vt tale quale res ipſa requirit Fœdus inter eos percutiatur, aut percuſſum diu duret. Atqui profecto, ſi quod affectamus vere eſſe velimus, Chriſtiani videlicet, eiectis cæteris omnibus ex corde cogitationib⁹, ad vnius Dei gloriam, & Sanctæ Eccleſiæ amplificationem reſpicere, noſtraque conſilia & actiones dirigere debemus, exemplo pientiſſimorum quorũdam, qui ſuperioribus temporibus vixerunt, temque Chriſtianam multis modis iuuerunt, Principum; inprimis vero Godefridi Bullionii, quem tam ſanctæ & ſolo diuinæ gloriæ zelo ſuſcepto Expeditionis ducem, multi Principes & Domini ipſo longe maiores ſequi non dubitarunt, neque dum Imperatoris aut Regis alicuius auctoritas vel auxiliũ interueniret, exſpectandum ſibi ſtatuerunt; ita vt breui tempore ingentem confecerint exercitum, vtpote in quo centum equitum millia, & trecenta peditum millia fuiſſe dicũtur, cum omnis generis copioſo apparatu. Et his quidem copiis Bullionius vniuerſum ferme Orientẽ domuit: regnum certe Hieroſolymitanum & totam Palæſtinam infidelibus eripuit, cũ immortali nominis ſui honore. Quod vero perſuadent ſibi nõnulli, ſe à periculo longe adhuc abeſſe, vehementer illi quidẽ & non ſine magno periculo errant. Quid enim? Traiiciente Amurathe II. ex Aſia in Europã, quam longe, quæſo,

Turca vndiquaq; inuadendus.

Godefridi Bullionii expeditio.

Hunga-

Hungaria inde diſtabat? multo certe longius quam nunc vel Saxonia vel Bauaria, vel Heluetia, vel ipſum quoque Franciæ regnum à Turcici imperii finibus abeſt. Atqui annon magna & melior Hungariæ pars hodie ſub triſtiſſima Turcarum ſeruitute gemit? Delirant profecto, vel potius inſaniunt, qui vel in montis alicuius interpoſitu, aut fluminis curſu intermedio, aut alterius prouinciæ obiectu vllam ſibi promittunt ſecuritatem: quæ omnia dici non poteſt, quam cito hoſtis tam alacris & potens perrupérit. Illud igitur ſemper hic meminerint omnes Chriſtiani Principes: *Nam tua res agitur, paries quum proximus ardet.* Quid autem? etiamſi à periculo quamlongiſſime adhuc abſimus, anne aliorum, & quidem fratrum noſtrorum calamitates & miſerias nihil ad nos pertinere exiſtimabimus? annon tot innocentium animarum miſerebimur? annon pro viribus tam grauiter preſſos atque afflictos adiuuabimus? Aliter profecto facere non poſſumus, niſi Dei mandatorumque eius plane obliuiſci velimus. Præterea qui futura ex præſentibus tantum coniiciunt, vt plurimum à ſeipſis decipiuntur. Neque enim ſi hodie ita eſt, cras etiam ita erit. Ea igitur tam præſentium quam futurorum cura habenda eſt, vt noſtris eam pariamus & relinquamus ſecuritatem qua noſipſi frui expetimus: vtque nobis donatis & ad aliam vitam profectis, illi hanc vitam, quantum humana fieri poteſt induſtria, tuto & ſecure degere queant. Quod ſi quem neque poſteritatis cura, neque ſui Status periculum, neque gloriæ ſplẽdor ad commune hoc fedus & tam ſanctam Expeditionem moueat atque impellat: quiſquamne tam iners atque ignauus, tam expers charitatis, tam auerſus ab omni religione, & Dei amore ac diuinæ gloriæ zelo erit, vt cui vni vires ſuas omnes, honores & imperium acceptum referre debet, eius vineam, id eſt, Eccleſiam, non tantum non colere ipſe non velit, ſed quantum in ſe eſt, infidelibus vaſtandam & diripiendam proſtituat, vel certe relinquat? Ad quid, ô Italia, tam longo tempore, tot tantoſque congeſſiſti theſauros? Vos vero Germaniæ Principes & Ciuitates, vbi diuitias veſtras melius collocabitis? quem aptiorem immortalis acquirendæ gloriæ modum exſpectatis? Equidem hic de gloria diuini nominis, de Chriſtianæ Religionis amplificatione agitur, quibus omnes homines vel vitam ipſam impendere debent. *Honeſtas & vtilitas belli Turcici.*

Hic conſilia ineuntur quomodo ſancta illa & ipſius Dei & Saluatoris noſtri pedibus calcata terra ex immani eripiatur tyrannide. Hic occaſio datur multa animarum millia è duriſſima liberandi ſeruitute. Hic ampliſſimus ſe campus aperit tot tam que atroces iniurias & blaſphemias, quibus rabioſi illi canes Deum ipſum affecerunt, eiuſque Eccleſiam omni ſcelere lace-

rarunt, egregie vlciſcendi. Quod ſi etiam humani animi terrenis inhiantis cupiditatibus aliquid indulgendum eſt; ecce vobis ſpem prædæ opulentiſſimæ, quæ facile ſumptus à vobis in bellum factos (modo animus contra hoſtem ne deſit) compenſabit: Vobis præſertim, Principes, quibus numeroſa filiorum & nepotum eſt progenies, qui hac ratione vel inſigni ac præcipuo aliquo, addo etiam fructuoſo munere in hac Expeditione cohoneſtabuntur, vel etiam hoſtium exuuiis & ſpoliis ditati, noua imperia ac nouas ditiones acquirent. Sed & ſine hoc; quidquid ad Dei gloriam & Eccleſiæ ſalutem impenditur, bene impenſum exiſtimari debet. Is, quem diximus, Godefridus Bullionius totum ſuum Ducatum in ſanctam illam Expeditionem impendit? an propterea tanto pauperior fuit? nequaquam, ſed è Duce Rex factus, immortalem poſteris gloriam reliquit. idem fecit Carnutum Comes, aliique domini & magnates: nec quiſquam fuit quem facti pœnituerit. Sic Carolus Septimus Francorum rex, nullo priuatæ vtilitatis reſpectu, inſignem equitatum Imperatori Conſtantinopolitano auxilio miſit; eique præcipuos totius regni proceres præfecit. Multa quidem alia huc à nobis adferri poſſent; ſed hæc ſatis ſunt.. Illud tantum ad extremum Principes monitos volo, ne proximi periculum negligant, ſed perſuaſum habeant id ad ſe quoque pertinere.

DISSERTATIVNCVLA,

IN QVA MODI QVIDAM oſtenduntur, quibus Turcico imperio ſubditi facile ad ſeditionem concitari atque inflammari poſſint,

DISCVRSVS VI.

MISERA illa atque acerba ſeruitus, qua immaniſſimus Turcarum tyrannus ſubditos ſuos oppreſſos ac conſtrictos tenet, eundem cogit quaſi, vt omnibus modis eos exanimare ſtudeat; nec quidquam relinquere quod vel ad minimũ depellendæ ſeruitutis conatum animare eos poſſit. Et huius quidem metus iuſtiſſimas ille habet cauſſas: quippe qui ſciat, nihil violentum eſſe diuturnum: & malum imperii cuſtodem eſſe Metum. Etſi vero ea eſt ſubditorum per vniuerſum fere Turcicum imperium conditio, vt ſi maxime iugum excutere velint, non poſſint tamen, quippe omnibus fere viribus nudati: ego tamen quibus modis ad ſeditionem illi concitari poſſint, paucis indicabo. Ac primum fieri hoc poteſt particularis alicuius perſonæ opera. Illa vero vel priuata eſt, vel publica. Priuatæ perſonæ illæ ſunt, quæ operam ſuam ad facinus ſiue bonum ſiue malum patrandum, precio addicere ſolent: in quibus conducendis ac ſummittendis non tanta opus eſt arte vel induſtria. At in publicis corrumpendis & ad noſtras partes traducendis pſonis, ſiue illæ generis ſplendore ſiue publici officii prærogatiua in imperio aliquo multum poſſint, longe maior ſollicitudo & dexteritas requiritur. Nec enim facile eiuſmodi induci ſe patiũtur, niſi ambitione aut amicitia excæcati, vel etiam iuſta aliqua contra dominos ſuos indignatione ſtimulati, futura magis q̃ præſentia conſectentur. Tunc enim, præſertim ſi rei executio videatur facilis ac minus periculoſa, non inuoluntarie aures nouas ſpes ingerẽtibus præbent. Et illæ quidem quæ per homines priuatos ſuſcipiuntur machinationes, incertæ admodum ſunt, multiſque periculis expoſitæ, quippe quæ ſæpe ab vnius infidi hominis fide dependeant. At ſi magnorum & potentium virorum tentare velimus animos, opera danda eſt vt idonea captemus tempora, vtque diligenter obſeruemus quinam Principi minus æqui ſint;

Seruitus apud Turcas.

Perſonæ priuatæ opera.

Et publicæ.

ſiue iniuria quadam ſibiipſis illata, ſiue alterius ſibi prælati dignitate offenſi: & in vniuerſum quinam præſentium pertæſi, nouis rebus ſtudeant, aut libertatem vel etiam imperium affectant. Ecce tibi modum & occaſionem, quibus ſi recte & dextre vtantur Chriſtiani Principes, paulatim communis hoſtis imperium labefactare, ac tandem etiam euertere poſſint; pro leonis exuuiis, quod dicitur, vulpinam pellem induendo. Ferathes quidem Baſſa æmulatione & inuidia contra Ibraimum Baſſam, quem Solimannus ipſi prætulerat, adeo excæcari ſe paſſus fuit, vt ſeditionẽ machinari tandem cœperit: ſed ea detecta, capite temerarii conatus pœnas luit. Eadem cauſſa Pyrrhum & Muſtapham Baſſas a Solimanno ad ſummam dignitatem euectos, peſſum dedit. Superiori quidem tempore, regnante Achmate Tertio, non minus grauis æmulatio & contentio inter Mahumetem purpuratum, & Muſtapham Imperatoris fratrem, ac deinde inter eundem Muſtapham & Cicalam exarſit: quem quidem Cicala patroni erga fratrem æmulatione accenſi fauore, tandem perdidit & mori coegit.

Conatui inſiſtendum.

Hos animorum affectus ac perturbationes ſi quis Chriſtianorum Regum dextre foueat, magnam profecto barbaris illis ad ſeditiones & ciuiles motus feneſtrã patefecerit. Et licet eiuſmodi conatus etiã iterati ad Turcicum imperium plane euertendum ſatis virium non habeant; non tamen propterea deſiſtendum eſt, ſed illud cogitandum, etiam maximarum mutationum tenuia ſemper & fere contempta fuiſſe principia, quæ tamen, vt ille de Fama ait, vires eundo, ſiue perſiſtendo acquiſiuerint; ideoq; diligenter quæ ad diſſenſionem vel rebellionem augendam ptinent, comparanda & ſubminiſtranda eſſe. Sic quidem ego arbitror, ſi cui miniſter occurrat cuius animus ambitione aut auaritia laboret, aut qui magno animo præditus, vlciſcendæ iniuriæ libidinẽ flagret, eum vbi ſemel, bis aut ter tentatus fuerit, tandem cupiditatibus ſuis locum daturum, & fidelitatem atque obedientiam proiecturum: inprimis vero, ſi certa ei firmi auxilii ſpes in propinquo oſtendatur (quod ſemper faciendum eſt) & neceſſarius ad rem apparatus coram inſpiciendus proponatur. Quod ſi eiuſmodi conatus detecti fuerint, atque ita Turcarum tyrannus animaduerterit Chriſtianos in corrumpendis miniſtrorum ſuorum animis multo iam eſſe diligentiores quam antehac fuerint; credibile omnino eſt, eumdem ex diffidentia quadam miniſtros pleroſque male habiturum, & pauca eorum fidei permiſſurũ: ex quo fieri non poteſt quin plurimæ ſuſpiciones, iræ, indignationes tam inter herum & miniſtros, quam inter miniſtros & ſubditos naſcituræ ſint, nihilque cuiquam tutum futurum, vt fere fieri ſolet, quãdo nec dominus miniſtris, nec miniſtri ſubditis

fidere audent. Sed omnium optatiſſimum fuerit, ſi dum maxime hi conatus vrgentur, tyranni filii viuente patre de imperio armis inter ſe contendant: ſic enim inſtitutum nullo negocio, ac veluti ſponte ſua procedet.

Quum vero in eo qui tale quid aggreſſurus eſt, præter accuratum iudicium & promptum conſilium, indefeſſa quoque diligentia & tolerantia requiratur: diligenter prouidendum eſt vt ad hoc munus idonei homines deligantur, qui ſcilicet iam dictis inſtructi ſint tam ingenii quam corporis dotibus, oblata quauis occaſione recte vtantur, ac omnia rerum gerendarum momenta captent. ante omnia vero pecuniæ parcendum non eſt, vt ſcilicet habeant donandi materiam: quum barbari illi auaritia & donorum cupiditate omnes gentes longe anteeant.

Iam vt ad modum vniuerſalis concitandæ ſeditionis veniamus, ſcire oportet, duorum generum eſſe Turcici imperii ſubditos: Alii enim Mahumetanas ſequũtur ſuperſtitiones: ſunt etiam alii qui Chriſtianam profitentur religionem. Illi quidem ab omni motu abſtinent; quum rerum nouandarum cauſſas nullas habeant, libero ſcilicet religionis ſuæ exercitio vtentes: hi vero, Chriſtiani videlicet, etiamſi tentare quid velint, non poſſunt, viribus deſtituti & ſeruitutis fræno conſtricti. Qua ergo ratione ad rebellionem impelli poſſunt? Equidem hac vna exiſtimo, ſi armis prius omnique apparatu neceſſario inſtructi, auxilia noſtra in propinquo quaſi oculis videant, eiſq; tuto fidere poſſint. Neque enim aliter ſpes eſt eos vel minimam daturos metus alicuius, aut animi male contenti ſignificationem; quum non ignorent ſeueriſſimas defectionis vel meditatę vindicta iam humeris ſuis velut incubare. Selimus quidem II ex Ochialis conſilio omnes Chriſtianos maritimis locis habitantes, emigrare, & in mediterranea loca conferre ſe iuſſit, metuens ſcilicet, ne illi cum Chriſtianorum claſſe, ſi quando appelleretur, ſe coniungerent, & à ſuo deficerent imperio: quod pœne acciderat Corone & Patris ab Andrea Auria captis. Et hoc quidem modo tyrannus ille rebus ſuis & imperio optime conſuluit, & Chriſtianis inſignem tentandi aliquid contra ipſum anſam præcidit. Si tamen eueniat vt Chriſtiani in mediterraneis locis degentes, auxilio iuuandi ſint; opera danda eſt vt id fiat iis in locis vbi equitatus non eſt magnus vſus, quo tam copioſo tamque agili inſtructus eſt Turcarum Imperator, vt breui momento omnes Chriſtianorum aut ſubditorum ſuorum conatus facile reprimere, & in ipſa herba, quod dicitur, ſuffocare poſſit. Quare conſultum fuerit per Epirum ſiue Albaniam aut alias montoſas & acceſſu difficiles regiones irrumpere, vtpote in quibus equitatus parum efficere poteſt, cuius vſus potiſſimum eſt in campeſtribus & planis locis. Et hęc de Chriſtianis ſub Turcarum tyrannide viuentibus dicta ſint: quibus omnibus & ſingulis voluntatem è ſeruitute ſe vindicandi mi-

Turcæ ſubditi aut Mahumetani, aut Chriſtiani.

nime deeſſe, perſuaſum mihi habeo: ſupereſt tantum vt facultates iis &modi à Chriſtianis Principibus ſuppeditentur.

Nunc diſpiciamus quibus modis ipſi quoque Mahumetani ad rebellionem ſiue Ciuile bellum inſtigari poſſint. Ac primum ad ipſorum Religionem quod attinet, quum ea ex meris ſomniis, nugis ac mendaciis tota contexta ſit, mendacia autem & cum vero & ſecum ipſis pugnent: operæpretium fuerit inſigniora (quis enim omnia poſſit) in libellum colligere, eorumque abſurditates vaniſſimas demonſtrare: quare illud efficietur vt iam ipſi quoque fluctuare, deque ſuperſtitionibus quibus hactenus tantum tribuerant, dubitare incipiãt. Et hunc quidem libellum tam Illyrica ſiue Sclauonica, quam Arabica lingua conſcribi velim: illum, vt per Europã; hunc, vt per Aſiam diſtribuatur. Quoniam vero in ipſo Turcico imperio libellos eiuſmodi ſpargere difficile, imo impoſſibile ferme fuerit, quin rem illi ſtatim ſuboleant, ac continuo quæ ſolent & poſſunt, adhibeant remedia: è longinquo velut hæc admouenda eſt machina, & prima in Indiis pericula facienda ſunt, iis ſcilicet Aſiæ & Arabię locis quæ Luſitanorum ibi confinia attingunt, quibus frequens cum Chriſtianis mercaturæ & commerciorum vſus intercedit. Et Turcæ quidem frequentes admodum ad Mozambicum Africanæ oræ inſulam, itemque Zofalam, & Quiloam, quæ Aſiæ continentis pars ſunt, confluere ſolent. Iidem in Moluccis inſulis, necnon Cochin, Goa, Diu, Ormus, & aliis ad Luſitanorum imperium pertinentibus locis frequentes negociantur. Nec abs re fuerit libellos eiuſmodi, aut quidquid ad tã vanas & impias ſuperſtitiones arguendas facit, per vicina Paganorum ſiue Gentiliũ Principum imperia diſſeminare, vt ſunt Calecutiũ, Cambaia, Zeylon inſula, aliaque permulta: nec non Oranæ, Arzelæ, & aliis Africæ & Arabiæ locis, tam Portugalliæ quam Caſtiliæ regno ſubiectis, Turcarum vero imperio finitimis. Sed titulus libri ita formandus eſt, & veluti fuco tingendus, vt prima facie nihil minus quam quod eſt, præ ſe ferat, ſed vt dulci quadam curioſitate inſpectoris animum ad legendum alliciat. In ipſo vero libelli contextu prolixæ omnes & ſubtiles contra Mahumetanam Religionem diſputationes vitandæ ſunt; ſed Satyrico quodam ſiue ſalſo, non tamen illepido riſu præcipua commenta proſequenda atque confutanda ſunt, ita tamen vt quæ dicuntur, in præcordia deſcendant, & ſcrupulum de ineptiſſimis Alcorani fabulis dubitandi non leuem iniiciant. Et huiuſmodi quidem libros, ſi in Turcicum imperium degentium manus inciderint, auide lectum iri, dubium non eſt. Quod ſi iidem libellos eiuſmodi in patriam ſecum, vel metu religione quadam inducti, aſportare noluerint: eorum tamen quæ vel ſemel legerunt memoriam, & imagines ſemper ſecum circumferent, nec facere poterãt quin aliquando inter familiares & amicos, de iis tanquam rebus nouis & mirabilibus verba faciant: ſicque quæ illi animo con-

Libellis eiuſmodi Mahumetana religio refellenda.

cluſi antea geſtarunt, paullatim diuulgabuntur, & alios ad accuratiorem inueſtigationem accendent; immo libellos eiuſmodi comparandi mira cupiditate implebunt. Hoc modo tandem fœdiſſimus ille abſurdarum opinionum & vaniſſimarum fabularum cinnus, Alcoranus ſcilicet, ipſis Turcis ſordere incipiet; quinetiam ſchiſmata inter ipſos & factiones acientur. Vt vero Chriſti Ieſu Saluatoris & Domini noſtri nomen eo in libello præſertim in frontiſpicio, vſurpetur, vel Auctor ſe Chriſtianum profiteatur, conſultum mihi non videtur: quum enim Chriſtianos cane peius & angue oderint, eiuſmodi libellos profecto ne inſpicere quidem dignabuntur, ſed veluti nudis poſſit qui calcibus anguem, reſilirent, & concepto præiudicio iam ante omnia damnabunt. Operæprecium ergo fuerit, titulum ac ſtilum libri ita formare, vt à pagano potius aut alteri ſectæ addicto quam Chriſtiano profectus videatur ſic enim gẽtiles in India, Cambaia, Arabia, & Perſia minus ab eius lectione abhortebunt, & facilius Turcis vt & ipſi legant perſuadebunt. Illud quoque neſcio an è re fuerit, vt ſcilicet Illyrica lingua conſcripto libello Ianitzaros ſiue prætorianos milites quis exhortetur, eiſque oſtendat quam indignis modis è Chriſtianorum parentum ſinu abrepti, & fœdis illis ſuperſtitionibus antequam malum à bono per ætatem internoſcere poſſent, imbuti ſint. Proinde recte facturos, ſi relicto impuriſſimo tyranno, ad parentes & cognatos obuijs vlnis eos exſpectantes redeant; & tam ſe quam dulciſſimam patriam ac parentes triſti ſeruitute liberent; quod factu ipſis perfacile ſit, vtpote quibus Turcici imperij moles magna ex parte innitatur. Hæc omnia recte ac prudenter vſurpata dubium non eſt quin tyrannum cum adeo exaſperatura, & diffidentiæ ac ſuſpicionis impletura ſint, vt omnibus fere intractabilem ſe ſit præbiturus. Ex quo facile fiet vt qui iam ſub ipſius ſeruitute gemunt populi, quamcumque tam graue iugum excutiendi inituri ſint rationem; ac ſpem vitæ in poſterum melius ac ſecurius degendæ, lubenter arrepturi. Et Chriſtianos quidem Principes ſuas omnes huc cogitationes, conſilia & actiones conferre oportet, vt deſtructo imperio Turcico, veri Dei cognitionem, ad multarum animarum ſalutem, & diuini nominis gloriam, amplificent ac propagent; non vero mutuis ſe ipſos vulneribus laniare & conficere: quod (pro dolor) fieri hodie videmus, contra expreſſum Dei mandatum, proximi charitatem tam ſollicite ac ſerio nobis ſuper omnia commendantis.

Ianitzaris ortus ſuorum & natales in memoriã reuocandi.

PERNITIOSA QVÆDAM MACCHIAVELLI CONFVTATVR opinio, quem affirmare non puduit, Principi, vtilitatis ſuæ cauſſa, licere promiſſa vel fidem datam fallere & reuocare: ſimul demonſtratur eos Principes, qui conſiliis eiuſmodi ſeduci ſe patiuntur, æternam ſibi inurere ignominiam ac dedecus, ac tandem in extremum præcipitare exitium.

DISCVRSVS VII.

Macchiauellus qualia principi adſcribat.

MACCHIAVELLVS inter alias virtutes quibus Principem ornatum eſſe vult, vehementer illam, vt ipſe appellat, laudat prudentiam, vel potius, ſi vera rebus nomina dare velimus, perfidiam & periurium, quo Princeps pacta omnia & promiſſa ad ſuam interpretatur vtilitatem; monens, licere eidem ſine vllo ſcrupulo vel morſu conſcientiæ aut honeſtatis reſpectu, ſi egregia amplificandi aut confirmandi imperii ſeſe offerat occaſio, fidem datam fallere, ac iuſiurandum violare: qua quidem ego nihil non dicam Principe, ſed quouis etiam homine indignius eſſe iudico: adeo vt qui vel cogitare tale quid auſit, merito eum pudere atque erubeſcere oporteat: tantum abeſt vt hæc præcepta Principum animis inſtillanda atque inculcanda putem, vtpote quorum præcipuum munus eſt, iuſtitiam incorruptæ omnibus adminiſtrare. Et huiuſmodi quidem ſuaſoribus non facile aures præbebunt, niſi ii quorum animus ita corruptus malitiaque obcæcatus eſt, vt quid de ipſis poſteritas ſenſura ſit, non multum laborent.

Principatus fundamentum quod.

Illud quidem negari non poteſt, firmiſſimum Principatus fundamentum eſſe bonam ac honeſtam de Principis alicuius virtutibus tam ſubditorum quam exterorum opinionem ac iudicium; vt ſcilicet bene de eo boni omnes ſentiant, & bene de eo loquantur. Iam quid de illius Principis reputatione aut fama dicemus, qui omnium

ſermo

ſermonibus tanquam perfidus & periurus differtur? quem omnes exſecrantur atque abominantur? Ait Macchiauellus, fucum deteſtabili ſuo errori quærens, id (fidem nempe violare) nonnunquam Principis rebus neceſſarium eſſe; quod occaſio ſemel amiſſa, non facile reuertatur. Audio, Macchiauelle: & de Occaſione verum eſſe non nego. Sed an non pune te inde concludes, licere Principi vtilitatis ſuæ cauſſa fidem datam violare? Equidem omnia diuina & humana iura peruertunt, qui talia non dico, docent, ſed etiam ſentiunt. Hæc enim ſententia ſi locum habeat, ferro & igne mox omnia vaſtari, adeoque cœlum terræ miſceri videbimus. A qua quidem boni omnes ſemper abhorruerunt: vt Franciſcus I Francorum Rex, quem quum Macchiauelli ſimiles aliquot Conſiliarii monuiſſent, vt Carolum V. Imperat. qui per Franciam in Belgium iter habebat, & Lutetiam, fidem regis ſequutus, veneret, detineret, exhorruit optimus Princeps idque conſilium vehementer eſt deteſtatus: quamuis ea detentione Imperatorem ad vtiliſſimas ſibi conditiones adigere adeoque quidquid in Italia Franciſcus ad ſe ſuumque regnum pertinere contendebat, extorquere ei potuiſſet. Eſto, vtile ſit aliquando fidem datam fallere An propterea fallemus? Vide quam tu diſciplinam nobis afferas. Sic enim licebit quoque templa diripere, altaria expilare, opprimere innocentes, fures, ſicarios, ac peſſimorum hominum ſeminam fouere. Neque enim vel horum vel aliorum ſcelerum vllum eſt quod non ſpeciem aliquam habeat vtilitatis, quodque non proſit quodammodo ei qui illud committit, ſi nulla alia in re, ſaltim in explenda eius libidine & cupiditate. Quid? An tu tantam homicidarum, falſariorum, ſacrilegorum, furum, & id genus hominum multitudinem futuram putas, ſi ſuis ipſi ſceleribus nihil lucri facerent, aut non temporalem aliquam inde perciperent vtilitatem? Apage cum tua opinione, ô Principum peſtis. Equidem ſic exiſtimo, Fidem ſeruare, proque tali ab omnibus haberi, diuinum quid eſſe, ac longe melius quam eandem datam fallere, etiamſi certiſſima vtilitatis ſpes affulgeat, quæ oculos facile alicui perſtringere poſſit. Ac primum ii qui fidem etiam priuato datam violant, omnium ſuſpiciones & odia incurrunt, ſic vt etiam vulgo exſecrationi ſint, ipſique iiſdem artibus ab aliis petantur, exiſtimantibus nihil gratius Deo facere ſe poſſe quam ſi perfidum eiuſmodi hominem illaqueent & fallant. Aliam quoque pœnam ſecum ipſa apportat perfidia: illam ſcilicet, quod tum etiam quando verum dicit, remque ſerio agit perfidus homo, neminem inuenit qui credere ipſi aut fidere velit. Quam vero triſtes ſoleant eſſe, hanc Macchiauelli doctrinam amplectentium exitus, infinitis exemplis demonſtrare poſſem. Vnum hoc loco tantum afferam, Borgiæ ſcilicet, famoſi illius Valentini Ducis, in quo Macchiauellus omnes Principe vel Capitaneo dignas virtutes fuiſſe, dicit. Is igitur, quum abiecto omni religionis, honeſtatis, fidei & æqui-

Franciſci I. Francorum Regis fides.

Borgia Valentia Dux.

tatis

tatis reſpectu, totum ſe libidinibus dediſſet, ac periurio, perfidia, proditionibus aliſque ſceleribus diuina humanaque iura polluiſſet. Imperium quidem quamdiu pater ipſius Alexander VI. Papa vixit, Pontificali magis patris auctoritate quam felici peſſimarum ipſius actionum ſucceſſu tutatus eſt. Quo mortuo, ſuo quidem ipſe malo ſtatim expertus eſt, quam parum firma illa ſint regna quæ fraudibus & perfidia nituntur. Momento enim temporis à ſuis deſertus, amicis iuxta & inimicis exoſus, è tam alto dignitatis culmine ad ima detruſus, vitam tandem in ſumma miſeria finiuit, nec quidquam poſteris reliquit præter infelicem ſcelerum ſuorum memoriam. Sed dicet mihi aliquis, Turcas his artibus frequenter, erga vicinos præſertim, vſos eſſe, magna cum ipſorum vtilitate; eorum tamen imperium vtilitate; eorum tamen imperium firmum eſſe & ſtabile. Illud quidem de Turcis non nego: ſed diuerſa eſt ratio. Quid quod etiam qui inter Turcicos Imperatores his artibus præcelluerunt, in magnis ſæpe verſati ſunt periculis? Amurathes II. Mahumetes II. Baiazethus II. Selimus II. ſingulares fuerunt ſimulandi & diſſimulandi, adeoque omnis fraudis & aſtutiæ artifices: at ſi rem recta ratione putare velimus, fatendum erit, quod ſua ipſis aſtutia & fraus nonnumquam bene ceſſerit, ignauia & diſcordia Chriſtianorum factum eſſe, nec eam proſperitatem periurio (quod Deus & homines ſemper oderunt) ſed iuſtæ Dei peccata noſtra ſic punire volentis, indignationi adſcribendam eſſe. Amurathes quidem II. fideſne an perfidia vtilior ſit, tam in ſe quam in aliis expertus eſt. Quum enim Ladislaum Poloniæ Regem iniuſto bello laceſſiuiſſet, magna ab eo clade affectus pacem fecit, vireſque ſuas contra Caramaniæ regulum conuertit. Interea Ladislaus, à Papa Eugenio perſuaſus barbaro & inſolentiſſimo Chriſtiani nominis hoſti fidem non ita ſollicite ſeruandam, bellum contra Amurathem renouauit, eo quidem rerum ſtatu, vt Amurathes iam iam ab altiſſimo dignitatis gradu ad infima fortunæ ludibria re ſeruatus videretur. Sed quid fit? Cæditur Chriſtianorum exercitus, in prœlio cadit Vladislaus aliiq; perfidi auctores ac ſuaſores: vt Deus ipſe quam diſpliceat ſibi omnis perfidia indicare voluiſſe videatur. Selimus II. quum præter fidem datam bellum Venetis intuliſſet, illi de qua ſupra, Chriſtianorum Principum Confœderationi cauſam dedit, eorumque arma in ſe concitauit: cuius profecto perfidiæ non dubito quin graues pœnas daturus fuerit, niſi Deus peccatis noſtris offenſus, Chriſtinorum Principum animos ita obcæcaſſet, vt occaſionem multo maius quid tentandi quam illa ad Naupactum victoria effectum fuerat, aut non viderint, aut inuidia quadam & æmulatione neglexerint. Solimanus, cui plerique ſcriptores inter omnes Othomanicæ familiæ Imperatores ſapientiæ ac prudentiæ patriam tribuunt (ſi modo vlla ſapientia in eo eſſe poteſt, cuius animus vera Chriſtianæ fidei luce colluſtratus nō eſt) quū deducta an. MDXXXVII

Turcicorū tum impe ratorum fides & perfidia.

ad

ad Hydrantum claſſe, intellexiſſet Mercurinum Catinarium vna cum Caſtri ciuibus, præter fidem datam captiuos à ſuis detineri, ſtatim ſolui eos iuſſit, addito hoc elogio: Non eſſe illum verum modum exteras gentes amore & beneuolentia ſibi adiungendi, ſi quis fidem datam fallere aut promiſſa reuocare velit.

VTRVM PRINCEPS MAGISTRATVS A SE CONSTITVTOS, qui vel per errorem vel nequitiam officio ſuo abutuntur, publice punire debeat nec ne.

DISCVRSVS VIII.

ILLVD in dubium vocari à nõnullis video: Vtrum Princeps magiſtratum vel Officiarium iniuſtitiæ compertum & conuictum, publice pœna afficere debeat, aut occultato, quantum fieri poteſt, ſiue errore ſiue crimine, alia quadam ratione quod ſecus factum eſt emẽdare. Hanc equidem quæſtionem ſecundum leges diſceptare, ſuperuacaneum ſit, vtpote quæ volunt vt eiuſmodi perſonæ non publice tantum, verum etiam multo ſeuerius quam alii puniantur. Si enim priuati alicuius error ſiue culpa pœnam meretur: quanto magis pœna dignum eſt eorum crimen, qui ad aliorum tam præcauenda quam punienda crimina ſunt conſtituti? Quod ſi verum eſt, vt ſane verum eſt, in magiſtratus manu non Iuſtitiam tantum, verum etiam Principis honorem quodammodo poſitum eſſe: annon merito in eos vindicandum ſit, qui maleficiis ſuis & ſceleribus & Deum & Principem & ipſum populum ſimul offendunt? Quoniam vero nonnulli ſunt, qui, neſcio quo fuco decepti in ea ſunt opinione, non eſſe ſapientis Principis magiſtratibus ſiue Officiariis ſuis infamiam inurere, eorumque ſcelera euulgare, ſed multo prudentius ac melius facturum, ſi ea quantum poteſt, premat & in occulto habeat: viſum mihi eſt operæ pretium, allatis in vtramque partem argumentis, quæſtionem hanc diſtinctius aliquanto enodare atque explicare.

Qui negant prudentis eſſe Principis magiſtratus ſuos punire atq; infamare, hoc præcipuo vtuntur argumento, quod ſcilicet inter ea quæ Principis alicuius ſtatum fulciunt ac ſuſtentant, Magiſtratus ac Miniſtri non poſtremum obtineant locum; ad conciliandam vero Magiſtratibus auctoritatem illud in primis pertineat, vt

Principis auctoritas in magiſtratuum manu.

ſubditi

Digitized by Google

ſubditi bene de ipſis, tamquam ſingularibus fidei & iuſtitiæ cultoribus, ſentiant, eoque nomine non ſecus ac rem aliquam ſacram atq; diuinam, eos ſuſpiciant ac venerentur: qua quidem ratione etiam ipſius Principis auctoritas atque exiſtimatio valde ac ſupra modum confirmatur atque augetur. E contrario vero euulgata Magiſtratuum ſcelera fidem omnem atque auctoritatem eis adimunt: de qua quantum deceſſerit, tantumdem fere etiam de ipſius principis exiſtimatione ac dignitate detrahetur. Sic pii Claudii Regillani flagitia quamprimum propalata ſunt, non ipſi tantum auctori, verum etiam toti Decemuiratui exitium attulerunt, aliamque Reipublicæ formam pepererunt. Eamdem ob cauſſam Leo X. Pontifex Maximus, Rotæ quemdam Auditorem (qui inter præcipuos Magiſtratus Romæ eſt) quum publice caſtigare conſtituiſſet, mox tamen ſententiam mutauit, quod exiſtimaret, non parum ei dignitati derogatum iri, ſi palam fiat eam flagitioſis quoque & ſceleratis hominibus conferri; ac non ignoraret, rem Romanam, vt hodie res ſe habent, magis vmbra bonæ famæ atque exſtimationis quam externis viribus ac potentia niti. Adhæc, inquiunt illi, quum Magiſtratus ab ipſo Principe electi ſint & conſtituti, ſi poſtea pro ſceleratis atque infamibus publice agnoſcantur, ipſius quoque principis imprudentia ſe prodit, vt qui in digno ad tantum munus aſſumendo homine, tam pernicioſe aberrarit: quę ſane res populi de virtutibus eius exiſtimationem valde lædet ac debilitabit. Quod ſi Principes quidam miniſtros ſuos nihil tale meritos, caſtigare tamen non dubitarunt (vt Tiberius Rhodianum illum ſumme ſibi amicum & familiarem) eam tantum ob cauſſam, ne, quod falſam eis culpam imputaſſent, imprudentiæ arguerentur: quanto magis rationi conſentaneum eſt, pœnam, licet merenti, condonare ei quem ante pro bono agnoueris, ac populo etiam commendâris, ne in eligendo minus circumſpectus fuiſſe videaris? præterea ſi Princeps miniſtros ſuos & Magiſtratus male habeat ac rigide multet, pro crudeli ab omnibus habebitur. Quid enim non faciet in extraneos (inquient) qui ſuos tam crude ac male tractat? Quid vero crudelitate magis infame magiſque odioſum eſt apud homines, ac deteſtabilius? Exempla loquuntur, Syllæ, Caligulæ, Neronis, Maximini, & aliorum. Quæ vero pericula eam commitentur, præter multorum compluriũ, Alexandri Magni docet exemplum: qui ex India Babyloniam reuerſus, & populi querelis contra miniſtros ſuos efferatus, ab Antipatro tandem conſimilem aliis exitum & dignam flagitiis ſuis pœnam metuente, veneno è medio fuit ſublatus. Illud denique adferunt, Principem in miniſtros & Magiſtratus ſuos ſeuere inquirentem atque animaduertentem non tam Iuſtitiæ quam lucri è damnatorum bonis percipiendi ſtudio id facere videri. Sic Philippum olim Franciæ Regem, vt multi opinantur, Templariorum ordinem exſtirpaſſe, nec tam Iuſtitiam in eo

Leonis X. PP. factum.

Principis imprudentia in eligẽdis miniſtris occultanda.

qua[illegible]atem ſecutum eſſe, publicatis omnibus eorum bonis. Sic[illegible]anum inſimulatum eſſe, quod rapaciſſimum quemq; pu[illegible]neribus adhiberet, quo poſtea diuitias iniuſte ab eis co[illegible]ad ſe attraheret, atque ita eis tanquam ſpongiis vtere[illegible]em cauſſa fuit, cur priſci illi Romani poſt bellum M[illegible]um, à bello contra Rhodios mouendo, quamuis iuſta[illegible]ſſent cauſſæ, abſtinuerint; ne ſcilicet non tam vindictæ[illegible]ditiſſimæ expilandæ inſulæ ſtudio ſuſcepiſſe id viderentur.

Refutatio ſuperiorum argumentorum.

[illegible]rum quidem ac ſimilium, ſi quæ ſunt, argumentorum nu[illegible]nimos quorundam ita obfuſcauit, vt quantum ad p[illegible]ttinet quæſtionem, valde hallucinentur, nec veritati[illegible]uidere poſſint: quem quidem diſcuſſis erroribus neb[illegible]cere nobis viſum eſt. Ac primum quum leges iniuſti[illegible]ibus Magiſtratuum tam arctam fibulam ac ſeueram p[illegible]nſtituant: nemo negare poterit, quin eæ ſumma prude[illegible]itæ ſint, quæ quidem quum cæterarum virtutum, tū o[illegible]oſtrarum actionum eſt directrix. Iam quanto ad maio[illegible]lex pertinet, tanto maiorem in ea ſtatuenda adhibita[illegible]udentiam, credibile eſt. Quid ergo iuuat, tam prude[illegible]religioſe legiſlatores in lege aliqua condenda verſatos e[illegible]io quas ob cauſſas & reſpectus, curſus eius atque exſeq[illegible]pediatur? Non hic illud diſputabo, quanti interſit in [illegible]ublica, leges aut violari aut conſeruari: de quo multi [illegible]oſophi quam Politici doctiſſime ſcripſerunt. Vnum hoc [illegible]blicarum rectoribus ſiue Principibus cogitandum re[illegible]emadmodum anima corpori vitam, ita leges ciuitati [illegible]& ſalutem ſubminiſtrare; & quemadmodum anima à [illegible]parata, corpus corrumpitur & putreſcit, ita euerſis le[illegible]itatem quoque euerti. Vnde Chilon vnus de ſeptem [illegible]pientibus, ſapienter dicit, illam ciuitatem fore beatiſſi[illegible]ua leges accurate obſeruentur. Adhæc, ſi priuatus ali[illegible]a leges delinquens, puniri debet, quanto magis is, qui [illegible]egibus cuſtodiendis appoſitus eſt & deputatus? quum [illegible]omines quanto maiorem laudem & mercedem bonis [illegible]bus merentur, tanto etiam grauioribus pœnis ob flagi[illegible]debeant. Sed quis non videt, puniendo eiuſmodi ho[illegible]ficii dignitatem conſeruari; conniuendo vero, amitti? [illegible]enim eiuſmodi Principis elucet iuſtitia: & vt illi pro [illegible]ſceleratis habeantur, ipſum tamen munus ſiue Officium [illegible]m ſuam facile tuetur, immo multo fit illuſtrius, quando [illegible]lam fit, nolle Principem vt eiuſmodi officiis ac muniis [illegible]rapaces atque iniuſti præſint, ſed in tales ab ipſo depre[illegible]uere ac ſine vlla conniuentia animaduerti: ex quo qui-

Legum obſeruatio neceſſaria.

Pœnarum vtilitas.

dem multi boni ſequuntur effectus. Primo enim, hoc modo Princeps magnam ſibi iuſtitiæ opinionem ac laudem conciliabit, quæ quidem quantum ad Principis tuendam auctoritatem faciat, nemini obſcurum eſt, vt qui æquali in omnes, ſecundum meritum aut culpam cuiuſque, proceſſu vtatur, atque in eo velut multis aliis in rebus, expreſſum Dei gerat ſimulacrum. Illud vero quanti eſt, quod vnius eiuſmodi hominis pœna cæteri in ſimilibus aut aliis Officiis conſtituti, ab eiuſmodi delictis ſiue flagitiis deterreantur, atque ipſum Munus ſiue Officium tanto honorabilius ac dignius redditur? Et certe inter pœnarum ſiue fines ſiue fructus ille præſtantiſſimus atque vberrimus eſt, quod earum non ſenſu, ſed metu, id eſt, exemplo, meliores alii redduntur. Gulielmus Siciliæ Rex Iudicem quendam iniuſtitiæ ac ſceleris compertum excoriari iuſſit, ac deinde in Tribunali patris pelle obducto, filium collocauit: ex quo tantus metus iudices inuaſit, vt diu poſtea nullæ de magiſtratuum iniuriis auditæ ſint querelæ: quod quidem ſimiliter antea quidam Perſarum Rex fecerat. Magnæ virtutis Princeps fuit Aurelianus, vt qui extinctam fere Romani Imperii dignitatem reſtaurauit: nemo tamen in miniſtrorum ſuorum ſiue magiſtratuum errores ac delicta grauius animaduertit. Sic enim ſentiebat (& ſane ita eſt) quanto malum eſt occultius, tanto potentiori opus eſſe remedio. Quod ſi vera eſt Solonis ſententia, vt ſane veriſſima eſt, duabus rebus Rempublicam conſeruari, pœna ſcilicet & præmio, quæ Democritus duo Rerumpublicarum Numina ſiue Deos appellare ſolebat: quis neget eam non ad priuatos tantum, verum etiam in magiſtratu conſtituros, atque adeo multo magis pertinere? Quid quod impunitas illa cæteris magiſtratibus lariſſimam ad quoduis inſolentiæ atque iniuſtitiæ genus feneſtram aperit, vt qui tanquam perſonæ ſacroſanctæ atque inuiolabile, nullam ſibi pœnam metuendam putent? Illud etiam conſiderandum eſt, Magiſtratuum rapacitatem & iniuſtitiam omnium ſermonibus fere celebrari, quamuis non omnes iis quæ dicuntur fidem habeant: neque enim quidquam ita occulte facere poſſunt, quin ab aliquo ſentiatur, ac præcipue iis ad quos damnum pertinet, adeo vt mox inde dolor in manifeſtam vocem & querelam erumpat. Iam ſi Princeps manifeſta eiuſmodi flagitia impune abire ſinat, aut pro ſtupido habebitur, vt qui non ſciat; aut pro iniuſto, vt qui nolit conueniens eiuſmodi malo remedium afferre. Quid ergo reliquum eſt, niſi vt aut in contemptum populi aut odium incidat? quæ duo teterrimæ omnium Imperiorum ſunt peſtes. In contemtum quidem: quod merito homines eum Principem nihili faciant, in quo tantum prudentiæ ac dexteritatis non eſt, vt malis eiuſmodi occurrere, & ho-

Aurelianus Imperator.

Impunitas Principi contemptũ affert & odium.

norem

norem ſuum à miniſtrorum iniuriis vindicare poſſit: ex quo fit, vt vnuſquiſque eundem aut per dolum circumuenire, aut per vim cogere ſtudeat ac conetur: vt de Cypri quodam Rege memoriæ proditum eſt, cuius in mutuis ſubditorum iniuriis vindicandis inertia ac negligentia pleroſque omnes ad iniurias ipſi Regi inferendas animauit, vt tandem eo nihil vilius haberetur. In odium vero, quod plerique ſibi perſuadeant, Principem qui miniſtrorum ſiue magiſtratuum ſuorum rapacitatem & iniuſtitiam compertam habeat, nec tamen puniat, tam prædæ quam culpæ eſſe participem: vtpote quam alias nequaquam laturus eſſet. Infamis ac turpiſſima vox illa fuit Neronis, qui nouis Præfectis ac magiſtratibus dicere ſolebat: Scitis quo mihi opus ſit. Quibus verbis quid aliud dicere voluit, quam, Rapite, ſpoliate, circumuenite, atque etiam occidite quoslibet: dummodo aliorum ſpoliis me ditetis? O turpiſſimam, ac truculenta aliqua beſtia magis dignam quam homine (non dicam Principe) vocem. Quanto honeſtius, & ad bonam tam acquirendam quam tuendam famam accommodatius illud eſt, ſi Princeps eximia ſingularum virtutum, liberalitatis puta, fortitudinis, temperantiæ, & inprimis iuſtitiæ de ſe ſpecimina præbeat, eaque non vulgaria, ſed rara atque admiranda: qualia illa quoque ſunt, ſi magiſtratuum & cariſſimorum ſibi amicorum delicta acerrime puniat, nec conniuendum ſibi putet. Sic Alexander Mamea Turianum, hominem ſibi familiariſſimum ac percharum morti addixit, cum hoc elogio: Fumo moriatur, qui fumum (id eſt, inanem gratiæ ab Imperatore impetrandæ ſpem) vendidit: eaque ratione multum laudis, ſed multo plus auctoritatis ſibi comparuit. Quum denique rapaces eiuſmodi & iniuſti miniſtri ac magiſtratus ab omnibus odio habeantur, incredibile dictu eſt quantum ex eorum pœna populi amorem Princeps ſibi acquirat, quod quidem inter ea quæ ad tuendum Imperium pertinent minimum non eſt, ſed ſtudioſe ab omni ſapienti Principe conſiderandum. Nihil gratius vnquam populo Romano Tiberius fecit, quam quod Seianum capitis damnauit, qui ob nimiam potentiam, arrogantiam & crudelitatem extremo omnium odio & inuidia laborabat. Quo minus autem populi Romani in Tiberium odium morte Seiani fuerit exſtinctum, eiuſdem multa alia crudeliter atque auare facta obſtiterunt, quorum odium magis apud homines potuit quam ex Seiani morte amor. Grauiſſimo odio Athenarum Ducem Florentini proſequebantur: quod tamen illo ipſo die quo is vrbe exactus eſt, ceſſauit, poſtquam Gulielmus Aſſiſius Ducis miniſter, in quem præcipuum omnium erat odium, in populi manus venit. Sed multo & recentius &

Turpis Neronis vox.

Cæſar Borgia Dux Valentinus.

illuſtrius exemplum habemus in Cæſare Borgia Valentino Duce, qui totius Romaniaæ amorem ſibi conciliauit, M. Ramito de Otro Præfecto Ceſenate, omnibus ob crudelitatem ſumme inuiſo, capitis affecto ſupplicio. Quare Principibus eiuſmodi occaſiones publici colligendi amoris, adminiſtrandæ iuſtitiæ, & magiſtratus in ordinem cogendi, minime negligendæ ſunt, nec inconueniens etiam ſit, iniuſti magiſtratus ſpoliis ſeipſum locupletare. Vanum ergo eſt, quod aiunt, publicatis Magiſtratuum ſceleribus, ipſum Munus ſiue Officium contemtius reddi, quum nihil magis contemtum pariat quam conniuētia; pœna vero malorum, metum afferat atque auctoritatem. Et quemadmodum corpus, vbi malis humoribus expurgatum fuerit, ſanitatem ac maius robur acquirit, ita Magiſtratus ſiue publicum aliquod Munus, eiectis ac punitis iniquis Iudicibus, multo ſplendidius fit ac glorioſius. Quod ſi Leo V. Papa Rotæ illum Auditorem punire noluit, aut ſatis graues cauſſas cur eum puniret non habuit, aut ob aliam quandam ignotam cæteris cauſſam conniuendum ſibi exiſtimauit, aut certe melius feciſſet, ſi eum puniuiſſet. Quod vero aiunt, Principem caſtigando id genus homines, iudicii ſui in eligendis miniſtris errorem prodere, parui itidem eſt momenti ſiquidem conniuendo ad eiuſmodi contra Iuſtitiam, publicam vtilitatem, & ſuum ipſius honorem flagitia, multo grauius ac pernicioſius ſit peccaturus. Et primus quidem ille error facile excuſari poteſt, quum tam abditi ſint receſſus ac tantæ latebræ humani ingenii, vt penitus introſpici nequeant; at poſterior ille, vtpote in re iam certa & comperta, nullam omnino admittit excuſationem: præterquam, quod ſemper è duobus malis minus eligendum eſt. Veriſſimum enim eſt, quod vulgo dici ſolet, Fronti nullam eſſe fidem: & multi pro bonis initio habentur, qui poſtea in ipſa negociorum tractatione ſecretas animi ſui labes produnt, ſecundum illud: Magiſtratus oſtendit virum. Quis vnquam Neronem, qui primis Imperii ſui annis tantam virtutis ac clementiæ non ſpem, ſed ſpeciem quoque præbuerat, in tanta ſcelera & flagitia erupturum putaſſet? Quare merito excuſari poteſt Princeps, in miniſtrum aut Magiſtrarum eligens eum qui ſceleratus poſteà euadat: atſi eius ſcelera cognita iam habeat, ad ea tamen conniueat, indignus ſane ſit qui Principis aut Domini nomen vſurpet. Quod ſi reſpectus ille valere debeat, nullus omnino miniſter à Principe electus, puniri poſſit. Sic neque Tiberius Seianum, nec Perennium Commodus, nec Plautianum Seuerus, nec Turianum Alexander punire debuit: vt infinita noſtri ſeculi exempla prætermittam, vt Sultani Solimani, vt Regis Angliæ, & multorum aliorum, apud quos reſpectus hic tantum

non

non valuit vt proprerea etiam ante cariſſimis ſibi pepercerint miniſtris atque amicis. Nec vero metus eſt, ne Princeps magiſtratus iniuſtos debita pœna afficiens, crudelis videatur, modo in eo non odium aut vindictam, vel aliud aliquid, ſed iuſtitiæ amorem ſequatur. Æquum enim eſt, vt Iuſtitia Principem, non vero Princeps Iuſtitiam moueat, quorum hoc crudelitatis Principem infamat, vt olim Tiberio contigit. Quid quod hac caſtigatione tale exemplum ſtatuet, vt eo territi alii, à ſimilibus flagitiis ſibi temperaturi, nec Principi puniendi neceſſitatem impoſituri ſint? Econtra ſi flagitioſi eiuſmodi magiſtratus impuniti maneant, omnes illi qui iniuria ab eis ſunt affecti, ⁂ ſibi miſericordiam ac condolentiam, ita Principi inuidiam conflabunt. Antoninus quidem Pius Imperator omnes eos quos ſceleris comperiſſet, grauiter punire eſt ſolitus, nec Pii propterea cognomen amiſit. Sed ab auaritiæ ſuſpicione facile ſe Princeps vindicabit, ſi à iuſtitiæ tramite non diſcedat: quæ vbi manifeſta eſt, ibi infamiæ morſus non eſt timendus. Quin etiam gloriam inde ſperare poterit, vt qui ne potentioribus quidem parcat. Sed & Princeps miniſtros & magiſtratus à ſe conſtitutos punire quidem, nihilominus tamen ab eorum facultatibus manus abſtinere poteſt, niſi quantum ex legum præſcripto in eiuſmodi caſibus facere licet.

An crudelitatis infamia ex miniſtrorũ pœna?

Auaritiæ ſuſpicio quomodo vitanda.

At duplicem laudis & gloriæ fructum ex eo Princeps conſequetur, ſi magiſtratum ſiue Officiarium rapacitatis conuictum, non pœna tantum afficiat, verum etiam iis quibus ablata ſunt, bona reſtituat, vel certe in pios vſus conuertat. Neque vero illud dico, omnes miniſtrorum ſiue Magiſtratuum errores vno atque eodem modo puniendos eſſe, verum hac in re diligens adhibenda eſt diſtinctio multarum rerum quæ hic interuenire ſolēt, particularium. Conſideranda quippe ſunt, ſtatus & conditio, tum mores etiam & natura Principis, miniſtri qualitas, ipſius delicti genus, errorum numerus, modus peccandi, reſpectus temporum, & multæ aliæ circumſtantiæ, quæ ſub certa regula comprehendi nequeunt. Illud hoc loco probaſſe nobis ſufficit (quam quidem Regulam omni ſuperiori Magiſtratui ſiue in Principatu ſiue Republica bene inculcandam, ac diligenter obſeruandam putamus) iuſti & ſapientis eſſe Principis, miniſtros alioſque ſiue iuri dicundo ſiue aliis publicis muneribus à ſe præpoſitos, & iniuſtitiæ ac flagitii compertos, ſine vlla dubitatione punire: in quo tamen nihil aliud quam Iuſtitiæ amorem & populi beneuolentiam conſectari debet: quod ſi aliam quamcunque viam ingrediatur, neque duobus his velut ducibus vtatur, & Iuſtitiæ ipſi vim faciet, & in omnium odium incurret. Et hanc quidem Regulam ſiue Politicum axioma ſexcentis aliis exemplis ac pluribus

etiam argumentis confirmare facile nobis eſſet: verum hæc quamuis pauca quæ diximus, ad eius veritatem comprobandam ſufficiunt; nec tam ad verborum numerum,& volubilitatem quam ipſarum rerum pondus reſpiciendum eſſe exiſtimamus. Ea enim eſt veritatis natura, vt tamquam ſol facile omnes fucati erroris nubeculas diſpellat. Vtinam vero in Principibus ac ceteris Rerumpublicarum rectoribus vel ea eſſet prudentia vt in eligendis miniſtris minus errarent, eaque iuſtitia, vt ad eorum flagitia minime conniuerent; vel ea in Iudicibus & magiſtratibus integritas, vt ne iuſtis Principibus flagitia ipſorum puniendi imponerent neceſſitatem. Sed quis ſtatus rerum ſit, videmus. Sed aurem mihi vellit Harpocrates, illud occinens, Veritas odium parit.

DE AVCTORITATE ET OFFICIO IVDICVM M.A.M.

DISCVRSVS IX.

TANTA eſt in omni ciuili ciuitate eorum qui iudiciis præſunt auctoritas, vt ex eis potiſſimum Reipub. felicitas aut infelicitas pendeat. Etenim verè dixerunt veteres, legem eſſe animam ciuitatis, & perinde felicem, aut infelicem euadere vnamquamque ciuitatem, vt bonis maliſve legibus temperata eſt. Vtor hic legis nomine magis ad populi conſuetudinem, quam ad veritatem: ſcio enim, ſi qua mala lex ſit, eam ne legis quidem nomine dignam eſſe. Sed ſi tantum poſitum eſt in legibus; legũ autem ipſarum nullus eſt vſus, niſi ſint qui eas exſequantur ac cuſtodiant: & legum miniſtri ac cuſtodes magiſtratus, vnde eos nomophylacas Plato vocat: magiſtratuum porro præcipua vis in exercendis iudiciis cernitur: conſtare opinor, qualia in ciuitate iudicia ſint, talem eſſe totius ciuitatis ſtatum. Imo verò ea prima fuit antiquiſſimis temporibus cauſſa congregandarum ciuitatum: vt eſſent, qui vim coercerent, tenuiores à potentiorum iniuriis defenderent, ſuum cuique tribuerent, iuris æquabilitatem inter omnes proportione tuerentur. Hanc originem creandorum regum fuiſſe, quod vetu-

ſtiſſi-

ſtiſſimum in terris imperii nomen eſt, Herodotus, & ab eo mutuatus Cicero tradunt. Itaque Reges ipſi antiquitus iudicabant, vt Minos, cuius ſingularis iuſtitia iudicem eum, veterum opinione, etiam apud inferos fecit: vt Tenes, cultus apud Tenedios pro Deo: quem cum ſecuri inſulam ex ſe dictam obambulare ſolitum tradunt: eaque percutere, quos, cauſſa diſcuſſa, iniuriam feciſſe cognouiſſet: vt Philippus Macedo, quem etiam patienter tuliſſe accepimus, obiurgatum ab anicula, cui audiendæ ſibi eſſe otium negauerat: cum illa retuliſſet, ne regnaret igitur, ſi audiẽdis ac diiudicandis cauſis vacare nollet. Et perdiu, qui Hebræorum populo ſummo cum imperio præerant, non reges, ſed iudices vocabantur: vt intelligamus nihil eſſe tam regium quam iudicare. Siue enim priuata iudicia inſpiciamus: verè ait Cicero, omnes omnium pecunias poſitas eſſe in poteſtate eorum qui iudicant: ſiue publica, omnium ciuium non fortunæ modo, ſed dignitas, exiſtimatio, ſalus eorum, qui iudicia publica exercent fidei, religionique commiſſa eſt. Sapientiſſimus homo Democritus duabus rebus Rempublicam contineri dicebat, pœna & præmio: earum autem rerum vtraque in eorum manu eſt, qui munus ſuſtinent iudicandi. Magna igitur adhibenda cautio eſt in iudicibus deligendis: eorumque & ſingularis quædam prudentia, & ſpectata probitas eſſe debet, ne ſi, aut errore ducti, aut cupiditate abrepti, permiſſa ſibi poteſtate ſecus quam decet vtantur, ipſæ ciuitatis fundamenta ſubuertant. Ac veteres quidem illi pauciſſimis verbis iudicis officium concludebant: cum ita dicerent, legem eſſe mutum iudicem, iudicem autem legem loquentem. Et, quemadmodum Ariſtoteles ait, legem eſſe mentem cupiditatis expertem, ita optandum eſſet, vt eiuſmodi iudices reperirentur, qui, omni cupiditate ſpoliati, mente tantum ac ratione diſceptandis controuerſiis vterentur. ſed talia optare licet, ſperare non licet. Huic incommodo ſapientiſſimi quique veterum quæcunque potuerunt remedia compararunt.

Inter quos Ariſtoteles cenſuit, in bene inſtituta ciuitate, omnia, quoad eius fieri poſſet, legibus comprehendenda: quam pauciſſima autem in poteſtate atque arbitrio iudicum relinquenda. Cuius rei tres ab eo ſanè graues cauſſæ adferuntur. Vna, quod multo maior numerus neceſſarius eſt iudicum, quam eorum qui leges ferant. Facilius autem eſt paucos bonos & prudentes viros reperire, quam multos. Altera, quod longius tempus datur legem aliquam laturis, quam de certo aliquo negotio ac controuerſia cognituris. In maiori autem temporis diuturnitate maior eſt penitus peruidendi veri facultas. Tertia, quæ omnium potentiſſima eſt, quod leges &

in futurum proſpiciunt, & vniuerſe ac generatim feruntur, vt neque gratiæ, neque odio locus eſſe poſſit. At iudicia & de præſentibus negotiis, & de certis perſonis exercentur: vt & gratia, & odio, & inuidia, & miſeratione, & ratione proprii alicuius commodi, aut incommodi, facillime abduci à vero iudicis animus queat. In iudicibus autem deligendis illud præcipue obſeruandum eſt, vt boni viri eligantur; in quo veteres ita diligentes fuerunt, vt ſæpe in libris noſtris viri boni nomine non alius quam iudex intelligatur. Et Horatius narrat patrem ſuum, cum ſibi virtutis & officii præcepta traderet, laudandarum actionum exempla ex iudicibus potiſſimum ſumere ſolitum eſſe. *Sic me*, inquit:

Formabat puerum dictis: & ſiue monebat
Vt facerem quid: habes auctorem, quo facias hoc,
Vnum ex iudicibus ſelectis obiiciebat.

Et alibi cum viri boni quaſdam quaſi notas enumerando percenſeret, hanc inter præcipuas ponit.

Quo multa, magnaque ſecantur iudice lites.

Ac videte, quantopere veteres illi Romani, eos qui res iudicabant ab omni improbitatis ſuſpicione puros eſſe voluerint. Notationi atque animaduerſioni cenſoriæ non tribuebant auctoritatem rei iudicatæ: neque ſi quis à cenſoribus ſenatu motus eſſet, propterea ei aditum ad honores denegabant. Quinimo quoſdam à cenſoribus ſenatu eiectos, ipſos poſtea cenſores fuiſſe legimus. Sed tamen, vt omnis etiam leuiſſima ſuſpicio abeſſet à iudicum moribus, lege Iulia repetundarum qui ſenatu moti eſſent, iudices non poterant dari. Ætas etiam in iudicibus conſideranda eſt: neque enim idonei ſunt adoleſcentes ad tantum munus ſuſtinendum.

Cuius rei tres fere cauſſæ adferri ſolent. Vna, quod de moribus adoleſcentum nihil adhuc certo ſciri poteſt. Mutantur enim, vt ait Horatius, in horas, & improbum quidem eſſe aliquem vt cognoſcas, vel vnus dies ſufficit, vt ait Theognis: at diu vixerit oportet, de cuius probitate certum iudicium fiat. Altera, quod in iuuenibus magnæ & vehementes ſunt animi commotiones, quas illi ſæpius, quam rationem ſequuntur. Poſtrema, quod longus rerum vſus in iudice requiritur, qui cadere in adoleſcentem non poteſt, *οὐ νέον*, ait Plato libro tertio de Republic. *ἀλλὰ γέροντα δεῖ τὸν ἀγαθὸν κριτὴν εἶναι.* Neque vero quilibet ſenex ad iudicandum aptus eſt. Non enim vt prudentia neceſſario ætatem requirit: ita ætas neceſſario prudentiam adfert. Sed is demum, cui anteactæ vitæ curſus & integritatis & prudentiæ opinionem comparauit. Obſeruabatur & illud antiquitus, ne egeni & exhauſti homines facile ad

iudi-

iudicandum admitterentur. Cum enim plerique à Theognidis ſententia non abhorreant, & paupertatẽ omni ratione fugiendã putent, verendũ videbatur, ne ſæpe tales iudices non tam rationem muneris ſui, quam magnitudinem munerum alienorum conſiderarent: neve libentius in nummorũ quã in argumentorũ, quę vtrimq; adferrentur: ponderib. expendendis occuparentur: &, vtrius grauior eſſet manus, eius cauſamquoq; meliorẽ videri pronunciarent. Atq; ob eã cauſam iudices non tantum ex moribus & ex ætate, ſed etiam ex cenſu legebantur: quod Romanis alicubi obiicit Tertullianus. Cumque iuriſiurandi religio maximum & ſanctiſſimum fidei vinculum merito apud omnes exiſtimetur, iudicaturi prius iurabant ſe ex legum præſcripto iudicaturos: cuius rei frequens apud Demoſthenem, & alios mentio eſt. Ne vero legum verbis callide, & ſubdole interpretandis ab earum ſententia & voluntate diſcederent, adderent, τῇ γνώμῃ, τῇ δικαιοτάτῃ, vt apud Demoſthenem, aut quod idem valet τῇ ἀρίστῃ, vt apud Ariſtotelem in Rhetoricis, & apud Iulium Pollucem libro octauo relatum eſt: quo ſignificabant, ſe ita leges interpretaturos, vt rationi & æquitati maxime conſentaneum videretur. Quamuis enim Deus omnibus locis præſens eſt, eiuſque, vt ait Aratus, omnia plena ſunt: in conſecratis tamen locis magis omnes neſcio quo modo illius præſentia commouentur. Atque hanc conſuetudinem antiquiſſimam fuiſſe Homerus oſtendit, qui iudices in Achillis clypeo ſculptos & ſenes fuiſſe ait, & in ſedibus lapideis ſacro in loco conſediſſe. Summa autem in eo adhibenda & diligentia eſt, vt tollantur omnes occaſiones, quæ poſſunt efficere aliquem animi motum, quo iudex abducatur à vero. Nam quod de amore ait Theocritus, pulchra ei videri, quæ pulchra non ſunt, idem abſolute de toto talium commotionum genere dici poteſt: prout quiſque affectus eſt, ita res ei alias atque alias videri. Arquatis, ait Varro, & veternoſis omnia lutea videntur: febricitantibus amara, quæ dulcia: aliter omnibus de rebus ebrii, aliter ſobrii iudicant. Idem putandum eſt euenire iis omnibus, quorum animus aut amore, aut odio, aut ira, aut inuidentia, aut denique aliquo Pathei occupatus eſt. Docent Philoſophi, ſi ſenſus de rebus ſibi obiectis vere iudicaturus ſit, oportere ipſum ſentiendi inſtrumentum, quod illi αἰσθητήριον vocant, ἄποιον, id eſt, omni qualitate, earum ſaltem, de quibus iudicandum eſt, vacuum eſſe. Sic & iudicis animum in ſola veritate defixum ab omni perturbatione purum & liberum eſſe oportet. Male verum examinat omnis corruptus iudex: ait Horatius. Quoniam ergo nemo, vt omnia moliatur, exſuere ac deponere inſitum atque ingeneratum omnibus ſui amorem poteſt: ideo veteres neminem rei ſuæ idoneum iudicem eſſe voluerunt: quod & apud iuris noſtri auctores ſæpe legitur: & ante eos ab Ariſtotele & in Ethicis, & in politicis dictum erat. Ne de filii quidem negotio idoneus iudex eſt pater. Amat enim eum vt partem ſui.

Et quamuis reperiuntur patres quidam, qui de filiis ſeueriſſime iudicarunt, vt in externa hiſtoria Zaleucus, in Romana Brutus, Manlius, alii: vſitatius tamen eſt, patres in filiorum peccatis conniuere. Sed hac de re alio loco plura dicentur. Corrumpuntur iudices etiam donis: & ea cauſſa fuit, cur iis legibus, quæ de pecuniis repetundis latæ ſunt, puniremur, qui ob rem iudicandam pecuniam accepiſſent. Narrat Plutarchus Thebis olim poſitas in publico fuiſſe iudicum ſtatuas, eaſque ſine manibus: quod indicio eſſet, nihil eos à quoquam accipere debere: eius autem, qui iudicio præſideret, etiam ſine oculis: quod ipſo perſonarum aſpectu iudices interdum à recto abduci arbitrarentur. Antonius certe apud Ciceronem gloriatur, M. Aquilium, in manifeſto repetundarum crimine, hoc potiſſimum à ſe artificio liberatum, cum eum mœſtum ac ſordidatum produxiſſet, tunicamque eius à pectore diſcidiſſet, & cicatrices aduerſorum vulnerum, quæ ille pro Republ. acceperat, oſtendiſſet. Ita iudices, quem abſentem forte damnaſſent, eum, aſpectu ipſius commoti, liberarunt. Eodem artificio multis ante annis vſus erat Hyperides, qui, quum vt narrat Athenæus, Phryne meretrix pulcherrima rei capitalis argueretur, atque ita teneretur, vt argumenta purgari non poſſet, cum multa pro ea dixiſſet, ad poſtremum ſtatuit eam in conſpectu iudicum, & pectus eius papillaſque nudauit: qui aſpectus tantum potuit, vt, quam omnium ſententiis damnatum iri opinio erat, omnium ſuffragiis abſoluta diſceſſerit. Ex quo inſtitutum eſt, vt Areopagitæ noctu iudicarent. Cuius rei præter cæteros auctor eſt Lucianus. Sed & quo iudicia integriora & incorruptiora eſſent, nomina ipſa eorum, de quibus ageretur, in Areopago reticeri ſolita, quidam tradiderunt. Vt, nulla prorſus perſonarum ratione habita, de rebus tantum iudicaretur. Multum etiam in iudiciis peruertendis poteſt eloquentia: neque prorſus mentiebantur veteres illi magiſtri, qui ſe docere profitebantur, quo modo cauſſa inferior, dicendo ſuperior fieri poſſet. Cui enim nota non ſunt verba Ciceronis in cauſſa Cluentiana, obiectas à ſe iudicibus tenebras glorantis? Id eoque rectum erat illud eorundem Areopagitarum inſtitutum, apud quos oratores præconis voce nihil verborum extra rem facere, & neque procemiis vti, neque epilogis iubebantur. Sapienter quoque Anaſtaſius & alii poſteriores Imperatores conſtituerunt, ne cuiquam adminiſtratio patriæ ſuæ ſine ſpeciali iuſſu Principis permitteretur. Arbitrati enim ſunt id, quod eſt, vnumquemque neceſſario in patria ſua multis cognationibus, adfinitatibus, neceſſitudinibus implicatum teneri: iiſque omnibus rebus iudiciorum religionem ac ſeueritatem impediri. Eodem pertinebant permiſſæ antiquo more alternæ iudicum reiectiones: vt è iudiciis omnis omnino ſuſpicio inclinati, ac propendentis in alterutram partem animi tolleretur. Neminem, ait Cicero pro Cluentio, voluerunt maiores noſtri non modo de exiſti-

matiom

matione cuiuſquam, ſed ne pecuniaria quidem de re minima, eſſe iudicem, niſi qui inter aduerſarios conueniſſet. Expediret etiam in eos iudices, qui ſe corrumpi ſiuiſſent, grauiſſimas pœnas conſtitui: vt feciſſe Cambyſen ait Herodotus, qui (vtinam non ſingulari, ſed in omnem poſteritatem duraturo exemplo) ſuper iniuſti iudicis corium in lora diſſectum, eius filium ac ſucceſſorem ſedere iuſſit: vt eum à paternæ improbitatis imitatione paterni ſupplicii memoria reuocaret. Omnino autem iudicibus tria in animo perpetuo habenda eſſe arbitror. Vnum, vt cogitent, quemadmodum ipſi de aliis iudicant, ita de ſe non alios tantum homines, ſed ipſum Deum iudicaturum. Alterum, ne prius ſententiam ferant, quam diligentiſſime vtriuſque partis iura cognouerint. Merito laudatur à Platone illud Heſiodi,

Iudicium non fer prius audieris niſi vtrumque,

Et elegans eſt illud Philippi, vt opinor, Macedonis, qui cum altera aure occluſa accuſatorem audiret: interrogatus, cur id faceret, dixit, ſe eam ſeruare integram reo. Poſtremum illud eſt, debere quidem iudicem, plane medium eſſe: ideo enim mediator, vt ait Ariſtoteles, vocatur: Sed tamen, ſi in alterutram partem inclinandum ſit, vt Circe dicebat minus periculi eſſe, ſi nauis ad Scyllam potius paulum inclinaret, quam ſi ad Charybdim: ita in hominibus puniendis minus mali eſſe in clementia ac lenitate, quam in ſæuitia & acerbitate. Nam etſi laudata eſt apud veteres prætoris cuiuſdam ſeueritas, cuius tribunal ſcopulum reorum vocabant, multo tamen maiorem laudem haberet illa vox Neronis, ſi ex animo prolata eſſet aut ſi ipſe in eadem manſuetudine perſtitiſſet, qui ſubſcripturus ſententiæ capitis in quendam; Vtinam, inquit, numquam didiciſſem literas. Et Marci Antonini illud præcipue commendatur, quod pœnas legibus definitas ſemper vſque ad aliquem modum mitigabat. Pleni ſunt, libri noſtri talium ſententiarum: Benignis interpretandæ ſunt leges, quo voluntates earum conſeruetur. Et, interpretatione molliendæ ſunt pœnæ potius, quam exaſperandæ.

DE RE MILITARI LVCÆ ANTONII THOMASONI

DISCVRSVS X.

Ars militaris in quib. conſiſtat.

ARs militaris in Milite conſiſtit, & Armis Ex quo ſequitur ei qui horum vtroque melius inſtructus ſit, facilem fore victoriam in eo quidem pugnæ genere, vbi non numerus præualet, ſed virtus Bonum militem & bona Arma eligere, peritiæ eſt Capitanei munus. Peritia hæc in ipſo bello rerumque eo pertinentium vſu acquiritur; tum etiam frequenter cum peritis belli ducibus conferendo & diſputando: quod Philopœmen feciſſe dicitur Romani certe his artibus tantum rei militaris cognitionem ſibi compararunt, vt remotiſſimas etiam gentes ac populos ſuo ſubiecerint imperio, adeoque vniuerſo fere terrarum Orbi imperarint Hic idem vſus ſiue experientia docet quomodo ea, quæ in Conſilio deliberata ſunt, mature fieri debeat: commonſtrat modum quomodo, id quod fit bene fieri poſſit: hac duce ſiue magiſtra ordinantur & ducuntur exercitus ponuntur caſtra, inſtruitur acies, conquiruntur commeatus, tuta redditur frumentatio, lignatio, aquatio: omnia denique comparantur quæ ad victoriam conſequendam, aut loca munita expugnanda faciunt: id quod Demetrio cognomento Poliorcetę tantum attulit laudis, quantum probri & damni Cambyſi Perſarum regi in ea quam contra Macrobios ſuſceperat Expeditione.

Peritia quomodo acquiratur.

Peritia acquiritur primum ex notitia quarundam regularū & pręceptorum militarium: quibus inſtructi Spartani olim etiam ſine duce bella non infeliciter gerebant; vt videre eſt è Xanthippi exemplo: qui Carthaginenſium exercitum toties à Romanis, ob diſciplinæ & ordinis quem in re militari Romani ſeruabant, fuſum ac fugatum, in integrum & priſtinum ſtatum reſtituit, ingenti edita hoſtium ſtrage, & Regulo conſule capto; hac vna potiſſimum ratione, quod ordines mutaſſet, & caſtra de monte in campeſtria tranſtuliſſet, prœlium, quoad opportuna ſe offerret occaſio, declinando.

Peritiam quoque adfert, certe auget, frequens hiſtoriarum lectio: in qua potiſſimum conſiderandæ ſunt cauſſæ victoriæ vel cladis; item illud, melius ne fuerit hoc vel illo modo vniuerſum bellum, aut partem eius adminiſtrare; vni prœlio de rerum ſumma decertare,

an bellum ducere; aperta vi an ſtrategemate huic aſtu hoſtem petere: nouas den que teclinas, noua inſtrumenta comminiſci: quarum rerum peritia & vſus magnum ad victoriam adferre ſolet momentum.

Eadem peritia ſiue ſcientia prudentiam auget, iudiciumque acuit, quibus futura longe proſpici hoſtium artes & conſilia deprehendi, noſtra vero occultari poſſunt, vnde fit vt in quo hæc ſunt, nunquam illud vſurpet quod dicere ſapientis eſſe negant: Non putaram; vitetque grauiſſima errata ſiue peccata, quæ, vt Cato dicere ſolebat, pœnam tergo ſecum ipſa apportant. Et hæc quidem virtus Iulio Cæſari Orbis monarchiam, Scipioni vero nominis gloriam peperit immortalem.

Optimum ergo Imperatorem ſiue Capitaneum cenſebimus, qui tam ſcientia ſiue peritia quam experientia & vſu inſtructus eſt, cui ſcilicet tam prouidere quam promiſſa facere & exequi in promptu ſit. Ad cæteras veró dotes animi verſutia quoque ſiue calliditas neceſſaria eſt, ſed ingenua, & ab omni perfidiæ ſuſpicione aliena: nec non induſtria, cuius beneficio rationes & media comparet quibus conſilia ad bonum finem perducantur. Eadem induſtria ſiue vigilantia cauebit ne vnquam improuiſo opprimatur, ſed ſemper quaſi in procinctu ſtabit; illa cura ac ſollicitudine occupatus, quomodo bellum incipiendum ſit, quomodo traiicienda flumina, quomodo per loca aſpera & impedita ducendus exercitus, quomodo & quibus in locis caſtra ponenda, quomodo ordinandæ ac diſtribuendæ cohortes, quo ordine tum interdiu tum noctu iter faciundum, quomodo in hoſtem ducendum, quomodo & quando receptui canendum, quomodo impetus faciendus, quomodo excipiendus & repellendus; & vt paucis dicam, omnia dierum atque horarum etiam ad res gerendas momenta captabit, ea cautione vt neque nimia cunctatione occaſiones negligat, neque nimia celeritate corrumpat; illud vnice operam dans, vt robore, moribus, ſcientia militari, laborum tolerantia, agilitate aliiſque eiuſmodi virtutibus milites ſibi ſimiles. Quibus ex rebus Pompeius Magnus, Marius, Sertorius, & inter antiquiores Aulus Torquatus Latinus magnam laudem conſequuti ſunt: quorum hic quum pari numero, paribus armis, pari locorum ſitu, ac pari animorum ardore atque obſtinatione in certamen cum hoſte deſcendiſſet, ex re nata conſilium cepit; ac parua re ſiue occaſione (quanquam in bello nihil paruum videri debet, quum etiam quæ parua videntur, vel victoriam aliquando vel cladem adferant) ad victoriam vſus eſt. Loci enim ſitum contemplatus, vbi animaduertit equitum in loco impedito & ſalebroſo nullum eſſe vſum; ex equis eos deſcendere iuſſit, ſicque proſtratis hoſtibus, egregiam victoriam reportauit: quæ ſine dubio multo difficilior ei obuentura fuerat, ſi eadem peritia atque dexteritas in aduerſæ partis duce fuiſſet.

Vide his de rebus Polybium.

Quin

Aſſidua armorum exercitatio militi neceſſaria.

Quin aſſidua armorum exercitatione boni fiant milites, dubium non eſt. Ad hanc exercitationem vero illa veniunt, arma ſtringere; ordines ſeruare inque iis decurrere, impetum facere ac repellere, tam pati quam inferiori aut ſuperiori loco, &c. Et profecto Artis militaris excellentia non tam ab ætate quam diligenti exercitatione atque vſu dependet; quæ vna præcipuum eſt militaris ſcientiæ ſiue peritiæ acquirendæ inſtrumentum. In ordinandis cohortibus illa obſeruanda ſunt vt nec nimis contrahantur nec nimis laxentur ordines; in acie vero tota inſtruenda, vt eius forma locis, temporibus, hoſtium conſiliis, & neceſſitati aut occaſioni aut hoſtium alendis erroribus accommodetur; quas ad res vix aptus erit miles niſi continua exercitatione ſubactus; ſed aut ducis iuſſa non intelliget, aut minus ea exſequetur.

Imperatorem ergo ſiue ducem & ſub continuo exercitio habeto militem, & de omnibus quæ in bello accidere ſolent, quantum eius fieri poteſt, quidque in ſingulis caſibus faciendum ſit, erudire oportet: qua ſcientia ille inſtructus, mirum eſt, quantum ad egregia bello patranda facinora accendatur, quamque alacrıter pericula omnia ſubeat, & imperatoris iuſſa capeſſat. In quo quidem genere Epaminondas Græcos, Gracchus vero apud Romanos inſigniter excelluerunt, magnamq; laudem ſunt adepti. Imperatoris quoq; eſt militarem diſciplinam ac virtutem vel ſiniſtro aliquo fato ſine euentu elangueſcentem, vel præfectorum negligentia aut diuturno ocio corruptam reſtituere ac reſtaurare: quorum illud Scipionem, Murium & Metellum; hoc vero Corbulonem in Aſia feciſſe legimus.

Arma qualia vſurpanda.

Circa Arma, magna quoque laus imperatori fuerit, ſuo ingenio vel nouum armaturæ, ſiue grauioris ſiue leuioris, ſiue equeſtris ſiue pedeſtris, ac telorum genus comminiſci aut quæ apud antiquos vſurpata fuerunt armorum genera, in vſum reuocare, qua etiam ipſa in re exiguum ad victoriam momentum eſt poſitum. Luce enim clarius eſt, cum qui facile offendere, offendi vero difficulter poſſit, fere ſine ſuorum ſanguine victoriam conſequi poſſe. Armorum vero inuentioni etiamnum aliquid poſſe, primæ ætatis teſtatur exemplum, qua homines ſaxis & fuſtibus primum inter ſe concertarunt: inde vero paullatim corpus contra ictus munire cœperunt, donec ea quæ hodie in vſu eſt tam armaturæ quam prœlii inſtruendi rationem inuenerunt: qua qui commodiſſime vti poterit, tam in ſeruandis quam in reſtituendis ordinibus, tam in inferendo quam excipiendo impetu, non difficilime, cæteris paribus, victoriam conſequetur. Patrum quidem noſtrorum ætate Heluetii hac gloria omnibus fere nationibus antecelluerunt, quarum acie ad inſtar Macedonicæ phalangiis inſtructis, & denſo ſariſſarum horrente ordine, nihil firmius fuit, & tam ad vim faciendam quam excipiendam accommodatius: vnde illi tam in Italia quam Galliis clariſſimas ſæpe victorias reportarunt.

Ad Sclopetorum vſum quod attinet, certum etiam eſt qui militem habeat hoc rerum genere quam optime exercitatum, multum quoque ad victoriam habiturum adiumenti: ſiquidem hoc telorum genus, præſertim quæ maiuſculos globos iaculantur (*Moſchettas* appellant; & ſiphones etiam his maiores aliquādo excogitatum iri, credibile eſt) ad eminus feriendū hoſtem & perturbandos ordines aptiſſimum eſt: id quod in memoranda illa nauali ad Naupactum pugna reipſa compertum fuit, in qua Sclopetorum tam maiorum quam minorum recte ac ſcienter adhibitus vſus, magnum Chriſtianis ad victoriam attulit momentum. Sed & ad armaturæ rationem multum refert, quo aut quali in loco miles deprehēdatur. In locis enim ſyluestribus & impeditis, vbi globum facere, aut agmine hoſtem inuadere non licet, leuis armatura graui multū præſtat. Quod Demoſthenis Athenienſis exemplo probatur, cuius exercitus graui armatura inſtructus à Lacedęmoniis & eorum ſociis leuiter armatis nullo fere negocio cæſus fuit ac diſſipatus. Non multo poſt autem iidem Lacedæmonii in Pilo inſula eamdem ob cauſſam ſimili clade fuerunt affecti. Sic Germani olim duce Arminio, à Romanis eorumq; imperatore Germanico in ſyluis & impeditis locis, vbi longarum haſtarum nullus erat vſus, deprehenſi, ad internecionem fere cæſi fuerunt.

Imperatorem ergo non generalem tantum regionis in qua bellum geritur, ſed particularem etiam atque accuratiſſimam omnium locorum eorumq; ſitus notitiam habere oportet, vt ſciat vbi hoſti occurrendum, vbi ab eo declinandum, vbi prælii copia cum loci prærogatiua, facienda, qua ducendus exercitus, vbi caſtra metanda, quæ loca præoccupanda, &c. Hęc enim recte vſurpata ſępenumero multo plus hoſti quam quantacumque vis & militum virtus nocent; & vna ratione pauci multis poſſunt reſiſtere, numerum ſcilicet ſupplente loci commoditate & ſitu: cuius rei illuſtre exemplum in Themiſtocle Athenienſium duce habemus, qui parua claſſe & exiguis copiis immenſos Xerxis Perſarum regis exercitus cohibuit, & tandem turpiter fugere coegit. Quemadmodum vero ad victoriam ab hoſte conſequendam multum prodeſt accurata locorum notitia & matura eorundem præoccupatio; ita quoque eadem ad noſtrum ſaluandum & conſeruandum exercitum longe eſt vtiliſſima. Hac enim ratione vicinorum ſecuritati proſpici, exercitus in tuta reduci, auxiliiſq; iuuari; hoſtium vero itinera impediri, conatuſq; intercipi facile poſſunt: qui quidem longe melior & tutior quam ferro & vi, vincendi hoſtis eſt modus. Hac arte vſus Iulius Cæſar Afranium & Petreium intercluſo ad ſuos reditu & frumentatione, ad deditionem coegit: & Publius Decius Romanorum exercitum à Samnitibus vndiq; incluſum, cum immortali nominis ſui gloria, locorum peritia fretus, è certiſſimo quod ipſis imminebat exitio liberauit.

Locorum ſitus imperatori noſcendus.

His ergo rebus, Armis ſc. & Milite; hiſq; dotibus, ſcientia videlicet

& vſu

& vſu, inſtructus imperator, magno animo contra hoſtem tanquam ad certam victoriam proficiſci poterit Nam vt vis conſilii expers, vt Poeta ait, mole ruit ſua, conſilium vero ſine viribus inutile eſt: ita vbi hęc duo coniuncta fuerint & copulata, merito victoria ſperari poteſt: neque multum timenda Fortuna eſt vbi Ratio prædominatur. Romani quidem his vſi artibus, prudentia inquam & diſciplina rei militaris, è tenuiſſimis principiis ad tam altum dignitatis culmen imperium ſuum prouexerunt.

Quapropter vehementer errant illi Principes, qui milite domeſtico parum inſtructi, ſpem ſuam omnem vel in locis munitis, vel in peregrino ponunt milite, atque ita bellum ducere potius quam gerere ſtudent. Etenim illa iam in munitionibus quam peregrino collocata milite ſpes, incerta admodum eſt, & fallax, niſi Dei extraordinario auxilio fulciatur. Et credibile eſt eum qui acie bene diſpoſita in campo hoſtem vincere ſciat, eundem foſſis repletis, deiectis muris, & tormentorum vi diſturbatis, aut ſuffoſſis cuniculatiorum arte propugnaculis locum quemcumque etiam muniriſſimum in ſuam poteſtatem non difficillime redigere poſſe.

Qui ad militiam deligendi.

Quum igitur tanti ſit bene exercitatum domeſticum habere militem, adeo vt eo inſtructus Princeps & hoſtibus terrori ſit, & tam ſibi quam ſuis ad omnes quamuis ſubitos caſus certiſſimum auxilium afferre poſſit: operæ precium ſane fuerit è ſubditis tantum quantus ad tuendam regionem ſatis eſt, robuſtorum atque agilium virorum numerum deligere, qui in armis continuo exerceantur, & tam ad diſciplinam militarem quam quoſuis belli caſus, ac labores condocefiant. At plerique hodie Principes ſeipſos decipiunt, vano illo nomine, quod potentia & armis inſtructi ſint, contenti; quum non in armis, non in muris, ſed in viris præcipua potentiæ pars ſita ſit. Non minus grauis eorum eſt error, qui optimis ſtipendiis non paucos exercendæ militiæ magiſtros conductos alunt. At quos vel quales? Eos ſcilicet qui non tam vt arma quam vt cutis ipſis niteat, laborant; & quorum omnis cura in re potius facienda quam inſtruendo milite conſumitur. Architectorum quoque & fabrorum operam hodie nimis magni æſtimari nimioque conduci videmus, qui tamen ad patrandum prælium nec conſilio nec manu quidquam proſunt. Eorum tamen profeſſionem quia pluris æſtimari ac conduci vident milites, certatim quiſq; relicta militari arte & diſciplina, Architecturæ ſtudiis incumbunt: cuius quidem bonos omnes milites quodammodo peritos eſſe oportet, nec tamen præcipuam ſui muneris partem, quæ eſt, omnia quę militaris fert diſciplina tam in acie quam extra aciem, recte ac intrepide obire, deſertam pati.

Vtrum Scientia an vſus in imperatore magis requiratur.

Vtrum vero Scientia ſiue litteraria cognitio, an vero vſus atq; Experientia imperatori ad res bello præclare gerendas vtilior ſit, dubitari adhuc quidem video: ſed illud quod Poeta quiſpiam de Natura

& Arte

& Arte dixit, heic quoque locum habere exiſtimo, vnum ſcilicet alterius opem poſcere, & vtrumq; inter ſe amice coniurare. Nuda enim & lectione tantum acquiſita cognitio ſine Vſu ad exſequenda deliberata parum prodeſt; & Vſus nullis regulis & exemplis ſuffultus vacillat: quorum gnari caſibus fortuitis facilius occurre ac remedia afferre, ac plures etiam ac tutiores hoſtibus nocendi modos comminiſci poſſunt. Quamuis autem vulgus ei plus tribuat qui multis ipſe bellis interfuit, quā qui multa legit: quum tamen, vt de ſua profeſſione dixit Hippocrates, Ars longa ſit, vita breuis, ac noſtris temporibus raro iuſtis prœliis decertetur, præterquam quod artis militaris ob copiarum & ordinum differentias & ob ſitus & locorum diuerſitatem, infinita quædam eſt varietas, tanta ſcilicet quantæ reipſa atque vſu diſcendæ atq; apprehendendæ vnius aut etiam plurium hominum vita non ſufficit: neceſſe ſane eſt, vt ad antiqua & è lectione vel auditu hauſta exēpla recurramus (quemadmodum in peſtilentibus morbis Medici ſolent) vt ad omnia belli ſubita paratum ſemper habeamus remedium; quod non difficile ei fuerit qui infinitos quaſi belli caſus iam ante è lectione & hiſtoriarum notitia animo præceperit, atque, vt Virgilius loquitur, peregerit. Ex quibus omnibus manifeſtum eſt, hiſtoriarum lectionem, & in vniuerſum libris quibuſdam comprehenſorum militarium præceptorum notitiam (vnde ſcientia ſiue peritia militaris naſcitur) ad id quod belli caput ac præcipuus finis eſt, ſecundum ſcilicet prœlii euentum vel victoriam plurimum conducere: cuius quidem victoriæ tantus eſt fructus ac tantum momentum, vt cætera omnia in quibus militare ſtudium occupatur, ad hunc vnum finem debeant referri, ac ſine hac nihil proſint. Et hæc quidem breuiter hic perſtringere volui, vt noſtros homines ad rei militaris ſtudium inflammarem, & veram ac compendiariam eius diſcendæ commonſtrarem rationē: quæ eſt, vt expenſis probe omnibus quas legendo cognouimus, tam terreſtribus quam naualibus pugnis, earumque ſucceſſibus, nec non obſidionibus & locorum expugnationibus, ante omnia vero rei cuiuſq; cauſis, & aliis rebus quas in bello obſeruare neceſſe eſt, vt ſunt vires, arma, locorum ſitus, ordines ac varii vel à fortuna oblati, vel ſapientia & induſtria, vel vi ac viribus acquiſiti, aut qui alio quocunque modo contigerunt euentus, generalem quandam omnium rerum ad bellum pertinentium notitiam nobis comparemus: cui ſi deinde Vſus coniungatur, breui etiam è gregario milite bonus Imperator ſit euaſurus.

Hiſtoriarū cognitio.

PRÆCEPTA QVÆDAM ET EXEMPLA AD REM MILITAREM & imperatoriam artem pertinentia,

à

NOBILI VENETO collecta,

DISCVRSVS XI.

Vix vllum publicum eſt munus, quod maiorem prudentiam & dotes animi excellentiores requirat, quam imperatorium: vtpote quod in maximarum rerum adminiſtratione verſatur, & infinitam fere caſuum varietatem habet propoſitam: quos longe proſpicere, prudentis eſt; excipere, fortis; ad ſuas vero res & vtilitates accommodare, dexterrimi & ad rem militarem nati animi.

Imperator quis legendus. Imperator is eligendus eſt, qui hoſtium vires quam optime perſpectas habet & cognitas.

Intrepida Imperatoris virtus ſiue fortitudo militum animas metu liberat, & ſpe ac confidentia eoſdem implet.

Qui munitioni, obſidionis aut oppugnationis imminẽte metu, incluſus eſt vnicę operam dare debet, vt quibus poteſt rationibus hoſtium conatus retardet, & deditionem de die in diẽ ſub vario prætextu, differat ac prolonget; ſiquidem vna ſæpe dies, aut hora, immo momentum liberationem adfert.

Ante annum MCDXCIV. quo tempore Ludouici Sfortię cæca ambitio & temeritas magnis Italiam cladibus inuoluit, longe alia in vſu erat belli gerendi ratio, quam hodie: ſiquidem nec tantis actibus, nec tanto ardore ciuitates oppugnabantur; conflictus, vel potius velitationes fiebant quam leuiſſime & quaſi perfunctorie, ſic vt qui mediocre tenebat imperium, non difficillime id tueretur. At paullo poſt eo res rediit, vt qui prœlio ſuperior euaſiſſet, omnino debellaſſe ſibi videretur.

Eductis ab vtraque parte in campum copiis, ſine vlla fere mora interpoſita, concurrebatur, deque rerum ſumma prœlio decertabatur. Hoc modo ſine vllo fere vulnere regnum Mediolanum & Ducatus Mediolanenſis amiſſa ſunt: maiores vero noſtri vno

ad

ad Giaradaddam prœlio omne fere in Terra firma imperium perdiderunt.

Prima ſereniſſima Venetorum Reſpublica alios belli gerendi, vel ducendi potius modos, commenta eſt atque vſurpauit, quãdo Nicolaus Vrſinus & Andreas Grittus Patauio ſe incluſerunt, & Maximiliani I. Imperatoris, cum quo præter Imperium, Iulius II. Pontifex, Ferdinandus Rex Catholicus, Duces Ferrariæ & Mantuæ, & Ludouicus XII. Francorum Rex in exitium Venetæ Reipublicæ coniurauerant, impetum eluſerunt, & incredibili patientia ac fortitudine, vſi prædictæ Vrbis commoditatibus, omnibus periculis & ærumnis ſuperatis, non hoſtibus tantum, ſed Fortuna etiam ipſa inuita, terreſtre imperium recuperarunt.

Eodem modo Proſper Columna Inſubriam ſiue ditionem Mediolanenſem contra Gallos, viribus multo ſuperiores, feliciter defendit: iiſdemque vſi artibus Borbonius, Piſcariæ Marchio, & Carolus Lanoius, Franciſci I. Gallorum Regis impetum ſuſtinuerunt & fregerunt.

Hac ratione Carolus V. tremendę Saxonis, Landgrauii & Cõfœderatorum potentiæ reſtitit: eademque Dux Albanus ad Ciuitellam regnum Neapolitanum cõtra Paulum IV. Papam, Henricum II. Gallorum Regem, & Herculem Ferrariæ Ducem tutatus eſt. Hodie quidem dici non poteſt quantopere cuiuſuis etiam victoriæ curſus retardetur, poſtquam fines validis præſidiis muniri, ciuitates vero, oppida & arces foſſis, muris, propugnaculis, aliiſque nuper inuentis operibus muniri cœperunt; adeo vt his non expugnatis, campeſtris victoria victori non ita magnas vt olim adferat vtilitates, præſertim ſi ſubditi etiam in victos dominos eandem retineant beneuolentiam & amorem, qualis quidem & tum & fere ſemper alias ſuos ſubditos ſereniſſima noſtra Reſpublica eſt experta.

Tantum abeſt, vt Imperator hoſtium vires contemnere, ſuas vero nimiopere circumſpicere debeat, vt eum etiam prudentiorẽ exiſtimem qui vires ſuàs hoſtilibus longe poſtponat.

Imperatorem quamuis hoſtium imbecillitatis conſcium, nihilominus caute agere, omnibusq; contra hoſtem viribus vti oportet.

Eiuſdem eſt ante omnia prouidere, vt exploratores habeat fideles, ſollicitos, prudentes, vel potius aſtutos, & conſilio manuq; promptos.

In bello multæ occaſiones infructuoſe præterlabũtur, eo quod hoſtium res & neceſſitates in quibus verſantur, aduerſæ partis Imperatori non ſunt cognitæ.

Si Imperatori miles dicto non ſit audiens, nihil recte ac feliciter adminiſtrari poteſt.

Clearchus dux Lacedæmoniorum dicere ſolebat, ſic Imperatorem ſe gerere oportere, vt ſui ipſum milites magis quam hoſtē metuant: alioqui enim nec diligentia ac ſollicitudine in agendis excubiis, nec erga ſocios & amicos temperantia & modeſtia, nec fortitudine erga hoſtes vſuros.

Meſſis tempus commodum eſt in Expeditione verſantibus, at obſeſſis, damnoſum.

Imperator qui primam quæ ſe ei opponit ciuitatem non capit, aut infecta re eius ſoluit obſidionem, magnam exiſtimationis ſuæ facit iacturam, & hoſti ad idem aut maius quid tentandum, animum addit.

Quas ob cauſſas obſidio ſoluenda ſit.

Ab vrbis aut oppidi alicuius obſidione diſcedi ſolet.

Primo, ſi multos & ſtrenuos habeat propugnatores.

Si obſidentes inſignem aliquam cladem acceperint.

Si obſeſſis auxilia ſint ſum miſſa.

Si obſidētium copiæ attritæ ſint & imminutæ, aut caſæ & mapalia militum perdita.

Vt maiores alibi viteutur turbæ.

Pactione.

Vt vires in maius operæprecium conuertantur.

Si annona & commeatus deficiant.

Vt exercitus ante tempus periculoſum in tutum reducatur.

Fatuus eſt, inquit Xenophon, qui omnium in bello conſiliorum & actionum felicem ſibi pollicetur euentum.

Gabrias Athenienſium dux eum imperio aptiſſimum iudicauit, cui hoſtium res cognitæ eſſent & exploratæ.

Solent ad bellum gerendum Imperatores eligi vel à generis ſplendore, vt olim à noſtris Dux Ferrariæ & Dux Vrbini; vel ab experientia & longo militiæ vſu, vt Dux Albanus à Carolo V. Imperatore & Philippo II. Hiſpaniarū Rege; vel a ſpecimine aliquo prudentiæ & virtutis difficilibus temporibus edito, vt Iacobus Foſcarinus Eques & Procurator S. Marci: qui Dalmatiæ præſes, quum vltimo contra Turcas bello incredibile animi robur, ſingularem prudentiam, ardentiſſimum erga patriam amorē, & miram integritatem oſtendiſſet; vtpote qui ducis & militis officio ſimul fungens, quotidie contemtis omnibus periculis, ſe ſuumq; corpus hoſti obiiceret, pecuniam vero publicam tantum abeſſet, vt interuerteret, vt etiam de ſuo vltra triginta ſcutatorum millia publico honori & vtilitati impenderit, ſuis ſumtibus & victu homines quamplurimos militaris artis peritos, vt & ęgros & vulneratos fouens ac ſuſtētans, etiam in iuuenili ætate Maris ſiue Claſſis Prefectus, communi omnium ordinum conſenſu creatus fuit.

Iacobus Foſcarinus.

Impe-

Imperatori rei militaris non admodum perito, Legatum ſiue Vicarium expertiſſimum adiungere oportet.

Cauſſæ ob quas ciuitates ſiue oppida deditionem facere ſolent.

Solent vrbes deditionem facere, & in hoſtium venire poteſtatem.

Vi Tormentorum muralium.
Ad vitandam territorii vaſtationem.
Fame, ſiue annonæ inopia.
Laſſitudine ſiue defatigatione.
Præſidii impatientia & rebellione.
Ciuium voluntate.
Propugnatorum aut commeatuum defectu.
Auxiliorum procraſtinatione.
Auxiliorum cæde & diſſipatione.
Auxiliorum incertitudine.
Pactione.
Militum, præfectorum aut ciuium proditione.

Ciuium factiones & diſſenſiones Principibus admodum ſunt pernicioſæ. Quum enim fieri non poſſit quin earum aliqua Principis odium incurrat; ſolet plerunque ea quæ minus gratam atq; acceptam ſe ſentit, bello ingruente Principis hoſtibus ſeſe coniungere, tantum vt aduerſarios vlciſcatur. Vnde proditiones & imperiorum euerſiones ſæpe naſcuntur. *Ciuium factiones noxia.*

Brixia vrbe potente Anno MCDXXVI. Guelforum & Gibellinorum factionibus laborante, Guelfi quidem vehementi indignatione accenſi, ob fauorem quem Dux Mediolanenſis Gibellinis præſtabat, cum hoſtibus eius colludere cœperunt: vnde factum tandem eſt, vt Petrus & Achilles Auogadri cum Aueroldorum familia & aliis facta conſpiratione, Venetorũ exercitũ, Franciſco Carmagnola duce, per muros noctu deiectos receperint.

Sapienter ergo Franciſcus Barbarus, ſingulari prudentia & fortitudine Senator, quum eodem anno iam dictæ vrbi contra Ducem Mediolanenſem defendendæ præeſſet, ac contra externam vim parum tutus ſibi videretur, niſi intus omnia haberet pacata & tranquilla, ſumma dexteritate & ſapientia (cuius viuum exemplar in M. Antonio Barbaro vt facultatum, ita virtutum eius digniſſimo herede videmus) Martinengorum familiam cum Auogadris reconciliauit, & ſereniſſimæ Reipublicæ potentem illam opulentiſſimamque vrbem duriſſimis temporibus conſeruauit.

Vulgatum fere eſt maiores numero copias à paucioribus, ſed virtute ſuperioribus vinci.

In obſidione ſi dux vini defectum prouideat, recto fecerit ſi ante paulatim milites ad potandam aquam aſſuefecerit;ne ſubita illa mutatio, vt plerunque fieri ſolet, morbos gignat: quam quidem, qualis qualis ea ſit, modo paullatim & ſenſim fiat, Natura facile & perfert & vincit.

Quis eſt militum, inquit Xenophon, tanto robore præditus, qui cum fame & frigore diu conflictari poſſit?

In obſidionibus dux ſiue imperator omnia cum militibus communia habere, eademque perferre ac pati debet.

In Brixiæ obſidione Franciſcus Barbarus nunquam niſi in publico cibum cepit, & quidem ſecundario pane citra vllum obſonium, contentus: ſicque validiſſimam hanc vrbem ſub D. Marci inſignibus & Venetorum imperio conſeruauit.

Lucas Michael.

Multi quidem tranquillis temporibus Reſpublicas & imperia ſcienter ac feliciter adminiſtrarunt, ac pauci turbulentis: quum hoc longe maioris ſit molis. Inter paucos merito familiam ducere mihi videtur Lucas Michael, qui Cretam inſulam contra hoſtem à Cypri expugnatione redeuntem, & illi quoque inſulæ ſanguinolento adhuc rictu inhiantem, fortiſſime defendit, & ad Rhetimnum, Sudam, Turlurum, Sandemetrium, Caneam, & Candiam munitiſſimis exſtructis propugnaculis, regnum illud quaſi inexpugnabile reddidit: inſulanorum vero motus mira quadam & graui comitate repreſſit, peſtilentis ſiue contagioſi morbi ſemina in ipſa herba extinxit, ciuium & militum animos naturæ quodam inſtinctu, & rationis ac morum diuerſitate disiunctos, perpetuo amoris vinculo colligauit, famem denique aduecta ex ipſorum hoſtium regionibus annona, ſubleuauit.

Quæ omnia quis non maximi animi opera eſſe iudicet? Habuit idem non vnum, ſed multos eoſque potentiſſimos inimicos: vno & eodem tempore cum tremendis Turcarum viribus, cum feri & indomiti populi rebellione, cum mutuis odiis, cum peſtis contagione, cum Famis rabie ei confligendum fuit. Sed ecce tibi mirificam hominis virtutem. Repulſi Turcæ, trepide ſe vnde venerant receperũt; ſeditioſi multo quam antea obſequioſiores facti ſunt; Peſtis & Fames abſceſſerunt: omnes denique magni & parui, milites & ciues, Itali & Græci ſummis honoribus magiſtratu abeuntem proſequuti ſunt, hodieque nomen eius ſummopere amant & colunt.

Idem quoque populus ſingularem ſuam obſeruantiam & affectum erga hodiernum ſereniſſimum Venetæ Reipublicæ Principem, Paſchalem Ciconiam, ſummum militiæ in prædicto regno tum præfectum, poſtea vero Caneæ Procuratorem, oſtendit, ſtatuam ei ponendo, quæ maximorum ipſius

bene-

beneficiorum & rerum fortiſſime geſtarum perpetuum eſſet monumentum.

Quid de Paullo Contareno dicam? cuius tanto maior virtus fuit quanto is paucioribus copiis Zacynthum inſulam, præter omnium ſpem & opinionem, contra immenſam Turcarum claſſem defendit ac propugnauit. Quem diſcedentem annon omnis ordinis, ſexus, & ætatis homines ad Nauim vſque quam inſcenſurus erat, comitati ſunt? annon plateas quacumque ibat, veſtibus & tapetibus ſtratas vidimus, vt ſuper iis tamquam populi Seruator incederet? Fuit hic Dionyſii Contareni prudentiſſimi Senatoris filius, frater Andreæ Contareni diſertiſſimi Oratoris, & Sebaſtiani digni patre Senatoris, nec non Ioannis Baptiſtæ naualis præfecti: & maximis honoribus perfunctus, æternam nominis memoriam & gloriam ſuis reliquit.

Sine annonæ friget omnis militum virtus, ac nihili eſt imperatoris prudentia, quum Venter auribus careat. *Annonæ neceſſitas.*

Imperatoris prudentia & dexteritate nonnunquam maiores res geruntur, quam magno militum numero & robore.

Imperatorem copias ſæpe recenſere ac luſtrare oportet, ne imminuto forte exercitu, maius quid viribus aggrediatur, damnumque accipiat.

Sic Franciſcus I. Galliarum Rex, copias ſuas vero maiores æſtimans, ad Ticinum profligato exercitu, captus fuit.

In Hieronymo Zane S. Marci Procuratore, & generali Maris præfecto (cuius conatibus ſi non maligna fortuna aduerſata fuiſſet, hodieque in Cypro inſula S. Marci & Venetorum inſignia conſpicerentur) ſingularis eluxit induſtria, qua ad Corcyram, Zacynthum, Cephaleniam, & Cretam claſſem Venetam nautis & claſſiariis refecit, & vigilantia ſua ſiniſtrum fatum, quo illa afflicta fuerat, ſuperauit.

Exercitus, præſertim locis periculoſis, pedetentim ducendus eſt, ne itineris longitudine & aſperitate miles defatigatus, hoſtium iniuriis opportunus fiat.

In itinere faciundo imperatorem conſilia ſua diligenter celare, præmiſſiſque exploratoribus quocunque eundum eſt, tutane ſint omnia, inueſtigare oportet, eum vero ſeruare ordinem, vt primi ſequentibus ſemper in conſpectu ſint, quo ſi neceſſitas ferat, vnus alteri quam promptiſſime ſuccurrere queat.

Noctu iter ſummo cum ſilentio facere exercitus debet: nam vt interdiu oculi, ita noctu aures vigilum munus obeunt.

Caueat quoque imperator, ne nocturno tempore exercitum diſtrahi ac diſiungi patiatur: ſiquidem in ordinem tum reſtituere milites perdifficile eſt.

Ii militiæ duces, qui imperio abſoluto carent, ſed quibus Pro-

uiſores (vt Veneti vocant) & alii conſiliarii rerum gerendarum arbitri, adiuncti ſunt, ſi ſupremi muneris honore non contenti, nimium ſibi tribuant, & ſpretis omnium aliorum conſiliis, ſuas pertinaciter opiniones ſequantur, eaque quæ ipſis viſum fuerit, ſine vlla mora fieri potius quam quidquam contra in conſilium vel medium adferri malint, vix quidquam feliciter aggrediuntur, multo minus perficiunt.

Minime expedit imperium à perito, & forti homine ablatum nouo quantumuis illuſtris proſapiæ committere.

Quum Ioannes Auſtrius ſanctæ inter Pontificem, Regē Catholicum & Venetam Rempublicam confederationis dux ſupremus, accepiſſet, Ludouico Mozenico Venetorum Principi & ſenatui viſum eſſe, Franciſco Duodo triremium præfecto miſſionem dandam; Didacum Guſmanum de Silua iuſſit intercedere, ac rogare, vt ne Duodum ab officio reuocarent, in quo tres iam continuos annos ita verſatus eſſet, vt & ipſi Reipublicæ & omnibus confederatis Principibus opera ipſius vtiliſſima fuerit & porro quoque ſit futura. Quid ad hæc Princeps & Senatus? Reſponderunt. Multis experimentis ſibi quoque Duodi tam fidem quam virtutem eſſe cognitam; quæ quo maiores ſint, eo quoque magis ſibi in conſeruanda tanti viri valetudine elaborandum eſſe. Quum igitur quiete ei ad ſalutem opus eſſe medici dicant, placere ſibi, vt is Patauium ad curandam valetudinem aliquantiſper ſecedat. Quo teſtimonio quid homini forti honorificentius potuiſſet contingere? Id ergo ad perpetuam rei memoriam hoc loco conſignare nobis viſum eſt, vt ſciant poſteri Ioannem Auſtrium, hominis virtute & auctoritate permotum, Franciſcum Duodum in claſſe ſecum retinere voluiſſe; Sereniſſimam vero Rempublicam etiam contra ſuum commodum & vtilitatem eidem miſſionem ſiue licentiam munere ſe abdicandi dediſſe.

Duæ ſunt præcipuæ imperatoriæ virtutes Fortitudo, & prudentia. Vtriuſque ſingulare ſpecimen Iacobus Soranza, huius quidem ad S. Mauram, illius ad Nauarrinum & Cerigem, primus in hoſtem ruens, dedit.

Xerxes terreſtri decies centenum millium hominum exercitu, & mille nauium claſſe Græciā inuaſit: cui ad Salaminē Themiſtocles cū trecentis Athenienſium, Lacedæmoniorū, & aliarum in Græcia gentium nauibus ſeſe oppoſuit. Quum vero animaduerteret, iam inibi eſſe vt Græcorum claſſis, è multis, vti dictum eſt populis, (quorum diuerſa ſtudia ac diuerſi erāt fines, pleriſque rem priuatam magis quam publicam reſpicientibus) contracta, propediem dilapſura eſſet, nihil vero tale de Perſarum claſſe, vtpote quæ ab vnius pendebat imperio, ſperare poſſet:

omni

omnibus modis hoſtem ſtatuit ad prœlium prouocare, atque etiam cum immortali nominis ſui gloria victoria eſt potitus.

Aſcanius Cornia quum anno M D L X X I. Pontificis, Regis Catholici, & Venetæ, & Reip. claſſes contra Turcam Venetorum imperio, præcipue inſulis inhiantem, coiiſſent, vt prœlium committeretur ſuaſit: quum ſpes non eſſet fore vt bellum ducendo Turcarum potentia elangueſceret; ſed metus potius, ne confœderatorum vires aut belli diuturnitate, vel ſiniſtro caſu attererentur, aut ſoluto fœdere, plane dilaberentur. Id conſilium ſequuti cæteri, memorabilem illam ad Naupactum victoriam à Turcis reportarunt, quæ vniuerſum Chriſtianum orbē mirifico gaudio impleuit, & in meliorem ſpem erexit.

Altera cauſſa committendi prœlii eſt quando eius dilatione hoſtium vires incrementum capturæ ſunt. Cum paucis enim quam cum pluribus confligere præſtat.

Anno MCDXCIV. Ferdinandus Aragonius Calabriæ Dux, Gallicis & Sfortianis copiis, quę in Romaniam iam venerant, prœlii copiam non ſemel fecit, quod ſciret eorum numerum breui valde auctum iri: ſed Galli ſuorum aduentum præſtolantes, locis munitis ſe continuerunt. Et profecto magna eſſet ſtultitia cum eo hoſte manus conſerere quem breui ſcias deditionem facturum.

Anno MDXXV. Franciſcus I. Francorum Rex Ducatum Mediolanenſem oppugnaturus, Ticinum (Pauiam vulgo) obſedit Ibi Borbonius, vna cum Neapolitano Prorege, & Marchione Piſcariæ, non tam numero quam veteranorum militum virtute ſuperior, prœlium cum eo commiſit, has quidem ob cauſſas. Primo quod in Cæſarianis caſtris magna eſſet pecuniæ inopia, ſic vt exercitus breui ſponte dilapſurus aut ſeceſſionem facturus videretur: vnde ſiue à prœlio abſtinerent Cæſariani, ſiue funderentur, in metu amittendi Principatus verſabantur. Deinde paullo ante idem Rex Albaniæ Ducem cum validis copiis ad regnum Neapolitanum oppugnandum miſerat, quod quidem regnum omnibus præſidiis deſtitutum magno in periculo futurum erat, niſi ad Ticinum prœlio patrato ac parta victoria, hoſtis reuocatus eſſet. Quum deniq; Rex ipſe in caſtris eſſet, Cæſariani eo capto, non minora victoriæ ſuæ emolumenta, quam ſtragi damna propoſita videbant. Et ſane prædicti Regis captiuitas Caroli V. Imperatoris rebus plus vtilitatis attulit, quam Mediolanenſis Ducatus amiſſio damni fuerat allatura. *Pugna ad Ticinum.*

Cauſſæ ob quas prœlium declinandum.

Quando clades plus nocitura, quam victoria profutura eſt: videlicet ſi prœlio inferior vna cum exercitu imperium quoque ſiue ditionem ſit amiſſurus; ſuperior vero nullum aliud quam cædendis hoſtibus; lucrum facturus.

Quando vires noſtræ neque numero neque militum virtute hoſtium viribus pares fuerint.

Quando ſpes eſt defatigandi ac mora frangendi hoſtis, ac credibile eſt exercitum eius non diu ſub ſignis manſurum.

Cum hoſte quoque deſperato, feroce & noſtris militibus formidabili non facile confligendum.

Nec in loco hoſtibus quam nobis opportuniore.

Abſtinendum quoque à prœlio, quando metus eſt ne à noſtris hoſti prodamur.

Item quando noua ſociorum exſpectantur auxilia.

Quando denique vel pacis vel induciarum ſpes ſe oſtendit.

Boni Imperatoris eſt non minus fugiendi quam vincendi hoſtis artem tenere.

Antigonus Rex retrocedens cum exercitu, dicere ſolebat: Non equidem fugio, ſed fortunam & commodum meum, quæ non à fronte, ſed pone me video, perſequor.

Non minorem diſciplinæ retinendæ atque exercendæ quam hoſtis fundendi curam Imperator habere debet: ſiquidem vbi non viget diſciplina militaris, ibi quoque exigua victoriæ ſpes eſt.

Nicolaus Donatus triremibus condemnatorum præfectus, tam pacifice id muneris adminiſtrauit, vt interdum ne gry quidem intra ipſius triremem audiretur.

In maritimis expeditionibus prægrandes Naues exiguo ſunt vſui; vtpote quo minorum agilitati ſunt impedimento.

Adrianus Bragadinus fortiſſimus expertiſſimuſque belli dux, An. M D L X X V. triremium præfecti munere fungens, Iacobo Foſcarino generali claſſis præfecto, ſcripto conſignato oſtendit rationem, qua tres maiores naues ita armari poſſent, vt quinquaginta minoribus excipiendis pares, ac claſſi magno ad victoriam futuræ ſint adiumento, ſi nimirum vna in medio, & duæ alteræ vtrimque ad latera collocarentur.

Cauſſæ committendi prœlij.

Spes victoriæ.

Imperii amplificandi, aut conſeruandi imperii cupiditas.

Vt accepta ante del eatur ignominia, & exiſtimatio recuperetur.

Vt rebelles reprimantur.

Ne oppidum aliquod deditionem hac lege pactum, ſi intra certum tempus non præſto ſit auxilium, in hoſtium veniat poteſtatem.

Vt hoſtis ab obſidione repellatur.

Si exercitus ſine damno reduci non queat.

In rei pecuniariæ inopia.

In annonæ defectu.
Si aliter effugiendi ſpes nulla ſit.
Vt hoſtis loco ſibi opportuno, nobis damnoſo, deiiciatur.
Ad prohibendum, ne duo exercitus coniungantur.
Si ſpes ſit, hoſtem ex improuiſo & imparatum poſſe opprimi.
Vt ſocii in fœdere & concordia retineantur.
Si metus ſit, hoſtium copias auctum i i.
Quando nullum aliud rebus noſtris ſupereſt remedium.
Quando periculum eſt ne vires noſtræ longiori mora atterantur.
Quando omnia ſociorum auxilia coniuncta habemus.
Quando vel numero vel virtuti militum noſtrorum tuto confidere quimus.

Princeps alienam regionem inuaſurus cauere debet vt nullas hoſtium arces à tergo relinquat, ſed proximis & obuiis quibuſque occupatis, ad longinquiores velut vno tractu procedat. *Nihil à tergo relinquẽdum.*

Carolo VIII. Franciæ Rege bellum in Italia gerente, in Conſilio diſceptatum fuit, quanam via ad ducendum in Neapolitanum regnum exercitum, vtẽdum eſſet, vtrum per Romaniam in Brutios, aut per Hetruriam & territorium Romanum recta Neapolim verſus eundum? Tandem vicit eorum ſententia, qui Hetturiam & Pontificiam ditionem vnde hoſtis facile nocere poterat, minimè à tergo relinquendas cenſebant. Quocirca rex virium ſuarum metu Florentinis primum, deinde Pontifice quoque ad ſuas partes traductis prædictum regnum tanto facilius occupauit.

E contra quum Paulus IV. Pontifex, Henricus II. Rex Franciæ, & Hercules Ferrariæ Dux contra Carolum V. Imperatorem & filium eius Philippum fœdus iniiſſent, & ab Gallorum rege Dux Guiſiæ valido cum exercitu in Italiam miſſus, propoſita de belli gerendi rationibus conſultatione, Pontifex, qui Neapolitanus erat, & ſuos honoribus & emolumentis cumulandi ſpem conceperat, ſuaſit vt in Neapolitanum regnum vis fieret: Ferrariæ Dux è ſuis finibus Parmam oppugnari volebat: Galli vero Inſubriæ primum inuadendæ, & Mediolani expugnandi auctores erant, quod ob vicinitatem facile defendi, & inde etiam impetus in regnum Neapolitanum commodiſſime poſſet fieri. Quum autem Pontificis, cui Rex in omnibus gratificari volebat, obtinuiſſet ſententia, Guiſius relicto à tergo Mediolano, in agrum Neapolitanum profectus, re infecta ac non ſine damno rurſus inde diſcedere coactus fuit: qui ſi Mediolanum aggreſſus fuiſſet, multorum iudicio, non difficillime vrbem occupare potuiſſet.

Poſt inſignem aliquam victoriam, in primariam ſtatim regionis vrbem vis conuertenda eſt: ſiquidem caput cætera membra facile ſequuntur.

Ferdinãdus Rex Neapolis dicere ſolebat, ſi Ioannes Dux Andega-

uenſis poſt victoriam Anno MCCCCLX. ad Sarnum partam, ſtatim Neapolim ipſam oppugnaſſet, facilem eius, atque adeo totius regni habiturus fuiſſet occupandi rationem. At dum is in minorum gentium oppidis oppugnandis tempus conſumit, Ferdinandus copiarum reliquias recollegit, quibus Gallos poſtea profligauit & regno eiecit.

Illud ipſum eſt, quod in famoſiſſimo illo & omnibus fere numeris abſoluto Carthaginienſium imperatore nonnulli deſiderarunt: ad quem poſt Cannenſem victoriam diu cunctantem, nec Romam, vti factum oportebat, ſtatim exercitum ducentem, Maherbal dixiſſe fertur: *Vincere ſcis Annibal, ſed victoria vti neſcis.*

Xenophon quidem in libello De Cyri inſtitutione, Cambyſem militaria aliquot præcepta filio tradentem introducit: quæ quum digna ſint vt omnium imperatorum & militiæ ductorum animis inſculpantur, nos hic annotamus.

Xenophontis locus ex libro 1. Pædias.

Enitere, inquit, quantum potes, vt cum tuis inſtructis hoſtes non inſtructos deprehendas; cum armatis inermes, cum vigilantibus dormientes: conſpectos abs te, quum ipſi te non viderint, atque etiam vt locorum difficultatibus impeditos, ipſe in loco munito excipias conſtitutus. Et qui fieri poterit, inquit Cyrus, vt aliquis hoſtes in huiuſmodi erroribus deprehendat? Quia enim multa talia quum vobis, inquit Cambyſes, tum hoſtibus accidere neceſſe eſt. Nam vtriſque victus expedienda ratio eſt, ſomnus vtriſque capiendus, & tempore matutino ad naturæ neceſſaria prope ſimul vniuerſis eſt ſecedendum; & itineribus, qualia qualia fuerint, talibus vtendum neceſſario. Quæ omnia conſideranda tibi ſunt, vt vbi maxime vos imbecilles animaduerteris, ibi ſumma cautione vtaris: vbi vero hoſtes facilime opprimi poſſe ſenſeris, ibi potiſſimum eos adgrediare.

Verum an duntaxat in his, inquit Cyrus, meliori eſſe conditione licet, an etiam in quibuſdam aliis? Imo in aliis multo magis, inquit Cambyſes. Nam in his plerique omnes accuratas adhibent cautiones, vti quibus eſſe ſibi opus intelligant. Qui autem fallunt hoſtes, poſſunt eos vel iniecta fiducia incautos opprimere, vel conceſſa inſequendi ſe facultate, perturbare ipſorum ordines; vel ſimulatione fugæ adductos ad difficilia loca inuadere. Oportet vero te, fili, qui hæc omnia diſcendo cognoſcere cupis, non iis duntexat vti quæ ab aliis didiceris, ſed etiam de ingenio tuo quaſdam aduerſus hoſtem molitiones excogitare: quemadmodum & Muſici non iis tantum, quos didicere modis vtuntur, ſed alios etiam nouos facere ſtudent. Ac quæ noua ſunt, & ipſo quaſi in flore, vehementer illa quidem in Muſicis quoque probantur: verum multo magis in rebus bellicis nouæ machinationes laudem merentur, quippe quæ hoſtem decipere facilius poſſint.

Quod

Quod ſi tu, fili, nihil aliud in homines tráſferas q̃ eas ipſas molitiones quas aduerſus minutas admodũ beſtias excogitare ſolebas, nõ te plurimũ in rationibus, quib. hoſte ſuperior euadas, inueniendis profecturũ exiſtimas? Tu hyeme ſæuiſſima noctu ſurgẽs, aucupatũ ibas & prius quam aues ſe commouerent, iam eis erant abs te parata retia, iam area verſa non verſæ ſimilis erat. Præterea quædam aues ſic erant abs te edoctæ, vt tuis quidem illæ commodis ſeruirent, ſui vero generis aues in fraudem pellicerent. Ipſe in inſidiis ita te abdebas, vt illas tu cerneres, ab illis cerni non poſſes. Etiam ſtudioſe dabas operam, vt aues prius trahendo anteuerteres, quam fugerent. Rurſus aduerſus leporem, quod is in caligine paſtum quærat, interdiu vero fuga ſibi conſulat, canes alebas, qui odoratu eum veſtigarent. Et quia repertus celeriter ſe in fugam conicere ſolet, iccirco canes alios habebas ad hoc inſtitutos, vt è veſtigiis eum inſequendo caperent. Quod ſi horum quoque canum vim lepores euaſiſſent, indagabas eorum vias, & ad quæ loca potiſſimum fugerent, in illis retia viſum fallentia tendebas, vt illapſus in ea lepus ipſemet in illa, concitatiore curſu ſe indueret. Atque vt ne hinc quidem aufugeret, ſpeculatores eius quod accideret conſtituebas, qui de propinquo celeriter accurrerent. Ipſe à tergo clamorem ad leporem vſque pertingentem tollens, territabas eum, vt improuide procurrens caperetur; qui autem ab anteriori parte in inſidiis erant, & retia ſeruabant, facile tua opera latebant, quod abs te ſilere iuſſi fuiſſent. Quamobrem, vt aiebam antea, huiuſmodi quædam aduerſus homines quoque moliri volueris, equidem haud ſcio an vllum ex hoſtibus ſuperſtitem relicturus ſis.

Quod ſi aliquando neceſſitas obueniat, vt in planitie campeſtri, marte aperto, armatis vtriſq; prœlium ſit conſeruandum: tum vero adiumenta, quibus ſuperiores euadamus, multo ante comparata plurimum valent. Sunt autem hæc: ſi corpora militum probe fuerint exercitata, ſi probe quaſi exacuendo redditi acres animi, ſi probe rei militaris artes meditatæ. Præterea neceſſe eſt hoc etiam ſcias, quoſcumque cenſes æquum eſſe tibi parere, eos omnes exiſtimaturos, æquum eſſe vt tu ipſis conſulendo proſpicias. Itaque nunquam tibi deponendæ ſunt curæ, ſed prouidendum noctu quid ſubiectos imperio tuo, facere velis vbi dies aduenerit; interdiu, quo pacto ſe res nocturnæ quam optime ſint habituræ. Qua vero ratione inſtruendus ſit ad pugnam exercitus, quo pacto vel interdiu vel noctu, vel per anguſtas vel per latas, vel per montoſas vel campeſtres vias ducendus; quo pacto metanda caſta, nocturnæ diurnæue excubiæ conſtituendæ, ducendus in hoſtem vel reducendus miles; quo pacto præter vrbem hoſtilem faciendum iter, exercitus ad murum adducendus vel abducendus; quo pacto vel ſaltus vel fluuii tranſeundi; qua ratione vel à copiis equeſtribus, vel à iaculatoribus, vel à ſagittariis cauen-

dum: tum ſi tibi explicarum in cornua exercitum ducenti, hoſtes obuii oſtenrent, quo pacto ſit eis acies opponenda; ſin eum phalangis in morem inſtructum ducenti, ex alia quauis parte hoſtes appareant, non autem à fronte, quo pacto ducendus ſit rune in eos miles: qua ratione poſſit effici vt quid hoſtes rerum agant, ſentias; tu quid in ſtituas, protſus ab iis ignoretur: hæc igitur omnia quid tibi commemorem? Nam quæcumque comperta mihi erant, audiſti ſæpius; & cæteroqui ſi qui harum rerum periti videbantur, eorum neminem neglexiſti nec rudis & imperitus talium rerum manſiſti. Quapropter ad quæuis euenta, vt arbitror, his vtendum erit quæ tibi quouis tempore potiſſimum ex vſu fore videbuntur. Etiam hæc ex me, fili, maximi ſane momenti diſcito. Nunquam neque pro te ſolo, neque cum exercitu factis non litatis & contra auſpicia periculum adeas. Nam cogites velim, homines nō niſi de coniecturis res gerendas ſuſcipere: quum plane neſciant vnde ſit ipſis boni aliquid exſpectandum. Licet hoc de iis quæ accidere ſolent, intelligas. Nam fuere complures, iiq; hominum opinione ſapientiſſimi, qui multis auctores exſtiterunt, vt bellum aduerſus eos ſuſciperent, à quibus illi deinde, qui perſuaderi hoc ſibi paſſi fuerant, ſunt euerſi. Multi præterea multos & priuatos homines & reſpublicas euerterunt, à quibus euectis opera ſua, maximis ſunt deinde malis affecti. Multi eos quibus amicis vti poterant collatis in eos & acceptis beneficiis, quum ſeruos eſſe ſuos quam amicos mallent, ab iiſdem multati pœnas dedere. Multi vita iucunda, coniuncta cum poſſeſſione mediocris alicuius partis, non contenti, quum omnia ſuam in poteſtatem redigere cuperent, illis etiam quæ poſſidebant exciderunt. Multi aurum quod tantopere votis omnium expetitur, conſequuti, propter hoc ipſum perierunt. Itaq; humana ſapientia nihilo certius quod optimum eſt eligere nouit, quam ſi quis hoc agat quod ſors obtulerit. Verum Dii immortales, fili, omnia norunt, & præterita & præſentia, & quis ſingulorum futurus ſit exitus. Iidem hominibus ſe conſulentibus, quibus quidem propitii ſunt quæ ſuſcipienda vel non ſuſcipienda ſint, ante ſignificant. Neq; vero mirandum non ipſos omnibus velle conſulere, quando illorum curam gerere quos complecti ſtudio ſuo nolint, neceſſitate coguntur.

Hæc apis illa Attica: cui tanto maior fides habenda, quod non ſcriptor tantum bonus, verum etiam miles fuerit, adeoque ipſe exercitum, & quidem in magnis rerum anguſtiis, feliciter duxerit.

Quibus artibus amor & metus ſubditorum conciliari poſſit.

Illud quoque operam dare imperator debet, vt ſi forte in ſuo exercitu aut comitatu virum aliquem prudentem & cordatum, quamuis priuatæ fortunæ aut humilioris conditionis habeat, eius conſilium & ſententiam exquirere; ac ſi recte atque è re conſuluiſſe videatur, ſequi atque etiam exſequi non erubeſcat. Sic Fridericus Aragoniæ Rex bellum cum Ludouico Andegauenſi Franciæ rege gerens,

ſtipen-

ſtipendiarium habuit Gaſparem Vgolinum de Simeonibus, nobilem Aquilegienſem: qui rogatus à Rege, qua nam ratione id in regno adminiſtrando efficere poſſet, vt à ſubditis amaretur ſimul & timeretur? reſpōdit: Si ius æqualiter omnibus dici procures: ſi feminarum honorem & pudicitiam defendas: ſi denique operam des vt regnum tuum rebus omnibus neceſſariis, quantum fieri poteſt, abundet. Sic enim immortalem tibi vitam ſubditi exoptabunt. Quod prudentiſſimum reſponſum ac conſilium Regi tantopere placuit, vt non in conſilium tantum, verum etiam in amicitiam & quaſi contubernium eius auctorem receperit, & multis immunitatibus & priuilegiis tam ipſum quam eius poſteros, etiam Regibus non inſeruientes, donarit: quibus etiamnum illi fruuntur.

AN LITTERARVM STVDIA MILITIAM ENERVENT,

DISCVRSVS XII.

QVVM Gothi olim in Græciam irruiſſent, & torrentis inſtar omnia longe lateq; eſſent depopulati; quamplurimis direptis & euerſis oppidis, inter cæteram prædam iidem nacti ſunt magnum omnis generis librorum numerum: quorum vſum illi ignorantes quum omnes vno igne cremare & abolere conſtituiſſent, quidam altum exclamans, Ne, inquit, ô populares, hoc facite, ſed potius Græcis hanc peſtem relinquite, quæ dubium non eſt, quin breui omnem eis vigorem erepturа, Martioſq; ſpiritus exhauſtura ſit: ſiquidem nulla re animi facilius effeminantur quam litterarum ſtudiis, adeo vt iis diditi ad arma tractanda plane inhabiles reddantur, &c. Similiter quum Carolus VIII. Franciæ Rex paruo cum exercitu totam Italiam percurrіſſet, & ſine vllo, quod aiunt, ictu Regnum Neapolitanum & bonam Hetruriæ partem occupaſſet, omnibus tantam Italorum Principum vecordiam admirantibus, Gallici exercitus duces præcipuam cauſſam litterarum ſtudiis, quibus illi tum ſupra modum erant dediti, adſcripſerunt: quæ quum pacis tantum aſſeclæ ſint, & ad eam vnice accommodatæ, corda emollire, vel potius emaſculare, & ad pericula ſubeunda timidos hômines reddere ſolent. Quin etiam hodie Turcæ Chriſtianos tanquam imbelles deſpiciatui habent, ob artium quibus dediti ſunt, quaſque exercent, varietatem. Quamuis enim ea ſit humanæ vitæ breuitas

Libri an vtiles.

Turca artes omnes ſpernunt.

breuitas, vt accuratam tot tamque variarum artium & ſcientiarum cognitionem vnus acquirere vix, ac ne vix quidem poſſit: videmus tamen pleroſque omnes ad tot tamque varia ſtudia animos applicare, vt nihil velut intactum relinquere velint, parum illius memores, fieri vix poſſe vt vnus in omnibus excellat; & quando pluribus ſtudiis diſtrahetur animus, tanto longius abeſſe à perfectione. Econtra Turcæ omne ſtudium, curam & cogitationes in armorum tractatione ponunt, ſpretis ceteris artibus omnibus, niſi quæ ad bellum quodammodo ſunt vtiles. Ex hiſtoriis conſtat Romanos bellica virtute cæteros omnes populos ſuperaſſe: præcipue vero quum literis & ſcientiis, è Græcia importatis, ceteriſque Orientalium regionum deliciis portas nondum aperuiſſent. Nullo quidem tempore maior eorum virtus fuiſſe legitur, quam eo tempore quum Conſules ipſi ſtiuam & aratrum tenerent, terramq; colerent; arteſq; omnes Medicę, Chirurgicæ, &c. incognitę adhuc eſſent. Negari quidem non poteſt, ſequentibus temporibus magnas quoq; & præclaras res ab eis fuiſſe geſtas: at ſi verum dicere volumus, fatendum erit auctoritate potius ante armis acquiſita, quam virtute res eiuſmodi vt plurimum fuiſſe confectas. Et ſane manifeſto conſtat, eoſdem quamprimum litterarum ſtudiis & exoticis deliciis locum dederent, continuis fere & ignominioſis cladibus fuiſſe affectos, vtputa à Iugurtha, Mithridate, Cimbris, Numantinis, Spartaco, Parthis, & aliis. Illud etiam in vniuerſum hiſtoriæ teſtantur, populos omnium bellicoſiſſimos, quique res maxime præclaras geſſerunt, ab omni fere humanitatis cultu & deliciis quam maxime abhorruiſſe: quippe quibus vnum illud ſtudium erat, vt animos contra omnia pericula, atque adeo ipſius mortis metum armarent, & corpus perpetuis durarent laboribus: doctrinarum vero reconditiorum aut ſcientiarum ne minimum quidem guſtum habuiſſe, multoq; minus quidquam admiſiſſe quod ad animos eneruandos pertineret. Tales olim fuerunt, hodieq; ſunt Scythæ illi, quorum inuicti exercitus in interiores etiam Orientis regiones ad Danubium vſque & ad Nilum penetrarunt. Superioribus temporibus iidem, ductore Rege ipſorum *Quingo*, vniuerſum fere Orientem armis peruaſerunt, & miſerandum in modum vaſtarunt. Recens eſt earũ quas auorũ noſtrorum æuo magnus ille Tamburlanes geſſit, rerum memoria: qui ſolus gloriari poteſt Turcicos exercitus acie à ſe victos & proſtratos, Principem eorum captum, & tanquã ſcabellum pedibus ſuis fuiſſe ſuppoſitum. Noſtro tempore Mogores, rudes & inexperti populi Scythia, vel vt nunc loquimur, Tartaria egreſſi, magnam Indiæ partem occuparunt. Notum eſt magnum illum, quem vocant Tartarorum Canem vel Chamum, hominem ruſticum & omnis doctrinæ expertem, inter potentiſſimos totius Orbis Monarchas non poſtremum ſibi vendicare locum: quamuis idem gentibus natione barbaris, & ab omni ciuilitate longe remotis imperet. Nec deſunt in

Romani quo tempore maximas res geſſerint.

Scytharum fortitudo.

Et Heluetiorum.

Europa nobis exempla. Heluetios videamus: quorum ingeniis quid craſſius, quid pinguius, quid incultius, olim præſertim? & tamen iidem ad Naneeium in Lotharingia, nec non in Italia ad Nouariam, Marinianum, &c. itemque in Galliis ad Druydarum vrbem & alibi paſſim res valde memorabiles geſſerunt; tantaque in exiſtimatione habentur, vt etiam potentiſſimi Reges & Principes amicitiam ipſorum non expetãt tantum, verumetiam maximo precio redimendam, eisque fere in quibus volunt rebus morem gerendum ſibi putent. Sed præ cæteris omnibus nationibus Turcarum gens hac vitæ barbarie delectatur, omnesque artes quantumuis ingenuas & elegantes, contemtui habet, vt picturam, ſculpturam ſiue ſtatuariam; neque Architecturæ multum tribuunt, niſi quantum ad neceſſitatem: quin etiam duas illas, picturam, inquam, & ſtatuariam, tanquam impias & in Deũ contumelioſas, deteſtantur. Litteras vero ſiue doctrinas & ſcientias pro ſtultitia habent: neque litteratis hominibus quidquam apud eos vilius & contemtius. In veſtibus nullum amant luxum; quas non acupictas, non laborioſe ſegmentatas; ſed è materia robuſta & integra geſtant. Fimbriæ illę & mille veſtimentorum apud nos veluti phaleræ, ne notæ quidem ipſis ſunt: magnates tamen multo auro, eoque puto puro veſtes ornare ſolent. In bello feroces potius & formidabiles quam mundi & elegantes haberi volunt, omnesque in armis ſuas voluptates ponunt, ſic vt nullus inter ipſos ſit qui non ad arma potius quam ad aliud quoduis exercitium aut artem natus eſſe videri velit. Id quod tum maxime apparet quando bellum aliquod gerendum eſt: tum enim qui nõ euocantur, ſumma ſe contumelia affectos, vitamque omnem acerbam ſibi putãt. Hinc iidem in omnibus belli actibus, obſidionibus, oppugnationibus, velitationibus, pugnis tam equeſtribus quam pedeſtribus, tam terra quam mari vehementer etiam a noſtris militibus timentur, nõ ob fortitudinem tantum & vitæ prodigalitatem; verum etiam bellicarum rerum omnium ſcientiam & artem: cuius non exigua olim quum Hydruntum tenuerunt, & contra vniuerſæ Italiæ vires pertinaciſſime diu vſque ad mortem Mahumetis II. defenderunt, in Italia veſtigia reliquerunt, vbi noſtri homines eorum in muniendis locis induſtriam admirati primum ſunt, deinde etiam, exemplis inde captis, imitari cœperunt. Tanta quidem eorum in bello virtus, tam laborioſa induſtria exiſtimatur, vt locus nullus ſit tam munitus, nullum facinus tam difficile, quod illi aggredi non auſint, & vt plurimum non feliciter conficiant.

Sed vt ad litterarum ſtudia & ſcientias redeamus, dicat mihi forte quiſpiam: Quid? ergone cenſes litterarum ſtudia ad militarem gloriam tendentibus eſſe impedimento? aut homines ad

An litteræ impedimẽto ſint militia.

arma tractanda plane reddere idoneos & perfectos? Neutrum quidem, ſed contra potius ſentio, ſententiæque meæ auctores vel adſtipulatores grauiſſimos iam laudabo. Duo illi ſplendidiſſima rei militaris lumina magnus Alexander, & Iulius Cæſar, qui vtrũ virtute an fortuna plus valuerint incertum eſt, an non in omni literarum & ſcientiarum genere excelluerunt? Equidem ſic exiſtimo, ſine hiſtoriarum lectione, & Mathematicarum diſciplinarum cognitione, vix quenquam boni Imperatoris aut bellici ducis nec nomen acquirere, nec officium præſtare poſſe. Hiſtoria enim ob exemplorum tam bonorum quam malorũ ſucceſſuum varietatem hominis pectus inſtruit, vt prudentius omnibus in rebus procedat, & in deliberando maturis conſiliis, in conficiendo vero celeritate vtatur: Mathematicæ vero diſciplinæ intellectum ſubigunt, & iudicium acuunt, tam ad excogitandas bellicas machinas, quam ad aciem diſponendam, & loca munienda. Quocirca omnino fatendum eſt, literarum ac diſciplinarum cognitionem rei militaris candidatis ſiue ſtudioſis magno eſſe adiumento, & animos ad arma inclinatos ad perfectionem quandam diſponere atque promouere, vnde etiam antiqui vnam eandem Palladem ſiue Mineruam & litterarum & armorum præſidem eſſe voluerunt. Quamuis autem Turcæ vt ſupradictum eſt, omni literarum cognitione fere careant, & nihilominus bellicoſi habeantur: videmus tamen Principes Ottomanicæ ſtirpis qui omnium maximas res geſſerunt, Mahumetem ſcil. II. Selymum & Solymanum tam in hiſtoricis quàm Mathematicis ſtudiis apprime fuiſſe verſatos, & virtuti militari non leue inde præſidium petiiſſe. Etſi enim animi robur ſiue magnanimitas Naturæ quodãmodo donum eſt: certum tamen eſt homines omnis literaturæ & diſciplinæ expertes vt plurimum incautos eſſe, dubios, timidos, & verbo dicam, vecordes. Exemplo ſunt Ottomanidæ Turcarum Principes. Inter quos Baiaſetus II. & Corcas eius filius nõ illiterati quidem fuerunt, nullas tamen res memorabiles perfecerunt, quod naturæ quadam imbecillitate ad bella gerenda parum apti eſſent. Ex quibus ſane apparet litterarum ſtudia ad militarẽ artem perfecte addiſcendam multum prodeſſe; inprimis vero in iis quos natura animo quodam robuſto & intrepido donauit. Ad gregarios milites quod attinet, equidem vnum in eis requirendum arbitror, vt ſcilicet prompte obedire ſciant: adeo vt etiam vberiorem litterarum cognitionem inutilem eis putem, ſiquidem vt Poëtæ verbis vtamur, Ingenuas didiciſſe fideliter artes, emollit mores, nec ſinit eſſe feros. Hinc fit vt iſti tales quietem ament, labores & pericula fugiant, mortemq; timeant; vitam deniq; magis ad ciuilitatem quandam inſtituere & conformare, quam gloriæ acquirendæ ſtudio periculis exponere ſtudeant: quæ omnia à

boni militis officio longè abſunt, quod vnicum eſt vt diximus, rectè obedire, & arma ad oppugnandum hoſtem bene polita in promptu ſemper habere.

DE DISTINCTIS NOBILITATIS GRADIBVS, ET DIGNItatum differentiis.

DISCVRSVS XIII.

Quæ in regione politia conſideranda.

QVVM tria præcipue ſint in adminiſtratione Regnorum, Principatuum & Prouinciarum conſideranda, videlicet, Status Eccleſiaſticus, Politicus, & Iuſtitiæ iuriſq; adminiſtratio: primũ in quacumq; regione obſeruandum eſt, quot & quæ in ea politici Status ſint membra, iuxta dignitatis ordinem ibi ſeruatum. Deinde in nobilitatis diſtinctione (quam penes præcipuum eſt regimen) qui Principi ſint feudales, qui liberi; idq; ordine, à ſummo Nobilitatis gradu deſcendẽdo veluti Ducatibus, Comitatibus, Baroniis, Dominiis, &c. Tertio, in quas præfecturas regio ſit diuiſa. Atque his tribus politicus cuiuſque regionis ſtatus ſufficienter declarabitur.

In iuſtitiæ adminiſtratione notandæ erant diœceſes iuridicæ ſuperioresq; ſenatus ad quos fit prouocatio ſiue Appellatio. In Eccleſiaſtico ſtatu, primum Archiepiſcopi, ſi qui ſunt; tum eorum ſuffraganei Epiſcopi, & qui præterea aliis ſuppoſiti ſunt, ordine ponendi erunt.

Nobilitatis differentia & gradus.

Quoniam autem penes Nobilitatem præcipuæ ſunt imperandi partes & munia: vtile & iucundum fuerit eius gradus ordine, & proprias cuiuſq; conditiones internoſcere. Summus eius gradus eſt Imperatorius aut Regius, quem ordine ſubſequuntur, Dux, Comes, Baro, Tribunus militaris, (Banderherr vulgo) quaſi Bendæ, hoc eſt, Turmæ, quam ſub ſuo Baniere, hoc eſt ſigno equeſtri ductat, Dominum. Poſt hunc eſt Eques auratus, ſiue Equeſtris Ordinis dignitatem adeptus, quẽ Galli Cheualier, Germani Ritter vocant. Poſtremo loco eſt nobilis ſcutatus (Eſcuyers Gallice, Belgis Schiltknap) qui inſignia quidem Nobilitatis geſtat, ordinis tamen dignitatem publicam nondum eſt adeptus.

Comitum gradus.

Iam Comitum tres ſunt gradus. Qui in primo eſt à Gallis Viconte dicitur, hoc eſt, vt opinior, Vicecomes, ſeu Procomes,

aut Princeps Comes, qui cæteris apud Ducem ſuum dignitate & priuilegiis præſtat: quem Ludouicus Guicciardinus Burggrauiũ hodie dici vult. Et fieri poteſt hunc Comitum ordinem eo diminutionis delapſum eſſe: ſed principio excellentior fuit eius dignitas, vt mox eius deſcriptio iudicabit. In ſecundo gradu eſt Prouincialis Comes, Landgraue Germanice. In tertio Marchio, Marckgraue. Hi ſunt præcipui Nobilitatis gradus atque ordo, iuxta quem regionis cuiuſque dominium diſtribuitur. Sunt & aliæ quædam in his gradibus, ſubdiuiſionis differentiæ, ſed quæ priuilegiis magis quam regionis forma diſtinguuntur. Eius porro ordinis qui recitatus à nobis eſt, differentiæ & conditiones, quemadmodum in Gallico libello, La diuiſion du Monde inſcripto, exſtant, hic à nobis tradētur, ab ima nobilitate aliorum graduum creationem deducendo, vnde illorum proprietates & regiminis ordo elegantiſſime elucefcent.

Eques Auratus. Eques auratus, inquit ille, ſiue Cheualier, ex ſcutato Nobili ſic creabitur. Si diu hic bella ſequutus, arma exercuerit, pluribus cōflictus interfuerit, atque vnde ordinis dignitatem honeſte tueri poſſit, habeat, ſitque ex magna inſigni ac diuite familia, tum in aliquo conflictu duci exercitus, aut ſtrenuo & generoſo Equiti petitionem ſuam explicabit, & finito conflictu, ipſe ducem aut Equitem dictum accedet, præſensque in nomine Dei ac S. Georgii orabit, vt ſibi ordinis inſignia donet. Quo ille audito, gladiũ ſuum educet, terque ſupplicantem feriet, dicendo: Ego te facio Equitem, in nomine Dei ac S. Georgii, ad fideliter conſeruandam fidem, iuſtitiam, Eccleſiam, viduas & pupillos. Quod ſi vero ſupplex etiamſi ſtrenuus, ſit tamen pauper admittendus non erit, niſi tot illi reditus annui aſſignentur ac donentur, quot ad ordinis honorem & dignitatem conſeruandam opus eſt habere. Atque hic primus eſt ab imo Nobilitatis gradus.

Tribunus militaris ſiue Banderherr. Tribunus militaris, Banerherr vulgo, ex Equite aurato fiet, ſi diu ſequutus bella, ſatis terrarum ac redituum poſſideat, ad renēdos & ſtipendiis alendos quinquaginta Nobiles, hoc eſt, vnam Bendam ſiue Turmam, quę ipſius ſignum equeſtre militia ſequatur. Nemo enim ſignum ſiue vexillum erigere poteſt, niſi qui turmam, hoc eſt, Bendam, quinquaginta, vt minimũ, nobilium ſtipendiariorum ſuo ſumtu in militiam educere poteſt.

Baro. Baro ex Equite aurato aut etiam Scutato nobili creari poteſt, quando in ſuo Dominio quatuor Caſtellanias, habentes iuriſdictionem altam, & mediam & baſſam (vt vocant) poſſidet, tum enim Rex illi conferre poteſt vexillum Baronatus. Cæterum hoc illi conferri non poteſt, niſi rebus fortiter in bello geſtis. Itaq; ex primo conflictu equeſtris fit ordinis, ex ſecundo tribunus militaris, ex tertio, Baro.

Comes, aſcendendo, ſequitur. Et quidem primo Limitaneus, quem Marchionem ſiue Marckgraue appellamus. Is autem in talem creari poteſt, qui duas aut tres Baronias in vno Ducatu concluſas poſſidet. Creari autem poteſt à ſuo Duce, in cuius ditione eas poſſidet. *Marchio.*

Comes Prouincialis deinde: ſiue Landgraue fieri poteſt, qui quatuor Baronias vni Ducatui incluſas habet, quem Dux in Comitem creat, aut etiam Rex per Ducis inſtantiam aut permiſſionem. *Comes Prouincialis.*

Vicecomes (Viconte) Princeps Comes fieri poteſt, qui tenet quinque Comitatus, aut plurés in vno Ducatu comprehenſos habet aut iunctim ſitos. Et poteſt à Duce in magna ſolennitate permiſſu Regis creari. Quod ſi Rex ipſe præſens adſit, honorabilior fit Principatus. *Vicecomes.*

Dux ex Comite qui futurus eſt, inprimis in Regno in quo coronandus eſt, poſſideat quatuor Comitatus Principales, & in quolibet horum habeat alios quatuor Comitatus ſiue Baronias, illis quatuor Comitatibus fide & clientela obſtrictos, ſic ius Ducalis dignitatis conſequendæ liberum habebit. Coronandus eſt autem a Rege vel Imperatore cui ſubiectus eſt galero magaritis & gēmis precioſiſſimis exornato, in florentiſſima ſuarū ditionū vrbe, idque in magno conuentū Principum virorum, Ducum, Comitum, ac Baronum, ſolenni etiam feſto celebrato, quemadmodum in coronatione Regum conſuetum eſt. *Dux.*

Qui Rex futurus eſt, neceſſe eſt quatuor Ducatus inter ſe cohærentes, & in quolibet Ducatu quatuor ciuitates, in quas nulli alii imperium ſit ſibi ſubiectas habeat. In qualibet etiam harum ciuitatum Archiepiſcopum vnum: ſub vnaquaque ruſus horum decem Prouincias Epiſcopales. His dotatus exornatuſque Dominiis & dignitatibus, Imperatoriam maieſtatem tamquam ſuum ſuperiorem adibit, aut ad ſe vt veniat, honorifica legatione inuitabit, & impetrabit vt ab ipſo coronetur. *Rex.*

Recentior autem hæc eligendi Regis cæterorumque Principum lex eſſe videtur. Quamdiu enim vagæ nationes, Gothi, Vādali, Longobardi, aliæque plures, ſuos ſecum Reges adducebant, non ex ampla terrarum poſſeſſione regiam dignitatem metiebātur, ſed ex viribus populique adducti multitudine. Nec ducū etiam, qui primum à Longino Exarcho Rauennati Anno Domini DLXIX. & mox à Longobardis inſtitui cœperunt, alius fuit delectus, quam ex fortitudine & rerum gerendarum prudentia. Adde quod Paulus Æmilius teſtatur, Duces Comiteſque principio ab Regibus ea lege gentibus ciuitatibuſque præfectos fuiſſe, vt quoties ex vſu eſſet, abdicarentur aut mutarentur. *Reges vetuſti.* *Prima Ducum &c. origo.* *Quando ordo hic cœperit.*

Neque vero dictæ creandorum Principum leges, quum hæ-

reditarias terrarum poſſeſſiones præſcribant, & certum earũ modum poſtulent, condi potuerunt quamdiu temperario tantũ beneficio Ducatus Comitatuſq; à Regibus & Imperatoribus conferebantur. Quapropter licet præciſe eius inſtituti tẽpus indicari nequeat (nullam enim eius notam adfert Gallicus ille libellus) tamen ſub Othone II. Imperatore, aut circa annum Domini milleſimum, vel paulo poſt, eam conſtituendarum confirmandarumque dignitatum rationem à Monarchis ordinatam fuiſſe, omnino eſt veriſimile. Enimuero vſque ad Othonem II. pro ſua quiſque Princeps ambitione & potentia ad maiorem dignitatem regiamque Maieſtatem aſpirabat. Sic ex vno Lotharingiæ regno, quod a Rheno ad Scaldim vſque extenſum, mari Friſico terminabatur, & vnius Lotharii, Ludouici Pij filii erat, poſtea plura ſunt nata, videlicet transIuranæ Burgundiæ, quod à Iura monte ad Alpes vſque extenſum, totam Heluetiam, Rauracos, Allobroges & Burgundos transIuranos complectebatur: & Prouinciæ regnum quod ſimul partem aliquam Burgundiæ ac Sabaudiæ comprehendebat, & poſtea appellatum eſt Arelatenſe, cuius etiã hodie Treuirenſis Elector Archicancellarius appellatur, Regnũ item Lotharingiæ, quod Lotharingiam nunc dictam & deinceps reliqua inter Rhenum & Scaldim vſque ad mare Friſicum continebat, & olim Auſtraſiæ Regnum vocabatur. Rurſus hoc ipſum Lotharingiæ regnum Carolus Caluus, & eius frater Ludouicus inter ſe partiti ſunt, vtrobique Regis titulo ſeruato. Omitto alia eodem ſæculo pro imperandi libidine orta regna. At vero Otho II. Imperator Lotharingiam ablato Regni nomine, in nouos Ducatus, Comitatuſque diſtinxit, veluti membris à corpore diuulſis & diſtinctis, vt habet Cuſpinianus, factaque diuiſione anno MCLXXXI. primum eius quæ nunc eſt, Lotharingiæ Ducem conſtituit Carolum Lotharii Regis Franciæ fratrem, vt latius ex aliorum patet monumentis. Ab eo tempore videtur arbitraria illa regnorum & principatuum erectio deſiiſſe, monarchis his tũc omnia ad ſtabile imperium dirigere cogitantibus, quod in iuſta partium imperii, quemadmodum in homine membrorum ad caput, proportione & harmonia maximè ſitum eſt, vt ergo in principatibus, & rerum adminiſtratione, ordo aliquis perpetuo ſeruaretur, tandem eo fere, quod diximus, tempore eas leges excogitatas fuiſſe arbitror.

Habes vniuerſæ nobilitatis diſtinctos gradus & dignitatum differentias, iam obſerua in vnoquoque regno, quomodo prouinciæ pro illorum ratione ſint diuiſæ, quomodo regimen & vniuerſitatis gubernatio & qua proportione in hos gradus ſint diſtributa & quod cuique ſit proprium officium: quæ cuiuſq; ad alterum, & præcipue ad caput ſit habitudo & neceſſitas.

Vide-

Videbis inſignem harmoniam, ad pacem & tranquillitatem, ad robur & potentiam, ad diuitias & faſtum, ad virtutem & ſapientiam ad regni maieſtatem, ad limitum extenſionem, ad inſtabilitatem, ad declinationem & interitum, aut quocunque alio tendentem, vt ſint adminiſtrationum rationes variæ. Quæ minus recte ſuccedere videris aut iudicaueris, vnde id procedat, contemplare; Quę bona & ſucceſſu felicia inuenies, cauſſam illorum diſquire.

Sic optimam politiam in regnorum adminiſtratione ſpeculaberis, ac ſtudia hæc magno cum fructu tractabis.

N. SPANNOCHII EQVITIS, DE INVADENDO ET SVBiugando Angliæ regno ad Regem Hiſpaniarum Catholicum,

DISCVRSVS XIV.

QVVM piratæ illius Angli Franciſci Draconis, tot annos iam Hiſpaniam, ac proinde vniuerſum orbem infeſtantis odium; tum ſingulare V. Maieſtati inſeruiẽdi ſtudium ac zelus maxime, vt ſcriptum hoc breue V.M. offeram; quod vt V.M. æquo animo accipiat, & audaciam hanc meam bonam in partem interpretetur, humilime rogo atque oro.

Quanto pacis ſtudio M.V. vt bonum & Chriſtianum decet Principem, teneatur, ex factis eius facile intelligi poteſt: quippe quæ hactenus in id magis incubuerit quomodo ſua regna tueri & conſeruare, ſubditos in officio continere, & vicinorum beneuolentiam ſibi conciliare, quam alios quibus bonam & Catholicam V.M. intentionem diſturbandi voluntas non deeſt, offendere poſſet. Quamuis autem in hoc M.V. conſilium non damnem; multorum tamen Regum ac Principum tam è veteri quam recenti hiſtoria petitis exemplis demonſtrare mihi facile eſſet, Regni alicuius ac Status conſeruandi nullam faciliorem eſſe ac tutiorem rationem, quam quæ in alieno acquirendo, atque ſuo

augendo imperio eſt poſita. Cui quidem ſententiæ hanc Maximã ſiue axioma tamquam fundamentum ſuppono: Eum ſcilicet qui finibus ſuis contentus, conſeruationi tantum ſui Status ſtudet, alienum vero nihil acquirit, maleuolis hominibus tam voluntatem quam facultatem nocendi adimere non poſſe.

Quæ quidem ratio apud V.M. magis quam vllum alium Principem valere debet, quum grande illud V.M. imperium longe lateque diſperſum ſit, ac maior potentiæ Veſtræ pars ab inconſtantiſſimis rebus, vento ſcilicet & aqua, id eſt, ab claſſibus illis ex vtraque India venientibus dependeat, quas nullæ etiam maiores vires aut conſilia poſſunt defendere, ſed rotæ veluti in Fortunæ arbitrio ſunt poſitæ. Piratam hũc de quo dixi, videamus; qui nullis fere viribus fretus, totũ orbem pturbat: nec quidquam pſunt contra eum à noſtris hactenus vſurpata remedia. Nec vero quieturum eum porro, ac iis quæ iam nimis multa fecit, contentum fore; quin potius poſt eũm alios, opimæ ſpe prædæ illectos, eamdem viam inſtituros veriſimile eſt: ad quam rem eis vicinorum Principum ac Statuum. qui V. M. minus bene volunt, ſtudia & auxilia non ſunt defutura.

Quare conſultiſſimum mihi videtur vt M.V. Angliæ regnum oppugnandum ſuſcipiat; vtpote ꝙ vnum Indicum illud cõmercium maxime interturbare atque impedire poteſt, quo quidem conſilio ad cõſeruandã Status veſtri quietẽ nihil melius, nec hoc tempore perfectu facilius eſſe iudico, rebus omnibus ad Orientẽ, in Turcia ſcilicet pacatis ac tranquillis (quarum perturbatio præ cæteris omnibus Expeditioni huic impedimentum obiicere potuiſſet) cæteris vero vicinis Principibus ciuili bello ob religionem occupatis.

Et huic quidem V. M. conatui aliorum Principum ſtudia & auxilia facile poterunt adiungi, Pontificis inprimis, cuius vt præcipue hanc expeditionẽ feliciter perfici intereſt, ita milite, pecunia & precibus ad Deum veſtræ Maieſtatis res eum adiuturum dubium non eſt, Hiſpaniæ regna hoc quidem tempore, ſingulari Dei beneficio ac cœli benignitate rebus omnibus ad victum ſpectantibus mirum in modum abundant, vt facile quamuis magnos exercitus alere, ac maximam claſſem omnis generis commeatu inſtruere poſſint. Tum ea paſſim in V.M. portubus triremium ac varii generis nauium eſt copia, quanta ad multo maius q̃ Anglia eſt, regnum ſubiugandum ſatis eſt. Non deſunt militares tribuni, pfecti ac duces, tã terreſtres q̃ nauales copiæ, pugnis innutritæ, & vinci pœne neſciæ; quæ tanto ad bellũ hoc alacriores futuræ ſunt, ꝙ id Veſtræ Maieſtatis, vtpote Catholici Regis, nomine digniſſimum, & pro ſalute Chriſtianæ Reipublicæ ſuſceptnm eſſe intelligant. Sunt à Veſtræ Maieſtatis partibus

caulſæ

cauſſæ iuſtitia,quam plerumque victoria eomitari ſolet, quum Veſtra Maieſtas multis iniuriis ad hoc bellum ſit prouocata : cui etiam tanto promptius milites nomina dabunt, quanto maior , vtpote in regno totius mundi deliciis affluentiſſimo, opulentæ prædæ ſpes eſt. Non ibi vlla militaris diſciplina aut ars reperitur, niſi exiguum illud quod in Veſtra Maieſtatis Schola didicerunt: non præſidia aut arces,vtpote quas exſtruere regiis prohibitum eſt legibus, in primis Henrici V I I I.huius Reginæ patris. Verum quidem eſt Iulium Cæſarem multa tam equitum quam peditum millia ad regnum hoc ſubiugandum olim adduxiſſe: at tum maior erat inhabitantium multitudo, vt ex hiſtoriis illorum temporum liquido apparet. Præterea nouæ quotidie Cæſari erant inſtituendæ oppugnationes,tum ad eas quas ſubiugarat regiones tuendas,copiæ minuendæ: quæ etiam ſæpe rebellabant,adeo vt expulſo Cæſari,multo deinde longius hoſtis quærendus,ac proinde maiores copiæ adducendæ eſſent, quum tamen noua ſubſidia,ob nimiam diſtantiam, à Republica ſperare non poſſet. Quid quod Anglia vniuerſa tum velut vna mente & manu Cæſari ſeſe oppoſuit:qui quamuis nullam aliam belli cauſſam haberet quam Imperii augmentum,nihilominus tamen regnum hoc tam breui tempore,tanta cum gloria ſubiugauit.

At nauales quidam Anglorū copias,& numeroſas claſſes iactant, & metuendas prædicant. Hos exemplis noſtri temporis refellere ſatis eſt. Conſtat enim maximas Anglorum claſſes vix vmquam plures quadraginta nauibus iuſtæ magnitudinis habuiſſe: & tamen credibile eſt eos omni copia præſenti vſos fuiſſe, quippe qui ſcirent Hiſpanorum, quas illi obſeruabant, claſſes, non paucioribus vt plurimum conſtare nauibus.Eſto,ducentas contrahant, & plures,erunt tamen omnes ad piraticam faciendam quam ad nauale committendum prœlium vt aptiores, ita alacriores. Nec mihi quis heic inſolentem Draconis audaciam obiiciat,quę noſtra magis ignauia quam ſuo ipſius nititur valore, & quamdiu miliiari manu non retundetur, maius quotidię ſumet incrementum. At ſi dignum aliquod tantis iniuriis conſilium cœperimus, dubium non eſt quin is tandem in rete pertrahi poſſit. Falluntur quoque qui vniuerſam Anglorum gentem ad res mari gerendas præ cæteris aptam eſſe exiſtimant: quum conſtet in pugna illa nauali qua Marchio Santacrucius Gallicanam claſſem ad inſulam S. Michaelis profligauit, primum fugæ initium ab Anglis factum eſſe. Soluat ergo tandem frænum iræ M. V. qua militum alacritas plurimum augebitur; quæ vbi ſemel intepuerit, ægre poſtea iterum poterit inflammari. Neque enim ſpes eſt eiuſmodi homines alia ratione ad officium adduci poſſe,præſertim quum frequenti Indicarum opum deprædatione iam mirabiliter ſint ineſcati. Neque vero vllum ego video impedimentum, quod hanc Expeditionem remorari poſſit, modo res ea qua par eſt prudentia & indu-

ſtria adminiſtretur. Quum vero tam regia expeditio clam non poſſit, nec ſi poſſit, debeat adornari, conſultum mihi videtur, vt veterum Romanorum exemplo, bellum Reginæ miſſio Fetiali ſiue Heraldo denuntietur. Hac enim ratione omnis ſuſpicio in reliquorum Principũ animis è tanto apparatu nata, eximetur; & hoſti maximos ſumptus faciendi & peregrinas copias in regnum aduocandi imponetur neceſſitas: quorum hoc vnum non paucis regnis extremum peperit exitium, quum ſcilicet peregrina ſubſidia illos ipſos à quibus euocati fuerant oppreſſerunt & ſubiugarunt. Exemplo ſit hæc ipſa de qua dicimus Anglia, quæ tamen ſimul & iugum accepit ab ea natione quã in auxilium adſciuerat. Peregrini enim milites quũ nihil aliud quam ſtipendium ſpectent, eo deficiente, continuo ad prædam & rapinas ſe vertunt. Nec ſane ſcio quomodo Reginæ ærarium tantis impenſis ſufficere poſſit, ſi quantæ in vnam Germanorum vexillationem impenſæ faciendæ ſint, conſideramus. Ab his enim ſolis auxilium Angli ſperare poſſunt, Gallis inteſtino bello implicatis.

Eſto vero, introducat Angliæ Regina exteros milites cuiuſcumq; nationis in regnum: quis non videt maximam inde confuſionem orituram, & ſubditos ipſos eam ob cauſſam magno in Reginam odio exarſuros, vt quæ tanti incommodi cauſſa fuerit? Sic ergo multi tum animi ſui ſenſa nudabunt, qui hactenus ea celarunt; non Catholici tantum, verum etiam quotquot incommodum aliquod ſenſerunt: quibus etſi omnino fidere Maieſtas Veſt. non poſſit, credibile tamen eſt aliquas inde turbas ad promouendum Maieſt. Veſtræ conatum, orituras.

Tres omnino, meo quidem iudicio, ſunt modi, quibus Angliæ Regina ſe contra V. M. defendere quodammodo poteſt. neque enim in hunc numerum illud venit, vt alios Principes contra M. V. ea concitaturam ſe ſperet; quum ſtatus rerum is ſit, vt nemo facile ad id induci ſe ſit paſſurus. Primus illorum modorum eſt, vt accito in auxilium magno exterorum militum numero, nauali prœlio de ſumma rei decertet. Secundus, vt terreſtribus tantum copiis ſe defendat. Tertius, vt diuiſis copiis, tam Mare quam Terram ipſam tueatur. Ad primum quod attinet, equidem ſi rei ſumma nauali prœlio committenda ſit, certam M. V. victoriam promittere auſim, etiamſi & nauium & claſſiariorum numero Angli ſint ſuperiores. Ea eſt enim nauium noſtrarum fabrica, ea firmitas & aptitudo (quod longe maximi eſt momenti) vt quantæcumque claſſi, quę in plaga Septemtrionali contrahi poſſit, ſatis ſit. Claſſem vero in hæc nauium genera diſtinguo.

Diuiſio claſſis, & numerus militũ. Naues quæ *Gabbia* vocantur, ſunto ſexaginta. Earum quæuis capiat milites 300. Sic erunt 18000.

Gabbioni 25. & inter has magnæ illæ Luſitanæ. Singulæ vehant claſſiarios 400. Erunt in 25. 10000

Galeazza ſex, inque earum ſingulis claſſiarii 500. Fient ergo in his 6. 3000.

Galera quadraginta, quæ vehant ſingulæ claſſiatios 100. Erunt in his 40. 4000.

Pinaſſa & Pattagia quadraginta, inque his omnibus 300. claſſiarii, ex Aſturia, Biſcaia & Guipuſcoa conſcripti.

Summa	Nauium	171.
	Claſſiatiorum	38000.
In his ſint	Hiſpani	16000.
	Itali	12000.
	Germani	10000.

His addendi ſunt duo foſſorum millia: nec inutiles fuerint mille aut eo plures equi quorum ibi non magna eſt copia, vſus tamen, vt in regione plana & campeſtri, magnus eſt futurus. Quum vero Hiſpania longius abſit quam vt inde commode nauibus aduehi poſſint; ſuaſerim vt è Flandria ſumantur, quæ iis hanc ad rem aptis abundat.

De reliquo belli apparatu, vt machinis, & quæ ad earum vſum pertinent, nec non alimentis, nihil dico. quod ea omnia Maieſtati Veſtræ paratu ſint facilia. Id tantum rei caput eſt, vt eiuſmodi apparatu inſtructa claſſis, quamprimum educatur, & hoſtem quærat, quem equidem pates ad reſiſtendum vires non habiturum certo per ſuaſum habeo. Quod ſi is tamen eum noſtra concurrat, &, vt credibile eſt, vineatur; proximus quiſque portus capiendus, & exſcenſio ſine vlla mora in inſulam facienda erit; interim vero naues ſubſidiariæ tam ex Hiſpaniis quam Flandria ſummittendæ, ad defenſionem autem euntium & redeuntium volitantibus paſſim Galeazzis & Galeonibus, nec verendum eſt ne Angli claſſem ſuam ſemel profligatam facile reſtaurare poſſint, quippe terreſtri bello plus nimis occupati & diſtenti: alii vero ipſorum Confœderati eiuſmodi nauium numerum quo noſtros infeſtare queant, ægre contrahent, quum experientia compertum ſit, Confœderatos plerumque in rebus magni momenti concludendis, niſi in primo factionum impetu, negligenter verſari: vnde magnæ oriri confuſiones ſolent. *Prælium nauale committĕdum.*

Exſcenſione facta, etiam in portu non admodum ſecuro, quod ad rotundas Naues parum intereſt, loco quam commodiſſimo munitio excitanda, & quantum ſatis ad eius defenſionem videbitur, præſidio firmanda eſt. Inde, mea quidem ſententia, exercitus contra Londinum regni caput & metropolim ducendus, niſi fortaſſe nauale prœlium tam cruentum fuerit, vt viginti quinque bellatorum millia non reſtent: quo caſu vniuerſi exercitus Imperator & præſentem rei ſtatum conſiderare, & tam ſuarum quam hoſtis virium *Londinum vrbs aggredienda.*

ratio-

rationem habere debet. Nec meum hoc conſilium nimis calidum ac præceps videri debet: quum certum ſit ſi in gentem aliquam quantumuis numeroſam, diuturna tamen pace imbellem, ex improuiſo vis fiat, omnes ingenti trepidare metu, & paucos qui in medium aliquid conſulere poſſint, reperiri.

Exemplo ſit Romanæ vrbis ſub Borbonio, & multo recentior Antuerpiæ direptio, multo paucioribus copiis, immo â pauciſſimis, ſi ciuium ſpectetur multitudo, facta. At ſi impetus eo vſq; differatur dum metu depulſo ciues animam recolligant, quis non intelligit quantæ difficultatis ſit prægrandes & populoſas ciuitates per vim occupare?

Quod ſi hoſtes (Angli ſcilicet) terreſtri tantum defenſioni intenti fuerint, maiori ſuarum virium parte deſtituentur, vtpote quæ naualibus copiis magnam partem conſtant: quibus tamen omnibus exſcenſione noſtros prohibere non poterunt, id quod multoties aliis occaſionibus compertum eſt. Talis vero ac tantus exercitus, vbi ſemel terram apprehenderit, non facile inde depelli poterit, ſi præſertim prudens Imperator, negata prœlii copia, aut hoſte adeo potente vt confligere non auſit, loca ad ſui defenſionem opportuna diligenter muniat. Quod ſi fiat, atque exercitus aliquandiu in inſula retineatur; equidem futurum omnino puto vt Regina animum abiiciat, omnibus tandem viribus (quippe cui ad tantos ſuſtinendos ſumptus, nullæ ſunt Indiæ) exhauſta. Illud vero noſtris vnice cauendum eſt, ne à tergo maris ad aduehendam annonam & reliquos apparatus ſumme neceſſariis commoditatibus excludi ſe patiantur: quamuis optimum fuerit, ſtatim cum hoſte manus conſerere, vtpote in quo caput ac præcipuum totius Expeditionis feliciter perficiendæ momentum ſit poſitum.

Si vero hoſtis tam terra quam mari defendere ſe ſategerit, in id primum vnice noſtris incumbendum fuerit, vt nauali prælio hoſtem vincant. Sic enim id efficietur vt noſtris nauibus in Hiſpaniam redeuntibus (quod fieri debere ego exiſtimo, relictis ſolis Galeonibus & Galeazzis) minus ab hoſte, ex occaſionibus aſſiliente, futurum ſit periculi. At hoſtilem profligare claſſem non difficillimum fore crediderim, quum noſtra omnibus fere rebus ſit inferior. Huius vero prœlii euentui, terreſtris quoque prœlii euentus ſimilis futurus eſt: ac de cætero, quid porro ſcilicet agendum, Imperator ac duces, quæ ipſorum eſt prudentia, facile ſtatuent: ac plane ſpero omnia breui ita proceſſura, vt felicis exitus certam ſpem habere poſſimus, præſertim quum tota inſula vndique aperta, munitionibus deſtituta, & ad inuaſionem opportuna ſit.

Quod ſi ex hoc inſtituto nulla alia quam honeſtæ Tranſactionis ſpes eſſet, tanti profecto fuerit bellum hoc ſuſcipere, & exercitum hoſtili ſolo immittere. Quamdiu enim res ita comparatæ fuerint,

vt iam comparatæ ſunt, non video quomodo vlla inſtitui poſſit Tranſactio vel pacificatio: quæ etiamſi quam optimis conditionibus ab hoſte ipſo offeratur, non tamen Veſtræ Maieſtatis magnitudini conueniens fuerit à tali gente eam accipere, ecõtra vero, qualeſcumque pacis ſiue tranſactionis leges, eo tempore quo exercitus noſter hoſtilem terram inſederit, latæ, non modo de Maieſtatis Veſtræ exiſtimatione nihil detrahent, verum etiam eidem ſummam benignitatis & clementiæ laudem conciliabunt.

Beneficiarii & clientes Regiæ veſtræ coronæ, tam ſummi quam infimi, in vniuerſum omnes Expeditionem hanc optant & exſpectant ſuæ vt virtutis ſpecimen edere, ſuamque fidem V. M. probare poſſint. Et hac quidem occaſione Nobili iuuentuti, quę iam aulico otio quodammodo torpere videtur, ſchola militarem artem diſcendam & tolerandos militiæ labores aperietur. Tantum annuat conſilio huic Maieſtas Veſtra, & videbit quam prompte atque alacriter, immo vltro omnes ſint concurſuri.

Vtilitates huius expeditionis.

De Vtilitatibus quas Regni huius occupatio allatura eſt, vt dicam nihil neceſſe eſt, quippe ita manifeſtis vt neminem latere poſſint. Illud tantum conſiderari velim, quanti ſumptus M. V. quotannis in naues ſubſidiarias, quæ indicas claſſes commitari & deducere ſolent, faciendi ſint; qui eo magis augebuntur quod hoſtis quotidie creſcit audacia, virium vero noſtrarum minuitur exiſtimatio, adeo vt vel hæc vna cauſa ad bellum hoc (quod vnicum eſt huic malo remedium) ſuſcipiendum ſatis eſſe debeat.

Obiectionũ ſolutiones.

De Gallis.

Reſtat vt cunctatorum quorundam diſſoluam obiectiones. Dicunt quidam Gallos coniunctis cum Anglorum gente viribus, Expeditionem hanc qua poſſunt, impedituros. Id vero minime verendum fuerit, cum Gallorum diſcordiæ, è Religionum diuerſitate potiſſimum ortæ tantis odiis hactenus exercitæ ſint, vt pacis inter ipſos vix vlla ſpes ſit. Sed eſto, coniungant ſe Anglis Galli, ac ſimul annefacere hoc poterunt quin vires ſuas diſtrahant, parte earum confœderatis in ſubſidium miſſa, parte ad defenſionem patriæ, & hoſtis auerſionem collocata? qua quidem ratione neutrum quod inſtituerunt: perfecturi ſunt. Nec vero exiſtimo eam Gallorum regi aut Gallis mentem eſſe, vt ſuorum ſanguine, aut ſuiſipſorum ſumptibus Anglos defenſos velint, quum propriis omnes vtilitatibus magis quam alienis ducamur; adeoque rex ipſe ſuis quoque beneficiariis ſtipedium numerare cogatur. Ac quamuis multo maiores ex Anglia vires contrahantur, nunquam tamen noſtri ad iniquum aut dubium committendum prælium cogi poterunt, quum ea ſit ducum noſtrorum inueterata prudentia, ea veteranorum militum dexteritas & promtitudo, vt facile omnes hoſtium conatus eludere poſſint. Quid, quod ipſum quoque mare, à tergo ſemper apertum, noſtris ad quoduis conſilium vtile erit, & ſecuritatem præſtabit. Iam ſi Anglis ad ſuæ

tantum

tantum regionis defenſionem intentis, Galli omnibus ſuis maritimis copiis iter nobis intercludere conentur: quî, quæſo, hoc facere poterunt; quum quidquid habent nauium, nec numero nec magnitudine, nec vlla alia re eum noſtris comparari queat? Quid Galli contra Hiſpanos mari poſſint, in nauali ad Sanmichaelem inſulam conflictu apparuit, vbi viginti quinq; Hiſpanorum naues Gallicas ſexaginta fuderunt ac ſuperarunt.

Quod ſi iidem Veſtræ Maieſtatis regiones terrâ inuadere velint, tribus tantum partibus id facere poſſunt; à quarum vna valde temerarius quoque & magno cum periculo futurus eſt aſſultus, nimirum à Nauarriæ finibus, ob locorum aſperitatem, & gentis fortitudinem, quæ bellandi ſtudio & laborum tolerantia nulli Hiſpaniarum genti cedit. Nec eſt quod Maieſtas V. Inſubriæ ſiue Mediolanenſi Ducatui metuat, vbi ea eſt ſubditorum erga Maieſtatem Veſtram fides & amor, vt nouarum rerum nullum omnino ſit periculum: tum præter Sabaudiæ Ducis rerum veſtrarum ſtudioſiſſimi, vicinitatem, tot ac tanta paſſim ibi ſunt præſidia, tam munitæ arces & oppida, vt eorum quoduis vel magni exercitus impetum ſuſtinere & robur atterere poſſit, etiam ſi regioni à Maieſtate Veſtra Præfectus exercitum hoſti opponere nolit.

Quod ſi Belgium Gallis, ſepoſito paulisper ex Alenzoniana Tragædia concepto odio, aggredi viſum fuerit, eoque res etiam deueniat, vt Maieſtatis Veſtræ milites præſidiis includantur: exiſtimandum tamen non eſt id quod tot iam annis ac tanto ſanguine ibi partum eſt, vna quaſi hora rurſus amiſſum iri, quum præſertim is locorum quæ ibi Maieſtatis Veſtræ tenentur præſidiis, ſit ſitus, vt pleraq; non captu tantum, ſed etiam obſeſſu ſint difficilia. Et quamuis metus eſſet, ne tandem temporis ſucceſſu damnum ibi aliquod acciperetur, id tamen obſtare non debet quominus tanta ac tam breui tempore perficienda expeditio ſuſcipiatur.

[margin: l Turca Hiſpaniarũ gi nihil mendum.]

* A Turca etiam non eſt quod vllum Maieſtas Veſtra valde timeat periculum, vt meticuloſi quidam iactant. Quid enim is, ſi vel maxime Perſas ac Tartaros non infeſtos habuerit (quos tamen longe haberi iam infeſtiſſimos) aliud efficere poterit, quam quod villas quaſdam in maritimis oris deprædetur? Ille idem quum Melitam inſulam ſummis viribus diu oppugnaſſet, tandem tamen re infecta ignominioſe inde diſcedere fuit coactus. Si tamen is vel magnum quid audeat, præterquam quod vniuerſæ Italiæ vires in ſe prouocabit patuum quoque operæpretium in Veſtræ Maieſtatis ditionibus oppugnandis faciet, vtpote quæ tam maritimis quam terreſtribus copiis ita inſtructæ & munitæ ſunt, vt talem imperium facile ſuſtinere poſſint: ac propterea expeditio hæc ob meritas ab Angliæ regina ſumendas pœnas, intermitti non debeat.

[margin: ...te à Germanis.]

Neque vero illud magnam vim ad remorandam hanc expeditionem

nem habere debet, quod nonnulli Germanorum auxilia Anglis in promptu fore iactant: quorum quidem non maior habenda eſt ratio, quam animarum precio conductarum. Id enim (precium nempe ſiue merces) ſolum in cauſſa eſt, vt Reginæ rebus forte nonnulli ſtudeant: quum ſi vel maxime totum illud regnum Veſtræ Maieſtatis accedat imperio, nullum inde ſibi damnum illi metuant. Nec tantum apud eos valebit religio, ob acerbiſſimas inter Lutheranos & Caluiniſtas diſſenſiones, ex quo illud fiet, vt qui plus argenti habuerit, & opimiora numerarit ſtipendia, maiora quoque & certiora à Germanis auxilia ſperare poſſit.

Ad extremum illud addo, Exitum vniuſcuiuſque expeditionis in manu Dei eſſe; cui vt huius quoque euentum noſtris precibus commendare debemus; ita, vt in iuſta cauſſa fauſta omnia ab eo ſperare nobis licet.

DISSERTATIO, ANNO M.D.LXXXVIII. HABITA, QVANDO ſtupenda illa claſſis Regis Catholici in procinctu ſtabat: in qua diſputat auctor quonam eius conuertendus ſit impetus; ſpeciatim vero vtrum ea Belgium vel Angliam oppugnare magis expediat.

DISCVRSVS XV.

TANTA hodie eſt Hiſpaniarum Regis potentia, tam validi exercitus tam copioſi ad bellum apparatus, tam recens è Luſitania nuper imperio adiecta gloria, nihil vt vulgare iam, ſed inſigne aliquid ac tantæ Maieſtatis magnitudine dignum, tum præſenti tempori & occaſioni opportunum, ab eo exſpectetur.

Quemadmodum vero plerique omnes conatum hunc ſiue conſilium Regis, quodcumque tandem futurum ſit, fauſtis ominibus proſequuntur; ita in eo quid potiſſimum ac primum ei adgrediundum, ſententiis diſcrepant, dum quiſque pro ſuo captu res gerendas

diſponit,

Triplex opinio quo ducenda ſit claſſis.

diſponit,& earum momenta ſuis ponderat affectibus. Etſi vero trium tantum generum hac in re opiniones reperiantur,quarũ prima Africam, ſecunda, Angliam, tertia Belgium Catholico Regi præſenti claſſe oppugnandum proponit;in eo tamen quodnam horum vtiliſſimum ac facilimum ſit,omnes inter ſe diſſentiunt: quamuis induciis iam opportune inter Regem Philippum & Turcas factis,eorum qui Africanæ expeditionis auctores fuerant, excluſa ſit opinio, ita vt omnis deliberatio nunc inter Belgium & Angliam verſetur. Et in hoc quidem tanta eſt rationum quas pro ſua vtriq; ſtabilienda adferunt opinione,varietas, vt mirum ſit,quum plus vno verum non ſit, quomodo tamen falſum tot veri ſpecies aſſumere poſſit, vt pro ipſo vero facile ſeſe venditet,& incautis imponat.

Vt vero certius omnia ac melius intelligantur, conſtitui in hac mea Diſſertione è veris fundamentis & principiis illud demonſtrare,Regi Catholico multo vtilius ac conuenientius eſſe expeditionem hanc contra Angliam quam contra Belgium ſuſcipere. Opinionis autem meæ fundamenta voco non communiſſima illa Naturæ aut Scientiarum principia,multo minus Mathematicas demonſtrationes,quæ in hanc materiam non cadunt; ſed probabiles & vero congruentes rationes.

Vtrum Anglia an Belgium oppugnandum.

Multi ſunt, qui expenſis vtrimque quas Catholicus rex tam Angliam quam Belgium oppugnandi habet rationibus, ita ſentiunt: quamuis iam dicto Regi grauiſſimæ cauſſæ Angliam ſibi vendicandi non deſint, maius tamen ei ac præcipuum Belgii recuperandi debere eſſe ſtudium, quum in omni Republica prior ac potior ſit rerum poſſeſſarum conſeruatio,quam non poſſeſſarum acquiſitio: & ſecundum Poetam, Non minor ſit virtus quam quærere, parta tueri. Quamuis autem axioma hoc politicum magnam vim habeat; non tamen tantum ei tribuere debemus, vt ſolum id ſatis eſſe iudicemus, quod bilancem,præſertim quando in alterutro momento ſumma rei poſita eſt, in vnam partem impellere poſſit. Quocirca in grauiſſimis hiſce deliberationibus non tam cõſiderandum eſt, quid debeat, quam quid fieri poſſit; & quodnam ex omnibus vtiliſſimum, facilimum & magis expeditum. Sæpe quidem Principes honeſtate aut debito aliquo officio ad ſuſcipiendam expeditionem aut tale quid tentandum exſtimulantur; iidem tamen, conſideratis circumſtantiis & aliis incommodis, mox reſiliunt, & prius conſilium aſpernantur. Exemplo ſit Venetorum Reſpublica, quæ nihil aliud conſiderans quam Ducis Mediolanenſis iniurias,& immoderatam N.N. cupiditatem,cum Hiſpaniarum Rege ſe coniunxit; ſed pæne nimis ſero didicit prudentis eſſe affectus; iram præſertim, quando de rebus arduis eſt deliberandum, frænare & coercere, vtpote qui longum & ſinuoſum grauiſſimorum caſuum ſyrma poſt ſe plerumq; trahunt. Quapropter

ex eo

ex eo quod magis veteri conſeruandæ quam nouæ acquirendæ poſſeſſioni inſudandum ſit, non rectè quis cōcluſerit, Catholico Regi contra Belgium potius quam Angliam claſſem eſſe educendam: nec in tam grauibus rebus tam leues audiendæ ſunt rationes. Verum enimuero vt quiuis intelligat, Catholici Regis eſſe Angliam potius quam Belgium inuadere: ſententiæ meæ fundamentum non verum tantum ſed neceſſarium quoq; ſubſternam, hoc nempe: Subiugata Anglia, facile fore Belgium quoque vincere; econtra Belgio ſubiugato, non minus, ſed plus difficultatis fore in ſubiuganda Anglia, immo eius ſubiugandæ parū ſpei futurum. Et quod plus eſt, dico, ſi rem accurate perpendamus, faciliorem eſſe Angliæ quā Belgii occupationē, vt infra liquido oſtēdam. Quod ſi ergo Angliæ occupatio Belgium ſecū trahit, ſi illa facilior eſt & certior; quis dubitet eum, qui ordinem hunc peruertere velit, tam præclaram occaſionem ſibi ipſi erepturum, & ſuo ſibi iumento malum, quod dicitur, adſciturum?

Auctoris ſententia.

Ad primum probandum quod attinet, ſcilicet, Angliæ occupationem plus vtilitatis allaturum quam occupationem Belgii: tria hæc principia præſuppono. Primo Belgas Anglorum auxiliis ſubnixos, tamdiu hactenus bellum defendiſſe, ſine quibus ſtare nequaquam potuiſſent. Quare vt corpus ſubtracto alimento intereat neceſſe eſt; & ignis ſine materia aggeſta extinguitur: ita profecto Belgarum rebellio, Anglorum auxiliis deſtituta, finem quemcunque neceſſario habebit. Quemadmodum vero tutius eſt ignem, ſubtracta materia, exſtinguere, quam contrario elemento opprimere & ſuffocare (ſiquidem primo illo modo vim illam & ardorem in ſeipſum vertit, & ſeipſum quaſi conſumit; alter vero ſi adhibeatur, facile fieri poteſt, vt non tantum non extinguatur, verum etiam longius ac latius ſerpat) ita quoque rebellionem. Sic Florentini tunc primum Piſanorum, & non prius extinguere potuerunt rebellionem, poſtquam exterorum eos auxiliis excluſerunt: in quo vno omnia tantæ ad imperium reducendæ vrbis momenta erant poſita, quod quidem cæteroqui nec ſuis nec Confœderatorum viribus tam facile efficere potuiſſent.

Anglia Belgarum fouet rebellionem auxiliis.

Secundum principium illud pono, quod Anglia non ſolū ſubminiſtrandis auxiliis, verum etiam ipſa tantum vmbra Belgarum fouet rebellionem. Belgæ enim quamprimum Hiſpanorum vires in ſe conuerſas animaduerterint, ad Angliam tanquam exſilii ſui, ſiue fugæ receptaculum continuo reſpiciunt, eaque tuta, ſatis ſe tutos arbitrantur: ſiquidem nō ignorant, Anglos contra quemcunque qui armatam ad illas partes claſſem adduxerit, arma capturos. Qua quidem in re Athenienſes imitantur, qui ſalua Olinthiorum ciuitate, ſe quoque ſaluos putabant; qua ſubiu-

Ipſa tātum vmbra & reſpectu.

gata, non videbant vllum obſtaculum, quod hoſtem ex Attic
venientem remorari poſſet. *Idem heic affirmare auſim, Angli
ab Hiſpanis ſubiugata, Belgas ferociam illam continuo poſitu
ros, vbi ſcilicet eo propugnaculo deſtitutos ſe viderint, in quo
hactenus arcem defenſionis ſuæ poſuerunt.

Belgæ exhauſti.

Tertium principium hoc ſit: quum Belgarum vires & faculta
tes tam diuturno bello ita attritæ & conſumtæ ſint, vix vt quid
quam reſtare videatur, vt qui non tantum vitam ipſi ſuam & to
ſubditorum millia morti obiecerint, verum etiam immodici
vectigalibus (dum è cētenis, ſi veras rationes inire velimus, qua
dragenos numos publicis neceſſitatibus impendunt redituum
amiſſione, agrorum qui inculti iacent ſterilitate, mercaturæ, i
qua præcipuæ ipſorum opes conſiſtunt, infrequentia, frequentiſ
ſimis militum deprædationibus, incendiis, cladibus, vrbium ex
pugnationibus, aliiſque damnis fortunas ſuas ita exhauſtas vi
dent, vt ſi non auxilia ipſis ab Anglia ſubminiſtrentur, nec ani
mus nec facultas vlla ipſis ad rebellandum reliquis futura ſit: faci
le colligi poteſt, victis Anglis, Belgas quoque victos fore, no
contra vero. Neque enim exiſtimandum eſt, Belgio ſubiugato
Angliæ occupationem ita facilem futuram? quum regnum ho
potentiſſimum atque opulentiſſimum ſuis ipſius opibus nitatu
ac ſecuritatis ſuæ fundamenta in ſe ipſo collocata habeat; in qu
vel deuictis Belgis oppugnando, exteri nō minus quam hoc ipſ
tempore difficultatis inuenturi ſint. Quantum enim ad ſui de
fenſionem attinet, Anglia non ab aliquis, ſed ſuis ipſa opibus
copiis dependet; aut ſi aliquid externis quoque auxiliis tribuen
dum putet, nequaquam tamen ad rebellantes illas regiones reſp
ciet, vt quæ ab ipſius totæ auxiliis dependeant, tantum abeſt vt a
lios iuuare poſſint.

Oſtendi hactenus quanto plus emolumenti è victoria contr
Anglos quam contra Belgas ſperari poſſit; reſtat iam vt (quod a
terum fuit ſententiæ meæ caput) illud quoque euincam, facilic
rem Angliæ eſſe quam Belgii expugnationem.

Ac primum ſiue facilitatem, ſiue vtilitatem, ſiue gloriam, ſi
ſecuritatem, vel denique quodcumque earum rerum quaru
præcipua in arduis conſultationibus habenda eſt ratio, conſid
remus; equidem Angliam prius quam Belgium inuadendar
cenſeo.

Facilius eſſe Angliam quam Belgium expugnare.

Ad facilitatem quod attinet, multis rationibus demonſtra
poſſum, ei qui Belgium inuadere velit, eaſdem difficultates ſup
randas fore, quæ ei qui Angliam oppugnandam ſibi ſumſerit. Pr
ma hæc eſt; quum regales eiuſmodi Expeditiones, collecto ia
iuſto exercitu, tum facilius perficiantur, quando mari & terra
mul fit impreſſio; dubium non eſt, quin hoc in Anglia meli

quar

quam in Belgio fieri poſſit. Quemadmodum enim iter per mare in Angliam breuius eſt & expeditius quam in Belgium; ita quoque eandem terra inuadere promtius eſt, quum exercitus pars in Scotia ſecure in terram exponi, atque inde contra Angliam duci queat, vt infra dicemus. E contra nõ niſi per longiſſimos viarum tractus ex Hiſpania in Italiam, inde in Germaniam, ac porro in Belgium terreſtri itinere exercitus duci poteſt: quod & immenſos requirit ſumtus, & multis tam belli quam viarum periculis eſt propoſitum.

Secunda ratio eſt, quod traiectus in Angliam non commodior tantum eſt & breuior, verum etiam tutior; quum à Gribilterra ſiue freto Herculeo ad ipſam vſque Angliam mare apertum ſit, nec vllum impedimentum vllibi obiiciatur. At ſi quis in Belgium contendere velit, ei neceſſario Anglia præternauiganda eſt: quæ ſine dubio (vt quidem ipſa politica precepta monent) tum Hiſpaniarum Regi eiuſque claſſi illud teſtatum faciet, & amicos & inimicos parum gratos eſſe & acceptos, ſi magno numero armati veniant: nec ſibi quidquam deeſſe quo minus in claſſem vis fiat, quam voluntatem. Vnde dubium non eſt, quin Belgium inuadere cupienti obſtaculum hoc perrumpendum, atq; ita tutum iter aperiendum ſit.

Tertia ratio firmiſſimo artis militaris axiomate innititur: Nũquam ſcilicet ad inuaſionem loci alicuius progrediundum, ſi à tergo turbæ oriri poſſint. Quocirca minime conſultum fuerit Belgium oppugnare, relicta a tergo Anglia; apud quam gentem vt vniuerſus hic conatus ſuſpicione & inuidia laborabit; ita periculum erit ne in medio contra Belgas pugnę ardore ſe immiſceant, & ex improuiſo in mediam claſſem impetum faciant. Ac profecto non aliam ob cauſſam infelicem habuit euentum Caroli V. in Prouinciam Galliæ expeditio, quã quod contento Marchionis Vaſtani conſilio, loca munita ante ſe capere neglexit: quæ res non Imperatoris tantum copiis, verum etiam Antonio Læuæ, cuius conſilium Imperator ſequutus fuerat, in perniciem vertit.

Quarta ratio eſt, quod Belgium oppugnanti res futura eſt cũ perito, feroci & bellis innutrito milite: Anglos vero videmus omni arte & diſciplina militari deſtitutos, quippe qui nec vllam ſcientiam, nec armorum, præſertim quæ ſcloperi vocantur, tractandorum vſum habent, arcubus exceptis & baliſtis, quorum tamen vim omnem caſſides & loricæ noſtrorum facile eludunt. Equidem tantum exiſtimo inter Anglũ & Belgum militẽ intereſſe quantũ intereſt inter ociũ & exercitiũ, vel, vt melius dicam, inter inermem & armatũ. Quanti vero ad victoriã interſit contra imperitum pugnare militẽ, inter multa alia Miltiadis nos docet exemplum, qui in campis Marathonis cum decem ſelectorum

millibus vniuerſum Xerxis exercitum, in quo admodum ſexcenta hominum millia fuiſſe dicuntur, profligauit.

Quinta ratio eſt, quod Belgii oppugnatio tanto plus habet difficultatis, quanto magis hoſtis ſtringitur, & intro compellitur, ita vt neceſſe ſit quaſi pedetentim progredi, & iam ad hunc iam ad illum locum oppugnandum vniuerſum exercitum adhibere: quorum tamen locorum occupatio ſępe parum adfert emolumenti, niſi quod victoriæ curſum ei qui ea occupare nititur, valde remoratur. E contrario in Anglia nullæ arces ſunt, nullæ munitiones aut propugnacula quæ victoris progreſſum inhibere poſſint, vbi is ſemel pedem in terra fixerit: id quod adeo difficile non fuerit, multas ob cauſſas quas infra dicemus, ſed inprimis Hiſpanicæ potentiæ reſpectu. Quum ergo Anglia arcibus ac munitis locis parum ſit inſtructa; Belgium vero totum vna & quaſi perpetua arx ſit & propugnaculum, tam intus quam foris: quis non videt tanto illam eſſe oppugnatu faciliorem, quanto facilius eſt vincere eos qui non repugnant? Huius rei aptius exẽplum adferre non poſſum quam ex hoc ipſo Belgio: in quo licet paſſim à Rege magna & firmiſſima præſidia ſint collocata, ſingulis tamen fere momentis res ita turbatur, vt ea oppugnandis quæ ſe opponunt arcibus & oppidis, ſatis non ſint. In Luſitania vero quum nulla fere ſint loca contra vim hoſtilem ſatis munita, facile fuit Hiſpanis primo ſtatim ad regni vſque viſcera penetrare, & incolis ſpem omnem recuperandi adimere.

Sexta ratio eſt, quod ei qui cum exercitu regionem aliquam inuadit, arces & oppida munita poſtquam occupata fuerint, non minus fere negocii faceſſunt quam antequam fuerunt occupata, vtpote quibus præſidio firmandis maior pars exercitus detrahitur, ac proinde vehementer copiæ vniuerſæ debilitantur.

Belga Malecontenti non exacerbandi.

Septima, meo quidem iudicio, vel vna ſatis ſit ad meæ veritatem opinionis euincendam; & hæc eſt. Si Hiſpaniarũ Rex ad purgandos rebellione Belgarum animos exercitum mittat, verendũ erit ne non tam maligni humores euacuẽtur quam ipſi boni quoque commoueantur, atque ita infirmitas quædam plena peccãtis & putridæ materiæ, gignatur. Iam vero quum ſana materia adhuc prædominetur, ſperare licet, vim morbi tandem ipſa temporis diuturnitate diſcuſſum & ſuperatum iri: econtra vero ſi alia adhibeatur medicina, facile fieri poſſit vt Malecontentorũ, quos vocant, humores omnino corrumpantur; id eſt, vt ad res illi nouas incitentur: & vt Rex medicinam; ita illi animum mutent, & alio reſpiciant. Scimus, vi Capitulationis ſiue tranſactionis inter Regiam Maieſtatem & Belgas ſubditos factæ, belli huius onus & compoſitionẽ Ordines in ſe recepiſſe, hac conditione vt Hiſpani & peregrini milites è Belgio reuocentur. Iam ſi illi exercitum

ex Hiſpania ad debellandos Belgas miſſum aut tantum deſtinatum audierint; facile intelligent, ſibi victis à victore leges accipiendas; & Malecontenti non ſolum tanti belli onus ſuſtinendi cupiditatem abiicient, meritorum ſuorum quę erga Reg. Maieſt. prætendunt, nullam haberi rationem cauſſantes; verum etiam ſpem omnem immunitates & priuilegia ſua, pro quibus tanta contentione ipſi inter ſe toties depugnarunt, conſeruandi amittent. Ex quo, vt & aliis quas in hanc ſententiam adferre poſſem, rationibus patet, quam periculoſum ſit hoc rerum ſtatu amicorum animos tam aſpera medicina exacerbare. Si enim Malecontenti illi aduerſæ factioni ſe quoque adiungant & Hiſpanis opponant, facile intelligi poteſt quanto grauius bellum hoc à parte regiæ Maieſtatis futurum ſit, non eo tantum quod tam certum ac præſens auxilium regiis copiis detrahetur, verum etiam magna ad hoſtium vires fiet acceſſio. Et hactenus quidem probauimus multo opportuniorem ac faciliorem eſſe Angliæ quam Belgii oppugnationem.

Anglia prius tentanda quã Belgium.

Reſtat iam vt non per modum comparationis, ſed tantum rei ipſius reſpectu rationibus aliquot oſtendamus, quanti Regis Catholici interſit, & quam facile eidem ſit Angliam occupare. Primo dubium non eſt quin illud medicamentum, ſalutiferum dici poſſit ac debeat, quod non ſolum partem offenſam ſanat, verum etiam morbi radices tollit. Iam ſi Rex Catholicus armis Belgium ſubiugare conetur, plagam quidem rebellionis fortaſſe conſoli dabit, fontem tamen ipſum malignorum humorum, quibus morbus alitur, non exhauriet, relicta ſcilicet Anglia, quæ perpetuum fomentum rebellantium Belgarum viribus hactenus ſubminiſtrauit. Licet autem impræſentiarum Belgium hac indiſpoſitione vel morbo omnino liberetur: quæ tamen aut qualis ſanitas illa dici poteſt eiuſmodi corporis, quod continuæ ſuggeſtioni peccantis materiæ eſt obnoxium? Quare Anglia prius tentanda eſt, vt ſecure poſtea omnes concurrentes humores aut digeri aut euacuari queant.

Anglia quã potens olim & hodie.

Verum vt de facilitate clarius aliquanto dicam, equidem non nego quin Angliæ regnum ſit potentiſſimum, vtpote maxima omnium quæ ab antiquis commemorantur inſularum. Ambitu enim ſuo, vna cum Scotia, complectitur duo milliarium millia: quamquam recentiores ducentis minorem faciant. Quid, quod ſingulari naturæ beneficio mirum in modum munita eſt, Oceano, tamquam muro, vndique circumdata; ita vt Scotia ad eius imperium adiecta, nullibi, terra inuadi poſſit. Id tamen verum eſt, rei militaris gloriam quæ Anglorum genti tribuitur, antiquis potius quam iis qui iam ſunt, tribuendam. Quod igitur alias fieri videmus, vt ſcilicet animus magnarum rerum

imaginatione grauidus, licet rebus mutatis, eaſdem nihilominus retineat imagines; id heic quoque accidit, dum Angliæ vires non ex præſenti rerũ ſtatu metimur, ſed ab antiqua illa tempora reſpicimus, quibus Normaniã, Britanniam Armoricã, Vaſconiã aliaſq; florentiſſimas Galliæ prouincias & ciuitates ſub imperio habuit. Eidẽ Scotia fuit tributaria: immo vniuerſum pœnè Galliæ regnũ Angliæ ſceptro regebatur, adeo vt Henricus VI. in ipſa Pariſiorum vrbe Galliæ Rex ſit coronatus. At ſi præſentem quis Angliæ ſtatum conſideret, facile profectò intelliget, potentiam eius quæ olim potentiſſimis totius Europæ regibus formidabilis fuit, hodie non valde eſſe metuendam. Et profectò ſuperiori tẽpore tantis calamitatibus inſula hæc fuit obruta, vt non hominũ tantum, ſed cœli quoq; odium in ſe concitaſſe videri poſſit. Poſtquam vero infelici conſilio in Schiſmatis tenebras præcipitauit, procul dubiò ſe terribilibus iis rebus obnoxiam fecit quas fidei & religionis ſecum adfert mutatio, tritiſſima ad ruinam & exitiũ omnium Rerumpublicarũ via. Quum enim Religio vnicum ſit fidei & obedientiæ ſubditorum erga magiſtratus fundamẽtum: quis dubitat, quin eo ſubtuto, vna ſimul vitæ regula, & diuinæ ac humanæ leges cõcidant? Tanto vero pnicioſiores inde ſequũtur effectus quanto magis repentinæ ſunt mutationes: quales illę ſunt quæ in Anglia acciderunt, quæ momento ferè tẽporis è ſummo Religionis faſtigio in abyſſum infidelitatis pcipitauit: è qua quum vix paullulum ſe leuaſſet, & oculos ad Catholicæ Religionis lumen flexiſſet, tandẽ in denſiſſimas hæreſis tenebras delapſa eſt; quæ quidẽ maxima Rerumpublicarũ peſtis eſt & ruina. Fieri ergò nõ poteſt quin his in fluctibus dãnoſum valde paſſa ſit naufragium Anglia, cuius quidẽ effecta manifeſta videbimus, ſi conſideremus id quo præcipue omnis eius gentis exiſtimatio & ſecuritas quoq; innitebatur, iam collapſum eſſe fundamentum, rerum ſcilicet maritimarũ copiam & gloriam, quibus olim ad miraculum abundauit: vt videre eſt ex ea claſſe quam Henricus VI contra Carolum VI. Galliæ regẽ eduxit, in qua octingẽtæ maiores naues fuiſſe dicuntur, ita vt Oceanus quaſi ponte conſtratus videretur. Nunc vero adeo mutata eſt rerum ibi conditio, vt Hẽricus vterq;. VII. & VIII. centum illas naues, quas prædeceſſores ipſorum continuo, in procinctu habere ſolebant, diutius ſuſtentare non potuerint, quin eo tandem anguſtiarum redacta eſt Anglia, vt ex illis ipſis nauibus quæ ad regni ſecuritatem erãt inſtructæ & diſpoſitæ, maior pars ſit vænũ data. Tãto plus poteſt apud Principes inopia, quam propriæ ſecuritatis reſpectus.

Anglia impotentia cũ Hiſpaniæ potentia cõparatur.

Sed quo melius id quod de facilitate dixi, intelligatur, duo cõſideranda proponam, quorum prius ad eum qui oppugnatur alterum ad eum qui oppugnat, pertinet: in quo liquido appa-

rebi-

rebit, altero tanto inhabiliorem eſſe defendeurem ad ſe defendendum, quam habilis ſit offendens ad offendendum. Iam ſi quod oppugnandum eſt recte perluſtremus, Angliam nimirum; certum eſt Hiſpaniarum regis viribus eam reſiſtere non poſſe, ſi modo is ſuis quas in promptu habet, copiis vti velit, & oppugnationem ſerio inſtituat. Quod quidem diuerſis rationibus probari poteſt. Primum enim quum Anglia, vti diximus, magnis in anguſtiis iam verſetur, ſi in iis tamen ipſis ad defenſionem contra hoſtem potentiſſimum ſe comparare velit, idem faciet ac ſi cœlum fulcire conetur, quum tamen nec Alcides ſit, nec Atlas.

Secundo quum Anglia bono earum nauium, quæ ad regni præſidium & ſecuritatem comparatæ olim fuerant, numero careat, ſi iam demum quis naualem conquirere apparatum conetur; idem faciet ac ſi robur ab infirmo ſumere, aut ipſi tempori & Naturæ rerum legem ponere velit, dum ſcilicet in ſumma inopia & breui temporis ſpacio ea comparare ſatagit, quę in ſummis diuitiis longo temporis ſpacio (tot enim ac tantis rebus opus eſt) comparari vix poſſunt. Præterea, nunc demum eos conquirere velle apparatus quos Rex Catholicus iamdiu in promptu habet, idem eſt ac tum demum arma velle capere quando hoſtilis mucro iam iugulo eſt impoſitus, nec vllum deliberandi nobis ſpacium reliquum eſt. Fruſtra hic dixerit aliquis, poſſe Anglos, ingruente periculo, priuatorum nauibus ad publicas neceſſitates vti: quum hoc remedium nimis ſerum ſit futurum, malo iam incumbente, nec naues illæ è locis remotis & longe inter ſe diſtantibus tam cito contrahi non poſſint: vt de eo nihil dicam, quod homines priuati ſuas fortunas ad publicas vſurpari neceſſitates, ægre patiuntur. *Anglia caret nauibus & præſidiis.*

Quare omnino neceſſum eſt, vt in arduis expeditionibus Principes ſuis ipſorum viribus nitantur: quum ij qui in rebus ad ſalutem aut exitium verſuris, ab aliena ope dependent, prius ſæpe ab hoſte opprimantur quam aliorum auxiliis vti poſſint.

Tertio facilis eſt Angliæ oppugnatio, vt cui non poſtrema pars ad militiam requiſita, deſit, equitatus ſcilicet, equitatus, inquam grauis armaturæ, cuius nihil fere apud Anglos quã tenuis quædam notitia reperitur. Ad leuis vero armaturæ equitatum quod attinet, parui is erit momenti, niſi qualitatis defectus, quantitate ſine multitudine compenſetur. Atqui non pauci tantum ſunt equi in Anglia, ſed illi ipſi quoq; qui ſunt, morbidi fere ſunt & flaccidi, non tantum cœli ſiue aeris ingenio, verum etiam quod continuo in paſcuis, tamquam capræ oberrent. *Itemque Equitatu.*

Quarto, conſtat Angliæ reges ſiue negligentia ſiue inopia iamdiu omnis bellici apparatus, in quo cõquirendo tantũ ſtudii reli- *Omni denique bellico apparatu.*

reliqui ponunt Principes, curam abieciſſe: quo tamen nullum remedium ad quoſuis ſiue inteſtinos ſiue exteros reprimendos tumultus, eſt præſentius. Quia enim ſuperiorum temporum Reges curam omnem in maritimis procurandis copiis poſuerunt, factum inde eſt vt terreſtris militiæ nulla fere habita ſit ratio: quaſi ſcilicet in inſula numquam bellum terra gerendum, aut naualibus copiis bellum terreſtre adminiſtrari non queat.

Angli nouarum rerum cupidi.

Quinto, certum eſt, rerum nouarum ſtudium Anglorum genti velut à natura inſitum eſſe. Nam ſi quis eius gentis hiſtoriã perlegerit, inueniet, ſeditiones, coniurationes, proditiones & ſimilia quaſi domicibũ ſibi in inſula illa fixiſſe. Cuius rei exemplũ habemus in Eduardo Rege, qui in Galliã profugere eſt coactus; & recentius in Maria Regina, quæ Vellenæ (forte Viati) aliorumque coniurationibus fuit petita. Sed infinitum ſit omnia eiuſmodi recenſere. Vnde patet quam facile in tali Regno confuſio aliqua ſeu perturbatio oriri poſſit, præſertim ſi homines per ſe nouarum rerum cupidi & turbulenti potentem hoſtem ante fores armatum viderint, cui ſi nullam aliam ob cauſſam, ſaltim pœnarum ob rebellionem metu, vltro ſeſe procul dubio coniungent.

Angli Reginam oderunt.

Sexto quum Angli plerique omnes inſolentem Reginæ huius dominationem ægre ferant, vt quæ non tantum parum prudenter & moderate imperando, verùm etiam inhoneſte viuendo odium & indignationem ſubditorum indies magis magiſque in ſe concitet: quis non credat lubenter eos tale iugum, offerente ſe occaſione, abiecturos? Quamuis enim populus ille ſingularem quamdam obſeruantiam exteriori geſtu & vultu erga Reginam ſuam oſtendat: ſi quis tamen penitus introſpiciat, in intimo animorum receſſu acerbum odii virus erga eamdem reperiet abſconditum, adeo vt voces illæ palam ſæpe non apud magnates tantum, verum etiam inter ipſum populum iactentur, quum Regina illegitimis nuptiis nata ſit, non poſſe eam in præiudicium verorum heredum, & contra Regni ſtatuta, Regnũ tenere. Quare magna ſpes eſt, ſi Catholicus Rex arma contra Reginam moueat, ſubditos inſigne aliquid in eiuſdem perniciẽ molituros: quum ſic comparatum ſit, vt populi odio aut aliquo alio affectu ſtimulati, quamcumque eum quem oderunt, perdendi arripiant occaſionem. Sic Tarentini Caij Liberi Præfecti imperium pertæſi, Carthaginienſes in ipſius conſpectu, in vrbem receperunt.

Angli offendere tantum ſoliti.

Septimo, quum Angli, ſi vetera ſpectemus, alios tantum infeſtare ſint ſoliti, ipſi vero raro ab aliis infeſtati; fiet profectò vt vbi verſam iam fortunam viderint, animo ſtatim conſternentur. Inſolita enim Fortunæ facies valde omnibus eſt formidabilis.

Hoc

Hoc modo Græcia alios oppugnare ſolita, quamprimum ab aliis oppugnata fuit, in aliorum deuenit poteſtatem.

Octauo, quum Anglia, iuſto Dei iudicio, iam declinare cœperit, facile poteſt intelligi quam procliue futurum ſit eamdem penitus deturbare: quum declinatio nihil aliud ſit niſi via quædam ad ruinam. Sic Romanum Imperium vbi ſemel declinare cœpit, momento temporis peſſum iuit; & ingens illa moles ingentem ſecum ruinam traxit. *Anglia declinare cœpit.*

Nono, quum Anglorum gens peritis ducibus & Capitaneis priuata magis ſit quam careat, milites præterea ipſi, vti ſupra diximus, parui ſint valoris; & vero ceruorum exercitus, etiam leone duce, par ui ſit æſtimandus: facile intelligi poteſt quam ridiculus futurus ſit ceruorum exercitus, lepore aut cuniculo duce; cuius ſimilis fortaſſis Anglorum futurus eſt. *Anglia militia ducibus effœta.*

Decimo & vltimo, etiamſi Anglia armis, ducibus, annona, nauibus omnique neceſſario abundaret apparatu, nihilominus tamen aio, omnia hæc inutilia fore, ſi vnum illud deſit quod ipſam formam & eſſentiam, vt cum Philoſophis loquamur, Expeditionibus largitur. Quid illud eſt? pecunia cuius non tantum ob regiorum reddit、tuum exiguitatem, ſed etiam ſumptuum magnitudinem tanta in Angliæ regno eſt inopia, vt magnæ alicuius Expeditionis onus ſuſtinere non poſſit, immo præclare ſecum actum putet, ſi neceſſaria ad ſolitas impenſas, habeat. Qui vero nimium ſuis tribuit viribus, illiſque grauius belli onus in ſe ſuſcipit, ſuam ipſe ſibi perniciem accerſit: Eſt enim certiſſima illa regula: Si Princeps aliquis talem ſuſcipiat expeditionem, cuius onus ſuſtinere non poſſit, eum nemini pluſquam ſibiipſi nociturum. Deficiente namque annona aliiſque rebus neceſſariis, & ſtipendio non procedente, imperium detrectare ſolent milites, vt non minus à proprio milite quam ab hoſte ſit periculi. Sic Germani milites qui Lantzknechti vocantur, olim Monpenſerium Ducem in regno Neapolitano deſtituerunt, & Cereſolm armis occuparunt. *Pecunia inops.*

Quum hactenus demonſtratum ſit, facile eſt Catholico Regi Angliam occupare, ſi ipſa quæ oppugnanda eſt, in ſe ſpectetur: iam porro idipſum, ſi oppugnantis, Catholici ſcilicet Regis, vires conſiderentur, longe facilimum eſſe, & quidem maioris momenti rationibus probabo.

Primum, quis neſcit quanta ſit Philippi Hiſpaniarum regis potentia? cuius imperium iiſdem quibus ſolis curſus terminatur finibus: quippe quod integrum terreſtris globi diametrum complectatur? ac profecto ſi vetera & recentia percurramus, nullum ex omnibus omnium temporum Monarchis & Regibus inueniemus, qui tantum ac tam latum poſſederit imperium, Princeps armis, militibus, ducibus, terreſtribus & maritimis copiis, auro & argento, omni- *Philippi Regis potentia.*

bus denique rebus quarum aliquis eſt vſus, longe opulentiſſimus Princeps, inquam, qui ſolus tam Terræ quam maris imperium tenere videtur.

Naualis Catholici Regis apparatus.

Secundo, tantas Catholico regi ad naualem apparatum Luſitania imperio adiecta, facta eſt acceſſio, vt iam centum & quinquaginta naues amplius educere poſſit: quæ cum reliqua claſſe coniunctæ, & magnitudine ſua omnium animos in ſtuporem rapient, & multitudine ipſum mare implere videbuntur.

Tertio, præter has & alias naues, quas idem in Calabria prouincia non minus regi fideli quam in pernauigando Oceano exercitatiſſima paratas habet, tum priuatorum quoque, quæ hinc inde in procinctu ſtant; magnum quoque vſum Mediterraneæ illæ triremes præſtabunt, quæ ſuperiori contra Luſitaniam expeditione nuſquam ſe commouerunt, quod vulgò perſuaſum eſſet, earum nauium in Oceano nullum eſſe vſum: quaſi vero Oceanus nunquam, etiam æſtate, tranquillus, & ad nauigandum facilis eſſet, quum conſtet tribus æſtiuis menſibus ſine magno periculo triremes quoque illas in Oceano haberi poſſe. Qui cladem à Cæſare in Britannico Oceano acceptam hic obiiciunt, fruſtra ſunt, quum is idem tempeſtatem illam non ipſi Mari, ſed Lunæ adſcribat, quæ non in Oceanum tantum verum etiam omnia maria vim ſuam mirabiliter exercet, vt non tantum Meteorologici, verum ipſa quoque docet experientia.

Quarto, vbi tam validæ claſſis beneficio Rex Catholicus maris adeptus fuerit imperium, ſimul quoque terræ acquiret dominium. Qui enim tantas habet vires vt copias ad inſulæ defenſionem oppoſitas facile ſuperare poſſit, eidem quoque facile erit in terram exponere militem, & victricibus armis vniuerſam inſulam peruagari: præſertim quum ea ſit huius inſulæ conditio, vt ſi hoſtis ſemel in eam penetrarit, & caſtra atque exercitum è militari diſciplina ordinarit, commeatus intercludere, & incolas fame ad deditionem cogere queat.

Auxilia Hibernorum & Scotorũ.

Quinto, in maritima expeditione Catholicus Rex procuIdubio Hibernorum, vt qui iam ante pattium ipſius ſtudium aperte præ ſe tulerint & factis teſtatum fecerint, ſentiet fauorem & opem; & ad terreſtrem vero quod attinet, nihil dubito quin Scoti quoque Catholici Regis conatus pro viribus ſint promoturi, non ſolum inueterati illius odii è naturali æmulatione, quæ inter vicinas gentes ob frequentes de finibus contentiones exſiſtere ſolent, nati reſpectu, verum etiam ob recentes huius Reginæ iniutias, vt quæ rebellantes Scotos cõtra ipſorum Reginam adiuuerit, exercitu finibus immiſſo. Iam Scotorum adiuncto fauore, facile erit Philippo Regi Angliam à Septemtrionali plaga inuadere: non obſtantibus quæ ibi loci ſunt, quamuis paruo numero arcibus & oppidis, vt quæ non tam ad prohibendum tam validum potentiſſimi Principis exercitum, quàm ad-

latrun-

latrunculorum & prædonum reprimendam audaciam apta ſint, & pleraque nec munita ſatis, nec ſufficienti apparatu inſtructa.

Sexto (quod tamen in ipſa deliberatione primo loco conſiderandum eſt) habendus eſt hac in re honeſtatis & iuſtæ cauſſæ reſpectus quum Catholici Regis inprimis ſit, Catholicam fidem & religionem defendere, ea fiducia vt certo perſuaſum habeat, nullum fore tantum impedimentum, quod hunc ipſius conatum, diuino præſidio ſubnixum, retardare poſſit. Infirma enim ſunt & vana omnia humana conſilia & auxilia, quæ ſupremi illius arbitri voluntati ſeſe opponunt. Sed & præter eas quas Catholicus Rex habet in Regnum hoc prætenſiones; ea eſt muneris ipſius & officii ratio, vt nullam ſuo & maiorum nomine, qui Catholici dicti ſunt, digniorem expeditionem ſuſcipere poſſit. Hac enim ratione non ſolum iuſtiſſimis de cauſſis ſibi debiti Regni acquiret poſſeſſionem, ſed etiam immortalem nominis gloriam præ cæteris omnibus qui vmquam fuerunt Regibus, ſibi comparabit, adiuncto videlicet ad Hiſpanias tam amplo & celebri regno.

Expeditionis huius honeſtas & gloria.

Septima ratio à Traiectus commoditate ſumitur, qui vt inter fretum Herculeum & hanc inſulam breuis admodum eſt, ita ad conuehendos omnis generis apparatus aliaque ad bellum neceſſaria, valde eſt opportunus.

Octauo, ſi Philippus Rex bellum hoſti domi inferat, certum eſt in Anglia ingentem paſſim orituram trepidationem & metum, & periculi propinquitatem omnia defenſionis conſilia perturbaturam. Terribilius enim nihil eſt, quam ferrum ſuo & ſuorum iugulo quaſi impoſitum cernere. Agathus quidem Siciliæ tyrannus, Syracuſis à Carthaginenſibus expulſus, cum paucis ſuarum copiarum reliquiis in Africam nauigauit, arma non tam inferens quam oſtentans: cuius quidem etiam victi & profligati aſpectus tantum terroris attulit, vt Carthaginienſes Aſdrubalem domum reuocarint, Agatho non multo poſt libere ad ſuos reuerſo.

Nono, plurimi ſunt in Anglia qui Catholici Regis partibus fauent. Quis vero neſcit quanti interſit inter ipſos hoſtes habere amicos & fautores? Id quidem Cannenſis illa clades qua Romani exercitus ab Annibale ad internecionem fere deletus fuit, ſatis demonſtrat. Nec profecto vllus locus tam munitus eſt, qui non facile expugnari poſſit, ſi intus ſimul cum ciuibus, & foris cum hoſte ſit pugnandum.

In Anglia multi Catholico-Regi fauent.

In Anglia vero multos eſſe qui Philippo Regi ſint addicti, eiuſque cauſſa quidquid poſſunt, facturi, tribus probo rationibus.

Prima eſt, inſignis illius humanitatis, clementiæ & beneficentiæ qua magnus noſter Rex in regendis regni illius ſubditis, vſus eſt, memoria, plurimorum animis ita impreſſa, vt quoduis aliud imperium, huius reſpectu tyrannicum magis quam legitimum ipſis

Philippi Regis clementia.

videa

tantum regionis defenſionem intentis, Galli omnibus ſuis maritimis copiis iter nobis intercludere conentur: quî, quæſo, hoc facere poterunt; quum quidquid habent nauium, nec numero nec magnitudine, nec vlla alia re cum noſtris comparari queat? Quid Galli contra Hiſpanos mari poſſint, in nauali ad Sanmichaelem inſulam conflictu apparuit, vbi viginti quinq; Hiſpanorum naues Gallicas ſexaginta fuderunt ac ſuperarunt.

Quod ſi iidem Veſtræ Maieſtatis regiones terrâ inuadere velint, tribus tantum partibus id facere poſſunt; à quarum vna valde temerarius quoque & magno cum periculo futurus eſt aſſultus, nimirum à Nauarræ finibus, ob locorum aſperitatem, & gentis fortitudinem, quæ bellandi ſtudio & laborum tolerantia nulli Hiſpaniarum genti cedit. Nec eſt quod Maieſtas V. Inſubriæ ſiue Mediolanenſi Ducatui metuat, vbi ea eſt ſubditorum erga Maieſtatem Veſtram fides & amor, vt nouarum rerum nullum omnino ſit periculum: tum præter Sabaudiæ Ducis rerum veſtrarum ſtudioſiſſimi, vicinitatem, tot ac tanta paſſim ibi ſunt præſidia, tam munitæ arces & oppida, vt eorum quoduis vel magni exercitus impetum ſuſtinere & robur atterere poſſit, etiam ſi regioni à Maieſtate Veſtra Præfectus exercitum hoſti opponere nolit.

Quod ſi Belgium Gallis, ſepoſito paulisper ex Alenzoniana Tragædia concepto odio, aggredi viſum fuerit, eoque res etiam deueniat, vt Maieſtatis Veſtræ milites præſidiis includantur: exiſtimandum tamen non eſt id quod tot iam annis ac tanto ſanguine ibi partum eſt, vna quaſi hora rurſus amiſſum iri, quum præſertim is locorum quæ ibi Maieſtatis Veſtræ tenentur præſidiis, ſit ſitus, vt pleraq; non captu tantum, ſed etiam obieſſu ſint difficilia. Et quamuis metus eſſet, ne tandem temporis ſucceſſu damnum ibi aliquod acciperetur, id tamen obſtare non debet quominus tanta ac tam breui tempore perficienda expeditio ſuſcipiatur.

A Turca Hiſpaniarũ regi nihil timendum.

A Turca etiam non eſt quod vllum Maieſtas Veſtra valde timeat periculum, vt meticuloſi quidam iactant. Quid enim is, ſi vel maxime Perſas ac Tartaros non infeſtos habuerit (quos tamen longe habet iam infeſtiſſimos) aliud efficere poterit, quam quod villas quaſdam in maritimis oris deprædetur? Ille idem quum Melitam inſulam ſummis viribus diu oppugnaſſet, tandem tamen re infecta ignominioſe inde diſcedere fuit coactus. Si tamen is vel magnum quid audeat, præterquam quod vniuerſæ Italiæ vires in ſe prouocabit paruum quoque operæprecium in Veſtræ Maieſtatis ditionibus oppugnandis faciet, vtpote quæ tam maritimis quam terreſtribus copiis ita inſtructæ & munitæ ſunt, vt talem imperium facile ſuſtinere poſſint: ac propterea expeditio hæc ob meritas ab Angliæ regina ſumendas pœnas, intermitti non debeat.

Nec à Germanis.

Neque vero illud magnam vim ad remorandam hanc expeditio-

nem habere debet, quod nonnulli Germanorum auxilia Anglis in promptu fore iactant: quorum quidem non maior habenda eſt ratio, quam animarum precio conductarum. Id enim (precium nempe ſiue merces) ſolum in cauſſa eſt, vt Reginæ rebus forte nonnulli ſtudeant: quum ſi vel maxime totum illud regnum Veſtræ Maieſtatis accedat imperio, nullum inde ſibi damnum illi metuant. Nec tantum apud eos valebit religio, ob acerbiſſimas inter Lutheranos & Caluiniſtas diſſenſiones, ex quo illud fiet, vt qui plus argenti habuerit, & opimiora numerarit ſtipendia, maiora quoque & certiora à Germanis auxilia ſperare poſſit.

Ad extremum illud addo, Exitum vniuſcuiuſque expeditionis in manu Dei eſſe; cui vt huius quoque euentum noſtris precibus commendare debemus; ita, vt in iuſta cauſſa fauſta omnia ab eo ſperare nobis licet.

DISSERTATIO, ANNO M.D.LXXXVIII. HABITA, QVANDO ſtupenda illa claſſis Regis Catholici in procinctu ſtabat: in qua diſputat auctor quonam eius conuertendus ſit impetus; ſpeciatim vero vtrum ea Belgium vel Angliam oppugnare magis expediat.

DISCVRSVS XV.

TANTA hodie eſt Hiſpaniarum Regis potentia, tam validi exercitus tam copioſi ad bellum apparatus, tam recens è Luſitania nuper imperio adiecta gloria, nihil vt vulgare iam, ſed inſigne aliquid ac tantæ Maieſtatis magnitudine dignum, tum præſenti tempori & occaſioni opportunum, ab eo exſpectetur.

Quemadmodum vero plerique omnes conatum hunc ſiue conſilium Regis, quodcumque tandem futurum ſit, fauſtis ominibus proſequuntur; ita in eo quid potiſſimum ac primum ei adgrediundum, ſententiis diſcrepant, dum quiſque pro ſuo captu res gerendas

diſponit,

Triplex opinio quo ducenda ſit claſſis.

diſponit,& earum momenta ſuis ponderat affectibus. Etſi vero trium tantum generum hac in re opiniones reperiantur,quarũ prima Africam, ſecunda, Angliam, tertia Belgium Catholico Regi præſenti claſſe oppugnandum proponit:in eo tamen quodnam horum vtiliſſimum ac facilimum ſit,omnes inter ſe diſſentiunt:quamuis induciis iam opportune inter Regem Philippum & Turcas factis,eorum qui Africanæ expeditionis auctores fuerant, excluſa ſit opinio, ita vt omnis deliberatio nunc inter Belgium & Angliam verſetur. Et in hoc quidem tanta eſt rationum quas pro ſua vtriq; ſtabilienda adferunt opinione,varietas, vt mirum ſit,quum plus vno verum non ſit, quomodo tamen falſum tot veri ſpecies aſſumere poſſit, vt pro ipſo vero facile ſeſe venditet,& incautis imponat.

Vt vero certius omnia ac melius intelligantur, conſtitui in hac mea Diſſertione è veris fundamentis &principiis illud demonſtrare,Regi Catholico multo vtilius ac conuenientius eſſe expeditionem hanc contra Angliam quam contra Belgium ſuſcipere. Opinionis autem meæ fundamenta voco non communiſſima illa Naturæ aut Scientiarum principia,multo minus Mathematicas demonſtrationes,quæ in hanc materiam non cadunt; ſed probabiles & vero congruentes rationes.

Vtrum Anglia an Belgium oppugnandum.

Multi ſunt, qui expenſis vtrimque quas Catholicus rex tam Angliam quam Belgium oppugnandi habet rationibus, ita ſentiunt: quamuis iam dicto Regi grauiſſimæ cauſſæ Angliam ſibi vendicandi non deſint, maius tamen ei ac præcipuum Belgii recuperandi debere eſſe ſtudium, quum in omni Republica prior ac potior ſit rerum poſſeſſarum conſeruatio,quam non poſſeſſarum acquiſitio:& ſecundum Poetam, Non minor ſit virtus quam quærere, parta tueri. Quamuis autem axioma hoc politicum magnam vim habeat; non tamen tantum ei tribuere debemus, vt ſolum id ſatis eſſe iudicemus, quod bilancem,præſertim quando in alterutro momento ſumma rei poſita eſt, in vnam partem impellere poſſit. Quocirca in grauiſſimis hiſce deliberationibus non tam cõſiderandum eſt, quid debeat, quam quid fieri poſſit; & quodnam ex omnibus vtiliſſimum, facilimum & magis expeditum. Sæpe quidem Principes honeſtate aut debito aliquo officio ad ſuſcipiendam expeditionem aut tale quid tentandum exſtimulantur; iidem tamen, conſideratis circumſtantiis & aliis incommodis, mox reſiliunt, & prius conſilium aſpernantur. Exemplo ſit Venetorum Reſpublica, quæ nihil aliud conſiderans quam Ducis Mediolanenſis iniurias,& immoderatam N.N.cupiditatem,cum Hiſpaniarum Rege ſe coniunxit; ſed pæne nimis ſero didicit prudentis eſſe affectus; iram præſertim, quando de rebus arduis eſt deliberandum,frænare &coercere, vtpote qui longum &ſinuoſum grauiſſimorum caſuum ſyrma poſt ſe plerumq; trahunt. Quapropter

ex eo

ex eo quod magis veteri conſeruandæ quam nouæ acquirendæ poſſeſſioni inſudandum ſit, non recte quis cõcluſerit, Catholico Regi contra Belgium potius quam Angliam claſſem eſſe educendam: nec in tam grauibus rebus tam leues audiendæ ſunt rationes. Verum enimuero vt quiuis intelligat, Catholici Regis eſſe Angliam potius quam Belgium inuadere: ſententiæ meæ fundamentum non verum tantum ſed neceſſarium quoq; ſubſternam, hoc nempe: Subiugata Anglia, facile fore Belgium quoque vincere; econtra Belgio ſubiugato, non minus, ſed plus difficultatis fore in ſubiuganda Anglia, immo eius ſubiugandæ patũ ſpei futurum. Et quod plus eſt, dico, ſi rem accurate perpendamus, faciliorem eſſe Angliæ quã Belgii occupationẽ, vt infra liquido oſtẽdam. Quod ſi ergo Angliæ occupatio Belgium ſecũ trahit, ſi illa facilior eſt & certior; quis dubitet eum, qui ordinem hunc peruertere velit, tam præclaram occaſionem ſibi ipſi erepturum, & ſuo ſibi iumento malum, quod dicitur, adſciturum? *Auctoris ſententia.*

Ad primum probandum quod attinet, ſcilicet, Angliæ occupationem plus vtilitatis allaturum quam occupationem Belgii: tria hæc principia præſuppono. Primo Belgas Anglorum auxiliis ſubnixos, tamdiu hactenus bellum defendiſſe, ſine quibus ſtare nequaquam potuiſſent. Quare vt corpus ſubtracto alimento intereat neceſſe eſt; & ignis ſine materia aggeſta extinguitur: ita profecto Belgarum rebellio, Anglorum auxiliis deſtituta, finem quemcunque neceſſario habebit. Quemadmodum vero tutius eſt ignem, ſubtracta materia, extinguere, quam contrario elemento opprimere & ſuffocare (ſiquidem primo illo modo vim illam & ardorem in ſeipſum vertit, & ſeipſum quaſi conſumit; alter vero ſi adhibeatur, facile fieri poteſt, vt non tantum non extinguatur, verum etiam longius ac latius ſerpat) ita quoque rebellionem. Sic Florentini tunc primum Piſanorum, & non prius extinguere potuerunt rebellionem, poſtquam exterorum eos auxiliis excluſerunt: in quo vno omnia tantæ ad imperium reducendæ vrbis momenta erant poſita, quod quidem cæteroqui nec ſuis nec Confœderatorum viribus tam facile efficere potuiſſent. *Anglia Belgarum fouet rebellionem auxiliis.*

Secundum principium illud pono, quod Anglia non ſolũ ſubminiſtrandis auxiliis, verum etiam ipſa tantum vmbra Belgarum fouet rebellionem. Belgæ enim quamprimum Hiſpanorum vires in ſe conuerſas animaduerterint, ad Angliam tanquam exſilii ſui, ſiue fugæ receptaculum continuo reſpiciunt, eaque tuta, ſatis ſe tutos arbitrantur: ſiquidem non ignorant, Anglos contra quemcunque qui armatam ad illas partes claſſem adduxerit, arma capturos. Qua quidem in re Athenienſes imitantur, qui ſalua Olinthiorum ciuitate, ſe quoque ſaluos putabant; qua ſubiu- *Ipſa tãtum vmbra & reſpectu.*

gata, non videbant vllum obſtaculum, quod hoſtem ex Attica venientem remorari poſſet. *Idem heic affirmare auſim, Anglia ab Hiſpanis ſubiugata, Belgas ferociam illam continuo poſituros, vbi ſcilicet eo propugnaculo deſtitutos ſe viderint, in quo hactenus arcem defenſionis ſuæ poſuerunt.

Belgæ exhauſti.

Tertium principium hoc ſit: quum Belgarum vires & facultates tam diuturno bello ita attritæ & conſumtæ ſint, vix vt quidquam reſtare videatur, vt qui non tantum vitam ipſi ſuam & tot ſubditorum millia morti obiecerint, verum etiam immodicis vectigalibus (dum è cêtenis, ſi veras rationes inire velimus, quadragenos numos publicis neceſſitatibus impendunt redituum amiſſione, agrorum qui inculti iacent ſterilitate, mercaturæ, in qua præcipuæ ipſorum opes conſiſtunt, infrequentia, frequentiſſimis militum deprædationibus, incendiis, cladibus, vrbium expugnationibus, aliiſque damnis fortunas ſuas ita exhauſtas vident, vt ſi non auxilia ipſis ab Anglia ſubminiſtrentur, nec animus nec facultas vlla ipſis ad rebellandum reliquis futura ſit: facile colligi poteſt, victis Anglis, Belgas quoque victos fore, non contra vero. Neque enim exiſtimandum eſt, Belgio ſubiugato, Angliæ occupationem ita facilem futuram? quum regnum hoc potentiſſimum atque opulentiſſimum ſuis ipſius opibus nitatur, ac ſecuritatis ſuæ fundamenta in ſe ipſo collocata habeat; in quo vel deuictis Belgis oppugnando, exteri nō minus quam hoc ipſo tempore difficultatis inuenturi ſint. Quantum enim ad ſui defenſionem attinet, Anglia non ab alienis, ſed ſuis ipſa opibus & copiis dependet; aut ſi aliquid externis quoque auxiliis tribuendum putet, nequaquam tamen ad rebellantes illas regiones reſpiciet, vt quæ ab ipſius totæ auxiliis dependeant, tantum abeſt vt alios iuuare poſſint.

Oſtendi hactenus quanto plus emolumenti è victoria contra Anglos quam contra Belgas ſperari poſſit; reſtat iam vt (quod alterum fuit ſententiæ meæ caput) illud quoque euincam, faciliorem Angliæ eſſe quam Belgii expugnationem.

Ac primum ſiue facilitatem, ſiue vtilitatem, ſiue gloriam, ſiue ſecuritatem, vel denique quodcumque earum rerum quarum præcipua in arduis conſultationibus habenda eſt ratio, conſideremus, equidem Angliam prius quam Belgium inuadendam cenſeo.

Facilius eſſe Angliam quam Belgium expugnare.

Ad facilitatem quod attinet, multis rationibus demonſtrare poſſum, ei qui Belgium inuadere velit, eaſdem difficultates ſuperandas fore, quæ ei qui Angliam oppugnandam ſibi ſumſerit. Prima hæc eſt, quum regales eiuſmodi Expeditiones, collecto iam iuſto exercitu, tum facilius perficiantur, quando mari & terra ſimul fit impreſſio; dubium non eſt, quin hoc in Anglia melius

quam

quam in Belgio fieri poſſit. Quemadmodum enim iter per mare in Angliam breuius eſt & expeditius quam in Belgium; ita quoque eandem terra inuadere promtius eſt, quum exercitus pars in Scotia ſecure in terram exponi, atque inde contra Angliam duci queat, vt infra dicemus. E contra nō niſi per longiſſimos viarum tractus ex Hiſpania in Italiam, inde in Germaniam, ac porro in Belgium terreſtri itinere exercitus duci poteſt: quod & immenſos requirit ſumtus, & multis tam belli quam viarum periculis eſt propoſitum.

Secunda ratio eſt, quod traiectus in Angliam non commodior tantum eſt & breuior, verum etiam tutior; quum à Gribilterra ſiue freto Herculeo ad ipſam vſque Angliam mare apertum ſit, nec vllum impedimentum vllibi obiiciatur. At ſi quis in Belgium contendere velit, ei neceſſario Anglia præternauiganda eſt: quæ ſine dubio (vt quidem ipſa politica pręcepta monent) tum Hiſpaniarum Regi eiuſque claſſi illud teſtatum faciet, & amicos & inimicos parum gratos eſſe & acceptos, ſi magno numero armati veniant: nec ſibi quidquam deeſſe quo minus in claſſem vis fiat, quam voluntatem. Vnde dubium non eſt, quin Belgium inuadere cupienti, obſtaculum hoc perrumpendum, atq; ita tutum iter aperiendum ſit.

Tertia ratio firmiſſimo artis militaris axiomate innititur: Nūquam ſcilicet ad inuaſionem loci alicuius progrediundum, ſi à tergo turbæ oriri poſſint. Quocirca minime conſultum fuerit Belgium oppugnare, relicta a tergo Anglia; apud quam gentem vt vniuerſus hic conatus ſuſpicione & inuidia laborabit; ita periculum erit ne in medio contra Belgas pugnę ardore ſe immiſceant, & ex improuiſo in mediam claſſem impetum faciant. Ac profecto non aliam ob cauſſam infelicem habuit euentum Caroli V. in Prouinciam Galliæ expeditio, quā quod contento Marchionis Vaſtani conſilio, loca munita ante ſe capere neglexit: quæ res non Imperatoris tantum copiis, verum etiam Antonio Læuæ, cuius conſilium Imperator ſequutus fuerat, in perniciem vertit.

Quarta ratio eſt, quod Belgium oppugnanti res futura eſt cū perito, feroci & bellis innutrito milite: Anglos vero videmus omni arte & diſciplina militari deſtitutos, quippe qui nec vllam ſcientiam, nec armorum, præſertim quæ ſcloperi vocantur, tractandorum vſum habent, arcubus exceptis & baliſtis, quorum tamen vim omnem caſſides & loricæ noſtrorum facile eludunt. Equidem tantum exiſtimo inter Anglū & Belgum militē intereſſe quantū intereſt inter ociū & exercitiū, vel, vt melius dicam, inter inermem & armatū. Quanti vero ad victoriā interſit contra imperitum pugnare militē, inter multa alia Miltiadis nos docet exemplum, qui in campis Marathonis cum decem ſelectorum

millibus vniuerſum Xerxis exercitum, in quo admodum ſexcen-
ta hominum millia fuiſſe dicuntur, profligauit.

Quinta ratio eſt, quod Belgii oppugnatio tanto plus hab-
difficultatis, quanto magis hoſtis ſtringitur, & intro compell-
tur, ita vt neceſſe ſit quaſi pedetentim progredi, & iam ad hun-
iam ad illum locum oppugnandum vniuerſum exercitum adh-
bere: quorum tamen locorum occupatio ſępe parum adfert emo-
lumenti, niſi quod victoriæ curſum ei qui ea occupare nititu-
valde remoratur. E contrario in Anglia nullæ arces ſunt, null-
munitiones aut propugnacula quæ victoris progreſſum inhibe-
re poſſint, vbi is ſemel pedem in terra fixerit: id quod adeo diffic-
le non fuerit, multas ob cauſſas quas infra dicemus, ſed inprim-
Hiſpanicæ potentiæ reſpectu. Quum ergo Anglia arcibus &
munitis locis parum ſit inſtructa; Belgium vero totum vna &
quaſi perpetua arx ſit & propugnaculum, tam intus quam fori-
quis non videt tanto illam eſſe oppugnatu faciliorem, quanto fa-
cilius eſt vincere eos qui non repugnant? Huius rei aptius exe-
plum adferre non poſſum quam ex hoc ipſo Belgio: in quo lice-
paſſim à Rege magna & firmiſſima præſidia ſint collocata, ſingu-
lis tamen fere momentis res ita turbatur, vt ea oppugnandis qu-
ſe opponunt arcibus & oppidis, ſatis non ſint. In Luſitania ver-
quum nulla fere ſint loca contra vim hoſtilem ſatis munita, fac-
le fuit Hiſpanis primo ſtatim ad regni vſque viſcera penetrare, &
incolis ſpem omnem recuperandi adimere.

Sexta ratio eſt, quod ei qui cum exercitu regionem aliquam
inuadit, arces & oppida munita poſtquam occupata fuerint, no-
minus fere negocii faceſſunt quam antequam fuerunt occupata
vtpote quibus præſidio firmandis maior pars exercitus detrah-
tur, ac proinde vehementer copiæ vniuerſæ debilitantur.

Belga Malecontenti non exacerbandi.

Septima, meo quidem iudicio, vel vna ſatis ſit ad meæ verita-
tem opinionis euincendam; & hæc eſt. Si Hiſpaniarũ Rex ad pur-
gandos rebellione Belgarum animos exercitum mittat, verend-
erit ne non tam maligni humores euacuẽtur quam ipſi boni que-
que commoueantur, atque ita infirmitas quædam plena peccãti
& putridæ materiæ, gignatur. Iam vero quum ſana materia ad-
huc prædominetur, ſperare licet, vim morbi tandem ipſa tempo-
ris diuturnitate diſcuſſum & ſuperatum iri: econtra vero ſi ali-
adhibeatur medicina, facile fieri poſſit vt Malecontentorũ, quo-
vocant, humores omnino corrumpantur; id eſt, vt ad res illi no-
uas incitentur: & vt Rex medicinam, ita illi animum mutent, &
alio reſpiciant. Scimus, vi Capitulationis ſiue tranſactionis inte-
Regiam Maieſtatem & Belgas ſubditos factæ, belli huius onus &
compoſitionẽ Ordines in ſe recepiſſe, hac conditione vt Hiſpan-
& peregrini milites è Belgio reuocentur. Iam ſi illi exercitum

e

ex Hiſpania ad debellandos Belgas millium aut tantum deſtinatum audierint;facile intelligent, ſibi victis à victore leges accipiendas;& Malecontenti non ſolum tanti belli onus ſuſtinendi cupiditatem abiicient,meritorum ſuorum quę erga Reg. Maieſt. prætendunt, nullam haberi rationem cauſſantes; verum etiam ſpem omnem immunitates & priuilegia ſua, pro quibus tanta contentione ipſi inter ſe toties depugnarunt, conſeruandi amittent. Ex quo, vt & aliis quas in hanc ſententiam adferre poſſem, rationibus patet, quam periculoſum ſit hoc rerum ſtatu amicorum animos tam aſpera medicina exacerbare. Si enim Malecontenti illi aduerſæ factioni ſe quoque adiungant & Hiſpanis opponant,facile intelligi poteſt quanto grauius bellum hoc à parte regiæ Maieſtatis futurum ſit, non eo tantum quod tam certum ac præſens auxilium regiis copiis detrahetur, verum etiam magna ad hoſtium vires fiet acceſſio. Et hactenus quidem probauimus multo opportuniorem ac faciliorem eſſe Angliæ quam Belgii oppugnationem.

Reſtat iam vt non per modum comparationis, ſed tantum rei ipſius reſpectu rationibus aliquot oſtendamus,quanti Regis Catholici interſit, & quam facile eidem ſit Angliam occupare. Primo dubium non eſt quin illud medicamentum, ſalutiferum dici poſſit ac debeat, quod non ſolum partem offenſam ſanat, verum etiam morbi radices tollit.Iam ſi Rex Catholicus armis Belgium ſubiugare conetur, plagam quidem rebellionis fortaſſe conſolidabit, fontem tamen ipſum malignorum humorum, quibus morbus alitur,non exhauriet, relicta ſcilicet Anglia, quæ perpetuum fomentum rebellantium Belgarum viribus hactenus ſubminiſtrauit. Licet autem impræſentiarum Belgium hac indiſpoſitione vel morbo omnino liberetur: quæ tamen aut qualis ſanitas illa dici poteſt eiuſmodi corporis, quod continuæ ſuggeſtioni peccantis materiæ eſt obnoxium? Quare Anglia prius tentanda eſt,vt ſecure poſtea omnes concurrentes humores aut digeri aut euacuari queant. *Anglia prius tentanda quã Belgium.*

Verum vt de facilitate clarius aliquanto dicam, equidem non nego quin Angliæ regnum ſit potentiſſimum, vtpote maxima omnium quæ ab antiquis commemorantur inſularum. Ambitu enim ſuo, vna cum Scotia, complectitur duo milliarium millia: quamquam recentiores ducentis minorem faciant. Quid, quod ſingulari naturæ beneficio mirum in modum munita eſt, Oceano, tamquam muro, vndique circumdata; ita vt Scotia ad eius imperium adiecta, nullibi, terra inuadi poſſit. Id tamen verum eſt, rei militaris gloriam quæ Anglorum genti tribuitur,antiquis potius quam iis qui iam ſunt, tribuendam. Quod igitur alias fieri videmus, vt ſcilicet animus magnarum rerum *Anglia qu. potens olim & hodie.*

imaginatione grauidus, licet rebus mutatis, eaſdem nihilom-nus retineat imagines; id heic quoque accidit, dum Angliæ vir non ex præſenti rerū ſtatu metimur, ſed ab antiqua illa tempo reſpicimus, quibus Normaniā, Britanniam Armoricā, Vaſcon aliaſq; florentiſſimas Galliæ prouincias & ciuitates ſub imper habuit. Eidē Scotia fuit tributaria: immo vniuerſum pœnè Ga liæ regnū Angliæ ſceptro regebatur, adeo vt Henricus VI. in ip Pariſiorum vrbe Galliæ Rex ſit coronatus. At ſi præſentem qu Angliæ ſtatum conſideret, facile profecto intelliget, potentia eius quæ olim potentiſſimis totius Europæ regibus formidabil fuit, hodie non valde eſſe metuendam. Et profecto ſuperiori t pore tantis calamitatibus inſula hæc fuit obruta, vt non homin tantum, ſed cœli quoq; odium in ſe concitaſſe videri poſſit. Poſ quam vero infelici conſilio in Schiſmatis tenebras præcipitau procul dubio ſe terribilibus iis rebus obnoxiam fecit quas fid & religionis ſecum affert mutatio, tritiſſima ad ruinam & exit omnium Rerumpublicarū via. Quum enim Religio vnicum fidei & obedientiæ ſubditorum erga magiſtratus fundamētum quis dubitat, quin eo ſubtruto, vna ſimul vitæ regula, & diuin ac humanæ leges cōcidant? Tanto vero pniciosiores inde ſequ tur effectus quanto magis repentinæ ſunt mutationes: quales il ſunt quæ in Anglia acciderunt, quæ momento fere tēporis è ſum mo Religionis faſtigio in abyſſum infidelitatis pcipitauit: è qu quum vix paullulum ſe leuaſſet, & oculos ad Catholicæ Religi nis lumen flexiſſet, tandē in denſiſſimas hæreſis tenebras delap eſt; quæ quidē maxima Rerumpublicarū peſtis eſt & ruina. Fie ergo nō poteſt quin his in fluctibus dānoſum valde paſſa ſit nau fragium Anglia, cuius quidē effecta manifeſta videbimus, ſi con ſideremus id quo præcipue omnis eius gentis exiſtimatio & ſ curitas quoq; innitebatur, iam collapſum eſſe fundamentum, r rum ſcilicet maritimarū copiam & gloriam, quibus olim ad m raculum abundauit: vt videre eſt ex ea claſſe quam Henricus V contra Carolum VI. Galliæ regē eduxit, in qua octingētæ mai res naues fuiſſe dicuntur, ita vt Oceanus quaſi ponte conſtrat videretur. Nunc vero adeo mutata eſt rerum ibi conditio, vt H ricus vterq;. VII. & VIII. centum illas naues, quas prædeceſſor ipſorum continuo, in procinctu habere ſolebant, diutius ſuſte tare non potuerint, quin eo tandem anguſtiarum redacta eſt A glia, vt ex illis ipſis nauibus quæ ad regni ſecuritatem erāt inſtr ctæ & diſpoſitæ, maior pars ſit vænū data. Tāto plus poteſt ap Principes inopia, quam propriæ ſecuritatis reſpectus.

Anglia impotentia cū Hiſpaniæ potentia cōparatur.

Sed quo melius id quod de facilitate dixi, intelligatur, duo c ſideranda proponam, quorum prius ad eum qui oppugnatu alterum ad eum qui oppugnat, pertinet: in quo liquido app

ret

rebit, altero tanto inhabiliorem eſſe defendentem ad ſe defendendum, quam habilis ſit offendens ad offendendum. Iam ſi quod oppugnandum eſt recte perluſtremus, Angliam nimirum; certum eſt Hiſpaniarum regis viribus eam reſiſtere non poſſe, ſi modo is ſuis quas in promptu habet, copiis vti velit, & oppugnationem ſerio inſtituat. Quod quidem diuerſis rationibus probari poteſt. Primum enim quum Anglia, vti diximus, magnis iu anguſtiis iam verſetur, ſi in iis tamen ipſis ad defenſionem contra hoſtem potentiſſimum ſe comparare velit, idem faciet ac ſi cœlum fulcire conetur, quum tamen nec Alcides ſit, nec Atlas.

Secundo quum Anglia bono earum nauium, quæ ad regni præſidium & ſecuritatem comparatæ olim fuerant, numero careat, ſi iam demum quis naualem conquirere apparatum conetur; idem faciet ac ſi robur ab infirmo ſumere, aut ipſi tempori & Naturæ rerum legem ponere velit, dum ſcilicet in ſumma inopia & breui temporis ſpacio ea comparare ſatagat, quę in ſummis diuitiis longo temporis ſpacio (tot enim ac tantis rebus opus eſt) comparari vix poſſunt. Præterea, nunc demum eos conquirere velle apparatus quos Rex Catholicus iamdiu in promptu habet, idem eſt ac tum demum arma velle capere quando hoſtilis mucro iam iugulo eſt impoſitus, nec vllum deliberandi nobis ſpacium reliquum eſt. Fruſtra hic dixerit aliquis, poſſe Anglos, ingruente periculo, priuatorum nauibus ad publicas neceſſitates vti: quum hoc remedium nimis ſerum ſit futurum, malo iam incumbenre, nec naues illæ è locis remotis & longe inter ſe diſtantibus tam cito contrahi non poſſint: vt de eo nihil dicam, quod homines priuati ſuas fortunas ad publicas vſurpari neceſſitates, ægre patiuntur.

Anglia caret nauibus & præſidiis.

Quare omnino neceſſum eſt, vt in arduis expeditionibus Principes ſuis ipſorum viribus nitantur: quum ij qui in rebus ad ſalutem aut exitium verſuris, ab aliena ope dependent, prius ſæpe ab hoſte opprimantur quam aliorum auxiliis vti poſſint.

Tertio facilis eſt Angliæ oppugnatio, vt cui non poſtrema pars ad militiam requiſita, deſit, equitatus ſcilicet, equitatus, inquam grauis armaturæ, cuius nihil fere apud Anglos quā tenuis quædam notitia reperitur. Ad leuis vero armaturæ equitatum quod attinet, parui is erit momenti, niſi qualitatis defectus, quantitate ſiue multitudine compenſetur. Atqui non pauci tantum ſunt equi in Anglia, ſed illi ipſi quoq; qui ſunt, morbidi fere ſunt & flaccidi, non tantum cœli ſiue aeris ingenio, verum etiam quod continuo in paſcuis, tamquam capræ oberrent.

Itemque Equitatu.

Quarto, conſtat Angliæ reges ſiue negligentia ſiue inopia iamdiu omnis bellici apparatus, in quo cōquirendo tantū ſtudii reli-

Omni denique bellico apparatu.

reliqui ponunt Principes, curam abiecisse: quo tamen nullum remedium ad quoſuis ſiue inteſtinos ſiue exteros reprimendos tumultus, eſt præſentius. Quia enim ſuperiorum temporum Reges curam omnem in maritimis procurandis copiis poſuerunt, factum inde eſt vt terreſtris militiæ nulla fere habita ſit ratio: quaſi ſcilicet in inſula numquam bellum terra gerendum, aut naualibus copiis bellum terreſtre adminiſtrari non queat.

Angli nouarum rerum cupidi.

Quinto, certum eſt, rerum nouarum ſtudium Anglorum genti velut à natura inſitum eſſe. Nam ſi quis eius gentis hiſtoriā perlegerit, inueniet, ſeditiones, coniurationes, proditiones & ſimilia quaſi domiciliū ſibi in inſula illa fixiſſe. Cuius rei exemplū habemus in Eduardo Rege, qui in Galliā profugere eſt coactus: & recentius in Maria Regina, quæ Vellenæ (forte Viati) aliorumque coniurationibus fuit petita. Sed infinitum ſit omnia eiuſmodi recenſere. Vnde patet quam facile in tali Regno confuſio aliqua ſeu perturbatio oriri poſſit, præſertim ſi homines per ſe nouarum rerum cupidi & turbulenti potentem hoſtem ante fores armatum viderint, cui ſi nullam aliam ob cauſſam, ſaltim pœnarum ob rebellionem metu, vltro ſeſe procul dubio coniungent.

Angli Reginam oderunt.

Sexto quum Angli plerique omnes inſolentem Reginæ huius dominationem ægre ferant, vt quæ non tantum parum prudenter & moderate imperando, verum etiam inhoneſte viuendo odium & indignationem ſubditorum indies magis magiſque in ſe concitet: quis non credat lubenter eos tale iugum, offerente ſe occaſione, abiecturos? Quamuis enim populus ille ſingularem quamdam obſeruantiam exteriori geſtu & vultu erga Reginam ſuam oſtendat: ſi quis tamen penitus introſpiciat, in intimo animorum receſſu acerbum odii virus erga eamdem reperiet abſconditum, adeo vt voces illæ palam ſæpe non apud magnates tantum, verum etiam inter ipſum populum iactentur, quum Regina illegitimis nuptiis nata ſit, non poſſe eam in præiudicium verorum heredum, & contra Regni ſtatuta, Regnū tenere. Quare magna ſpes eſt, ſi Catholicus Rex arma contra Reginam moueat, ſubditos inſigne aliquid in eiuſdem perniciē molituros: quum ſic comparatum ſit, vt populi odio aut aliquo alio affectu ſtimulati, quamcumque eum quem oderunt, perdendi arripiant occaſionem. Sic Tarentini Caij Liberi Præfecti imperium pertæſi, Carthaginienſes in ipſius conſpectu, in vrbem receperunt.

Angli offendere tantum ſoliti.

Septimo, quum Angli, ſi vetera ſpectemus, alios tantum infeſtare ſint ſoliti, ipſi vero raro ab aliis infeſtati; fiet profecto vt vbi verſam iam fortunam viderint, animo ſtatim conſternentur. Inſolita enim Fortunæ facies valde omnibus eſt formidabilis.

Hoc

Hoc modo Græcia alios oppugnare ſolita, quamprimum ab aliis oppugnata fuit, in aliorum deuenit poteſtatem.

Octauo, quum Anglia, iuſto Dei iudicio, iam declinare cœperit, facile poteſt intelligi quam procliue futurum ſit eamdem penitus deturbare: quum declinatio nihil aliud ſit niſi via quædam ad ruinam. Sic Romanum Imperium vbi ſemel declinare cœpit, momento temporis peſſum iuit; & ingens illa moles ingentem ſecum ruinam traxit. *Anglia declinare cœpit.*

Nono, quum Anglorum gens peritis ducibus & Capitaneis priuata magis ſit quam careat, inſuper præterea ipſi, vti ſupra diximus, patui ſint valoris; & vero ceruorum exercitus etiam leone duce, par uiſi æſtimandus: facile intelligi poteſt quam ridiculus futurus ſit ceruorum exercitus, lepore aut cuniculo duce; cuius ſimilis fortaſſis Anglorum futurus eſt. *Anglia militia ducibus effœta.*

Decimo & vltimo, etiamſi Anglia armis, ducibus, annona, nauibus omnique neceſſario abundaret apparatu, nihilominus tamen aio, omnia hæc inutilia fore, ſi vnum illud deſit quod ipſam formam & eſſentiam, vt cum Philoſophis loquamur, Expeditionibus largitur. Quid illud eſt? pecunia cuius non tantum ob regiorum redituum exiguitatem, ſed etiam ſumptuum magnitudinem tanta in Angliæ regno eſt inopia, vt magnæ alicuius Expeditionis onus ſuſtinere non poſſit, immo præclare ſecum actum putet, ſi neceſſaria ad ſolitas impenſas, habeat. Qui vero nimium ſuis tribuit viribus, illiſque grauius belli onus in ſe ſuſcipit, ſuam ipſe ſibi perniciem acceſſit: Eſt enim certiſſima illa regula: Si Princeps aliquis talem ſuſcipiat expeditionem, cuius onus ſuſtinere non poſſit, eum nemini pluſquam ſibiipſi nociturum. Deficiente namque annona aliiſque rebus neceſſariis, & ſtipendio non procedente, imperium detrectare ſolent milites, vt non minus à proprio milite quam ab hoſte ſit periculi. Sic Germani milites qui Lantzknechti vocantur, olim Monpenſerium Ducem in regno Neapolitano deſtituerunt, & Cereſolm armis occuparunt. *Pecunia inops.*

Quum hactenus demonſtratum ſit, facile eſt Catholico Regi Angliam occupare, ſi ipſa quæ oppugnanda eſt, in ſe ſpectetur: iam porro idipſum, ſi oppugnantis, Catholici ſcilicet Regis, vires conſiderentur, longe facilimum eſſe, & quidem maioris momenti rationibus probabo.

Primum, quis neſcit quanta ſit Philippi Hiſpaniarum regis potentia? cuius imperium iiſdem quibus ſolis curſus terminatur ſini bus: quippe quod integrum terreſtris globi diametrum complectatur? ac profecto ſi vetera & recentia percurramus, nullum ex omnibus omnium temporum Monarchis & Regibus inueniemus, qu tantum ac tam latum poſſederit imperium, Princeps armis, militibus, ducibus, terreſtribus & maritimis copiis, auro & argento, omni *Philippi Regis potentia*

latrunculorum & prædonum reprimendam audaciam apta ſint, & pleraque nec munita ſatis, nec ſufficienti apparatu inſtructa.

Sexto (quod tamen in ipſa deliberatione primo loco conſiderandum eſt) habendus eſt hac in re honeſtatis & iuſtæ cauſſæ reſpectus quùm Catholici Regis inprimis ſit, Catholicam fidem & religionem defendere, ea fiducia vt certo perſuaſum habeat, nullum fore tantum impedimentum, quod hunc ipſius conatum, diuino præſidio ſubnixum, retardare poſſit. Infirma enim ſunt & vana omnia humana conſilia & auxilia, quæ ſupremi illius arbitri voluntati ſeſe opponunt. Sed & præter eas quas Catholicus Rex habet in Regnum hoc prætenſiones; ea eſt muneris ipſius & officii ratio, vt nullam ſuo & maiorum nomine, qui Catholici dicti ſunt, digniorem expeditionem ſuſcipere poſſit. Hac enim ratione non ſolum iuſtiſſimis de cauſſis ſibi debiti Regni acquiret poſſeſſionem, ſed etiam immortalem nominis gloriam præ cæteris omnibus qui vmquam fuerunt Regibus, ſibi comparabit, adiuncto videlicet ad Hiſpanias tam amplo & celebri regno.

Expeditionis huius honeſtas & gloria.

Septima ratio à Traiectus commoditate ſumitur, qui vt inter fretum Herculeum & hanc inſulam breuis admodum eſt, ita ad conuehendos omnis generis apparatus aliaque ad bellum neceſſaria, valde eſt opportunus.

Octauo, ſi Philippus Rex bellum hoſti domi inferat, certum eſt in Anglia ingentem paſſim orituram trepidationem & metum, & periculi propinquitatem omnia defenſionis conſilia perturbaturam. Terribilius enim nihil eſt, quam ferrum ſuo & ſuorum iugulo quaſi impoſitum cernere. Agathus quidem Siciliæ tyrannus, Syracuſis à Carthaginenſibus expulſus, cum paucis ſuarum copiarum reliquiis in Africam nauigauit, arma non tam inferens quam oſtentans: cuius quidem etiam victi & profligati aſpectus tantum terroris attulit, vt Carthaginienſes Aſdrubalem domum reuocarint, Agatho non multo poſt libere ad ſuos reuerſo.

Nono, plurimi ſunt in Anglia qui Catholici Regis partibus fauent. Quis vero neſcit quanti interſit inter ipſos hoſtes habere amicos & fautores? Id quidem Cannenſis illa clades qua Romani exercitus ab Annibale ad internecionem fere deletus fuit, ſatis demonſtrat. Nec profecto vllus locus tam munitus eſt, qui non facile expugnari poſſit, ſi intus ſimul cum ciuibus, & foris cum hoſte ſit pugnandum.

In Anglia multi Catholico-Regi fauent.

In Anglia vero multos eſſe qui Philippo Regi ſint addicti, eiuſque cauſſa quidquid poſſunt, facturi, tribus probo rationibus.

Prima eſt, inſignis illius humanitatis, clementiæ & beneficentiæ qua magnus noſter Rex in regendis regni illius ſubditis; vſus eſt, memoria, plurimorum animis ita impreſſa, vt quoduis aliud imperium, huius reſpectu tyrannicum magis quam legitimum ipſis

Philippi Regis clementia.

videatur. Quantum vero in ſubditorum animis poſſit eiuſmodi imperii memoria, præſertim vbi illi imperandi inſolentia exacerbati fuerint, Ferdinandi Neapolitani Regis nos docet exemplum, qui ab exſilio reuocatus, & à ſubditis in regnum reſtitutus fuit, non aliam ob cauſſam, quam quod imperium eius quamdiu regno præfuit, multo tolerabilius quam Gallorum videretur.

Angli ad Catholicā religionem adhuc proni.

Secunda ratio eſt à Religione. Scimus enim Angliam à gremio S. matris Eccleſiæ hodie auulſam eſſe, non quidem inueterata aliqua aut naturali infectione, ſed errore potius & cæcitate Henrici VII regis, qui à libidine ita tranſuerſum ſe abripi paſſus eſt, vt omnia miſcere nihil penſi habuerit. Quod ſi ipſam Anglorum gentem ſpectemus, conſtat ſane illam ab antiquiſſimis vſque temporibus S. Catholicæ religionis fuiſſe obſeruantiſſimam: at ſi præſentem conſideremus ſtatum, reperiemus eam non ſua ipſius voluntate aut ſtudio, ſed iam dicti Regis veſania in præcipitium hoc abreptam. Iam ſi tempus inſpiciatur, equidem plaga hæc infidelitatis recens adhuc dici poteſt, nec dum cicatricem obduxiſſe. Neque enim multi anni ſunt, quum Maria rerum potita, Angli ad priſcam Catholicam fidem velut poſtliminio reuerſi ſunt, aperteque oſtenderunt animos ſibi non alia re excæcatos eſſe quam graui illo lethargo qui Regum animos ligatos & oppreſſos tenebat. Et quomodo fieri poteſt, vt Angli non maiorem in partem ſint Catholici: quum vel ipſi, vel certe patres ipſorum in hac ſanctiſſima fide nati ſint & educati: Anne adeo facile fuerit Religionem, etiam quum altiſſimas in animis noſtris radices egerit, tollere penitus & extirpare? Aut adeo inconſtans voluntas noſtra ſit, vt ſolidiſſimis tam ſanctæ Religionis dogmatis imbuta & præceptis informata, velut Protheus quidam, ſubinde in varias ſeſe induat opiniones? Equidem fidei noſtræ character multo altius cordibus noſtris imprimitur, quam vt tam cito deleri vel obliterari poſſit. Quamuis autem Angli ad Regum ſuorum voluntatem ſeſe accommodent, & ab hoc diuerſarum opinionum torrente abripi ſe patiantur: fieri tamen non poteſt quin in penetralibus animi non id remaneat, in quo vel ipſi vel parentes ipſorum fuerunt inſtituti & eruditi: Quocirca extra dubium fere eſt, quin illi, ſi id ſine magno periculo fieri poſſe animaduerterint, animi ſui ſenſa ſint declaraturi. Quantum enim apud omnes populos ſemper valuerit & quantum adhuc valeat religionis in qua quis natus eſt & educatus reſpectus, tum ex antiquorum quam recentium bellorum hiſtoria manifeſtum eſt, quorum pleraque pro defendenda & propaganda religione geſta ſunt.

Opes lucri quam vali[…]

Tertia hæc eſt: quum Rex Catholicus non ſolum opibus ipſe ad miraculum abundet, verum etiam in toto ſuo imperio innumera habeat quæſtuoſa officia, tam ſæcularia quam eccleſiaſtica, adeo vt bene de ſe meritis ampliſſimas habeat referendi gratiam occaſiones,

facile

facile eidem fuerit Anglorum animos ad ſe pertrahere, & opulenti alicuius prouentus ſpe ineſcare. Cuius rei quanta vis ſit, videre eſt in Philippo Macedone Alexandri Magni patre, qui hoc modo breui temporis ſpacio vniuerſam fere Græciam ſuo imperio ſubiecit. Vnde memorabile eſt eiuſdem Hipatam obſidentis apopthegma, quum iis qui inexpugnabilem vrbem illam eſſe dicebant, reſpondiſſet, Nullum locum adeo munitum eſſe quin expugnari poſſit, ad quem quidem nudo pecunia onuſto, aditus pateat, nec fefellit eum opinio, poſtquam ſcilicet corruptis auro cuſtodibus & præſidiariis, dictam vrbem, cæteroqui inſuperabilem habitam, expugnauit.

Quum demonſtratis hactenus rationibus ob quas Rex Catholicus Angliam potius inuadere debeat quam Belgium; necnon quam facile eidē ſit Angliam occupare: reſtat, ne quid hac in re inexplicatū maneat, vt eorum reſpondeam obiectioni, qui aiunt Angliæ occupatione vetus illud bellum, quod iam ſub pacis cineribus latet, inter Catholicum Regem ſiue Burgundicam domum, & Reges Franciæ reſuſcitatum iri, & in multo maius fortaſſe incendium quam vmquam antea, eruptūrum. Neque enim credibile eſſe Franciæ Regem ocioſum huius Tragœdiæ ſpectatorem fore, cuius cataſtrophe Franciæ regno maximum periculum, & fortaſſe exitium quoque afferre poſſet. Vnde ratiocinantur quidem; Franciæ regem cum Anglia potius arma coniuncturum, quam paſſurum vt Hiſpaniç Rex, ea oppreſſa, arma inde in Franciam transferat, cum præſentiſſimo regni exitio.

Solutio obi... ctionis: qu... tamē deeſt...

PORTVVM ET ARCIVM TAM ANGLIÆ QVAM SCOTIÆ accurata deſcriptio: itemque de apparatibus terra marique ab Angliæ regina contra Hiſpanicam claſſem factis.

DISCVRSVS XVI.

Anglia pars Auſtralis.

EA Angliæ pars quæ Meridiem ſpectat, non fertilitate tantum verum etiam Portuum & Arcium multitudine tam Orientalem quam Occidentalem plagam, & quatuor velut angulis, quatuor Galliæ prouincias reſpicit, Flandriam ſcilicet Normaniam, Picardiam & Britanniam Armoricam, & vlterius aliquanto, Rupellam oppidum, ita vt Strabone teſte, certo quodammodo Scaldis & Locris (Liris fortaſſe) nobiliſſimorum fluuiorum faucibus quaſi occurrat.

Vectis inſula.

Facto ergo à ſupradicta plaga & Oſtio Tameſis fluuii initio, primum Vectis inſula occurrit, Franciſci illius Draconis famoſiſſimi piratæ patria, piſcatoris (quod hominum genus magnam partem illius inſulæ incolit) filius, qui maritimas Hiſpaniæ oras, immo vniuerſum Catholici Regis imperium multis depredationibus vexauit. Draconis vero nomen ipſe ſibi ſumpſit, quod eſt ſerpentum quoddam genus. Vnde Dunkercani inſignem nauem inſtruxerunt, Doggam (id eſt, Canem) à ſe appellatam, innuentes ea ſe Draconem hunc venaturos, & forte capturos.

Inſula vero hæc in ipſis Tameſis iacet faucibus, qui fluuius Londinum regni metropolim, mediam ſcindit, & ſpacio ſexaginta milliarium in mare ſe exonerat: maris vero fluxum ac refluxum ad ipſam vſque vrbem vehementi cum curſu ſentit, atque ita etiam maximis nauibus aditum eo vſque contra fluminis curſum ab Oceano quaſi repulſum, præbet. Introitus vero ibi periculoſus admodum eſt, vt plerumque in omnibus fluuiorum oſtiis, frequentibus hinc inde bre

de breuibus & arenarum cumulis aqua opertis, ita vt ad inueniendum oſtium magna diligentia opus ſit, ac locus ipſe, vt apud Virgilium eſt, Statio male fida carinis, appellari poſſit.

Sequitur inde Promontorium Lanium à veteribus appellatum, vbi olim inſula fuit, iam vero tantum ab Oceano & Tameſi eo arenarum aggeſtum eſt, vt terræ cohæreat.

Non procul inde Sanduicum oppidum eſt, quo Belgarum naues frequentes appellunt, vt & vicinorum.

Viginti milliaribus inde abeſt Douera, præcipua regni arx, & firmioribus quam cæterarum vlla præſidiis munita; ſub qua Venetorum & Gallorum naues, negociandi cauſſa eo profectæ, ſolitam fere habeant ſtationem. *Douera.*

Inter duas has arces ſiue oppida quantumuis magna claſſis tota æſtate ſe continere poteſt, ſpirantibus ibi ſemper aut plerumque ea anni parte Eteſiis, qui tamen cum anni partibus mutantur: neque vero è dictis iam oppidis naues ibi ſtantes offendi poſſunt, quum alto loco illa ſita ſint & machinarum ictus naues ſuperuolent. In hoc quidem litore Cæſar ſine dubio Romanorum expoſuit exercitum; ſiquidem, vt ipſe teſtatur, poſtquam Galliæ oram (vbi Caletum iam eſt) tertia noctis vigilia, id eſt, tribus ante lucem horis ſoluiſſet, quarta diei hora Britanniam inſulam tenuit: quod iter hodie pari fere temporis ſpacio confici ſolet. A Douera enim Caletum vſque Picardiæ portum, vigintiquinque numerantur millia: quod ſpacium Cæſar dicit eſſe paſſuum millia triginta. Creſcit vero ibi & decreſcit aqua ſenis horis, & omnis ventus ad traiiciendum commodus eſt, minoribus præſertim nauigiis quæ velis & remis ſunt inſtructa. Scio ego Franciſcum I Galliæ Regem ad prædictum locum exercitum trecentis nauibus tranſportare & in terram exponere, aliquando olim ſecum conſtituiſſe.

Hoc terræ tractu Duni, id eſt, arenarum cumuli, inſtar montium in altum tolluntur: & in Gallia quidem Angliæ litus, in Anglia vero Galliæ litus cerni poteſt, ac præſertim arenarum illi albicantes cumuli & candida ſaxa Angliæ, vnde olim fortaſſis inſula hæc Albion dicta fuit. *Duni.*

A Douera in meridionali plaga Richeth occurrit, exiguum oppidum, & portus valde incommodus, vtpote in oſtio fluuii alicuius poſitus, vbi cum æſtu pleraque omnis aqua in Oceano relabitur.

Vlterius aliquanto portus & oppidum Vilihenſei conſpicitur; ac non procul inde Huſtung; nec non Arondel portus & oppidum inter cætera Angliæ non poſtremum; cui præeſt Arondelius Comes, iuuenis magno ingenio & ſatis litteratus, quem non ita pridem *Arondel.*

Angliæ regina cuſtodia incluſit, eo quod Catholicam ſequeretur religionem, & Hiſpaniarum Regis forſan eſſet ſtipendiarius.

A Douera Arondeliam vſque importuoſum valde eſt litus & arenarum cumulis impeditum, allabente ſcilicet æſtu; quo recedente ad vnum circiter mare litus ſeſe aperit, adeo vt refluente Oceano iis in locis quoque exercitus in terram exponi poſſit.

Vectis inſula. Inde Vectis inſula è mari exſurgit, ad multas res admodum opportuna. Eius ambitus decem circiter eſt milliarium, tota in montes attollitur: qua vero Angliam reſpicit, ampliſſimum & commodum valde portum habet, Neupott dictum, & arcem tam opere quam natura ſatis munitam.

Longius Occidentem verſus ſitum eſt Albiach oppidum, vallo & mœnibus vndique cinctum.

Eadem inſula è regione Antonæ non ignobilem Angliæ portum habet oppoſitum: vbi ſinus maris ſeſe aperit, tutiſſimum nauibus perfugium. Duæ ibi arces ſunt ad defenſionem valde opportunæ, vna in plaga orientali, Portiſmuth dicta; altera Antor nomine, occidentem verſus, Regio plana eſt & campeſtris. Eodem in litore ſequitur Paul, quod viuarium ſignificat, aut lacum, vel paludem; ibique & portus & arx eſt. Inde ſinus maris ad viginti circiter miliaria in terram irrumpit, ad Leiceſtriam vſque ſiue Exoniam, oppidum valde opulentum, vbi tuta nauibus eſt ſtatio, & arx inſuper: quæ tamen ob nimiam à mari diſtantiam, exſcenſionem prohibere non poteſt.

Eſt etiam iis in locis alius portus & arx, Totines nomine, itemque S. Mauritii, ad duodecim milliaribus in terram introrſum porrectus.

Plemuth. Plemuth quoque bonus portus eſt, & oppidum ſatis munitum, quo plerumque onerariæ mercatorum naues ex Hiſpania appellunt. Vltimus in hoc litore portus eſt Falmuth, cum arce non contemnenda.

Omnes vero iam dicti in meridionali plaga Angliæ portus ſuperiores reges præſidiis & arcibus firmârunt, ne à Gallis infenſiſſimis ipſorum hoſtibus occuparentur; id quod ipſi in Gallia fecerant, Caleto, Bononia Armorica & aliis ibi locis in poteſtatem redactis, & firmiſſio præſidio munitis.

Inde porro ad vltimum vſque Occidentis promontorium altiſſimi montes exſurgunt, qui S. Michaelis vulgo dicuntur; nec non promontorium Connabin. Et ſic in vniuerſo hoc litore hactenus recenſito, portus reperiuntur tredecim, arces vero ſiue oppida quindecim. Ab eodem capite in Occidentali plaga, qua Hiſpaniam Anglia reſpicit, duo ſunt oppida, Briſtolium vna in fine ſinus poſitum; alterum Milfortum: quorum vtrumque portum habet vel magnæ claſſis capacem. In eadem plaga vlterius nauigando, in fretum

perue-

peruenitur, inter Hiberniam, Angliam & Scotiam poſitū: quod ſi Cæſari credimus, multo anguſtius eſt quam Gallicum, inter Doueram & Caletum.

Eſt vero Hibernia inſula, tota Britannia, ſiue Anglia & Scotia, ſemiſſe fere minor. Quamuis autem ſeditionum ibi nunquam ſemina deſint: Angliæ tamen Regina vniuerſum fere maritimum tractum ſub imperio habet; in quo valida vbique tam peditum quam equitum præſidia ſunt diſpoſita, quorum numerum ad duodecim millia eſſe perhibent, qui ipſe quoque poſt vltimos illos motus Gregorii XIII. Papæ inſtinctu factus, auctus fuit. Primaria inſulæ ciuitas & Archiepiſcopalis ſedes Armacana eſt: non longe inde oriētem verſus abeſt Tridat, flumini adſitum, & poſt illud, totius inſulæ nobiliſſimum oppidum. Dublinium ſequitur, vbi in Angliam traiecturi naues conſcendunt, & Ceſtriam inde è regione oppoſitum Angliç oppidum, traiiciunt. In plaga Septentrionali vnum tantum habet oppidum ſiue arcem & portū, Vuocuerges dictum. Qua vero Angliam reſpicit ſeptem ſunt arces, cum ſuo quæque portu, ſcilicet, Dublin, Arglay, Imbrach, Beremon, Vaterfort, Vexford, & Kinſal, qui vltimus in auſtrali plaga ſitus eſt. *Hibernia inſula.*

Nauigatio huius freti inter Angliam & Hiberniam periculoſa admodum eſt, propter fluminum concurſum, qui ex vtraque inſula tanto cum impetu in mare exonerantur, vt aqua quaſi bullire videatur, & naues eius vi quo minime volunt abripiantur.

Duo vero præcipua Angliæ ſunt oppida & portus Hiberniæ obiecti, vnus Ceſtria quo Hibernos appellere ſolere ſupra diximus; alter Lancaſtria, vbi olim Regum eius tractus ſedes fuit. Intermedia iacet Mona inſula, XL. milliaria ambitu complectens, cum oppido, & arce Ruſſeo (forte Roſſur) dicto. E regione in Anglia ſita eſt Lartingh (forte Garteys) arx & portus: & ex aduerſo in Scotia, Dumfres, Gallouidiæ portus, cuius domini nullius agnoſcunt imperium, ſed tam Anglos quam Scotos rapinis infeſtant. Ibi priſcis temporibus murum aiunt fuiſſe, ab vno maris latere ad alterum ductum, cuius initium fuit in Occaſu ad oſtium fluminis Salici, finis vero in plaga Orientali, ad oſtium fluminis Zinan; longitudo vero ſeptuaginta circiter milliarium. Hodie vero murus hic magna ſui parte dirutus eſt, ac regni terminus Tueda fluuius cenſetur, ad cuius oſtium Baruicum eſt, oppidum vix vlli in tota inſula cedens, vtpote in quo tria peditum millia & equites non pauci continuo præſidii cauſſa aluntur. Eſt vero Baruicum oppidum in Orientali Angliæ plaga ſitum, portum habens amplum, cum validiſſimo præſidio. Non longe inde abeſt Lacra inſula, quæ arcem habet ſcopulo impoſitum. Ad ripam *Ceſtria Lacaſtria.*

Digitized by Google

Tuedæ fluminis triginta inde milliaribus Roſburgum abeſ munitum oppidum: & paullo ſuperius non procul a capite di fluuii, qua per montes patet tranſitus, Varch Scotiæ proximun & ſatis firmum oppidum. Legenti iam Orientale Angliæ litt primum occurrit Neucaſtle, ad flumen poſitum non longe à m to illo oppidum, ad cuius muri cuſtodiam Angli præſidia habe ad Sanduicum, Sasbrog & Auulle, qui naues è Noruegia & al Septentrionalibus regionibus appellere ſolent: deinde Baſco Sermout, & vltimo loco Pſuich. Qui portus omnes ad magna claſſem recipiendam ac defendendam ſatis ſunt opportuni. H de Anglia.

Scotia ſitu ab Anglia. Scotia, cuius primaria vrbs Edimburgum dicitur, ea parte q Angliæ confinis eſt, duas tantum habet arces ſiue munita opp da, Dumbarum ſcilicet, Baruico oppoſitum; & in plaga Occide tali Britannodunum, altiſſimo monti ab aliis quaſi auulſo, imp ſitam arcem, agro Sterlinenſi confinem. Et ſic ſe quidem Sc tiæ fines verſus Angliam habent, quantum ad munita lo attinet. Licet autem pluribus Scotiam hic deſcribere ab in tuto noſtro alienum ſit, illud tamen ſilentio prætereundum n hi non videtur, Regem, ſi vel maxime quæ velit conſequatur, vniuerſo regno vix centum ſcutatorum millia quotannis per pere.

Quos apparatus Regina contra Hiſpanicã claſſem fecerit. Iam operæ precium videtur paucis indicare, quomodo Ang rum Regina & vniuerſa gens ad defenſionem ſeſe præpararit. P mum in omnibus arcibus præſidiariorum numerus auctus, tu ingens armorum, alimoniæ ac reliqui bellici apparatus vis ce uecta eſt. Ne vero hoſtis ex improuiſo alibi erumpat, locis e tioribus per totum litus antennæ ſiue oblongæ trabes colloca ſunt, appenſis vaſis pice ac ſimili materia plenis, cum in finem interdiu quidem hoſtis aduentus fumo, noctu vero igne ſign cari, & mature hoſti occurri, aut quod in rem fuerit, conſti poſſit.

Vniuerſum Angliæ regnum diuiſum eſt in Comitatus LI. C mitibus vero ſingulis ſuæ aſſignatæ ſunt ſtationes, quo cum ſu hoſte ingruente, accurrant. Arma eorum ſunt arcus, quos inp mis ſcite tractant, ſclopeta, ſariſſæ, gladii cum clypeis & alia genus, quorum magnam copiam olim in arce ſiue armamen tio Londinenſi vidiſſe me memini.

Maris ſiue claſſis præfectura Carolo Hauarto commiſſa eſt, que vicarius datus Franciſcus Draco; qui partem claſſis. Norm norum, Britannorum & Rupellanorum concurſu valde auc locis oportunis collocauit, ad inſulas ſcilicet illas quæ inter R pellam & Angliam ſitæ ſunt, hoſtium inde conſilia obſerua rus & exſcenſione prohibiturus, vel vltro etiam aggreſſur

Qu

Quia vero metus eſt, ne Hiſpani portum Milfortenſem occupēt, atque inde ad Eboracum vſque (quę poſt Londinum tam diuitiis quam agri fertilitate facile primas tenet) arma proferant, atque ita partem totius regni opulentiſſimam ſibi ſubiiciant: prædictum portum validiſſimis tam nauium quam militum præſidiis Regina muniri iuſſit.

In media hac planicie quæ inter Milfortum & Eboracum iacet, Milort Robertus (fortaſſe Leiceſtrium Comitem innuit) reginæ adhuc gratia florens, egregiam arcem ad militarem architecturam ędificauit, & inſigni armamentario inſtruxit. Maris tamen præfectus ad Doueram ſtationem habet, quo dici vix poteſt, quantus ex Hollandia & Selandia nauium & nautarum fiat concurſus.

Claſſis Anglicana.

Claſſem Anglicanam aiunt conſtare ducentis & quinquaginta quatuor nauibus, è quibus viginti prægrandes ſunt, & regio plane apparatu inſtructę: centum vero & octoginta mercatorum tam Anglorum quam aliarum nationū naues, mediocribus ſunt maiores; reliquæ minores ſunt, & inter has non pauca cataſcopia ſiue ſpeculatoria nauigia, vt Cæſar appellat.

Quamuis autem in oppugnanda Anglia non paucæ ſe obiiciant difficultates, illa imprimis, ne ſi vel maxime Hiſpani ſatis virium habeant tam ad committendum cum hoſte in mari prœliū, quam ad exponendum in terram militem, Angli tamen pugnam euſque detrectent dum Hiſpani in terram deſcenderint, ac tum demum claſſem adoriantur, vnde non leuia naſci poſſent incommoda & pericula: pro certo tamen habetur è binis claſſibus quas Rex Catholicus inſtructas habet, vnamquamque ſatis validam eſſe ad vniuerſam hoſtium claſſem profligandam, ita vt & exercitum in terram exponere, & hoſtiles conatus facile poſſit reprimere.

Neque vero Anglicæ Nobilitati, & in vniuerſum iis qui Catholicam ibi ſequuntur religionem, magnopere fidendum, aut multum in eis ſpei ponendum arbitror; vt qui aduerſus exteros non valde bene ſint animati, tum in armis parum exercitati, & triginta annorum pace omnino fere eneruati. Nihilominus alia ratione Expeditionis huius ſucceſſus plurimum iuuari poterit, ſi videlicet per Scotiam in Angliam fiat inuaſio: Nam ſi Scotiæ Rex Hiſpanos claſſem in portum aliquem, vt Letham, Dumbarum, vel alium hanc ad rem opportunum, ſubducere patiatur, atque etiam arma cum eis coniungat, certum eſt facilem Angliæ fore occupationem.

Impedimē- ta ſiue diffi[cultates] huius Exp[ed]itio[nis]

Hic tamen non leuia occurrunt impedimenta. Primum eſt, itineris ſiue viæ longitudo, quum tota Hibernia, & quidem per

proceſloſum illum Borealem Oceanum circumnauiganda quod ſpacium ad Hebrides vſque inſulas, pluſquam octinge milliaria complectitur, ad plagam ſcilicet vſu ve Scotię Occid talem. Si quis vero claſſem in plaga eius Orientali ſubducend dicat, is altero tanto longius iter faciet. Certum inſuper eſt ta tum ibi marini æſtus, præſertim noua & plena Luna, vim eſſe vel ſecundo vento ſuperari vix poſſit. Et ſi exercitus in terram poſitus & claſſis in tutum locum ſubducta fuerit: nihilomin tamen iter per loca aſpera & ſalebroſa ac montibus impedita ciundum erit, & annonæ defectus metuendus.

Angli prætérea ad Tuedam fluuium procul dubio hoſti ſ obiicient, cuius illi ripam tribus, vt ſupra diximus, munitam h bent præſidiis, prçter antiquum illum murum, vbi facile illis fi rit è locis ſuperioribus hoſtem omni telorum genere impetere extremum agmen, vt Cæſar loquitur, male habere.

Etſi vero hæc omnia non parui ſunt momenti: ego nihilor nus felicem huius Expeditionis ſucceſſum à Deo ſperandum ſe iudico, vt quæ pro Religione aliaſque iuſtiſſimas ob cauſ ſuſcipiatur, & quidem iis viribus quantas in binis tam vali claſſibus eſſe par eſt: tum ab eo Imperatore qui experientia militaris tam mari quam terra, prudentia, fortitudine, ac felicitate vix vllum hodie parem habet, Duce ſcilicet Parmenſi, & quidem feliciſſimis Sixti V. Papæ, Principis optimi auſpiciis.

D

DE SVCCESSV, QVEM FAMOSA ILLA CATHOLICI Regis claſſis in Anglia oppugnanda habuit,

DISCVRSVS XVII.

DIE XXII. Iulii Anno MDLXXXVIII. Dux Medinæ claſſem vniuerſam è Coronenſi portu eduxit, Noto ſpirante, quo per aliquot dies vſa illa, magnum breui tempore ſpacium confecit. Die Lunæ qui XXV. fuit eius menſis, idem Dux felicem nauigationis ſucceſſum animaduertẽs. Don Rodericum Tellum Dunkercam præmiſit, qui Parmenſem de claſſis aduentu certiorem faceret, & quod in rem eſſet, moneret, in primis vt in promptu omnia haberet quo mature ſuam Regiæ claſſi poſſet coniungere. *Hiſpanica claſſis ſoluit.*

Sequenti die XXVI. Iulii malacia fuit, & denſa toto mari nebula, quæ ad meridiem vſque durauit, tumque Aquilo flare cœpit, tandem vero Zephyrus, ad mediam vſque noctem, quam Eurus excepit. Hoc die Galera prætoria, Diana appellata in portum rediit, quod aquæ per rimas magna in eam copia influeret.

Die Mercurii, XXVII. magna ſerenitas vna cum ſole affulſit, vento ponente, & mari pacato. Luſtratione facta, quadraginta naues & tres Galeræ deſideratæ ſunt. Iacta bolidæ, aquæ altitudo deprehenſa fuit triginta quinque cubitorum, tumque à Sorlingis triginta fere milliaria claſſis aberat. Ibi Medinæ Dux tria ſpeculatoria nauigia emiſit: vnum ad promontorium Ariſarte, exploratum an eo forte naues quæ aberant, appuliſſent: ſecundum, ad terram cognoſcendam: tertium retro, cum mandato, vt omnes regiæ naues quæ à claſſe adhuc aberant, ſumma contentione ad reliquam claſſem properarent. *Tempeſtate iactatur.*

Die Veneris, XXIX. regia claſſis, Zephyro adſpirante, nauigationem continuauit tumque illud catafcopium quod ad Ariſarte promontorium à Duce miſſum fuerat, rediit, indicans, Don Petrum Baldeſium eas naues quæ à claſſe aberrarant, recollegiſſe, deeſſe tamen prætoriam Ioannis Martineſii Ricaldi, qua

Nicolaus de Isla militum tribunus ſiue Campi Magiſter veheb tur, & tres Galeras, quæ incertum ſit quo curſum inſtituerin Eodem die Angliæ terra regiis in conſpectum venit, illud ipſu ſcilicet quod diximus, Atiſarte promontorium.

In Anglia conſpectum venit.

Die Sabbathi, XXX. regia claſſis ad terram proxime acceſſi cuius conſpectum Angli continuo per diſpoſitas pharos fumo igne ſignificarunt. Sole cadente, Dux Ioanni Gilchio vexillifer mandauit, vt è hoſtibus aliquem interciperet, quo certi aliqu de eorum rebus poſſet cognoſcere. Eodem die naues aliquot conſpectum noſtris venerunt, ſed quod aër valde eſſet nebuloſ & pluuioſus, numerus earum iniri non potuit. Circiter media noctem Gilchius vexillifer rediit, & tres vel quatuor Anglos p ſcatores ſecum adduxit, qui Falmuthi ſe habitare dixerunt, ex la ipſa nocte maris præfectum & Draconem cum claſſe è por Falmuthenſi in altum prouectas eſſe.

Dominica XXXI. mutante vento, ſexaginta circiter naues occurſum Hiſpanicæ claſſi tendentes, & non procul à terra, al vndecim infra ventum conſpectæ ſunt, & inter has tres fueru eximiæ magnitudinis Galeonæ, quæ venti beneficio vſæ, & fr quenter in Hiſpanicas proximas iaculantes, reliquæ claſſi ſe coniunxerunt. Ibi Medinæ Dux, impoſito ſuper dolonem r gio vexillo, aciem inſtruxit. At hoſtis prætervectus, in pr mum claſſis Hiſpanicæ cornu vehementer detonuit. Ei præe Don Alphonſus Læua, qui hoſti diu fortiſſime reſtitit. Inde vltimum agmen, quod Ricaldus regebat, impetum fecerunt A gli. Et Ricaldus quidem & ipſe ad ſummam diligentiam nihil r liqui fecit, vt ſuorum, qui ad claſſem enixe properabant, fuga ſiſteret, donec nauis qua vehebatur, multis ictibus perforata, d lone & vexillo deiectis, ad defenſionem pene inutilis fuit re dita.

Reſtabat Gryectiua à tergo Ricaldi, vna cum Didaco Pimen in S. Matthæo Galeona, & Didaco Enriques, Martini Enriqu Peruani proregis filio, in Galeona S. Ioanne, è cohorte Did. Flori. Ibi reliqua claſſis vela collegit, & tantiſper moram tra dum Ricaldi prætoria in aciem eſſet recepta. Sic igitur An agmen ſuum extenderunt, Medinæ vero Dux claſſem ſuam collegit, quum aliud facere non poſſet, vento Anglis fauente, q momento temporis naues ſuas, mirabili agilitate in quamcu que partem vertebant. Ea quæ diem hunc ſequuta eſt nocte Catharina nauis ſtationem ſibi aſſignatam reliquit, & quod v de eſſet lacera, in mediam aciem fuit recepta, dum reficeret Interea Hiſpani modis omnibus venti beneficium eripere A glis ſtudebant: tum vero ignis eam nauim, in qua regius quæſt vehebatur, corripuit, adeo vt caſtellum quod vocant, in pup

comb

combuſtum fuerit. Id Dux conſpicatus, nauigia aliquot magna celeritate ſummiſit, quorum ope incendium extinctum fuit; Angli vero qui nauim prædictam inſequebantur, vbi Hiſpanicam claſſem conuerſam viderunt, ſeſe receperunt: atque hoc modo nauis illa recuperata fuit & in aciem recepta. In hac conuerſione, don Petri Baldeſii nauis in antennam mali maioris incidit. Dux quidem opem illi ferre modis omnibus nitebatur: ſed quum ventus eſſet vehemens, & mare turbulentum, facere id non potuit, ſed eam omni celocum vſu prope deſtitutam, relinquere eſt coactus. Quoniam vero multa nox erat, & Didacus Florus Ducem monueiat, ſi moram ibi traheret, & dictam nauim exſpectare vellet, claſſem non aſſequuturum, vt quæ longius iam progreſſa fuerat, immo poſtero die vix ſemiſſem claſſis ſecum habiturum; neque vero par eſſe, vt hoſte tam propinquo, vnius nauis gratia vniuerſam claſſem tantò exponat periculo; nec dubitare ſe, ſi vel paruam ibi moram traxerit, quin prœlio inferior ſit futurus: Dux Oxedæ Capitaneo, adiunctis Petri Baldeſii & Didaci Flori prætoriis, itemque quatuor minoribus nauigiis & vna Galeazza, periclitanti naui, & vectoribus ſubueniendi dedit negocium; quod tamen ille perficere non potuit, tempeſtate & tenebris impeditus. Sic ergo Dux ad claſſem reuerſus eſt, in qua recolligenda vehementer allaborauit. Calendis Auguſti Dux Medinæ Alphonſo Læuæ mandauit, vt primum nauium agmē cum extremo coniungeret, adiunctis tribus inſuper Galeazzis, & S. Matthæo, S. Ludouico, S. Iacobo, & Florentina quadam è Luſitanorum cohorte, Galeona. In vniuerſum tum in claſſe erāt quadraginta naues maiores, cum quibus Dux Anglis obuiam ire ſtatuerat, qui vnice id impedire conabantur, ne Hiſpanica claſſis ſe cum Belgica, quam Parmenſis adducturus dicebatur, coniungeret. Ipſe Dux primum agmen ducebat: ita vt vniuerſa claſſis in duas tantum acies eſſet diſtributa. Deinde vocatis ad ſe vigilum præfectis, vniuerſam claſſem circumiri, & ſuam vnicuique naui ſtationem aſſignare iuſſit, ſecundum formam ſcripto conſignatam, ſibique in Hiſpania exhibitam, addito mandato, vt quicumque ſtationem ſuam deſeruiſſe eſſet deprehenſus, ſtatim ei gula laqueo frāgeretur; adiunctis eum in finem tribunis quibuſdam campeſtris militiæ, & lictore. Decimaquinta eius diei hora ad Ducem venit Oquenda Capitaneus, nauim ſuam à ſubmerſionis periculo parum abeſſe ſignificans. Quocirca vectoribus Ducis iuſſu, itemque regia pecunia in alias naues receptis, dicta nauis ſubmerſa fuit. Subnoctis crepuſculum Dux Ioannem Gilchium vexilliferum ad Ducem Parmenſem ablegauit, & quibus in anguſtiis verſaretur, ſignificare iuſſit.

Die Martis, II. Auguſti, albeſcente cœlo, Anglica claſſis ob

ventum aduerſum, terræ quam proxime potuit adnauigauit, in terim vero Hiſpanis venti beneficium eripere magnopere con tendebat. Id Dux animaduertens, beneficium illud tueri modi omnibus ſatagebat. ſequebantur eum Galeazzæ, reliqua ver claſſis pars longius aliquanto aberat. Angli vbi prætoriam re giam litus legere, nec venti beneficium ei poſſe eripi animaduer terunt, retro ſeſe receperunt. At Hiſpanicæ naues vento ſuperio res, vltro hoſtem oppugnarunt. Martinus Vantendoua in An glicam prætoriam illatus diu acertime cum ea pugnauit: quen ſequuti ſunt Marchio Pegnafilius cum Galeona S. Marco. Augu ſtinus Mexia cum S. Ludouico, Didacus Pimentel cum S. Mat thæo, Franciſcus de Toleto cum S. Philippo, Didacus Pacecu cum Oquendi prætoria, Didacus Telles Euriques cum S. Ioan ne de Sicilia (is ad ſequentem vſque diem hoſtem perſequutu eſt) Gaſpar de Senſa cum Galeona Florentina, Antonius Perein cum S. Iacobi, Didacus Enriques cum S. Ioanne Didaci Flo prætoria, Alphonſus Luſſon cum Veneta Salenzeta: Galeazz vero, quas in primo agmine collocatas diximus, vt à terra, ita periculo non admodum longe aberant, fluctuum vehementi abreptæ: quibus Dux mandauit, vt velis remiſque ad hoſten contenderent, ipſe vero cum prætoria & aliis aliquot nauibu ad ſuum locum rediit, & ſuos quam potuit acerrime in hoſten concitauit, parum tamen proficere potuit, quod Angli quam primum Hiſpanicæ claſſis vim ſenſerant, in altum ſtatim auc larent, mox vero æſtu & vento ſecundo vſæ ruſus inueherer tur, & Hiſpanos vltro oppugnarent. Id Ioanni Martineſio R caldo accidit, in extremo agmine conſtituto, cui Alphonſus La ua opem tulit. Regia prætoria tum in media acie verſabatur, Du ce ſuos qui cum Anglis pugnam iniuerant, exemplo & verbis in citante.

Quum vero in quanto periculo Ricaldus eſſet animaduerti ſet, Matolinum Capitaneum celocem conſcendere, & naues al quot ſibi vicinas, Ricaldo auxilium ferre iuſſit. Quod conſpica Angli, Ricaldum miſſum fecerunt. Rediit tamen mox Anglic. na prætoria: cui Dux cum ſua ſeſe obiecit, & feliciter exonerat tormentis, eam facile retroegit. In hac pugna regiæ prætori ſuppetias tulerunt Ricaldus, Læua, & Marchio Pegnafiliu quibus deinde Oquenda etiam, iam commiſſa fere pugna, ſu peruenit. Poſt hæc Angli in altum ſeſe receperunt, quod non le damnum, dum ſuis à primo Hiſpanorum agmine incluſis ſub uenire ſtudent, accepiſſe viderentur. Prima luce iidem ruſi Admirantam Hiſpanicam magnis viribus ſunt aggreſſi, & con uerberatis ictibus aliquot tormentorum Galeazzis (quæ nihil minus ſtationes ſuas tuebantur) aliiſque nauibus, nulla re am

plius perfecta, retroceſſerunt, prætoria Anglorum naui vehementer à Galeazzis concuſſa, & maioris mali deiecta antenna.

Die Iouis, IV. Auguſti, Angli rurſus validam impreſſionem fecerunt in S. Annam, & vnam è Luſitanis Galeonis, quæ à reliqua claſſe longius aliquanto aberant. His ſuppetias profecti ſunt Læua, Didacus Telles Enriques, & vna cum Galeazzis, tam fortiter dimicarunt, vt eas è medio multarum hoſtilium nauium, à quibus erant circumdatæ, liberarint. Eodem tempore Angli in extremo Hiſpanicæ claſſis agmine collocatam prætoriam magno numero, ac propius quam vnquam antea, maioribus etiam tormentis vſi, inuadunt, adeoque; multis occiſis è maioris malo deturbant. Periclitanti ſtatim adfuerunt Auguſtinus Mexia, Ricaldus, Didacus Enriques, Oquenda, & hoſtem, prætoria eius male habita, tandem recipere ſe coegerunt.

Hinc regia Hiſpanicæ claſſis prætoria Anglicanam vltro oppugnatum profecta eſt, ſequentibus eam Ricaldo, Didaco Telle Enrique, & aliis. Omnem victoriæ ſpem Hiſpani in eo habebant poſitam, ſi Anglos ad ſtatariam pugnam poſſent pertrahere: Magnis tum in anguſtiis prætoria Anglorum, ab Hiſpanis vndique circumſeſſa, verſabatur, iamque parum aberat quin illi opem periclitantibus laturi, ad iuſtum & ſtatarium prœlium ſeſe accingerent: quum ecce ventus Anglis iterum fauere cœpit, cuius beneficio prætoria rurſus euaſit, tumque ſimul vniuerſa Anglorum claſſis venti opportunitatem ſequuta eſt. Dux animaduertens è re minime fore hoſtilem claſſem perſequi & adoriri, præſertim quod Vectim inſulam haberet oppoſitam, ſigno dato ſuos inſtitutum prius iter perſequi iuſſit, atque ita hoſtilem claſſem longo interuallo reliquit. Eodem die Medinæ Dux Petrum Legionenſem ad Parmenſem ablegauit, & præſenti rerum indicato ſtatu, eum monuit vt quanta fieri poſſit celeritate claſſem ſuam cum regia coniungeret, ac ſimul pilas aliquot ferreas quaternum, ſenum & denum librarum ad ſe mitteret: Petri vero Baldeſii munus Didaco Enriqui, Martini Enriquis filio, commiſit.

Die Veneris ſub primam lucem, mari tranquillo, & hoſtili claſſe propinqua, Medinæ Dux Dominicum Ocham petitum naucle rum, ad eundem Parmenſem ablegauit, cum mandatis, vt ſine vlla mora XL nauigia, quæ Fiebotas vocant, ad claſſem mitteret, quod ſine his commode manus cum hoſte conſeri vix poſſent, ob nimiam Hiſpanicarum nauium magnitudinem ac tarditatem, ſummam vero Anglicarum agilitatem: ac ſimul quantum in celeritate momenti poſitum eſſet, ſignificare iuſſit. Quia autem an Dunkercæ Parmenſis eſſet, incertum erat; regia claſſis ſole ad occaſum vergente, Caletum verſus vela facere cœpit.

Sabbatho, VI. Auguſti, albeſcente cœlo, duæ illæ claſſes parum

inter ſe diſtantes, in mutuum venere conſpectum; Anglica tamen in Hiſpanicam nihil reuraiuit, quod ſecundo nauigaret vento. Circa meridiem Hiſpanis Francia terra apparuit, qua Bononia iacet: circa veſperam vero claſſis haud procul à portu Caletenſi abfuit. Diuerſæ ibi fuerunt ſententiæ, pleriſque vlterius nauigandum ſentientibus. Quum vero Dux Medinæ è naucletis quibuſdam didiciſſet, ſi vlterius progrederetur claſſis, verendum eſſe ne marini, æſtus vi in Oceanum Septemtrionalem abripiatur: anchoras è regione Caleti iacere, ſeptem à Dunkerca milliaribus, iacere conſtituit, vt tanto facilius cum Duce Parmenſi ſe coniungere poſſet. Quo facto, Erediam Capitaneum ad Gourdanum Caleti præfectum miſit, & cauſſas ob quas in anchoris ibi aliquamdiu ſubſiſtere conſtituiſſet, indicare, omniaque beneuolentiæ & amicitiæ officia offerre iuſſit.

Eodem veſpere ſex & triginta naues cum Anglicana claſſe ſeſe coniunxerunt, inter quas quinque fuerunt eximiæ magnitudinis Galeonæ, è Iohannis Aclis, vt poſtea intellectum eſt, claſſe: quæ aliquamdiu ad Dunkerceam ſubſtiterat. Collectis omnibus quas poterat nauibus, Anglicus Admiralius ab Hiſpanica & ipſe vix vno milliari diſtans, omnia rerum gerendarum momenta captauit. Ea nocte Eredia Capitaneus Caleto rediit, indicans oppidi præfectum Catholici Regis cauſſa omnia quæ poſſet facturum; quod ipſum etiam poſtea reipſa ab eodem abunde fuit præſtitum. Eadem quoque nocte Medinæ Dux Secretetarium ſuum Hieronymum Aretinum ad Parmenſem ablegauit, ac quibus in difficultatibus verſaretur, oſtendere iuſſit, vtpote iis in locis in quibus diu ſubſiſtere non poſſet, niſi ſummo periculo vniuerſam claſſem obiicere vellet.

Dominica, VIII. Auguſti, mane Rodericus Tellus Dunkerca ad claſſem rediit, ſignificans Parmenſem Brugis eſſe, vbi ipſum conueneris, eumque magna cum voluptate regiæ claſſis aduentum accepiſſe.

Prima luce eius diei præfectus Caletenſis nepotem ſuum ad Medinæ Ducem cum recenti annona aliiſque ad reficiendum à nauſea neceſſariis ablegauit, ac ſimul monuit quantis in periculis, ob æſtus vehementiam, claſſis ibi verſaretur. Qua humanitate Dux inuitatus, Bartholomæum Predoſam Prouiſorem, & Iohannem Dottam quæſtorem Caletum miſit, alimoniæ coemendę cauſſa: ac denuo per internuncium Parmenſem monuit, vt aduentum maturaret.

Naues incẽdiariæ. Eodem die Angliæ claſſi ruſſus aliquot naues ſeſe coniunxerunt, ex ea vero viginti ſex circiter terram quam proxime acceſſerunt. Metuens ergo Dux ne forte incendiariam portarent materiam, Serario Capitaneo mandauit, vt Pinaſſam conſcenderet, ac proximas Anglis naues moneret, vt ſi forte nauis incendiaria in ipſas impelleretur, in procinctu ſtarent, & conſilium ex re nata caperent. Circa mediam noctem primum duo ignes in Anglorum claſſe, mox vero

octo

octo conſpecti ſunt. Erant vero octo naues incendiariæ, quas Angli vento & æſtu ſecundo contra Hiſpanicam claſſem emiſerunt. Ad horum conſpectum Dux metuens, ne præter ignis periculum aliis quoque peſtiferis inſtructæ eſſent machinis, anchoras per vniuerſam claſſem tolli iuſſit, ita tamen vt defunctæ hoc periculo naues, ad ſuam quæque ſtationem reuerterentur. Et prætoria quidem Regia ad priorem locum rediit, & anchoram ibi rurſus iecit: at præcipua è Galeazzis & S. Iohannes Sicula nauis, occurſum vnius è nauibus incendiariis vitantes, ab ordinibus tam longe diſceſſerunt, vt ad claſſem redire non potuerint: & quamuis Dux ſuis tormenti diſploſione recipiendi ſe ſignum dederit, id tamen à paucis fuit exauditum, ſic vt multæ Hiſpanorum naues verſus breuia & arenas ad Dunkercam propellerentur.

Die Lunæ VIII. Auguſti, Dux videns claſſem ſuam longius progreſſam, Anglicam vero ſibi imminentem, anchoras leuari iuſſit, eo fine vt claſſem ſuam recollectam, ad priſtinam reduceret ſtationem. Corus ſiue Circius tum ſpirabat, Hiſpanis eo in loco minus propitius: cuius, vt & æſtus marini beneficio Angli cum triginta ſex nauibus illati, Hiſpanicas quæ reſtiterant, vehementiſſime oppugnarũt. Dux qui in extremo erat agmine, quum animaduerteret, ob arenarum cumulos nimis vicinos, claſſem è ſe recolligi non poſſe, periculi à Belgis naucleris quos ſecum habebat, admonitus, ſubſiſtere, & cum vniuerſa Anglorum claſſe dimicare decreuit, interim vero eos qui ad breuia illa iam delati fuerant, moneri iuſſit, & modis omnibus eluctari inde ſatagerent. Nec mora. Anglorum prætoria cum maiori claſſis parte in regiam Hiſpanicam impetum facit, & è propinquo frequentiſſimis tormentorum ictibus continuo infeſtat, non tamen Hiſpanica prius protam conuertit, quam vbi Admirantam, S. Marcum Galeonam, & præcipuam Galeazzam ex arenis iam eluctatas vidit. Quum vero Galeazza hæc claſſem aſſequi non poſſet, Caletum verſus curſum direxit, à ſequentibus Anglorum nauibus tutum ibi perfugium ſibi promittens. Læua, Oquenda, Ricaldus, & omnes tribuni militares ſiue Campi magiſtri, itemque Didacus Tellus Enriques, qui in prætoria Didaci Flori erat, impetum hoſtis quantum poſſibile fuit ſuſtinuerunt, adeo vt pleræque ipſorum naues valde eſſent laceræ & perforatæ, pilis etiam ad iaculandum deſtitutæ Franciſcus de Toleto quum extremum hoſtilis claſſis agmen aſſiliiſſet, mox ab hoſtibus vndique circumſeptus fuit & vehementer oppugnatus.

Ei ſuppetias laturus Didacus Pimentel, eidem ſe inuoluit periculo: vterque tamen Ricaldi, Auguſtini Mexię & aliorum aduentu tandem liberati fuerunt Inde iidem, vna cum Franciſco de Toleto, Didaco Pimentel, Alphonſo Luſſonio, Didaco Telle Enrique, & S.

Maria di Begona hoſtem rurſus aggreſſi, in magnas iterum anguſtias ſeſe induerunt. Tolerus inprimis, Pimentel, & Tellus Enriques, quorum naues à præcipuæ magnitudinis Anglorum nauibus vndique circumſeſſæ, omni telorum genere ſine intermiſſione impetebantur. Animaduerſo ſuorum periculo, cum regia ſua prætoria & aliis, opem illis laturus, curſum in hoſtem concitauit, qui tamen mox retroceſſit. Tunc Dux claſſem, quantum potuit, recollegit. Idem Angli fecerunt. Poſthæc Dux nauigia quædam (Pataggia vocant) ſummiſit, quæ è S. Philippo & S. Matthæo Galeonis fatiſcentibus vectores exciperent. & è poſteriore quidem excepti ſunt: quum vero Didecus Pimentel, qui S. Philippo præerat nauim deſerere plane recuſaret, Dux Rodericum Bucenũ & Ludouicum, Vanegum ablegauit, qui eas inſpicerent, vtrum ad nauigandum adhuc aptæ eſſent; qui tamen fluctibus impediti, S. Matthæum aſſequi non potuerunt, ſed ea nocte Selandiam verſus propulſam viderunt. S. Philippus Galeona ad aliam nauim ſe applicuit, quæ mox ſubmerſa eſt. Iohannes vero Pozza Capitaneus in S. Philippum inſiliit, & quod aliter facere non poſſet, Selandiam verſus iter tenuit. Cupiebat quidem Dux eo die ſupra Anglicanam claſſem manere, ne freto relicto, in Oceanum ingredi cogeretur: at naucleri fieri hoc nequaquam poſſe dictitabant, præſertim quum ventum & æſtum haberet aduerſum; ac omnino neceſſe vt claſſis in Septemtrionalem Oceanum educatur; quod niſi fiat, periculum eſſe ne naues omnes ad breuia illa & arenas adhæreſcant.

Die Martis, IX. Auguſti duabus ante lucem horis, ventus inualeſcere cœpit, adeo vt Hiſpanica claſſis, magno ſtudio freti ingreſſum ſibi conſeruare ſatagens, Selandiam verſus propelleretur.

Circa auroram, ceſſante Cauro, Anglicana claſſis centum & nouem nauium Hiſpanis à puppi apparuit, dimidio vix milliari diſtans. Regia Hiſpanica cum Ricaldo, Læua, Galeazzis, S. Marco & S Ioanne Galeonis, & Didaci Floti prætoria extremum agmen tuebatur, reliquæ vero naues longius aberant, & multæ infra ventum. Ibi Naues Anglicanæ impetum in regiam Hiſpanicam concitarunt, quibus tres Galeazzæ & aliæ extremi agminis naues ſeſe fortiſſime oppoſuerunt. Tunc Dux, hoſte paullum recedente, terna tormenti diſpoſione ſigno dato, claſſem recollegit, & nauclerum quemdam celoci impoſitum ad naues longius prægreſſas miſit, monens vt Selandiæ litora & arenas quibus vicini erant, vitarent. Ita cauſſa fuit cur Angli tum à perſequendis Hiſpanorum nauibus deſtiterint, vt quas in exitium iam pœne abreptas videbant. Affirmabant enim naucleri locorum illorum periti, impoſſibile eſſe vt Coro ſiue Circio ſpirante, vlla nauis inde euadat, quin ad breuia illa & arenas Selandiæ adhęreſcat: iamque in vnius Dei ope ſpem omnem eſſe poſitam. In hoc præſentiſſimo periculo illud ipſum Dei affulſit auxilium, Cir-

cio vento in Africum commutato, cuius beneficio reliqua claſſis è freti anguſtiis & ſumma aquarum humilitate (alibi enim earum altitudo vix ſex orgyarum deprehenſa fuerat) in Borealem euaſit Oceanum, integris omnibus quæ reſtabant nauibus.

Eo veſpere Dux tribunos ſiue Generales Capitaneos & Læuam ad ſe vocauit, & expoſito præſenti rerum ſtatum, quid faciendum eſſet deliberare iuſſit, vtrum ſcilicet fretum turſum ingrediendum, an vero per Septemtrionalem Oceanum in Hiſpaniam redeundum eſſet. Ibi communibus ſuffragiis decretum eſt, Hiſpaniam repetendam, quod multa neceſſaria, ſed inprimis pilæ tormentariæ deeſſent, nec ſpes eſſet Ducem Parmenſem tanta quanta opus erat celeritate claſſem ſuam educere poſſet; multæ inſuper naues valde eſſent laceræ. Sic ergo inualeſcente magis ac magis Africo, Dux curſum magna contentione per dictum Oceanum continuauit, ſequenti à tergo Anglorum claſſe. *Hiſpanica claſſis domum redit.*

Die Mercurii X. Auguſti, flante Noto, & mari turbulento, Angli vniuerſam ſuam claſſem in extremum Hiſpanorum agmen concitarunt. Dux non ignarus paucas ibi eſſe naues cum Ricaldo, cum ſua prætoria & aliis vela contraxit, & ſigno dato cæteros quoq; vt idem facerent, monuit. Angli vbi viderunt regiam Hiſpanicam cum Galeazzis & duodecim aliis maioribus nauibus, ad excipiendum impetum ſeſe obiecisse, nulla re amplius tentata, retroceſſerunt. Ea nocte Ioannes Acles cum ſuo agmine eſt reuerſus.

Die Iouis, XI. Auguſti, Hiſpanica claſſe inſtitutum curſum perſequente, Angli, qui longius aliquanto abſtiterant, circa veſperam omnibus velis expanſis, rurſus in Hiſpanicam impetum fecerunt, vel potius facturos ſe ſimularunt. Obiicientibus enim ſeſe rurſus Galeazzis, & regia prætoria occurrente, nulla re tentata itidem vt prius in altum reuolarunt. Tum luſtratis nauibus, Ioannis Aclis abſentia fuit deprehenſa.

Die Veneris, XII. Auguſti, mane turſus Anglicana claſſis apparuit: quum vero Angli animaduerterent extremum agmen cum primo coniunctum; domum repetituri, mox è conſpectu venerunt.

Omnibus reliquis diebus Hiſpanica claſſis eodem vento vſa, nauigauit, donec ad Septemtrionalis ſiue Noruegici maris fauces eſt peruentum: ac ſi vel maxime Dux verſus Anglicanum fretum redire voluiſſet, id tamen facere nō potuiſſet, ante diem ſecundum Septembris quo iam vltimam Scotiæ verſus Septemtriones inſula claſſis prætteruecta fuerat. Tandem vento aliquanto proſperiore dictæ claſſis reliquiæ in Hiſpaniam ſunt appulſæ.

DE MORTE GVISII DVCIS,

DISCVRSVS XVIII.

Guiſius ad necem pertrahitur.

DIe XXIII. menſis ...... anno M.D.LXXXVII
Rex Chriſtianiſſimus hora quinta matutina eſſ
dum conſcendit, ad venationem profecturus. Gu
ſius qui in arce hoſpitium habebat, mane itiden
pro more ſuo, ſurrexerat, & hora ſexta ſacellum a
tiendi ſacri cauſſa ingreſſurus, quum id clauſum
periſſet, genu ante portam inixus, preces ſibi ſol
tas recitauit: quibus finitis, in atrium vbi Conſilium haberi ſolet,
contulit. Quum autem non multo poſt è Conſiliariis aliquot veni
ſent, & Secretarius ad Regem dictum Ducem accerſiſſet, Guiſi
recta ad regis conclaue perrexit, ſed ingreſſum ſubito ſedecim hom
nes, lateris Regii ſtipatores circumſiſtunt, è quibus duo, ſtrictis p
gionibus gulam ſtatim dicti Ducis (metuebant enim ne armis tect
eſſet) petierunt, alius vero bipenni, & alii gladiis ventrem ei perfod
runt. In terram inde prolapſum pedibus arripuerunt, è conclaui eu
extracturi: quum vero Rex proſpiciens, eum adhuc ſpirare audiſſe
Propere, inquit, mortem ei adferte. Tum nobilis quidam alius ſupe
ueniens, Ducem monuit, vt animam ſuam Deo commendaret: a
quam vocem leuatis ille manibus & oculis ad cœlum, & pectore cr
ce ſignato, animam Deo reddidit.

Aiunt Guiſium quatuor aut ſex diebus ante cædem de inſidiis ſi
ſtructis monitũ, imo illa ipſa nocte ſchedulã ipſi porrectã, in qua ſc
ptũ erat, vt ſibi caueret: & q plus eſt, à Duciſſa Nemoroſia matre ſu
cũ lacrumis, illa ipſa quoq; nocte quæ mortem ipſius præceſſit, per
culi & inſidiarum commonefactum, reſpondiſſe: Tale quid de Reg
ſe perſuadere ſibi non poſſe, memorem eorum quæ ab ipſo ſibi pr
miſſa ſint, nec credibile eſſe tam diabolicam machinationem in co
de regis latere poſſe, neque vero conſiliis ſuis quibus ſemper vſus ſi
& etiamnum vtatur, honeſtum, ſed probroſum magis, vllam uete
ſuſpicionem fuga aut aliis rebus præbere.

Strepitu excitatus Cardinalis Guiſii frater, in Conſilio ſedens,
de fratre quod erat ſuſpicans, vltro in regium conclaue irrumpe
volebat, ſed à regii ſatellitii præfecto retentus, ac non multo poſt vn
cum Lugdunenſi Archiepiſcopo captiuus in Palatium, vbi Rex Ca
pucinis monaſterium ædificabat, abductus eſt.

E

Eo tempore quod cædi conſtitutum fuerat, Guiſii filius Ionuillæ Princeps à Magno Galliæ Priore, vt vocant, ad palmæ luſum fuerat inuitatus: Thermio vero, mandatum fuerat, vt Nemoroſium Ducem præſentia ſua & colloquio remoraretur, alii Ducem Albeufium obſeruare iuſſi, qui omnes poſtea in cuſtodiam ſunt incluſi.

Cæſo Guiſio, areis portæ clauſæ ſunt, & præſidia ad eam rem parata, vbique diſpoſita. Inde è regiis miniſtris quidam) magnum Præuoſtum vocant) cum quinquaginta ſatellitibus ad locum vbi Conſilium habebatur profectus, effractis portis Pariſienſium mercatorum præfectum, Nullium Præſidem, & quoſdam alios euocauit, cauſſamque cur eo ab Rege miſſus eſſet expoſuit, quod ſcilicet nonnulli ibi eſſent qui Regi mortem machinarentur. Illis vero tergiuerſantibus, idem niſi continuo abirent, mortem minatus eſt. Tum etiam miſſi ſunt qui Briſacum Comitem, & Pellicanum Guiſio à ſecretis, comprehenderent.

Guiſii corpus mortuum toto illo die in atrio regii conclauis, panno coopertum iacuit. Nemoroſia quidem, Guiſiorum mater, ad Reginam matrem Regis miſerat, per omnia ſacra obteſtans vt filios ſibi commendatos haberet: at ei reſponſum fuit, Reginam quod poſſet facturam, ſed iam parum poſſe. Regem tamen rogaturam, vt corpus ipſi tradat, id quod fecit: ſed nullum alium reſponſum tulit, quam corpus illud in Regis eſſe poteſtate, ſed eo adhuc carere non poſſe.

Poſtero die Guiſius Cardinalis à regio itidem ſatellitio confoſſus & interfectus eſt, Ducis vero Guiſii filius, Ionuillæ Princeps, in Ambroſiam arcem captiuus abductus. Albeufius ad ſe comprehendendum miſſis diu teſtiterat, tandem tamen manus dare coactus fuit, vt & Nemoroſius: captiui vero omnes in eadem arce adſeruari iuſſi ſunt, eo fortaſſis vt ad Guiſiani cadaueris aſpectum, mortis ipſis quoque terror incuteretur, interim examinarentur. Briſaco ſoli aiunt a Rege veniam datam: eumque adhuc Blæſis eſſe Cardinali Barbonio, in lecto ex podagra decumbenti, à regio Heluetiorum ſatellitio manus itidem ſunt iniectæ.

Cæde perpetrata, Rex ad Matrem ſuam ingreſſus, eo demum die Franciæ ſe Regem factum eſſe dixit. Cui illa reſpondiſſe dicitur: Metum potius eſſe ne illo die vniuerſum regnum in exitium ſit præcipitatum. Tum illum rurſus: Eueniat quidquid euenturum eſt, ego ſi nihil aliud, dolorem tamen meum & iniurias vlius ſum.

Sequenti mane Rex ad ſacrum audiendum profectus, Cardinali Vindocinenſi comitante: deinde in conſueto loco publice pranſus eſt, eodem Cardinali mantile miniſtrante.

Ordo cadis. Ordo vero cædis à Rege hic conſtitutus fertur. Cum prima eius diei luce Rex ſedecim Nobiles è quadragintaquinque illis, qui cuſtodiæ cauſſa ipſum ſemper commitari ſolebant, ad ſe euocauit, & quid ab ipſis fieri vellet, edocuit, additis his verbis: Eo die aut ſibi aut Guiſio Duci moriendum eſſe. Illis mandata alacriter accipientibus, Rex in conclaue ſe recepit, & duas ſcedulas vnam ad Lanſacum, alteram ad Caſtelnouum, de Borbonio & Guiſio Cardinalibus comprehendendis ſcripſit, ſimulque mandauit vt Ordinum conuentus continuaretur, addito interdicto, ne cui, ſub capitis pœna, arma ferre liceret, nihilominus tamen ex Ordinibus multi clam ſeſe ſubduxerunt.

Aurelianam in arcem Rex milites aliquot præſidii cauſſa miſſerat; ſed ciues intellecta re omni, ſubito arreptis armis, & productis tormentis, verberationem inſtituerunt.

Vulgata Guiſii morte, varii ſtatim rumores ſparſi ſunt, eodem ſcilicet tempore Lugduni Mainii Ducem interfectum, Luteriæ vero Aumalio manus iniectas; Lauardinum item ad Carnutum regulum & duos Guiſianorum militum præfectos occidendos miſſum, &c. qui tamen magna ex parte vani fuerunt.

Lugdunenſi Archiepiſcopo à Rege vitæ gratia facta eſt, Cabillonenſis præfecti precibus: Guiſium vero Cardinalem quum Rex ab iiſdem à quibus Dux frater interfectus fuerat, interfici iuſſiſſet, aiunt quidam id facere eos noluiſſe, quod ille militaris, hic Eccleſiaſtici ordinis homo eſſet: ac proinde à regiis ſatellitibus, aut præuoſti militibus ei manus illatas.

Viceſimoquinto eius menſis die Rex cæſorum cadauera capitibus truncari, ac porro cremari iuſſit. At Capucini monachi, interfecto Cardinali, ſacrum coram Rege facere recuſarunt. Legatum quoque Pontificium aiunt initio dubitaſſe vtrum cum Rege colloqui vellet; poſtea vero eadem cum ipſo naui vectum eſſe. Quid vero inter eos actum non conſtat.

DE

DE MORTE HENRICI III. FRANCORVM REGIS, ANNO MDLXXXIX. à Monacho interfecti.

DISCVRSVS XIX.

Calendis Auguſti Anno MDLXXXXC. Monachus quidam Dominicani Ordinis, qui Iacobitarum quoque vulgo dicitur, ſimplici vt videbatur, ingenio, circa veſperam verſus S. Clodouei fanum vbi Rex cum erat, iter ingreſſus eſt, commeatus literis captiui cuiuſdam Præſidis Harlæi opera impetratis. Eo quum veniſſet, per internuncios ſtatim Regi ſignificari iuſſit, habere ſi quæ oretenus cum ipſo communicare vellet: Rex vero cuidam è ſuis negotium dedit, vt ea nocte hominem apud ſe retineret & liberaliter tractaret, è cuius ſermone nõ modo nulla deprehendi potuit ſuſpicio, ſed etiam ſpes facta eſt, eum inſigne aliquid ad Regis ſeruitium & vtilitatem allaturum.

Monachus Dominicanus regis occidendi conſilium capit.

Poſtero die mane idem monachus ad Regem introductus, petiit vt in ſecreto audiretur. Arbitris ergo remotis, Rex cum eo penitius conclaue ingreſſus eſt, tum monachus litteras ei porrigit: ac ſtatim iis legendis intentum, cultro in ventrem & perficit ſub vmbilico adacto, confodit. Rex vulneratum ſe ſentiens cultrum continuo è vulnere ipſe educit, quod inde multo maius factum eſt. Ad ſtrepitum & clamorem mox familiares Regis & ſatellites accurrunt, & monachum multis vulneribus conficiunt, nimio vltionis zelo accenſi: quem Deo gratias egiſſe ferunt pro tam ſubitanea & leni morte, vt qui viuo ſibi deprehenſo, omnes cruciatus paratos ſciret. Mortui cadauer à quatuor equis diſtractum, in quatuor partes diſſectum, & tandem crematum fuit.

Rex plagam hanc non lethalem fore arbitratus, vt ſuis animũ adderet ipſe quoque animum præ ſe tulit, & è feneſtra etiam conſpiciendum ſe præbuit. At circa veſperam ingraueſcente dolore, medici & Chirurgi inſpecto vulnere (quod iam liueſcere incipiebat) Regem periculi, vtque ad extrema ſe pararet, monuerunt: qui nihilominus melius ſperabat, donec tandem deficiente linguæ vſu, circa mediam noctem exſpirauit.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Moriturus, Nauarræ Regem ad ſe euocatum rogaſſe dicitur, vt mortem ſuam vlciſceretur, in Pariſinis præcipue, quos in ſuā cædem conſpiraſſe dicebat: quamuis alii dicant prædictum monachum vltro & ſua ſponte rem tantam aggreſſum, contemto mortis periculo, quod ad rem Chriſtianam, maxime vero Gallici regni ſalutem promouendam hoc ſuum factum pertinere, perſuaſum haberet.

Aiunt eidem Monacho conciones habenti, interdum voces eiuſmodi excidiſſe, quibus ſignificarit, ſuis ſe manibus Regem interfecturum: idque ſibi in viſione quadam manifeſtatum. Se quidem equi caudæ alligatum iri, ſed nullos dolores ſenſurum.

EPISTOLA, QVA MAGNVS HETRVRIÆ DVX CARDINAlatu ſe abdicauit, ſiue

DISCVRSVS XX.

QVVM iam dies appropinquet, quam & ea qu familiæ meæ aduerſa euenerunt, quæque il ad agendum neceſſaria ſunt, mutandæ me vitæ inſtituto præfixerunt, cui me Deus Opt mus Maximus iam inde à pueritia addixiſ videbatur, & in quo ego permultos annos ii ſeruiendo ſanctiſſimæ iſti Sedi perſeueraui; quumque neque pu blicæ vtilitatis ratio, neque huiuſce populi, cui præſum, voces, deſideria patiantur, vt hanc rem diutius differam: viſum eſt mi hi, vt Romam Nicolaum Tornabonum Epiſcopum Burgi San cti Sepulchri, cum meis his litteris mitterem, is à me peramplu mandatum habet, cuius vi tum Sanctitatis Veſtræ, tum Sac Collegii conſpectum adeat, meoque nomine ſupplex ab eo po ſtulet, vt Cardinalitiam dignitatem illiusque inſignia deponer eaque Veſtræ Sanctitati, ac ſanctiſſimæ iſti Sedi reſtituere lice Qua quidem in re futurum ſpero, vt ipſa eo benignius petiti nem meam ſit acceptura, quo certius perſuadere ſibi poteſt, n non vna eſſe depoſiturum ſummam illam inſeruiendi Sanctit Veſtræ voluntatem, quam ante hac eius in me non obſcuris b neficiis obſtrictam, ac deuinctam habui, ſed futurum potius pl

ne reuerentem, atque obſequentem filium ſuum, eaque omnia ſemper acturum, quæ V. Sanctitati grata, & iucunda fore exiſtimabo. Deus Optim. Max. Sanctitatem Veſt. cuius Sanctiſſimos pedes humillime deoſculor, diutiſſime tueatur, ac ſeruet.

Datum Florentiæ XII. Calend. Decemb. MDLXXXVIII.

Epiſtola ad Cardinalium Collegium.

ETſi dolorem illum, quem ego ex Franciſci Medices Magni Ducis Etruriæ obitu maximum cepi, quod fratrem mei amãtiſſimum mihique cariſſimum amiſi, nullo alterius incommodi interuentu augeri poſſe exiſtimabam, tamen cum eo ventũ eſt, vt ea mihi perſona deponenda ſit, quam viginti ſex ipſos annos incredibili mea cum voluptate in iſta vrbe vnà cum Illuſtriſſimis DD. VV. geſſi, mirum profectò eſt, quanto vehementius animũ meum tantæ iacturæ memoria refricare cœpit. Etenim præterquam, quod huiuſce Imperii moles, quam iure quidem hereditario, ſed tamen non admodum optandam mihi eſſe video, tanta eſt, vt à curis requieſcere animum nunquam patiatur, totumque vnum ſibi me poſtulet, vt quo maxime oportet quaque mihi inprimis opus eſt, quam commodiſſime perferatur: illud etiam accedit, quod cum omnium Dominationum veſtrarum Illuſtriſſimarum conſuetudine, conſpectuque, quibus ego præſens fruebat, vt ex iis non modo incredibilem voluptatem, ſed etiam ſuauiſſimos meos erga ſanctiſſimam iſtam Sedem, veſtrumque Illuſtriſſimum ordinem pietatis, atq; obſeruãtiæ fructus caperẽ, priuatum me ſentio, facere non poſſum, quin in me huiuſmodi memoriæ recordatio, quaſi quodam morſu dolorem efficiat, DD. quæ veſtrarum Illuſtriſſimarum deſiderium identidem renouet, atque animum incredibiliter commoueat.

Qua tamen in re illud mihi maximam adhibet conſolationẽ, quod cum iſtinc nõ longiſſime abſum, futurum ſpero, vt quemadmodum præſens tum eram ſanctiſſimæ Sedi Apoſtolicæ, vtq; Dominationibus VV. Illuſtriſſimis libenter, ac ſtudioſe interueniebam, ita etiam poſthac crebræ mihi occaſiones offerãtur meæ perpetuæ, & conſtantis erga V. ordinem teſtificandæ voluntatis, quam quidem ſemper hic retinebo, vt ab ea me nulla, neque loci, neque temporis longinquitas vnquam deuulſura ſit. Atq; hoc idẽ non minus de Dominationum VV. Illuſtriſſimarum erga me beneuolentia mihi polliceor. Supereſt ergo vt mutuis inter nos officiis hanc animorum coniunctionem non ſolum tueamur, ſed etiam quoad fieri, pręſtariq; à me poterit, dabo operã atq; enitar, vt re ipſa DD. VV. Illuſtriſſimæ intelligant, & ſanctiſſ. iſtius Sedis obſeruationem, & iſtius Illuſtriſſimi Ordinis commodis para-

tiorem quam me eſſe neminem, quemadmodum ex Epiſcopo Tornabono præſentium exhibitore latius accipient. Deus Opt. Max. DD. VV. Illuſtriſſ. incolumes, & ſaluas diutiſſime ſeruet. Datum Florentiæ.

Formula ceremoniarum ſeruandarum in reſignatione Cardinalatus Magni Ducis Etruriæ.

Die 28. Nouembris 88.

FEria 2. 28. Nouembris 1588. erit Conſiſtorium ſecretum apud S. Petrum, in quo Sanctiſſimus Dominus noſter, habito breui ſermone cum Cardinalibus, de admiſſione Procuratorū Cardinalis Magni Ducis pro reſignanda Cardinalatus dignitate mādabit eoſdem Procuratores introduci, qui præeuntibus Magiſtris ceremoniarum introducentur cum aduocato Conſiſtoriali, qui dictæ reſignationis negotium exponet. Epiſcopus Procurator intrabit cum cappa, Aduocatus cum habito conſueto Aduocatorum, aderunt etiam duo cubicularii aſſiſtentes Papæ, duo ſecretarii domeſtici, duo Protonotarii de humero Antiquorum, duo Clerici Sacri Collegii, & ad ſummum duo alii Prælati Patriarchæ, ſi aderunt, Procuratores, & Aduocatum deducentibus Magiſtris ceremoniarum, facta reuerentia Papæ in ingreſſu, ibunt ad locum poſt ſedilia Cardinalium è regione Pontificis, ibique omnibus genuflexis Aduocatus dicet hæc verba. Pater Beatiſſime, admodum Reuerendus Pater Nicolaus Tornabonius Epiſcopus Ciuitatis Burgi Sancti Sepulchri, & Illuſtriſſimus Ioannes Nicolaus Ferdinādi Cardinalis Magni Ducis apud Sanctitatem V. orator, eiuſdem Magni Ducis Procuratores inſolidum hoc legitimo ſuffulti mandato, ad reſignandam in manibus Sanct. V. Cardinalatus dignitatem, habent ad San. V. & Sacrum Collegium litteras, quas humiliter ſupplicant, vt accipere dignetur, illiſque lectis benigne audire, quæ in mandatis habeant. His dictis, Magiſter ceremoniarum accipiet pręfatas litteras & mandatum, & Secretario Sanctiſſ. tradet: litteras autem ad Sacrum Collegium, & mandatum tradet Dom. Siluio Antoniano Secretario ipſius Collegii, qui iuſſu S. S. illas leget.

Poſtea Aduocatus adhuc permanens genuflexus, exponet negotium reſignationis.

Magiſter Ceremoniarum antiquior abſoluto ſermone Aduocati, admonebit Dominos Protonotarios, vt ſint rogati de inſtātia facta à Procuratoribus Cardinalis Magni Ducis, vigore ſpecialis Mandati tunc per Secretarium Sacri Collegii perlecti, ſuper

admiſ-

admiſſione reſignationis dignitatis Cardinalatus eiuſdem Magni Ducis ad hoc, vt deſuper poſſint confici publica inſtrumenta, & Protonotarii rogabunt teſtes, his tantum accerſitis teſtibus, quorum omnia nomina adnotabunt.

His abſolutis omnes diſcedent, & iterum Conſiſtorium Sanctit. Sua rogatis Reuerendiſſimis Cardinalibus, pro ſua ſingulari ſapientia diſcernet, & Reuerendiſſimus Vicecancell. pro ſuo officio aduocabit Decretum, quod etiam faciet Reuerendiſſimus Camerarius Sacri Collegii, vt mos eſt.

DE EXPEDITIONE IN BELGIVM DVCIS ALENZONIJ,

DISCVRSVS XXI.

PROPOSITA mihi ab Illuſt. V. Excell. quæſtio tria continet capita. Primum eſt, vtrum Rex Chriſtianiſſimus in ſocietatem veniat eorum armorum, quæ Dux Alenzonius ad Belgos adiuuandos apparare atque in procinctu iam habere dicitur. Secundum, vtrum is ab omnibus Belgii Statibus, an tantum à quibuſdam particularibus vocatus ſit. Tertium, quæ hunc motum ſiue expeditionem ſequutura putem.

Ad primum quod attinet, ſi ea adhuc Franciæ regum eſſet potentia ac felicitas, quæ à Carolo VIII. ad Henricum vſque huius, qui iam regnum tenet patrem, quaſi per manus tradita, & continua ſerie in ſucceſſores propagata fuit, merito tanta Hiſpaniarũ regis potentia ac magnitudo ſuſpecta ei eſſe deberet, ac prudenter ſane ageret ſi conſilia ſua eo dirigeret, vt Catholici regis, æmuli ſui perpetui, ac cum quo infinitæ diſcordiæ cauſſæ ſibi intercedunt, vires ad mediocritatem quamdam & æquilibrium redigerentur: quod vix vlla ratione melius ac commodius fieri poteſt, quam Belgii prouinciis ab Hiſpanorum imperio auulſis. Quum vero hodie is ſit Franciæ regum ſtatus & conditio, vt huius ſui æmuli viribus ad illud quod eis ſuper eſt conſeruandum, & ea quæ hoſtes ſiue rebelles tenent recuperanda, omnino opus habeant; illud facile cernitur, quæ medicina eſſe debebat vene-

num fore: ac huius ſui æmuli potentiam infringere, nihil aliud eſſe quam ruinam ſibiipſi accelerare.

Et vna quidem hæc ratio, quæ etiam totius cauſſæ ſtatum complectitur, mouet me vt credam, Franciæ Regem in hoc armorum ad Belgas iuuandos motu cum fratre non conſpirare: quamuis etiam alias huius meæ opinionis rationes adferre poſſim. neque enim credere poſſim, in tam nobilis ac generoſi Principis animum tantam erga bonum amicum & cognatum cadere ingratitudinem, qui non modo è tantis Franciæ malis ac calamitatibus, quamuis plurimæ eſſent occaſiones, ſuum commodum non captauit, verum etiam magnis ſumptibus, vt quidem toti conſtat mundo, in maximis periculis auxilia tam opportuna ſubmiſit.

Nec illud credere poſſum, tam cæcum atque imprudentem eſſe Franciæ regem, vt non prouideat quanta pericula ſuo ipſiu regno & ſtatu inde oritura ſint ſi Belgæ victoria potiantur, quippe quorum cauſa cum Hungonotis communis eſt. Annon videat, quanta ſtultitia ſit regnum tot diſſenſionibus diſtractum tot calamitatibus afflictum, ac pacis tantopere indigens bell cum multo potentiori Principe, ſine vlla neceſſitate, inuoluere Annon in mentem ei venire putandum eſt, quam periculoſu ſit fratri, qui non tam exſpectandi patientiam quam regnum iar habendi atque inuolandi deſiderium aperte oſtendit, arma i manus tradere ac ſumminiſtrare, ei præſertim qui tam parui re giam fecerit auctoritatem vt cum hoſtibus ſe coniungere no dubitarit. Et vt quidem res ſe habent, nondum res inter du hos fratres ita compoſitæ ſunt, vt alter alterum valde am Quod ſi arma ad Belgarum defenſionem expediantur, credibi eſt fore vt ea magis ad illum finem quem is qui ea in manu ten ſibi propoſitum habet, quam ad quemcumque alium dirigant Quin ſic exiſtimo, Alenzonio facilius fore in Francia qua Belgio rem ex ſua voluntate gerere, & bonum ſucceſſum ſpera Quod ſi vel maxime rex Franciæ, his omnibus poſtpoſitis b lum potius periculoſum quam pacem neceſſariam cum Hiſp niarum rege ſibi eſſe volet, non video tamen vnde neruos tantam molem ſuſtinendam ac mouendam ſumere poſſit: qu difficile ſit, aliis ſuccurrere, & ſeipſum defendere ac tueri. N omnino mihi placet eorum coniectura, qui putant Regem Fr ciæ à tali bello non abhorrere, eam potiſſimam ob cauſſam hoc modo ſuum regnum à vitioſis humoribus & inquietor hominum ſentina purget. Id enim ſi conſequi velit, neceſſ erit, vt omnes Hugonoti regno excedant, neque vmquam reuertantur. atqui conſtat in iis regionibus quæ ciuili bello dent, vtramque partem de nido cuſtodiendo ante omnia

ſollicitam:eoque Hugonotos patriam non tam facile relicturos, aut reuerſos,multo maiores turbas daturos. Ex quibus recte augurari mihi poſſe videor, hanc expeditionem Alenzonii citra Regis conſenſum ac voluntatem adornari.

Ad ſecundum iam venio: in quo perſuadere mihi non poſſum Alenzonium ab omnibus Belgii Ordinibus vnanimi conſenſu eſſe vocatum,quum veriſſimum illud ſit, omne imperium conſortis eſſe impatiens, nec duos Principes æquales, quales Archidux Matthias & Alenzonius ſunt, vna conſiſtere aut ſeſe mutuo ferre poſſe. Scimus etiam Comitis... potiſſimum ſuaſu atque auctoritate Gallorum arma in Belgium accita,vel ſcilicet iis, vtpote vicinis, præfecturam ſuam .... tueatur, vt qui tam Arauſionenſis Principis & Ordinum, ob male nauatam operam,quam ipſius Hiſpaniarum regis, ob rebellionem, voluntati diffidit. Licet autem communi omnium cæterorum Ordinum conſenſu Alenzonius vocatus ſit; numquam tamen eos aſſenſuros puto, quorum oppida Gallorum poteſtati tradenda erunt. non enim puto,quatuor aut ſex oppida ſe certiſſimæ ac perpetuæ ſeruituti,pro falſa libertatis, quam vniuerſim ſibi omnes de Gallis Ordines promittunt, ſpe, addictura? nec enim Belgæ tam longe a Francia ſiue Gallia abſunt vt non ipſis quaſi oculis videant,nec tam ſtupido ſunt ingenio vt non intelligant,quidnam à Regno in tantis malis ſummerſo, & à gente naturæ quodam inſtinctu ſibi inimica, & ob inopiam ad prædam faciendam quam auxilium oppreſſis ferendum multo alacriori atque aptiori,ſibi ſperandum ſit.

Sed demus,reperiri quatuor aut ſex ciuitates, in quibus meri Quinti Curtii habitent,qui in particularis ſeruitutis voraginem ad vniuerſalem redimendam patriæ libertatem ac ſalutem, præcipitare ſe non dubitent:nondum tamen video, quomodo etiam traditis his oppidis ſiue locis,Belgę certum ſibi à Gallis auxilium tuto promittere poſſint. Scimus enim cum fortuna fidem quoque mutari,in iis maxime imperiis quæ ad ruinam iam inclinãt, & vbi Principes multarum rerum penuria laborant. Quocirca omnino arbitror,non ab omnibus, ſed paucis quibuſdam Belgii Ordinibus ſiue Statibus Alenzonium ad imperium & Principatum ſuſcipiendum eſſe accerſitum.

Ad tertium ſiue vltimum quæſtionis caput venio, quod eſt coniectura quidnam expeditio hæc paritura ſit. equidem ſi pro vero ſumamus illud, Chriſtianiſſimum cum fratre in re conſilia non miſcere,facile tam ex Alenzonii exiguis viribus, quam ex iis quæ inter ipſum & Ordines procul dubio futuræ ſunt diſſenſionibus coniici poteſt, aut Ducem iam ductum nihil omnino moturum, aut ſi moueat aliquid, nihil aut effecturum

quam vt forte Belgæ ab Anglorum amicitia diuellantur, eorumque auxiliis priuentur: qui quidem impetus præterquam quod nec durabilis,& parum validus, etiam valde damnoſus Belgis ad prædam externo militi expoſitis futurus eſt;nec difficile erit Ioãni Auſtrio cum iis quas iam habet copiis talem vim propulſare. Quod ſi Alenzonius etiam quieſcat nihilque moliatur, Catholicus rex nihilominus hoc rumore excitatus, vbi conſiderauerit, quanta incommoda & pericula rebus ſuis inde euenire poſſint ſi bellum in longum ducatur, & cognouerit nullam his omnibus præuertendi aliam eſſe rationem, quam Ordines extrema vi ad ſanitatem & officium reducere;bellum multo maioribus viribus gerere decernet,ac duos exercitus ſibi conſtituet, quorum vnus obſidendis oppidis,profligandis è campo hoſtibus, omni deniq; eiuſmodi rei perficiundæ ſufficiens ſit,& quaſi ſtatarius; alter vero mobilis,& ad quamcumque neceſſitatem, ſiue ad præueniendum vel diuertendum hoſtem, vel ad intercludendum aut aperiendum commeatum, & alia ſubitanea ſemper ſit paratus. Et quamuis ad bellum hoc modo gerendum maiores requirantur ſumptus;multo tamen etiãm maius operę precium fieri poterit. Quia enim eiuſmodi bellum pro fine habet non tam poſſeſſionis recuperationem quam ſubditorum reconciliationem, illud ſpectari debet, vt ſubditi ab inquietis hominibus decepti, acerbos belli fructus,& quam graue id ſibi futurum ſit, ad viuum ſentiãt. Qua quidem ratione,immò bono vnius prœlii aut ſimilis conatus ſucceſſu, Belgæ & de Regis viribus aliter ſentire,& ſuo modulo ac pede metiri ſeſe incipient: qui ſi Ioannem Caſimirum Palatinum ſimiliter accerſant, equidem non tam militis per hyemem retinendi, quam meſſis colligendæ ſtudio & conſilio id facere eos puto. Et hæc quidem de tribus his quæſtionibus pro ingenii mei tenuitate, V. Excellentiæ reſpondenda exiſtimaui.

DE IMPERII ROMANI STATV PERturbato,

DISCVRSVS XXII. & vltimus,

CVM vltima Imperii comitia infelicẽ ſatis proh dolor ſortita ſint finem, vt quæ Anno 1608. ſine fructu vix dum in principio diſſoluta, nuperrime 1613. nulla aut parua poſt ſe ſpe relicta in aliud tempus reiecta, credendum certe eſt, neminem ſe magni huius mali reum faſſurum, imo quemuis vndique conquiſitis ſeu veris ſeu vanis rationibus eo potius allaboraturum, vt ſua in Imperatorem & Imperium iactata obedientia & fidelitate, alteri hanc culpam imponat.

Ne itaque ſimpliciores circumueniantur, atque vicini Imperio Reges & Principes, apud quos ſummum obreptionis periculum, in ſiniſtrum inducantur iudicium, ſuaſit candoris & veritatis ſtudium, horum comitiorum ſucceſſum, breuiter quidem, at abſque fuco & paſſione deſcribere.

Ad cuius intellectum præmittendum eſt, eas quæ adhuc num aut ſunt, aut in Imperio repullulant lites, tunc initium ſumpſiſſe, cum irrepentibus in eo ſectis, vna cum religione Procerum animi quoque immutati ſunt; antea enim ſicut vna in vniuerſum fides, ita & vna Imperii lex, vnus & vnanimis legis intellectus, ſecundum quem citra ſtatus reſpectum, iuſtitia vigente, quiſque aut damnabatur, aut abſoluebatur.

Ab Anno vero circiter 1520. cum Martinus Lutherus noua ſua paſſim in Imperio dogmata ſparſiſſet, atque aliquot Principes ſæculares iis imbuiſſet, cœperunt tam iuris communis, quam quæ ab Imperatoribus, Carolo Quarto in Bulla aurea Anno 1356. Friderico Tertio Anno 1442. in ſua Francofurti edita reformatione, Maximiliano Primo Anno 1495. eiuſdem Auguſtæ facta declaratione Anno 1500. diuerſiſque aliis ſanctionibus de pace inter Status eorumque ſubditos promulgatæ erant leges minus fideliter obſeruari, ita vt iis ſpretis, iam mutuæ inuaſiones & graſſationes paſſim impune quaſi inualeſcerent, quibus malis diligenti ſtudio obuiare conatus glorio-

ſiſſimus Carolus Quintus, primum quidem VVormatiæ Anno 152 dein Auguſtæ 1525. & Spiræ Anno 26. vtrobique Ferdinando eius vices gerente, ſicut & ibidem Anno 29. Auguſtæ Anno 30. Et ſub Reg Romanorum Ferdinando Spiræ Anno 42. iterum Anno 44. ibidem aliiſque pluribus Diætis, & quod videret horum diſſidiorum cau ſam & fomitem eſſe nouiter obortum diſſenſum in religione, ſumma cura & ſolicitudine in id incubuit, vt eo ſubmoto, correctiſque erro ribus, ſtatus in primæua & concordi fide concordes efficeret, quem admodum ea de cauſa Concilium Tridentinum, & diuerſa collo quia, præſertim vero Anno 57. VVormatiæ inſtituta, quæ dubio pro cul optimum Imperatorem ſpe ſua non defraudaſſent, ſi in illo Se ctatii comparuiſſent. In hoc autem cum Saxoniæ Legatis, diſcepta tionem ſcilicet inter Catholicam religionem duntaxat, & puran Auguſtanam confeſſionem, cæteris omnibus ſuccedaneis ſectis vna niniter & præiudicatiue exploſis, inſtituendam cenſentibus (vti & hoc pacto cautum erat) conueniſſent.

His ergo omnibus fruſtra tentatis, Statuum animi indies magi magiſq; in ſe mutuo excandeſcebant, & iam non amplius diſſimula tum, ſed apertum ſpirabant Martem, niſi Carolus profuſis priuilegii ſectarios (quos deinceps Proteſtantes vocabimus) cumulaſſet, Ca tholici vero ſuis, quas contra ipſos, ob diuerſa Eccleſiæ occupata bona habebant, actionibus in perpetuum renunciaſſent, atque hoc pacto furorem eorum compeſcuiſſent.

Occupauerant tum temporis aliqui ex Proteſtantibus antiquos quoſdam Imperii Epiſcopatus, aliaſque Eccleſias & bona Eccleſia ſtica à Catholicis in vſum Catholicorum pie fundata, contra expreſ ſam pacis publicæ conſtitutionem, quæ huiuſmodi ſpolia ſeuere in terdicit, hæc iure repetebant Catholici, atque officium Imperatoris vt iudicis implorabant. Sed cum illis conſtanter tenuentibus veren dum eſſet, ne re deciſa motus in Imperio ſuſcitarentur, & ad reſiſten dum Turcæ tanto minus ſufficiens redderetur Cæſar, Ratisbonæ Anno 41 Catholici ſpe futuræ compoſitionis, eo inducuntur, vt in Camera Imperiali omnes ſuas intuitu Religionis, hoc eſt, bonorum Eccleſiæ, inſtitutas actiones, quoad vniuerſale vel nationale Conci lium, ſopiendis fidei litibus inſtitutum, effectui mandatum eſſet, ſi lere iubeant & ſiſtant; hac quidem ab Imperatore facta fide, ſe præ uia commiſſione determinaturum inter cauſas religioſas & propha nas, ſimulque conſentientibus ſtatibus ſancitum fuit ſub pœna fra ctæ pacis, ne intuitu religionis alter alterum offenderet, eiuſve bona inuaderet, ſed & in ſpecie Eccleſiaſticos in poſſeſſione ſuorum cen ſium & redituum deinceps abſque vlla turbatione relinquendos, quo obtento Proteſtantes, iam palam indicendum Concilium, quod paulo ante placuerat, recuſant, Catholicoſque vt proxime obten tum, Iuſtitium, in Iudicio ſcilicet Camerali, ad quinquennium

proteleut, adigunt, vt ex receſſu Imperii Anno 1542. Spiræ conditio patet.

Interea quo Status in officio contineat, animoſque concitatiores à grauiori motu præſeruet Cæſar, comitia multiplicat, fiuntq; præſertim ad ſecuritatem Clericorum iterato pacis leges, Spiræ Anno 44. videlicet hæ.

Nemo Statuum alterum ad ſuæ religionis ſuſceptionem adigat, aut eius ſubditos à debita obedientia & fidelitate ſeducat, iiſque contra Magiſtratum patrocinetur.

Eccleſiaſticis ſui maneant cenſus & reditus ſalui, quos tempore Ratisbonenſis Diætæ Anno ſcilicet 41. adhuc in poſſeſſione habuerunt.

Vtque ob Eccleſiæ patrimonium vlterior inter Status animorum diſiunctio & diffidentia euitetur, Eccleſiaſtica Collegia, Monaſteria, & Domus, ſiue Catholicorum ſiue Auguſtanorum illa ſint, ſuis bonis, cenſis, & prouentibus, quamuis in alterius principatu aut dominio ſitis, non deſtituantur, ita vt deinceps cuiuis Collegio, Prælaturæ, Monaſterio, Xenodochio, Domui & Eccleſiæ, eo nempe in loco, vbi illa ſita ſunt, ſua bona, ſuique reditus abſque recuſatione cedant, opera ad id fideliter ab aliis Statibus, nullo religionis intuitu præſtita. Principes vero Eccleſiaſtici, aliique Status, nemini quam Imperio immediate ſubiecti, eorumque bona, hac lege non cenſendi, ſed iis vbicunque reſidentibus reditus & cenſus eorum libere cedant.

Similiter Prælati, Religioſi, aliique Eccleſiaſtici, qui ob immutatam religionem, reſidentias ſuas mutarunt, inque aliorum Statuum dominia & territoria migrarunt, fruantur bonis ad eorum Collegia, Monaſteria & beneficia pertinentibus, quamuis in aliena iuriſdictione ſitis (quorum ſcilicet poſſeſſionem Anno 41. adhuc habuerunt) vſque dum diſcors religio componatur. Ita tamen vt Dominis rei ſitæ, ſua circa huiuſmodi bona iam ante hoc religionis diſſidium competentia & vſitata Dominicalia iura ſalua ſint & maneant.

Ex his bonis Miniſteria, Eccleſiæ, Scholæ, Eleemoſynæ, Hoſpitalia, vti Anno 41. ita deinceps nullo religionis diſcrimine ſuſtententur. Si quæ vero inter Status ob bona Eccleſiæ occupata & litigioſa, conuentiones compoſitioneſve factæ ſunt, aut fient, eæ ratæ maneant & firmæ.

Quæſtiones circa ſuſtentationem miniſteriorum ortæ, per electos à partibus arbitros, aut amicabiliter ſopiantur, aut à Commiſſariis Cæſareis ſummatim definiantur, ita vt interea nemo ſua ideo poſſeſſione deſtituatur, aut arreſtis grauetur.

Monaſteria & Templa non deſtruantur aut euertantur.

Præter hæc & vltra hanc conſtitutionem omnes Eccleſiaſtici, ſiue Catholici, ſiue Auguſtani, omnibus bonis, emolumentis, redituſq;

ſui,

Hac itaque tranſactione præmiſſa, vinctiſque quaſi Catholicis, tandem An. 55. (circa quæ tempora priori ſæculo Athenæ, omnium artium & diſciplinarum mater, ab immaniſſimo Mahomete II. octauo Turcarum Principe captæ ſoloque æquatæ ſunt) quo ob diſſenſum religionis fluctuanti Reipubl. Romanæ, vti ſpes omnibus bonis erat, ſubueniretur, famoſa illa amniſtia, & quæ adhuc num extat religionis pax conſtituta eſt, cuius cum ſit aut eſſe debeat æterna authoritas, ſeriem hic neceſſario intexímus.

Iterum ergo ſepoſita de conciliandâ fide, contra pactum Paſſauienſe quæſtione; ſequentes pro patriæ tranquillitate, Cæſaris, omniumque Statuum iurata approbatione, factæ & promulgatæ ſunt ſanctiones. Capita hæc ſunt.

Ne quis poſt hac alteri in Imperio bellum indicat, inferat, vel hoſtile quid aut per ſe moliatur, aut ope conſilioque promoueat, quin imo omnes concordibus votis, mutuæ beneuolentiæ ſtudeant, neque alter alterum, iudicio ſe ſubmittere paratum, annonæ ſubminiſtratione, commerciiſque vel redituum perceptione intercludat.

Cæſar & Imperii ordines nullum confeſſionis Auguſtanæ Statum ob profeſſionem Auguſtanam vi vel armis inuadant, lædant, vel ab hac confeſſio, doctrina, cæremoniis, ritibuſque Eccleſiæ in ditionibus eorum, aut iam introductis aut introducendis deiiciat, iiſq; ſiue mandatis ſiue aliis modis graues ſint, ſed in hac confeſſione eiuſque exercitio, bonis & iuribus ſuis liberi & quieti relinquantur, quæ autem de religione lis eſt, ea non Chriſtianis amicabilibus & pacatis rationibus componatur.

Viciſſim Ordines Auguſtanæ confeſſionis Cæſarem, Electores, cæteroſque Imperii Principes & Status Catholicæ & auitæ religionis, ſiue Eccleſiaſtici ſiue ſæculares illi ſint, vna cum ipſorum capitulis, & aliis clericalis ordinis hominibus non attento quo domicilium ſuum tranſtulerint, ſua religione atque Eccleſiæ ſuæ ritibus, cætemoniiſque, ſicut & bonis, dominiis, ſubditis, iuriſdictionibus, dignitatibus, iuribus, reditibus, cenſibus, decimis, abſq; vlla modeſtia vti frui ſinant & patiantur, ipſis potius in hoc ſubueniendo, quam vllam vim inferendo, ad amuſſim Imperii legibus, conſtitutionibus, & pacis publicæ ſanctionibus obſeruatis, atq; omnia ſub ſponſione Cæſareæ Regiæque dignitatis, honoris Principum, fidei & pœnis conſtitutionis, quotquot vero nec Catholicæ Religioni nec Auguſtanæ confeſſioni (vti nempe illa An. 30. Cæſari exhibita eſt) addicti ſunt, hi beneficio huius pacis non fruantur, ſed ab ea penitus excluſi ſint.

Archiepiſcopi, Epiſcopi, Prælati aliique Eccleſiaſtici, à Catholica religione recedentes, à beneficiis eorumque fructibus, honore & exiſtimatione ſalua, ſimul quoque abſcedant, Capitulis, aut quibus id de iure Eccleſiarum, aut Collegiorum recepta conſuetudine competit, aliam Catholicam perſonam in eius locum ſufficiendi & eli-

gendi

gendi data facultate, cui vna cum Capitulis aliiſque Eccleſiis, fundationes, electiones, pręſentationes, confirmationes, conſuetudines, iura & bona ſua ſalua ſint & maneant.

Collegia, Cœnobia, aliaq; bona Eccleſiaſtica à Statibus nonnullis, eorumque prædeceſſoribus occupata, piiſque vſibus applicata, ſi neque ad alios Imperii Status pertinent, nec tempore tranſactionis Patauienſis, poſteaue ab Eccleſiaſticis poſſeſſa fuerint, ſub hac pace comprehendantur, ſuiſque locis immota maneant, neq; vlla eo nomine ſit actio, petitio aut perſecutio. Nemini à Camera horum nomine proceſſus decernantur. Eccleſiaſtica iuriſdictio) ſaluis cuiuſuis reditibus, decimis, iuribuſque temporatiis) in Auguſtanæ Confeſſionis ritus, miniſteria & leges conſtitutas, inſtituendaſque vſque ad plenam religionis conciliationem, ne exerceatur. ſed confeſſione hac libera, interea temporis ſuſpenſa quieſcat, aliis tamen caſibus integra maneat. Statibus Catholicis reditus, cenſus, decimæque maneant, Magiſtratui tamen ciuili, ſub quo ea bona ſita, ſua in his iuriſdictio ſæcularis, commoda & iura, quæ ante ortum de religione diſſidium ipſi in iis competierunt, ſalua ſint. Ex his bonis Miniſteriis, Eccleſiis, Scholis, Eleemoſynis, Hoſpitalibus, vt olim ita deinceps, nullo alterutrius religionis diſcrimine prouideatur.

Qua de re ſi quid dubii incidat, Partes arbitros liti decidendæ nominent, qui cauſa ſummarie cognita intra ſextum menſem quid quantumque eo impendendum ſit, pronunciabunt.

Interea quibus hoc nomine lis mota fuerit, nec poſſeſſione ſua deſtituantur, aut turbentur, nec eo minus quod antiquitus ex fundis emolumentiſq; ad miniſteria cõtulerunt, ad finẽ vſq; litis porrigant.

Ne quis Statuum alterum eiuſue ſubditos ſuæ religione adigat, abſtrahat, vel contra Magiſtratum tueatur aut defendat, competentibus tamen aduocatiæ iuribus excluſis.

Cæſaris, Statuumq; ſubditis vna cũ familia religionis cauſa, alio ſi velint cõmigrandi, bonaq; ſua alienandi (dũ ſeruilis conditionis, debitiq; tributi nomine pro loci conſuetudine Magiſtratui ſatisfaciant) facultas & poteſtas eſto, Dominis tamen manumittẽdi arbitrio relicto. Hæc pax diffidentiæ in Imperio tollẽdæ ſalutiq; patriæ promouendæ, & concordandis religionũ liribus inita, ad vſque placidam & abſolutã religionis conciliationẽ, ſarta, tecta & inuiolata ab omnibus ſeruetur, quod ſi generali concilio, nationali conuentu, colloquio, aliiſq; Imperii tractatibus, hæc compoſitio acquiri non poſſit, pacis tamen huius in omnes caſus perpetua & æterna vis & authoritas erit.

Hac pace quoque Ordo Equeſtris immediate ſubditus, ita fruatur, ne vnius aut alterius religionis cauſa grauetur aut moleſtetur.

Quibus in Ciuitatibus liberis ante hanc conditam pacem vtraq; religio in vſu fuit, in iis porro ſic remaneat, Ciues & incolæ ſeu Clerici ſeu laici, pacifice & comiter inter ſe cohabitent, neutri alteros de

relig:

religionis ſuæ exercitio, Eccleſiæ ritibus & cæremoniis deturbare liceat, ſed liberum vltro citroque religionis facultatumq; & bonorum vſum, ſicut ſuperius de Statibus cautum, quilibet habeat.

Superioribus Imperii conſtitutionibus, huic paci nihil vlla in parte detrahatur, nec deinceps vlla contra eam derogatio, aut declaratio admittatur, ſi fiat, pro non facta habeatur

Hęc pax vti Cæſaris Ordinumq; religioſa aſſertione munita eſt, ita ſtabili omniũ cõcordia & ſinceritate ſancte & religioſe ſeruetur. Cęſar & Ordines, nec ipſi inuicem clamue palamue cõtra hanc pacẽ cõmittant, nec fraudẽ facientibus aut cõtrauenientibus adiumẽto ſint, quin imo contra hanc conſtitutionẽ læſis vltro, ope & auxilio ſubueniant.

Huic conſtitutioni Camera pareat, iuſq; poſtulantibus citra alterutrius religionis reſpectum adminiſtret, in contrarium nec proceſſus decernat, nec aliud agat aut tractet.

Hanc itaque pacem valere iuſſis Epiſcopatibus variiſque Eccleſiæ bonis, remiſſis & ſepultis ſuis actionibus, non tamen abſq; graui damno, admiſſis in Imperio Auguſtanę confeſſionis cultoribus, Catholici æquo animo amplexi, eam hucuſque ſtricte coluerunt, hoſpites ſuos Auguſtanos humaniter habuerunt, ſeque deinceps hanc ſacroſanctam Imperii legem fideliter obſeruaturos ſancte pollicentur. Sit ergo hæc norma ad quam ſubſecuta in Imperio geſta, & hodiernus ſtatus examinandus eſt.

Obſeruarunt, inquam, Catholici hanc de pace ſanctionẽ ad amuſſim, nec vel minimæ contrauentionis hucuſque accuſati aut rei facti ſunt: ex altera parte quam fideliter, videbitur: legem enim è veſtigio ſubſecuta eſt præuaricatio.

Inuaſerunt enim Epiſcopatus Magdeburgenſem, Bremenſem, Halberſtadienſem (hoc ſtatim iniuncto iuramento: Iuro quod non velim admittere Caluiniſmum, nec reſtituere Papatum (Verdenſem, Oſnabrugenſem, Mindanum, Lubecenſem, Vltraiectinum, Caminum, Schuerinum, Gandauenſem, Brandeburgenſem, Ratzenburgenſem Sleſvicenſem, Hamelburgenſem, Libuſſenſem. Monaſteria & Cœnobia: Hirſchfeldenſe, Walckenrid, Maulbron, Rittershauſen, Ad Lapidem, Waldſachſen, ad S. Gilgen, Konigsbrun, Quedlingenburg, Herfforden, Weringeroda, omnes famoſas ad cultum diuinum inſtitutas Abbatias. Inuaſerunt dico nec immerito, eorum enim votis pro maiori parte vocati & introducti ſunt, qui deſciſcentes à religionis & pacis lege, ber ficiorum, iuriumque Eccleſiæ incapaces, nullã vlterius eligendi ſeu poſtulandi facultatem habebant.

Nunc etiam ſi qui diſſolutioris vitæ & laſciuiæ cauſa & ſtatum & religionẽ deſerunt, hos fouent, & in perceptione bonorum Eccleſiæ, pari æquitate contra ordinarios tutantur. Templa partim ad prophanos vſus conuerterunt, partim ita deſtruxerunt, exſſeruntque, vt memoriam ſui poſteris, exigua tamen ipſorum laude, faciant.

Rebus

Rebus ita laudabiliter(ſcilicet)geſtis,reſtabat,qua ratione exc
ſo Iuſtitiæ iugo,& ablata retinerent,&quod adhuc Catholicis ſup
eſt pari libertate impune inuolare poſſent, obſtante enim religio
& prophana pace, ſicut & iure communi, non Catholicorum vi
quos hucuſque benigniores experti eſſent, ſed Iudicis ferulam tin
bant,quid ergo Conſilii? circulum faciunt, & eam, qua ante tran
ctionem Paſſauicam, ſubſecutamque religionis conſtitutionem,
greſſi ſunt viam,repetunt, illorum ſtudio nil conuenientius rati, q
aut Catholicorum de nouo inſtitutas aut inſtituendas actiones,
rum eludere, vel ad minus priori exemplo in æternum ſiſtere, qu
ſedulo,ſed grauiori ante hac diſpendio efficiunt.

Ordinatione Cameræ An.55. communi Statuum voto edita, p
1.tit.50.cautem eſt,quotannis deſignato tempore per Cæſaris Or
numque delegatos & conſiliarios Iudicium Cameræ hoc modo
ſitandum, vt Cæſar Spiram Commiſſarios, Moguntinus ſuos, C
lectorumque ſinguli ſingulos per vices Conſiliarios mittant; Prin
pes bini, Eccleſiaſtici alter, alter laicalis ordinis, alternatim ipſi
niant.& ſuos delegēt,eo ſcilicet ordine, quo in Imperii Senatu ſeſſ
nem habent & votum. Ventum ergo erat in ordine Principum Ec
ſiaſticorum ad Germaniæ Primatem Archiepiſcopum Magdeb
genſem. Anno 88. hoc muneris ſibi Ioachimus Erneſtus Marc
Brandenburgicus, nec Archiepiſcopus nec Clericus, imo deten
laicus per Apoſtatas nulliter poſtulatus, & tam ratione ſtatus qu
religionis inhabilis huius Eccleſiæ poſſeſſor ſibi vendicat, cæt
Proteſtantibus tum ob ſimilem cauſam, tum vt Eccleſiaſtica mu
ſibi arrogando clericalem ſtatum confundant, & pedetentim ex I
perio (licet hoc in vtroque, præcipue vero ſacro ordine fundat
tum ſit)extermınent, ad hoc ipſi fideliter, & velut in communi c
ſa ſtrenue aſſiſtentibus, non tam quod ſperarent hoc ſe impetrar
ros (probe enim ſciebant Catholicos, vti votum & ſeſſionem in I
perii Senatu ipſi ſuique ſimilibus ob notoriam inhabilitatem i
pridem negarant, imo eius aliorumque ereptorum Archiepiſco
tuum,Epiſcopatuum reſtitutionem à Cęſare Anno 82.& antea ro
uerant, hoc nunquam conceſſuros) quam vt hac occaſione atre
ordinarias Cameræ viſitationes, quæ tam corrigendis huius Iuc
defectibus, quam expediendis reuiſionibus (ſi quæ à ſententiis I
interpoſitæ eſſent) adinuentæ & inſtitutæ erant, impedirent,atq
vltimum iudicii finem, executionē ſcilicet, ſuſpenſis per reuiſion
ſententiis,ſubuerterent. Cuius mali voti prô dolore compotes fa
id effecerunt, vt in hodiernum vſque diem ordinariæ viſitatione
mnium afflictorum dolendis ſuſpiriis immobiles hæreant.

Ecce vt pacis celebris illa conſtitutio, qua Catholicis Eccl
ſuæ,earumque iura ſalua eſſe deberent,qua deſciſcentes ab auita

Cl

Clerici à bonis & beneficiis cedere iubentur, nec vltra ſeu eligendi ſeu poſtulandi ius habent, ab his reuerenter habita ſit.

Indignum autem Cæſari videbatur, vt ob has iniquas ſatis Magdeburgici, aſſeclarumq; circa viſitationes motas prætenſiones, in hoc glorioſo & ſacro Imperio ius & æquitas deſideraretur. Collatis itaq; conſiliis Anno 94. & 98. in comitiis decretum, & pragmatica ſanctione inductum fuit, hac lite ſuſpenſa, deinceps Iudicium Camerale per certos ad id deputatos ſtatus viſitãdum, omneſque & ſingulas (nulla prorſus excepta) reuiſiones ab iiſdem deputatis, definiendas & expediendas eſſe, ſalubre conſilium; ſed qui depreſſam & eradicatam, quàm erectam optabant in Imperio iuſtitiam, hi detecta hac latebra, aliam comminiſcuntur.

Inter alias reuiſionis cauſas quatuor erant, quæ à Iudicio Camerali, paribus in religione Aſſeſſoribus definitæ erant, vna Prioris ordinis Carthuſianorum in Grunauio actoris, contra Ludouicum Comitem ab Oettingen; Altera Priorißæ Cœnobii Diuæ Mariæ Magdalenæ actricis, contra Senatum ciuitatis Argentoratenſis; Tertia Prouincialis ordinis Carmelitarum, contra defuncti Ludouici & Philippi ab Hirſchhorn pupillorum tutores, & Quarta Domini Epiſcopi Spirenſis contra Marchionem Badenſem & conſortes. His ſententiis non in pace religionis, ſed iure communi & aliis prophanis Imperii conſtitutionibus (quibus quiſque in poſſeſſione bonorum, iuriumque ſibi competentium, contra deiectores, turbatoreſque, quouſque cauſa principalis iure deducatur conſeruandus) fundatis, reſeruato petitorio, reis ablatorum reſtitutio, cenſuum ſolutio & ſimilia iniungebantur, offenſiones vetabantur, &c. Anno itaque 1601. cum vigore ſupradicti receſſus ad extraordinarias reuiſiones Spiræ conueniſſent deputati Proteſtantes, qui vna cum cæteris Statibus omnes & ſingulas cauſas nulla prorſus excepta reuidendas eſſe, Anno 98. decreuerant, iterum ſibi ſuæque cauſæ metuentes reſiliunt, opus reuiſionis, niſi quatuor ſupra nominatæ cauſæ, aut ſi quæ ſimiles adhuc intercident, ſemoueantur, aggredi prorſus recuſant; quod cum Catholici, quibus ſupradictis actoribus & Eccleſiis ius ſuum per ſententiam acquiſitum, fundatoque à parte reorum per ſubmiſſionem & arrhæ depoſitionem, iudicio reuiſorio, remittere licitum non erat, recuſarent, ſeceſſum faciunt, & quemadmodum anteà ordinarias, ſic nunc extraordinarias quoque claudunt ex voto reuiſiones, facta nunc cuilibet impune cõtra Ius & Imperii leges, debilioreſque, & quam maxime inermes religioſos peccandi licentia.

Paſſim ergo quiſque hoc remedium reuiſionis, quod iacet, implorat, & quæ per reuiſiones pendet executio, omnes quaſi Ca-

meræ Imperialis ſententias eluſorias reddit, atque ita vt ſupra dictum eſt, grauiori iam diſpendio obius iã quaſi in vniuerſo præpeditum, Imperii ſacrum forum occludunt. Huius prætenſæ exemptionis, vti aſſolent, cauſas aliquas exhibent. Aiunt enim has cauſas in pace religionis fundatas, atq; ab intellectu eius dependere, ideoque à Camera incompetenter deciſas, & ad Statuum amicabilem conuentionem, non iudicium pertinere.

Ab ipſis Cameralibus dubium hoc Anno 57. Statibus propoſitum fuiſſe, vtrum ſcilicet Prouincialibus proceſſus ex pace religionis decernendi, eiuſque reſolutionem adhuc pendere, Cameram ergo hac non exſpectata nulliter iudicaſſe.

Actores eſſe extraneos nulli Statuum coniunctos.

Reformationem Cœnobiorum in ipſorum territoriis ſitorum ipſis licitam. ergo?

At vt fatentur ipſi vtriuſque religionis iudices Aſſeſſores, deciſiones hæ nudum concernunt poſſeſſorium, rationesque ſuas non in pace religionis, ſed iure communi, aliisque prophanis Imperii conſtitutionibus habent: atqui eſto cauſam habeant vt aſſerunt, nunquid præter Status Eccleſiaſticos & alii Clericalis ordinis homines hac lege ſalui eſſe iubentur? nunquid Cameralibus vt ipſis grauatis ius impertiantur, iniunctum eſt? nunquid conſtitutio quam maxime laborabat, vt iam prophanatis aliquibus Eccleſiis & Monaſteriis, quæ ſupererant, a ſimili inuaſione & innouatione tuta & libera eſſent? Nunquid Catholici illorum æterna renunciatione hæc redemerunt, aut pretium ergo aut mercem reddant, ſi iuſti ſunt.

Iterum dubium a Cameralibus Anno 57. ortum, vt dictum eſt, ad has duas cauſas non pertinet, & ſi pertineret, deciſum id certè eſt à Cæſare & Statibus Anno 66. nec vlterius à Iudicibus dubii loco habitum eſt, ſicut & immerito dubium dicitur, quod in claris verbis dubium non habet ſenſum, animus iudicum ex præiudiciis patet, ex hoc enim capite non obſtante dubio (ſi quod vnquam fuit) proceſſus varii in Camera decreti, vt in cauſa Wilhelmi Brandt Prouincialis Ordinis Prædicatorum contra Baden Anno 61. Matthiæ de Monte Carthuſiani ordinis Viſitatoris contra Erffurdt Anno 63. Prioriſſæ & Conuentus Monaſterii Lauuingen, contra Wolff. Comitem Palatinum Senatumque, ibidem, Anno 63. Ioannis Maieri Prouincialis Ordinis Carmelitarum contra Hermannum comitem in Neunar, ratione Monaſterii in Mœrs Anno 68. Carthuſiæ in Grunauio, contra poſſeſſores comitatus Wertheimenſis Anno 76. Prouincialis Ordinis D. Auguſtini contra ciuitatem Lindavv, Et in tribus diuerſis cauſis Wormbs contra Wormbs, Anno 85. & 87. Ex quibus aliisque,

ius ſimilibus, quale Cameralibus de hoc dubio iudicium fuerit, clarum eſt, quin imo à Statibus ipſis Auguſtanis Anno 83. tempore viſitationis reprehenſi ſunt Camerales, quod ob quæſtiones circa intellectum pacis huius incidentes, cauſas indeciſas relinquerent, iniunctumque ipſis, vt in cauſis religionis pro conſciẽtia & fide data, ius adminiſtrent, quemadmodum id ex inſtrumento proteſtationis, primum quidem à Brandenburgicis liberisque ciuitatibus exhibito, poſtmodum autem ab aliis approbato liquet, cui hæc clauſula formaliter inſerta eſt, quod ſcilicet merito in his (intellige cauſis ex violata religionis pace ortis) maioribus votis locus eſſe debeat. Sed & quomodo proceſſum Epiſcopi Spirenſis contra Baden dubio Prouincialium accommodant, niſi quod abſtractione præciſionis hic Epiſcopum vt nudum Epiſcopum, ab incorporato ſibi Status iure abſtrahant, & vaniter ſalia architectentur.

Eſt ne denique in Imperio caſus, qui à iudicio ſit exemptus? An ideo religioſis ius denegandum, quia exteri? (quamuis certe exteri non dicendi, qui Imperii neceſſitatibus vt hi contribuunt) Eſt ne hoc pro Imperii decore, vt quod Saracenis & Infidelibus datur, id Chriſtianis & miſerabilibus quidem perſonis denegetur? quæ temeritas hæc eſt, laudabile hoc tribunal non viſis actis ut actitatis nullitatis arguere? nonne prius reuidenda quam reiicienda eſt ſententia?

Sed competit illis ius reformandi Cœnobia; aduerſatur hoc textui, & ſi permiſſum eſſet, quis non videt Religioſis non minus quam Ruſticis, ſaluis bonis & prouentibus ſuis, ius migrandi ex lege competere. Inuertitur hic ordo, & qui eiectis religioſis, bona eorum ſibi vendicant, fundationes immutant, ex templo ſtabula, granaria aut ſimilia faciunt, reformare (ſi Diis placet) & Eccleſiam ab erroribus, imo à bonis, purgare dicuntur. Sed rationibus fruſtra cum iis contenditur, qui rationibus nõ vtuntur, propoſitum ipſis eſt in Imperio iuſtitiam euertere, id quouis modo, ſi non veris, at apparentibus argumentis efficere nituntur, quæ licet penitius & ad lucernam luſtrata, leuiſſime diſpareant, hic tamen minis & armis ſtipata, de expugnato quaſi Camerali iudicio iam triumphant.

Reſtabant adhuc duo afflictis Catholicis iuſtitiæ fruendę media, quibus hactenus viuunt, Aula ſcilicet Cæſaris aut iudicium Cæſareum, decidendis Imperii negotiis inſtitutum, & Comitia, hoc eſt, Cæſaris Statuumque inter ſe, aut vnanimis aut plurium deciſio, in hæc iam dudum cuniculos agunt. Blaſphemi erant, qui anteactis temporibus Cæſaris poteſtatem in dubiũ vocabant, id nunc ab illis, qui ſe fidelitatis & obedientiæ præſtito homagio, ne quidem conſilio, vbi imminuendæ eius authorita-

tis ſermo ſit, interfuturos iureiurando obſtrinxerunt, palam experimur.

Negant Cæſari iuriſdictionem in Status eorumque Subditos competere, ſed eam plenarie & vt Iuriſconſulti agunt, priuatiue in Cameram, ſola, in cauſis fractæ pacis, reſeruata concurrendi licentia, translatam. Cognitionem circa Ducatus & Comitatus Imperii feudales ita Cæſari permittunt, vt ea paribus & Curiæ & religionis ad nutum eorum demandetur, atque ita Romanorum Imperatorem, in quem olim populus Romanus omnem iuriſdictionem tranſtulit, quique velut fons & ſcaturigo omnis dominii, Statibus eam quam in ſæcularibus habent poteſtatem, clementiſſime communicauit, & ſceptro & diademate ſuo exuere conantur, non aduertentes obſtructa ſcaturigine, riuulos exſiccari, & proſtrato ſceptro Imperatorio, ſubditos ſuos ſua quoq; ſubiectione & obedientia ſolui, nec diutius in Imperio Principes quam Imperatores futuros.

Sed enim Cœlum & terra dehiſcat, ruit admiranda iuxta ac veneranda Imperii Romani facies, dum iuſtitia conculcata, Catholicorum bona occupata ſecure poſſideant, & quæ ſuperſunt, pari libertate quicquid de religione pax ediſſerat, inuadere & conuaſare, & tandem qui ipſos in contubernium receperunt Catholicos & Catholicam orthodoxam fidem, ſummo ingratitudinis exemplo ex Imperii finibus eiicere & relegare queant.

Sed vt agonizantibus vires concreſcunt, ita Catholici interitum cognoſcentes pro aris & focis ſibi euigilandum eſſe ducunt.

Vt ergo cauſæ æquitas, ira pro Cæſare pugnant Catholici: His aſſiſtunt aliqui quoque laudabiles Imperii Auguſtanę confeſſionis Status, qui huius conſilii pertæſi, rem vt decet accuratius expendunt, & patriæ interitum auerſantur & dolent. Negat ergo Cæſar, & qui ab eius partibus ſunt, ſe eam quam à Deo & Electoribus habet iuriſdictionem, à ſe abdicaſſe & Cameræ contuliſſe, hoc enim inquiunt, quod Cæſaris & Statuum commune eſt Tribunal, ob abſentiam Imperatorum, bellis aliiſque negotiis extra Imperium detentorum, multitudinem litium & cauſarum, in laboris & ſolicitudinis partem Cæſar aſciuit, eique conſilio Ordinum inter Status & eorum ſubditos, certa lege & modo cauſas definiendi, ordinariam facultatem attribuit.

Hinc vti ante, ita poſt eius inſtitutionem Cæſar innumeras cauſas, abſque litis aut partium differentia in hodiernum vſque diem definiuit: commiſſiones (quas nunc auerſantur, aut paribus in religione demandari volunt) pro libitu decreuit, imo à Cameræ Iudicio multos Status exemit & adhuc nunc eximit, in cuius rei teſtimonium Electores, Principes, Comites, Nobiles,

omniſ-

omniſque ordinis ſtatus producuntur, qui ſi volent, teſtabuntur Cæſarem quoque reſeruatam ſibi de maioribus feudis cognitionem, non ad hunc præſcriptum modũ, ſed abſolute pro arbitrio, data occaſione exercuiſſe. Breuitatis ſtudium, & rei euidentia nõ ſinit rem exemplis comprobare, luculenter proprie teſtabuntur ipſorum conſcientiæ, hoc pacto nil præter nomen Cæſari remanere, & vero eum quouis Dynaſta inferiorem futurum.

At quæ hæc mutatio? qui paulo ante Cameræ iudicium plenis velis impugnabant, hi reiecto nunc Imperatore omnes cauſas eo pertrahunt mira aſtutia, qua vero non niſi inſcios fallunt, ſciunt nimirum omnes Cameræ lites immortales, & ob impeditum reuiſionis iudicium fine & executione carere.

Pares vtriuſque religionis in aula Cæſarea, Cæſareiſque cognitionibus Iudices volunt, vt quæ inter ipſos & Catholicos ortæ ſunt & oriuntur quæſtiones, Conſiliariis inter ſe non conuenientibus, ſed votorum numero paribus, ad exemplum Cameræ in perpetuum indeciſæ maneant: id demum ſatagunt, vt illorum voluntati expoſiti Catholici, iure & iudicio careant. Circumſcribuntur hi certe niſi æqui ſubueniant Iudices.

Iterum ergo Cæſar pro paterna ſua in patriam cura, hiſque euellendis malis, iuſtitiæque reſtaurandæ Anno 1603. comitia Ratisbonæ indicit: comparent illi quidem, ſed diuerſis ab Imperatore Statibuſque pacificis, ſtudiis, quamobrẽ cum hi receſſum Imperii An. 98. atque expeditionem æquabilem omnium ſingularumque reuiſionum vrgerent, illi quatuor ſupra dictas cauſas, iiſque ſimiles exauthoratas vellent, Senatumque Imperii nouo hucuſque & inaudito exemplo desererent, nihil actum, ſed in Cæſarem, Electoreſque promouendæ iuſtitiæ cura reiecta eſt: cumque diuerſis celebratis Diætis negotium hoc fruſtra tractaretur, tandem ad infelicia illa comitia 1608. ventum eſt.

Sciendum porro hic, cum Proteſtantes exhibitis quibuſdam contra Catholicos querelis (ne ſcilicet ipſi ſoli Rei viderentur) à Cæſare admiſſionem ad beneficia Eccleſiaſtica peterent, aulicũ eius conſilium incuſatent, atque alia ſimilia ad liberiorem viuẽdi modum pertinentia flagitarent: Cæſarem Anno 90. 27. Iulii ponderata cauſæ iniquitate, ipſorum petitiones reieciſſe, quas hucuſque ſuppreſſa hac deciſione, nec quicquam vbiq; repetunt.

Ann. 1608. iterum celebrantur comitia, facta igitur, vt moris eſt, propoſitione Cæſaris, diu inter Legatos ordinum de ordine conſultationis, & num de petito pro arcendis infidelibus ſubſidio, primo loco deliberandum necne, diſceptatum eſt, quo tandem concluſo nouis erumpunt artibus, aiunt enim interno prius, quam externo occurrendum periculo, fiduciam inter Status conciliandam, Cameræ curſum promouendum, &

renouandam de pace religionis conſtitutionem, imo etiam tranſactionem Paſſauienſem, præclare id quidem ſi inſidiis res caruiſſet.

Conſtat ex pace religionis nullam in Imperio præter Catholicam fidem & Auguſtanam confeſſionem licitam, cæteras oēs damnatas & excluſas eſſe. Hæc Auguſtana confeſſio pauciſſimos in Imperio habet Aſſeclas, qui tamen pacis & æquitatis amantiores, beneuolentiam quam Catholicis exhibent, ab ipſis quoque experiuntur. Cæteri quotquot Eccleſiam deſeruerunt, confeſſione hac quoque exploſa & exſibilata, nouis opinionibus adhærent. Hi omnes ergo renouando conſtitutionem ſe quoque ingerere & pro vna Auguſtana innumeras alias introducere cōfeſſiones ſtudebant, mens quoque illis erat, vt iterum expunctis Catholicorum actionibus, relictis tot Epiſcopatibus & Cœnobiis, quicquid ab Anno 55. in conſtitutionem commiſſum eſſet, id velut generali Iubilæo, exemplo prioris tranſactionis remitteretur, pace deinceps quaſi noua condita & promulgata; Verum vt Catholici has inſidias aduertiſſent, propoſitumque illud conſtitutioni contrarium, Imperioque periculoſum, hos autem piis & Catholicis mentibus illicitum, vt quæ in profanationem ſacrarum fundationum ſiue directe ſiue oblique conſentire non poſſent, re diligenter examinata deprehendiſſent, viſum ipſis fuit vti & Auguſtanis quibuſdam, his indignis petitionibus non deferre. Dicebant ergo hanc renouationem ab ipſis, vt qui pacis leges quam diligentiſſime obſeruaſſent, ſeque in perpetuum obſeruaturos ſponderent, immerito & ſine ratione peti, quod ſi res fuco careat, & renouatio abſque reſtrictione aut ampliatione deſideraretur, Catholicisque ea, quæ contra legem ablata ſunt, reſtituerentur, aut actiones ſaluæ eſſent, ſe conſenſuros.

Hic vero illi debacchari, ferrum & flammam minari, dolebant enim detectum conſilium, remque minus ex voto ſuccedere. Itaque iam ab antiquo, & vbique vſitato conſulendi modo qui & iu iure, bulla aurea, variiſque Imperii receſſibus, & ſemper obſeruata Imperii conſuetudine fundatus eſt, recedunt, noluntque vlterius Statuum placitum dici, quod maiori Statuum numero placuit. Hic ergo iam alteri medio, comitiis ſcil. publicis bellum indicunt, rem certe ſagaciter in fundo aggreſſi, cum hac ratione modus non ſupereſſet, deinceps quicquam in Imperii Senatu ſtatuendi aut definiendi, parque eſſet Cameræ & Comitiorum effectus. Itaque hac iniecta remora, Imperii conſilium diſſipant, & Sereniſſimo Archiduce Ferdinando Commiſſario Cæſaris eos ad meliorem frugem fruſtra adhortante, ſumma Imperatoris & Imperii ignominia, ſummoque Statuum damno inſalutato hoſpite diſcedunt. Videbant iam ſtudia ſua Catholi-

tholi

tholicis innotuiſſe, cuniculos deprehenſos, eluſaſque artes, Cæſarem pro ſua iuriſdictione ſtare, perſuaſionibus vanis locum amplius non eſſe. Itaque iam non vltra diſſimulata, ſed aperta vi negotium tractandum rati, præmiſſo quaſi fæciale ſuæ cohortis principe, qui Cæſarem eiuſque Conſiliarios minus recte adminiſtratæ iuſtitiæ arguat, atque deinceps Imperium per ipſos adminiſtrandum iri ſignificet, conſpirationem ineunt, conſilioque Aulico & iis denique omnibus, qui iure ab ipſis aliquid repetiiſſent, ad beneficia Eccleſiaſtica acceſſum negaſſent, & vt vno verbo dicam, ipſorum iniquiſſimis poſtulatis ſuffragati non fuiſſent, bellum denunciant, ſe poſt hac nullam pro Catholicis ſententiã, multo minus executionẽ ex aula paſſuros, ꝙ ſi ſimile quid attentatum fuiſſet, ſe coniunctis viribus, armata manu, ad extremum reſtitutos, quin imo quæ iã definita, executioniq; mandata eſſent, horum retractationẽ acerrime depoſcunt, Ciuitatis Donavvertanæ, quæ præuia legitima cauſæ cognitione, ob inobedientiam & contumaciã in Cæſarem, aliaq; in Imperii leges publicciter commiſſa, Sereniſſimo Duce Bauariæ ad mandatum Cæſaris exequente, banno mulctata, atque in ordinem redacta erat, reſtitutionem (extorſerant enim iam ante abſolutionem) minis exigunt. Cum autem Cæſar in præiudicium Ducis Bauariæ, qui ab executione facta, quouſque impenſæ in eam collocatæ, ſibi à Reis refunderentur, merito ciuitatem detinebat, cæteroquin nihil ipſis de ſtatu aut libertate derogans, huic petitioni annuere non poſſet, Ciuitatibus quibuſdã liberis hanc rẽ ſignificant, agi de ipſorum libertate, ſimileſque executiones ipſis imminere, præſidium ipſorum non in Cæſare, ſed ſua confœderatione repoſitũ, atque ita ipſas plus nimiũ credulas non leui fortunæ ſuæ iactura, (vti experti ſunt, & niſi reſipiſcant, grauius at ſerius experientur) irretiunt, hiſque in conſortiũ, ob neruum quo pollebant, aſſumptis, militem cogunt. Et vt ſileamus quid in terra Iuliacenſi (quã Cæſar vti Iudex partibus inter ſe diſcrepantibus, ad finem iudicii victori ſaluam volebat) ſpretis mandatis & commiſſionibus Cæſareis perpetrarint, primum quidem Rheni, & Franconiæ Eccleſiaſticos ſtatus, nihil ſimile metuentes obruunt, commeatum à ſubditis extorquent, agros depopulantur, nihilque hoſtile intermittunt, tandem diſſimulata expeditionis cauſa in Alſatiam & Epiſcopatum Argentoratenſem mouent, ciuitates ibidem celebriores obſident, expugnant mœnia, templa, domus diruunt, matronas virgineſque proſtituunt, & barbarorum more in eos, à quibus ne verbo quidem læſi erant, crudeliſſime ſæuiunt & graſſantur. Nec dubium, niſi Catholicorum militem, qui ob coniurationem inter illos factam, iã defenſionẽ ſuam præme-

ditati erant, in Bauaria præſumpſiſſent, non ſolum occupata loca retinuiſſent, ſed & vlterius in Catholicos vires ſuas exeruiſſent.

Videbant Catholici iam de pace religionis & prophana, cæteriſque Imperii conſtitutionibus actũ, ſentẽtias in Camera obtẽtas ob interpoſitas & ſuſpenſas reuiſiones eludi, aulam Cæſaream Cæſariſq; auxiliatrices manus occludi, demum ſubſidiũ Statuum ob diſſipata Comitia ſibi ereptum, ſicque & iure & Cæſare deſtitutis, ſolum in propria defenſione ſuã ſalutẽ reſidere, hanc defenſionẽ ita concipiunt, vt tum demum vſui ſit, cũ quis contra iura Imperiique leges, approbatam in Imperio conſuetudinem vi aggreſſus, Iudicis & Iuſtitiæ remediis deſtitutus eſſet, hoc vnico propoſito fine, vt ſaluis conſtitutionibus, ſalua Imperatoris authoritate, repreſſis turbatoribus, pace in Imperio firmata, quiſq; in ſuo à prędationibus & latrociniis liber, ſub lege & Imperatore tuto degeret. Hac ergo defenſione obtuſus, hac vice cõfœderatorũ enſis, & qui nuprime pacem pacẽ, fiduciam fiduciam inclamabãt, hi nũc rebus fortiter (ſcil.) geſtis, relictis ruinis, fuſo innocẽti ſanguine, domum inglorii reuertũtur. Eximiam vero laudẽ, &c.

Defungitur interea ſapientiſſimus Rudolphus Imꝑator, Interregni prouiſione Palatino ſcilicet & Saxoni Electorib⁹, ꝑ diſpoſitione bullæ aureæ, relicta. Iura autẽ prouiſorũ ſunt, poteſtas exercendi iudicia, ad beneficia Eccleſiaſtica pręſentandi, recolligẽdi reditus & prouentus, inueſtiendi de feudis, Iuramẽta fidelitatis vice & nomine Sacri Imꝑii recipiendi, quæ tamen per Regem Romanorũ poſtea electum ſuo tẽpore omnia innouari, & de nouo præſtari debebunt, Feudis Principum dũtaxat exceptis, quorum inueſtitura Cæſari reſeruatur, verba ſunt legis. Hanc commoditatem opportune nanciſcitur Prouiſor Rheni confœderatorum director, breuiq; interregni tempore, ſedulum agit Cæſarem. Itaq; refractarios illos, qui Aquiſgrani, non obſtante defuncti Cæſaris ſententia & executione, eiurataque vlteriori machinatione & rebellione, Magiſtratũ à Caroli Magni temporib. abſq; interruptione deiecerant Catholicũ, ſibiq; gubernacula arrogauerant, hos contra dictam executamq; ſententiam, hos inquam violentos damnatoſque pacis turbatores & inuaſores (ob communem ſcilicet religionem) remotis Catholicis, qui iure & Imperatoris decreto ciuitatem adminiſtrabant, in raptis ſubſelliis confirmat, vrbiq; præficit, ſicq; quod Cæſari negant, nõ tantum religionis cauſa ortam controuerſiam determinat, ſed etiã in hanc regiam ſedem hucuſque non viſam ſectam, contra expreſſam religionis pacem inducit, Cæſariſque ſententiam ſummo cum dedecore, ſummaque iniquitate retractat.

Lis erat inter Caſtrum & Ciuitatẽ Fridberg, vtri Status Imꝑii iura competerent, hanc defunctus Cæſar cõmiſſione diremerat,

reſtabatq; effectus, Cæſaris morte præuentus, hoc non attento, quod Aulici conſilii decreta nihil facerent, non audito Caſtro, contra latam ſententiam præpoſtere partes ad cauſam de nouo deducendam, ad Cameram remittit. Ciuitati Biberacenſi ſimile damnum infert, ſibique Vicario plus quam Cæſari licere exiſtimat, innumeriſque modis Catholicos premit.

Quod elargitiones vectigalium aut expeditiones ſibi aſſumpſerit, ſpem de aperiendis Imperii feudis (quomodo curiam facile omni caducitate priuaſſet) ſuis conceſſerit, ſicque alienationes ſibi inhibitas commiſerit, hæc quia minora ſunt, omittuntur, donec tandem Dei nutu, Electorumque ſuffragiis Clementiſſimus iuxta ac Fortiſſimus Matthias Imperio præficitur, hiſque prouiſionibus finem imponit.

Hic turbatum & in partes quaſi ſciſſum Imperium videns patriæ, paciſque amore, proſtratam iuſtitiam erigere, ſtatuſque priſtinæ beneuolentiæ reſtituere, ſumma cura, ſummoque ſtudio aggreditur, conſcribitque Electorum conſilio, quæ nupertime cœpta ſunt Anno 1613. Comitia. Comparet Cæſar, comparent omnes prope Catholici Status, & cum ipſis laudatiſſimus Haſſiæ Princeps Ludouicus, confœderati à priori ſententia nihil immutati, ſuos mittunt.

Catholicis omnibuſque bonis animus geſtiebat, ſperabant enim benigniſſimi Imperatoris præſentiam, Electoris Saxoniæ Principis æquiſſimi adhortationes, ſuo fructu in emolliendis concitatorum animis, & pace reſtauranda non cari turas, tantoque magis, quod inter deliberanda primum locum iuſtitiæ punctus obtineret, ſed proh dolor præmaturo gaudio.

Vt enim publicata propoſitione tria Imperii conſilia, Electorum ſcilicet, Principum, & liberarum vrbium pro more, ſuo quodque loco, conueniſſent, eſſetque maioribus votis vbique concluſum, deliberationem de reſtituenda iuſtitia, vt maxime neceſſariam & digniſſimam, ita cæteris anteponendam, ſoli reſiſtunt confœderati, incuſant iterum hunc ſecundum compluria vota concludendi modum, eodem ſe nolle aſtringi, quin potius conſilia deſerturos, palam teſtantur.

Militabant pro vtroque & concluſo & concludendi modo, ſimul Catholici & Auguſtanæ confeſſionis Status, eorumque Legati: & merito, alia enim non dabatur via, cum ſi ſecundum Saniores (quos philautia ſuadente ſe eſſe putabant) procedendum; & de hoc ipſo quoque maioribus relinquendum eſſet iudicium. Igitur differri negotium petunt, obtuliſſe ſe Cæſari grauamina, ante omnia horum expeditionem exſpectandam.

Obtulerant certe ſcriptum quoddam Cæſari, quo non tam ſupplicabant quam imperabant, & qui totum Imperii ordinem, vt ex ſupradictis patet, turbarant, Catholicos innumeris modis afflixe-

Digitized by Google

tant, hi nunc ad inſtar lupi Æſopici, ſe à Cæſare & Catholicis gra uari conquerebantur, merito ſcilicet, quod exemplo edocti, iam no vt ante actiones ſuas remittere, & incertæ paci ſe vlterius committe vellent Catholici. Iaque in iuriſdictionem Cæſaris, eiuſque tribu nal aulicum primum impetum faciunt, hoc, vti & ſupra dictum eſt deletum volunt, quod nimirum iam ſolum grauatorum aſylum e ſet, atque inde eorum in leges & conſtitutiones Imperii conatus iur reprimerentur. Vrgent reſtitutionem Ciuitatis Donavverthanæ, no lunt ſupremum Iudicis in Camera officium deinceps Eccleſiaſtici Principibus attribui, Præſides Cameræ ſuæ ſectæ poſtulant, & in v troque Cæſari, cuius hac in re liberum arbitrium eſt, contra Came ræ ordinationem leges præſcribunt, quicquid Interregni tempore Prouiſore Aquiſgrani, Fridbergæ, Biberaci, aliiſque locis decretum id è veſtigio confirmatum deſiderant, atque ita pientiſſimæ memo riæ Cæſaris æquiſſimas ſententias annihilatas, ſuas autem retracta tiones & æquitati & iuri diſſonas vigere volunt.

Cameræ iudicium paribus in Religione Aſſeſſoribus conſtare pe tunt, quaſi non cuiuis Statui ſuæ religionis hominem præſentand facultas eſſet, Magdeburgenſis, Archiepiſcopatus ſimiliumque Ec cleſiarum inhabiles detentores, vt Eccleſiaſticos ad ſeſſiones & vo tum in Imperii Senatu, ordinariaſque Cameræ viſitationes admitt flagitant, vt in Conſilio numeroſiores, alienis bonis opulentiores, au votis, aut vi, Eccleſiæ Romanæ, primo quidem in Imperio, dein vi cinis locis leges dicant, qui ſuperſunt Archiepiſcopatus, Epiſcopatu aliaſque Eccleſias ſibi vendicent, eradicatoque paulatim Eccleſiaſti. eo ordine, ne veſtigium quidem priſcæ fidei (quod ipſorum omer Deus auertat) remaneat.

Abominantur eos, qui pro recuperandis violenter ereptis Cœno-biis, prouincialibus proceſſus decernuntur, verentur quippe reſtitu-tionem, quam ſe nec poſſe nec velle admittere paſſim & libere pro-fitentur, egregia ſcilicet Chriſtiani hominis vox, qui, quod Deus, æ-quitas, ius, & iuſtitia, volunt, hoc ſe nolle intendit.

Incuſant denique Catholicos, quaſi pacem religionis (quam ipſi nunquam obſeruarant) temporaneam dicant, ſed abſque ratione.

Iura ſummi Pontificis, quæ exigua ſatis apud Catholicos in Im-perio remanſerunt, ea protſus eliminata volunt, neque enim in ſpiri-tualibus, neque temporalibus ſuperiorem ferre poſſunt, qui vtriuſq; poteſtatem ſibi vendicant.

Eccleſiaſticam iuriſdictionem pace religionis in territoriis Ca-tholicorum reſeruatam auerſantur.

Queruntur gregalibus ſuis conſecrata ſepulturæ loca denegari: cum id velint iura, nec ipſi vllam in conſecratione vim ponant.

Petunt in locis Catholicis ſuæ religionis exercitium, idque certe contra pacem, cum tamen ab ipſis in liberis quibuſdam Ciuitatibus

vbi

vbi ante &poſt pacem continua ſerie vtraque religio viguit, Collegia & Cœnobia diuerſa adhuc num reperiantur, Catholicis ad omnes dignitates, honoreſq; publicos via præcludatur, Campanarum vſus, & ſolitis ſepulturæ ritus interdicantur, imo nulli deinceps in municipium, contra expreſſam pacis ſanctionem, admittantur, ſimiliaque iura ſimil: quoque niſi enixa cupiunt, & quod euerrendo Comitiorum fundamento neceſſarium erat, ſubiungunt, ſe modum per maiora concludendi in Imperii ſenatu ferre non poſſe, quin ſi quid hoc pacto deinceps conſtitutum decretumve fuerit, huic ſe non ſubſcripturos publice proteſtantur.

Vltimo Cæſarem æquitatis (quam oderant) admonent, fiduciam inter Status (quam ipſi euerterant) conciliari petunt, ſicque finem ſcripto faciunt.

Volebant autem Cæſarem his poſtulatis abſque mora, & antequam ad Imperii deliberationes progreſſum fuiſſet, annuere, hac adiecta comminatione, ſe alioquin comitiis intereſſe non poſſe.

Importoſa certe, ne dicam inſolens Legatorum petitio, ſed quæ ſtudiis iam dudum præconceptis conueniebat. Venerant enim non conſultatum, ſed comminatum, leges dare & non recipere, id ergo ſtrenue actitant.

Cæſar poſtulata hæc grauiora videns, quam vt ea tam breui tempore, & ad placitum illorum expedire poſſet, ſcriptum benigne recipit, ſpondet ſe querelis, durantibus adhuc Comitiis pro iure & æquitate ſubuenturum, hortatur, rogat inſuper, vt interim pro ſumma Imperii neceſſitate conſilium frequentent. Idem Catholici, aliique Auguſtanæ Confeſſionis Status obteſtantur, intempeſtiue iſta vrgeri exiſtimantes, cum hac de cauſa potiſſimum comitia indicta eſſent, & quod conſilio Statuum definiendum eſſet, id ante conſilium præiudicio rogaretur, eſſe de reſuſcitanda in Imperio iuſtitia, vt quod omnes in vniuerſum concernit, primo tractandum, dein particularibus cauſis prouidendum.

Sed ſurdis fabula narratur, quo clementior Cæſar, humaniores Status, eo obſtinatiores acrioreſque iſti, quot hi preces, tot illi minas ingeminant, nec demum aliud remedium Cæſar ad manum habet, quam vt infeliciter hæc incepta Comitia, in aliud tempus differat.

Triumphum igitur de interpellatis comitiis denuo agunt, & quod dixerant, Imperii receſſum, reiectis Cæſaris, Statuumque tam Catholicorum quam Auguſtanorum, vnanimi decreto, reſpuunt. Catholicoſque concepta ſpe fruſtratos, prioribus nexibus, miſeriiſque implicatos relinquunt.

Hic Status eſt, quem hodie Romanum Imperium olim omnibus admirandum obtinet: Hæ ſunt Miſeriæ, hæ calamitates, quibus Ca-

tholici

tholici quotidie vigeniur, & qui vana ſpe in tranſactionem Paſſauienſem, religioniſque pacem inducti, Eccleſiis, boniſque ſpoliati, iure iuſtitiaque priuati, Confœderatorumque furori expoſiti ſunt. Hi ſi Cæſaris Catholicorumque vicinorum ope deſtituantur, oneri ſuccũbent, & (næ om nor!) eiecta fide, proſtrata diſſolutæ libertatis ſtudio obedientia ſplendidum Imperii decus, & eximia Chriſtianorum regna, excitata (quod non vident) vulgi imperitatione, ſpe aut opinione citius corruent.

Sit ergo cuiuis bono nunc liberum iudicium, qui iam celebrem illam de pace religionis & prophana legem, cæteraſque Imperii conſtitutiones violarint, quinam Cameræ iudicium interpellarint, patriæ tranquillitatem turbarint, qui nunc demum etiam ſupremam Cæſaris authoritatem conuellere, eius iuriſdictionem infringere, atque ita diſſipatis comitiis Romanum Imperium legibus & iuſtitia, ſummo ſtudio, ſummaque vi, ſpoliare annitantur.

Reos certe & fama & vulgus & proprii facti ſtudiiq; ſcientia pluſquam conuictos arguit, nec iam prudentia illa mixta, verſutiam puto, aliud confuſis Miniſtris & malis Conſultoribus ſuggerere poteſt, quam vt agnitam ablatorum reſtitutionem rei familiaris tenuitate excuſent, cingulotenus ſcilicet denudandos aiunt Principes ſuos, nec demum Statui condecentem ſuſtentationem iis ſuperfuturam, ſi quę Eccleſiæ ſunt, Eccleſia ſibi repetat, impoſſibilem rem deſiderant. Dictum certe nec fide nec moribus Germanorum dignum. His itaque petitionibus renunciandum, deinceps vero religionis pacem ſancte & inuiolabiliter ſeruandam, manus à bonis Eccleſiaſticis, nouo & firmiori ad hoc præſtito vadimonio cohibendas, Catholicos nimiæ auſteritatis, vt qui ſtricto iuri accuratius incumbant, accuſant, rem totam, vti & grauamina hinc inde exhibita, familiari & amica tractatione componenda, Compoſitionem, compoſitionem, inquam, aut conferentiam ineundam, ſicque pacem publicam conſeruandam eſſe, ſplendide equidem, & quo Electis propemodum imponunt. At certe Catholici auorum, imo parentum edocti malo latens hoc venenum plus nimio aduertunt, id enim imprimis volunt, vt Cæſar forum ſuum ſiſtat, quouſque res partium libitu tranſacta ſit: Sed cui quæſo bono ſpes tranſactionis ſupereſt, vbi tranſigentes Rei & Actores. Et quis credat eum ſibi ipſi ſententiam dicturum, qui vigore iuris eam in ſe latam agnoſcere detrectat? nonne vti conſtanter poſtulabit actor, ita & ſedulo negabit reus: in æternum *ergo* luctabuntur vbi arbitro caruerint, qui mutuo diſſident, atque in æternum hoc pacto quieſcet vindex afflictorum diua manus Cæſaris, quodque dolendum eſt, patria noſtra, relegata iuſtitia, latrociniis implebitur. Deinde ſi quod animo conceperunt ſtudium, penitus & larua detracta videre velis, quam poſſunt ſtudioſiſſime laborant, vt in eam orthodoxos denuo viam inducant, quæ nimium credulos anteceſſores

ad pacem illam Paſſauienſem ſeduxit. Ita enim renitentibus Auguſtanis, pacis ſtudio & futuræ compoſitionis ſpe, Catholici primo quidem Anno 41. actiones ſuas ad tempus, donec ſcilicet concilia expedirentur, ſuſpenderunt, Cæſare promittente, ſe præuia commiſſione inter religioſas & prophanas cauſas diſceturum, factaque ſanctione, res Eccleſiæ deinceps ſaluas fore. Verum hoc obtento, concilia reſpuunt, & poſt biennium Catholicos adigunt, vt conceſſas inducias agendi, ad quinquennium produceant, promiſſis ſemper nouis pro Eccleſiæ ſecuritate legibus, quibus eos pacis & quietis auidos inescabant, ſibique magis grauiora tentandi locum parabant. Quid fit? audi poculum amicabilis compoſitionis, quod hodie Catholicis propinant, & vbique venditant, Conſtituunt Anno 48. lites & diſceptationes circa Eccleſiæ bona amica commiſſione ſopiendas, aut ſi id fructu careat, à Cæſare iure decidendas. Viden' antiquas artes, viden' calles, & honeſto velo tectas decipulas, quas hodie pari blanditie ſternunt Catholicis? Commiſſione familiari & libera, inquam, aut iure rem finiendam ſtatuunt, ſed nec hoc nec illud admittunt, imo indies acerbiores, & Catholicorum benignitate, ne dicam ſomnolentia, Cæſariſque lenitate inualeſcunt, donec vniuerſali velut Iubilæo, Paſſauienſi ſcilicet tranſactione, omnes Eccleſiæ actiones, & quicquid illis reſtituendum erat, vno hiatu abſorbeant. Hæc igitur ſemita eſt, quæ Paſſauiam ducit, quam ſi vano & inani pacis ſtudio minus cauti ingredientur Catholici, ad eandem dubio procul metam, infeliciter vero magis, imo infeliciſſime, ad ſummam & extremam Eccleſiæ iacturam deuenient. Quod vti DEVS, ita dubio procul omnium Sapientum & bonorum conſilia auertent.

FINIS TOMI QVARTI.

INDEX RERVM MEMORABILIVM IN HISCE TOMIS CONTENTARVM locupletiſſimus.

A.

ACademia Haffnienſis. 489
Actio Chriſti noſtra inſtructio. 56
Actiones primæ non principis. 7
Actiones primæ magis obſeruantur. ibid.
Actiones Pontificum præcipua. 62. *quibus iis incumbendum.* ibid.
Actiones vicinorum obſeruandæ. 334
Adminiculorum imperij numerus. 11
Admonitio ſeorſim facta & cum laude vtilior. 45
Adulantium ars. 48
Adulatio præcipuum venenum regnantium. ibid.
Adulationi ianuam aperit ſui amor. 49
Adulationis damna 48
Ædificium in animis hominum præclarum. 43
Æqualitas ſeruanda, ne ſuſpitio principum oriatur. 37
Ærarij cura quantum referat. 528
Ætas, dein virtus proſunt Pontificatui adipiſcendo. 146
Æthiopum mores. 385
Affabiles imperio idonei. 32
Affabilitas præcipua dominantis virtus. 31
Affabilitas grauitate temperanda. 33
Affabilitas cum diſſimulatione ſæpe coniungenda. 37
Aga Ianitz præfectus. 366
Aga munus. 410
Agri Senenſis & Florentini fertilitas. 312
Ager Romanus ferax, ſed ſolitarius. 138. *cauſa ſolitudinis ibidem.*
Agricultura cur apud Turcas neglecta. 406
Alcairum. 405
Alcorani interpretes. 37
Alepum. 405

INDEX.

Alexandri Pontif. linea. 184
Alieni & ſui quomodo habendi. 83
in Alloquiis quæ vitanda. 31
Amantis & amoris vis. 171
Amicitia Pontificis non multifacienda, ſed inuidia vitanda. 142. *eius authoritas ſpiritualis quouſque.* ibid.
Amicorum & inimicorum oppugnatio duplex. 82
Amor ſui adulationi ianuam aperit. 49
Amor virtuti debitus. 72
Amor in Odium ſape vertitur. 74
Amoris mater ſimilitudo. 30
Amplitudo Cardinalitiæ dignitatis. 52
Angliæ fertilitas 292. *opes ibid lana & panni.* 293. *negociatio cum Belgis ibid Inſulæ ad Angliam pertinentes. ibid. Angliæ ſitus munitus ibid. vires maritimæ.* 294 *terreſtres. ibid. equitatus Anglic.* 295. *regni Angl opes* 296. *reditus annuus.* 297. *ſubſidia extraordinaria. ibid. nobilitatis Angl. priuilegia.* ibid.
Angliæ pars auſtralis. 862. *vectis inſula ibid &* 864. *Douera præcipua regni arx* 863. *Duni terræ Angliæ tractus ibi. Arūdel portus & oppidum Angliæ. ibid. Plemuth itidem portus & oppidum* 864. *Hybernia inſula.* 865. *Ceſtria & Lanceſtria præcipua oppida & portus Hiberniæ obiecti. ibid. Scotiæ ſitus ab Anglia.* 866. *quos apparatus regina Angl contra Hiſpanicam claſſem fecerit. ibid. Claſſis Anglicana quot nauibus conſtet.* 867. *impedimenta ſiue difficultates huius expeditionis.* ibid & ſeq.
Anglus cur præceſſerit Hiſpano. 172
Angolæ regnum. 279
Animum principis qui vnus occupat, eum aſtutiſſimum eſſe oportet. 18
Annona cur apud Turcas cara. 369
Annonæ procuratio apud Lombardos cur difficilior. 537
Antuerpiæ opes. 498
Apathia candidatis induenda. 71
Apparatus bellicus Turcarum. 411
Arabes Barbariæ incolæ. 447
Arcanorum ſcrutatores quibus artibus vtantur. 39
Archidux Auſtriæ cur non habeat locum inter ſeculares. 154
Arduena ſylua. 493
Argentifodina Potoſiana. 267
Argumenta ad fœdus ſuadendum. 87
Argutiæ ſermonis condimentum. 34. *ſine aculeo ſint.* ibid.
Armorum genera diuerſa, diuerſis congrua. 13
Aromata per Moſcouiam aduehi an queant. 369
Arrogantia Turcarum. 376
Ars adulantium. 48

Ars

Ars militaris in quibus conſiſtit. 812. *eius peritia quomodo acquiratur.* ibid.
Artes præpotentis aulici. 18
Artes Turcarum bellicæ. 405
Aſiatici Aſiatico more regendi. 12
Aſſertiones Theologorum falſæ. 26
Aſſiduitas circa principes moleſta. 639
Aſtu in imperijs neceſſario vtendum. 10
Aſtutiæ detrimenta. ibid.
Aſtutia & prudentiæ diſcrepantia. 10
Auaritia Baſſarum. 407
Auaritiæ ſuſpitio quomodo vitanda. 805
Audacia Perſica. 574
Aula Romana quid? 30
Aula Imperatoris. 164
Aula bonum quærendum. 42. *in quibus conſiſtat.* ibid
Aulæ Rom. excellentia. 30
Aulæ Rom. facies & colores. 64
Aulici præpotentis artes. 18
Aulicorum numero quomodo vtendum. 55
Aulicos gratioſos eſſe oportet. 47
Aurelianus Imperator. 802
Auſtria ſuperior. 396
Auſtriæ fines & fertilitas. 157
Auſtriæ ordines quatuor. 158. *ſupremus magiſtratus Viennæ.* ibid.
Auſtriæ ſuperioris caput Oenipons. 159
Auſtriæ deſcriptio. 395
Auſtriæ ordines. ibid.
Auſtriæ familiæ origo. 156
Auſtriacæ familæ origo. 394
Auſtriaci Hungariam quomodo aquiſierint. 157
Auſtriacorum felicitas. ibid
Authoritas vnius præ cæteris pernitioſa. 17
Authoritas legati Cardinalis. 425
AZomaglianorum delectus. 409. *diſciplina.* ibid.

B.

B*Aiazetus primus.* 693. *Baiazetus II.* 695
Baro. 836
Baſſarum auaritia. 407
Belgij fines. 620. *ſeptendecim prouinciæ.* 621. *quomodo ad Auſtriam ſint deuoluti ibid. ſylua.* 624. *incolæ & eorum mores.* 624. *æſtus maris.* ibid

reditus ex piſcatione.625. de ſale conficiendo.ibid. Regiminis forma.ibid. conſilium ſtatus.ibid. conſilium priuatum.626. Finantiarum. ibid. camera rationum. ibid. gubernatores particulares. ibid. Curia ſiue tribunalia. ibid. modus comitiorum.627. forma regiminis ciuitatum. 628. Antuerpienſis urbis adminiſtratio politica ibid. nobilitatis imperium.629. ſtatus eccleſiaſtici opes & dignitas. ibid. militia. 630. reditus. ibid.
Belgij præſtantia. 269
Belgij potentia maritima. 272
Belgium. 774
Belli munera. 18
Belli Turcici honeſtas & utilitas. 789
Belli ciuilis origo. 15.
Bellicæ artes Turcarum. 405
Bellicus apparatus Turcarum. 411
Bellum triplex. 15
Beneficentia & comitas inprimis neceſſaria. 72
Beneficia ex animo dantis metienda. 80
Beneuolentiæ captandæ methodus. 30
Berna.648.adminiſtrandæ Reipub.ratio.ibid. fœdus cum Heluetiis. 649.
Bibacitas laudanda cur. 154
Bilis flaua commoda & incommoda. 5.
Bohemiæ Rex. 155
Bohemiæ militia quales. 162
Bohemiæ regno quæ annexa. 397
Bohemiæ deſcriptio.396. fines.397. ubertas. ibid.
Bohemorum mores. 160
Bonum aulæ quærendum.42. in quibus conſiſtat. ibid.
Bonis ubiq; mala mixta. 31
Borgia Valentiæ dux. 797
Braſiliæ deſcriptio. 268
Britannia.314. quæ in eam importentur, & ex ea exportentur.ibid. eius diuiſio.315. eius Inſulæ diuerſa idiomata. ibid. pulchritudo & portus Londini.ibid. opes mercatorum.316. Britanniæ antiquum imperium. ibid. vires maritimæ. ibid. militia terreſtris.317. Britannorum arma offenſiua. 318. defenſiua. ibid. equitatus.ibid. Hyberni ſilueſtres.319. Inſulæ ſitus & natura maris.ibid. eius arces nullæ,ſed littora cuſtodiuntur. ibid.
Britannorum luxus. 323
Burgundia. 775
Burgundiæ & Lotharingiæ Duces quando in protectionem Imperij recepti. 354

C.

CÆſar minime affabilis. 32
Cæſar Borgia dux Valentinus. 804
Calapinus Turc. Imp. 694
Campania & Patrimonium vbi. 139
Cara annona apud Turcas cur. 369
Cardinales vltimi tempore inter electores Pontificis. 27
Cardinales beneficiis afficiendi. 76
cum Cardinalibus quo pacto agendum. 36. cum Prælatis quomodo. ibid.
Cardinalis legati authoritas. 425
Cardinalium humiliorum mos. 75
Cardinalium claſſes diuiſa. 76. prudentia in pleriſque caſibus curta eſt. ibid. Factionum capita æqualia eſſe debeant. 77. Officioſos ingratis habendu eſſe oportet. ibid.
Cardinalium fauor iam parum ambitur à Principibus, & cur? 145
Caroli V. virtus. 175
Caroli Audacis Burgundi mors. 634
Carolus M. auxilia fert Hiſpanis. 168. S. Iacobi ſuppetia. ibid.
Carolus Andegauenſis qua conditione Rex Neapol. 194. remiſſum tributum à Iulio II. ibid. fœminea inconſtantia. 195. à Gallis ad Catalaunos regnum translatum. ibid. nationes quæ regnauere. 196. duæ cauſæ rebellionum. ibid. Hiſpanorum aſtutia in huius imperij dominatu confirmãdo. ibid. pace abuſi in deprimendis ſubditis. 197 artes quatuor in Neapolitanis affligendis. ibid.
Caſtiliæ Regnum quando inceperit. 167
Catholici Regis vires terreſtres in quo conſiſtant. 272
Catholici regis equitatus. 273
Catholicorum vnio. 239
Cauſa errorum frequens vnde. 80.
Chinenſes ingenioſiſſimi. 190.
Chriſti actio noſtra inſtructio. 56
Chriſtiana religio vnica & vera. 711
Chriſtianorum luxus. 766
Cicala cum Chriſtianis colluſio. 47
Ciuilis belli origo. 15.
Ciuitatum liberarum ordo qui. 155. earum potentia. ibid.
Ciuium ſeditio occaſio fit hoſtium. 372
Clades Varanenſis. 691
Claſſes coniunctæ Turcis formidabiliores. 86
Claſſis ſtupenda Regis Hiſpan. anno 1588. apparata quo vertenda, opinio triplex. 847. vtrum Anglia, an Belgium ea oppugnandũ. 848. auctoris ſententia. 849. Anglia Belgarum rebellionem auxiliis fouet. ibid. imo ipſa tantum Belgarum fouet. ibid. Belgæ exhauſti. 850

tandem

tandem concluditur Angliam quam Belgium expugnare, facilius eſſe. ibid. Belgæ malecontents non exacerbandi. 852. Anglia prius quam Belgium, tentanda. 853. Anglia quam potens olim & hodie. ibid Angliæ impotentia cum Hiſpaniæ potentia comparatur. 854. Anglia nauibus & præſidiis caret. 855. itemq; equitatu. ibid. omni denique bellico apparatu. ibid. Angli nouarum rerum cupidi. 856. Reginam oderunt. ibid. offendere tantum ſoliti ibid. Anglia declinare cœpit. 857. militia ducibus effœta. ibid. pecunia inops. ibid Philippi regis Hiſpan. potentia 857. naualis apparatus. 858. auxilia Hibernorum & Scotorum. ibid. expeditionis huius honeſtas & gloria 859 in Anglia multi Catholico regi fauent. ibid. Philippi regis clementia ibid. Angli ad Catholicam religionem adhuc proni. 860. ſpes lucri quam valida ibid. ſolutio obiectionis. 861. Hiſpanica claſſis ſoluit 869. tempeſtate iactatur. ibid. in Anglia conſpectum venit. 870. naues incendiariæ. 874. Hiſpanica claſſis domum redit. 877

Clementia & manſuetudo, publicæ beneuolentiæ cuſtos. 32

Colonia Portugaliæ. 185

Comes prouincialis. 837

Comitum gradus. 835. & ſeq.

Comitia. 155. *eorum confuſio.* 156

Comitate grauitas temperanda. 127

Confirmatione Pontificis Electorum electio indiget. 23

Confirmationi Imperatores renunciauerunt. 27

Congi regnum. 278.

Conſanguinei reſpiciendi. 73

Conſilia imperfecta vnde. 79

Conſilia tam publica quam priuata, quæ rex Hiſpaniarum in vniuerſis ſuis regnis habet. 438. *conſilium regium. ibid. bellicum.* 439. *rerum Italicarum.* 440. *ordinum ſiue commendaturarum. ibid. Arragoniæ ibid. Indicum. ibid. Hazionte. ibid. rationale ſiue Contadoria.* 441. *quod vulgo dicitur, Contadores do Cuentas ibid. Hiſpalenſe. ibid Nauarræ ibid. Galitiæ. ibid. regni Arragonici. ibid. Inquiſitionis. ibid, Flandricum ſiue rerum Belgicarum.* 442. *officium Alcaldorum.* ibid.

Conſiliarij ſpernunt ineptum Principem. 2.

Conſilij definitio. 1.

Conſilij fontes. 4

Conſilium internum primo quærendum. ibid.

Conſilium anima imperij. 3.

Conſilium principis vnde naſcatur. 4.

Conſilium alienum dominanti res neceſſaria. 50

Conſilium in arena capiendum. 81.

Conſilium propriæ vtilitatis cauſa datum. 527

Conſtantinopolis ſitus. 183

Conſtantinopolis. 405
Contemptus damno moleſtior. 33
Copia nauales Turcarum. 782
Copia è Germania quanta conſcribi queant. 399. *quanta ex Auſtria. ibid. expeditiones ſiue ſubſidia Romana,* Römerzug. 400
Creatio Pontiff varia. 144
Credulitas & incredulitas æque nociua imperantibus. 535
Crudelitatis infamia an ex miniſtrorum pœna. 805
Cupiditatum imperium præferendum caſtris. 40
Cura ærarii quantum referat. 328
Curioſitas odioſa, ideo celanda. 534
Curlandiæ dux ſui ordinis deſertor. 420
Cuſtos beneuolentiæ publicæ, manſuetudo eſt & clementia. 32
Cypri opportunitas. 89

D.

D*Amna Reipub. ex vno potentiore cæteris apud principem.* 17
Damna adulationis. 48
Dania. 298. *eius diuitiæ.* 299. *reditus. ibid. ei ſubdita* Islandia. 300
Dania & Suecia reges cur diſcordes. 418
Dania præfectura. 485. & 488. *eius regni ſtatus ſiue ordines quinq;.* 486. *ſenatores.* 487. *nobilium familiarum nomina. ibid. magiſter aulæ.* 488. *Mariſcalcus Admiralius. ibid. Cancellarius regni ibid. Cancellarius regis ibid. Ærarii præfectus.* 489
Danici regis eligendi mos. 485
Decretum Sangallenſe. 69
Defectio culpa principis vnde fiat. 10
Definitio conſilii. 1.
Delatores exterminandi. 43
Delectus iocorum quatenus habendus. 34
Delectus virorum qualis à regnante habendus. 53
Delectus Azomaglianorum. 409
Dexteritas quid. 39
Dexteritatis exempla imitanda. 40
Dictum Maximiliani I. 179
Difficultas inuadendi Imperium Turcicum. 373
Dignitati virtus non disiungenda. 29.
Dignitatis Cardinalitiæ amplitudo. 32
Dimidium plus toto. 81
Diſciplina militaris, morbos Reipub. concoquit. 13
Diſciplina militaris Turc. 412
Diſcordia magnæ res dilabuntur. 219
Diſcordia inter ſtatus imperii. 393

Diſſidium Germaniæ triplex. 156
Diſtributio honorum, ſi præpoſtere fiat turbantur imperia. 16
Diſtributio munerum facienda. 44
in Diſtributiua iuſtitia quomodo peccetur. 20
Dominationis fundamenta & inſtrumenta regnandi. 1
Domini plerique ſunt Prothei. 47
Domini ſuo dominatu indigni. ibid.
Dominia & ſtatus, Germaniæ triplex ordo. 154. *Eccleſiaſtici, principes qui.* ibid. *Magiſter Pruſſiæ qui, ſeculares principes qui.* 154
Dominium quotuplex: & nullo dominii iure Germanos imperium poſſidere. 25
Domus Lotharingica. 240
Donatiua apud Turcas frequentia. 407
Dubium de conciliis. 142
Ducatus Mediolanenſis. 776
Ducatus Ferrarienſis munitiones. 503. *fines & amplitudo.* 540
Ducatus Mediolanenſis præſtantia. 269
Ducatus Sabaudiæ. 538
Duces miſeri fugiendi, felices colendi. 14
Ducis egregii virtutes quatuor. 13
Ducis virtus quantum valeat. 14
Ducum diſtinctio. 501. *prima origo.* 837
Dux magnus Hetruriæ iure pontificio creatus. 24
Dux. 837
Dux Vrbinas capitaneus generalis in Italia regis Hiſpan. 556. *Piſauri degere ſolitus.* ibid. *amici.* ibid.

E.

EDucatio 5. eius vires & definitio. ibid.
Elba Inſula. 516
Electio Electorum Pontificis confirmatione indiget. 23
Electio Pontificis opus diuinum. 71
Electores ab Eccleſia Rom. dependent. 23
Electorum ius à Pontifice. 26
Electus Imperator an ſtatim Imperator. ibid.
Eligendi modus vt Pontificis, ita Imperatoris diuerſus. 27
Eloquentia & audacia iuncta auctoritati proſunt. 78
Emporia Turcica. 407
Epiſtola officioſa forma. 635
Equitum S. Stephani ordo à quo inſtitutus. 517
Error Macchiauelli. 755
Errores præcauendi. 79
Errorum cauſa frequens vnde. 80
Exempla dexteritatis imitanda. 40
Exiſtimatio vnde colligatur. 2

Expeditio contra Barbariam cur ſuſcipienda. 446
Expeditiones Septentrionalium populorum. 485
Experientia.6.ea quotuplex.ibid. eius vtilitas. ibid.
Externa imperiorum. 532

F.

FActio Regaliſtarum. 239
Familiaritas prudentum prudentes facit. 38
Familia Auſtriaca origo. 156
Famuli nobiles honorandi 46.indulgenter tractandi. ibid.
Famulitium quomodo regendum. 44
Famulorum honor dominos honorat. 48
Fauor Cardinalium iam parum à principibus ambitur, & cur. 145
Felicitas Auſtriacorum. 157
Ferdinandi Catholici mores. 172. ambitio. ibid. eius dictum de conſiliariis Principum. ibid.
Ferdinandus & Iſabella contra Mauros Granatenſes decennium bellauerunt. 171
Ferendarum legum prudentia. 12
Ferraria. 503
Ferrariæ Dux Magni titulum adeptus. 500. eius cum Florentiæ duce lis. ibid.decretum pro Florentino duce.501.cauſa indeciſa ibi.argumentum relationis.502.latitudo ducatus Ferrar.ibid.Carpenſes ad Ferrarienſem quomodo deuoluti ibid.& 541.Soli fertilitas.504. militia ducis & ſtipatores 505 reditus.506. piſcatio lucroſa. ibi.expenſa.ibi.diuitiæ ibi.amici aut inimici ducis.507.ſalis conficiendi priuilegium,occaſio controuerſiæ cum Pontifice.ibi.mores ducis.509
Ferrarienſis ducatus fines & amplitudo.540. portus & flumina.541. vrbes,Ferraria.542.Mutina ibi.Rhegium lepidi 543.expenſa.545. principes finitimi.ibid.affinitas & neceſſitudo cum Galliæ rege.547. cum Imperatore ibid.cum Germaniæ principibus ibid. externa dotes ibid.interna. 548
Fertilitas Angliæ. 292
Fidei acquirendæ præcepta duo. 537
Fides Germanorum aliquando ambigua. 155
Fines miniſtrorum principis. 53
Fines imperii Turcarum in Aſia. 773
Fines Germaniæ qui.153. fœcunditas. ibid.
Fines Franciæ. 285
Finis principis eccleſiaſtici. 53
Flacaſſel,herois,virtus & continentia. 266
Flaua bilis commoda & incommoda. 5

Florentini liberi ditiores. 512
Fœdera quomodo fieri debeant. 787
Fœderis ineundi neceſſitas 85. *Vtilitas ibid. Facilitas.* 86
in Fœderibus Chriſtianorum contra Turcas quæ peccata. 783
Fœderis à PP. Carolo V. & Venetis contra Turcas initi vitia. 785
ad Fœdus ſuadendum argumenta. 87
Fœdus à libera voluntate proficiſci debet. 786
Fontes conſilii. 4
Forma epiſtolæ officioſa. 635
Fortitudo Romanorum inuicta. 756
Fortuna proſpera amicis magis indiget. 49
Fortunæ blandæ faſcinationes remouendæ. 50
Fortunæ vis. 14
Franciæ fines. 285. *prouincia. ibid. temperies ibid fertilitas.* 286. *fluuii* 287. *vires & in quibus rebus ſita.* 288. *reditus.* 289. *copia militares ſtipendiaria. ibid munitiones.* 290
Franciſci I. Francorum regis fides. 797
Fraudes Mahumetis. 752
Fundamenta & inſtrumenta dominationis regnandi. 1
Fundamentum primum regnandi. 8
Fundamentum Imperii duplex. 306

G.

GAllecia regnum quando captum. 166
S Galli oppidum 632. *controuerſia ob religionem ſopita.* ibid.
Galliæ diuiſio. 742. *Gallia Belgica ibi hodierna Belgii magnitudo.* 743 *præſes ſiue gubernator totius Belgii. ibi. conſilium ſtatuum. ibi. conſilium priuatum ſeu ſecretum.* 744. *conſilium Finantiarum. ibid. Cameræ rationum.* 745. *conſilia prouincialia. ibi. militia Belgica.* 746. *turma ordinaria. ibid. res maritima. ibid. dominia ſeu bona patrimonialia principis.* 747. *ſyluarum reditus. ibid. modus conuocandi ſtatus. ibid. Ordines vel ſtatus generales.* 748
Gallo Hiſpanus vult præcedere. 173
Genera hominum tria. 58
Genus hominum in aula Romana quotuplex. 35
Genua deſcriptio. 673. *ea vexata ibid. ab Andrea Aurea reſtituta in libertatem.* 674. *Familiæ. XXVIII. nobiles ibid. Conſilium maius. ibid. eius Reipub. dux. ibid. octo Gubernatores.* 675. *Procuratores.* 676. *Poteſtas eiuſque munus ibid. ſeptemuiri extraordinarii. ibi. ſyndicatores.* 677. *Rotæ officium ibid. Cenſorum munus. ibid. Compra ſiue Camera rationales apud Genuenſes.* 678. *protectores S. Georgii quomodo eligantur.* 680
Germaniæ fines qui. 153. *fœcunditas.* ibid.

Germaniæ diſſidium triplex. 156
Germanica militia quanta. 162
Germaniæ fines.391.vbertas ibid.incolæ ibid Principes.393.& ſeq ciuitates liberæ quæ.ibid.Electores.393.ciuitates. ibid.
Germanorum fides aliquando ambigua. 153
Glaronenſis pagus.647 fœdus. 648
Globi terreſtris magnitudo. 778
Gouefridi Bullionis expeditio. 788
Gotthia. 301
Peregrini Polonis inuiſi. 335
Suecia.301.opes 302.reditus regii,ibid.vires terreſtres.303 principes finitimi. 304
Finlandia. 301
Gotthici Regni euertendi occaſio. 167
Graffiniana Thuſcia pars. 504.& 543
Gratia plurima extorquentur. 64
Grauitas comitate temperanda. 127
Græcorum ignauia & perfidia. 758
Gubernatio ad vnum commodius refertur. 52

H.

HAffnienſis Academia. 489
Hæreſes quo pacto irrepſerint. 156
Hæreſes Turcarum.372.noua opinio.ibid. diſputatio quæ. ibid.
Hæreſis Perſarum Turcis exoſa. 375
Heluetia ſitus.681. regionis qualitas. ibid.
Heluetia pars prima.687.ſecunda.ibid.tertia.688.Reipub. apud Heluetios forma. ibid.
Heluetii Inſubriæ periculoſi. 531
Heluetii libertatis amantes.652.eorum natura.ibid.amicitia à multis expetita. ibid.
Heluetiorum defectio ab Auſtriacis.604.eorum regionis ſitus ibi fluminum maximorum ſcaturigines. ibid. Cantones Suitzerorum eorumq; fœdus.ibi.militia numerus & vires 605.eorũ fines.ibi.mos in conſcribendis militibus.ibi.vexilla peculiaria & generalia.606. contra propriũ vexillũ nemini militare fas eſt.ibi.cur Heluetii Ludouicum Sfortiã prodidiſſe videantur.ibi.eorum Reip.origo 612.fœdera aliquot Helueticarũ ciuitatum.ibi. varia conſilia Heluet.eorũ cũ Imperio neceſſitudo,& quare iidẽ in fœderibus Imperiũ ſemper excipiant.613.Heluetiorum fœdera,& primo cum Allobrogum principe 1614. Heluetii quantum inter ſe differant moribus, legibus,religione & ſtatu.616.forma eorum Reipub magiſtratus,nobilitas, &c. ibid. cauſa defectionis Heluetiorum. 617. cauſa belli contra Carolum Burgundum ab Heluetiis ſuſcepti & geſti. 618

Helue-

Heluetiorum perfidia. 531
Heluetiorum fortitudo & origo. 682. & 833
Henrici regis Suec miſeria. 431
Heres eccleſiaſticus. 29
Hetruria magnus Dux iure Pontificio creatus. 24
Hetruriæ felicitas. 511. *priuatæ opes in ærario principis.* 512. *vectigalia principis* 513. *ſumma redituum ibid. ſitus imperij* 514 *artes Florentiæ. ibid milites. ibid. eorum priuilegia.* 515. *equitatus ibid. vires maritimæ ibid. triremes magni ducis* 516. *conſiliarij pauci cur.* 518. *magiſtratuum vocabula retenta. ibid. ſplendor domeſticus principis* 519 *ædificia. ibid. Pythiorum palatium. ibid. mores Ferdinandi ducis* 521. *amicitia principis ibid. Pontificia opportunitas aduerſus Florentinos.* 522
Hiſpani regis res præclare geſta. 445
Hiſpani quæ armis acquiſierint. 177
Hiſpani ad imperandum nati. 270. *quibus modis rex diſtractas ſuas vires vnire poſſit.* ibid.
Hiſpania noua. 777
Hiſpaniarum rex quibus titulis vtatur 178 *quæ forma ſit Reipubl. gubernandæ in Hiſpania. ibid. de authoritate & poteſtate regis.* 179 *de reditibus, opibus ac potentia regis. ibid. de apparatu bellico regis Hiſpaniæ pro* 1588 *anno.* 181 *peditatus & equitatus. ibid. commeatus. ibid. de dotibus corporis & animi Philippi II. regis Hiſpaniæ.* 182
Hiſpaniarum magnitudo 774
Hiſpaniarum regis beneficentia. 180
Hiſpaniarum virtus in quibus rebus poſita. 272
Hiſpaniæ pacifica poſſeſſio poſt Auguſtum vſque ad Honorium. 166
Hiſpaniæ regnum poſt Honorium ad Vandalos & Gotthos tranſiit. ibid.
Hiſpaniæ Regis titulus quando inceptus: & Catholici nomen. 171
Hiſpaniæ indigenatus vtilis. 179
Hiſpaniæ rex pacem in Italia colit & cur. 198. *Hiſpanis ſolis cur fidat.* 199 *felicitas imperij vnde. ibid. miniſtri regio propoſito abutentes. ibid. periculum regni ex prauo regimine* 200. *reditus regni ſumptibus minores. ibid. militia ibid. claſſes* 201 *ſitus regni. ibid. prouinciarum numerus* 202. *Calabria & Apulia. ibid. moderna prouinciarum partitio. ibid. oppida & Epiſcopatus quot.* 203. *artes regni. ibid. portus. ibidem. proceres regni quam miſere habeantur.* 204. *fertilitas ſoli. ibid. Veneti à regnicolis dilecti. ibid. qui hoſtes magis timendi Neapol.* 205. *Rex Hiſpaniæ pacem colit & pacis artibus ſua tuetur. ibid. nauale minus inſtructum. ibid. fraus miniſtrorum regiorum.* 206. *multitudo Neapolis. ibidem. carcerati innumeri. ibid. tribunalium iniquitas. ibid. latrociniorum frequen-*

tia.207.pirata.ibid. Ignauia triremium.ibid.rapina miniſtrorum. 208.petulantia miniſtrorum. ibid.
Hiſpania nobilitas & praſtantia. 269
Hiſpanici imperij magnitudo. 263
Hiſpanis ad Mexicum regnum quomodo aditus apertus. 266
Hiſpano cur Anglus praceſſerit. 172
Hiſpanorum virtus. 165
Hiſpanorum ſtrages ab Arabibus. 167
Hiſpanorum Imperium matrimonijs creuit. 176
Hiſpanus Gallo vult pracedere. 173
Hiſpan regis virtus fortunata. 177
Hiſtoria de Caroli Audacis Burgundi morte. 622
in Hominibus iuuandis anxium & anhelantem eſſe oportet. 42
Hominum diuerſi mores quomodo tractandi. 38
Hominum genus in aula Rom. quotuplex.35. in Officiis abundandum. ibid.
Hominum genera tria. 58
Hominum genera quatuor male conſulere: vtpote feſtinantes, cupidi, inconſtantes, negligentes. 79
Homo vnus plus quam tota Reſpubl valet. 329
Honor famulorum dominos honorat. 48
Honorum diſtributio, ſi prapoſtere fiat, turbantur imperia. 16
Hoſtes offendendi occaſio. 90
Hungari milites quales. 163
Hungariam quomodo acquiſierint Auſtriaci. 157
Hungaria deſcriptio.398 reges.ibid.incola.ibid. fines.ibid ciuitates. ibid. Epiſcopi 399 Palatinus ibid.ſadellitium.401. aula officia ibi. fœdera & amicitia. ibid.
Hungarorum origo & regnum. 161 illorum mores.ibid. ſoli fertilitas. ibid.Epiſcoporum ius.ibid. Palatini authoritas. ibid.

I.

IAnizarorum munia 410.militia eneruata. ibi.
Ignauia & perfidia Gracorum. 758
Illuſtres deterioris ſunt conditionis. 74
Imperator electus an ſtatim Imperator. 26
Imperatoris iuramentum poſtremis temporibus limitatum. 23
Imperatoris aula. 164
Imperatores confirmationi renunciarunt. 27
Imperatorum reditus. 163
Imperia quibus de cauſis ex ſe ipſis turbentur, 9. quibus de cauſis culpa principis mutentur. 10
Imperia perſpicua & apta ſint. 45

Imperij anima conſilium. 3
Imperij adminiculorum numerus. 11
Imperij in Hiſpania forma. 269
Imperij renunciatio an in manu Pontificis facienda. 23.& ſeq.
Imperij Tartarici magnitudo 779. *Perſici ibid Abyſſinorum regis. ib.*
Imperij Hiſpanici magnitudo 263. *in Europa regiones. ibid. in Africa. ibid. in Aſia* 264. *Luſitanorum expeditiones admirandæ ibi. Dium à Luſitanis obſeſſa & defenſa ibid. Hiſpaniarum regis in nouo orbe imperium.* 265. *inſula. ibid. continens.* ibid.
Imperij duplex fundamentum. 336
Imperij Turcici amplitudo. 363. *politia.* 364 *militia Turc. ibi. Timarri quomodo inſtituti. ibid utilitates ex Timarris. ibid. equitatus penes Impp.* 365. *ſtipatores Imp ibid maritimæ vires.* 366. *nautarum penuria* 367 *incolæ Imperij quales. ibid. Turcæ degeneres* 368. *opes Turc. ibid. delectus puerorum ad militiam quotuplex.* 369. *cur nobilitas præeat apud Turcas.* 370. *miniſtri vnius authoritas. ibid. Impp. Turcarum ſolitarii, & quomodo negotium agant* 371 *ſummi antiſtitis authoritas & veneratio qualis. ibid. delinquentes non adeo facile ſeruari, vt apud Chriſtianos, & cur.* 373. *Turcæ quomodo cum cæteris principibus conueniant.* 374. *Moſchi exiſti matio apud Turcas.* ibid & 375
Imperij Turcici initium. 405 *vires* 406. *forma ibid. quibus modis imperium tueatur Soldanus.* 406. *eius imperii columnæ duæ:* 408. *principes finitimi Turcis.* 412.
in Imperiis neceſſario aſtu vtendum. 10
in Imperiis quæ conſideranda. 526
Imperio idonei affabiles. 32
Imperiorum principia diſtinguenda, 26 1. *imperium antiquum* 2. *Caroli Magni & ſucceſſorum &* 3. *Ottonis* 1. *quomodo inter ſe differant.* 26
Imperiorum munera duo præcipua 52
Imperiorum externa. 532
Imperium Hiſpanorum creuit matrimoniis. 176
Imperium Turcicum inuadendi difficultas. 373
Importuni quomodo tractandi. 41
Impunitas principi contemptum & odium affert. 802
Impuritas Mahometanæ ſuperſtitionis. 752
Inconſtantia regni Neapolitani. 192
Indiarum proreges tres 190. *ſalis copia* ibid.
Indigenatus Hiſpaniæ vtilis. 179
Induſtria pacis retinendæ. 15
Ineundi fœderis neceſſitas. 85
Infelicitas regni Neapolitani. 222
Ingenia ſubditorum veſtigandi. 11

Inge-

Ingenia principum qualia eſſe ſoleant. 65
Ingenia oratorum qualia. 66
Ingenioſiſſimi Chinenſes. 190
Iniuria miniſtrorum cogit prouincias ad deficiendum. 17
Iniuria diſſimulanda. 82
in Iniuſtitia diſtributiua quomodo peccetur 20
Inſtrumenta regnandi. 11
Inſidia Perſarum. 575
Inſula Philippina. 268. *earum plenior deſcriptio.* 276
Inſula S.Laurentij. 279
Inſula Molucca, & earum deſcriptio. 283
Intellectus prudentis noctua ſimilatur. 58
Iocorum delectus quatenus habendus. 34
Iracundi benefica natura ſunt. 69
Iſabella mores. 171
Iudaei edicto pelluntur ex Hiſpania 171. *Marani vnde.* ibid.
Iudicium difficillimum in eligendo Pontifice cur. 146
Iuramentum Imperatoris poſtremis temporibus limitatum. 23
Ius Electorum à Pontifice. 26
Iuſtitia duplex. 63
Iuſtitia adminiſtratio, munus principis. 16
Iuſtitia diſtributiua proportio ſeruanda. 19
Iuſtitia exercenda methodus. 60
Iuſtitia recta adminiſtratio quanti ſit momenti. 526

L.

LAconiſmus literarum ſeruandus. 69
Lapones pelles regi pendunt. 432
cum Legatis circumſpecte agendum. 536
Legato imperiali, qua in itinere agenda. 387. *epiſtola frequenter mittenda ibid quibus verbis acta referenda. ibid. obſeruandi mores & geſtus* 388 *narratio qualis. ibid. cautiones aliquot. ibid. epiſtolarum exempla ſeruanda.* 389
Legum obſeruatio neceſſaria. 801
Legum ferendarum prudentia. 12
Leo XI. Pontifex Rom. 520
Leonis X. PP. factum. 800
Libri an militantibus vtiles. 831
Licentia militum imperiis exitioſa. 21
Litera an militia obſint. 833
Loci communes militares. 637
Locorum ſitus Imperatori noſcendus. 815
Lotharingia domus. 240

Luca deſcriptio 670 *ſenatus ſiue conſilium. ibid. Confalonerius.ibid. Secretarij.*671.*colloquium ibid queſtores.ibid.Rota.ibid.aula mercatorum.*672.*proſcriptionis modus.* ibid.
Lucerna pagus 689 *fœderis Lucernenſis præcipua capita.* ibid.
Ludouicus Bauarus Imp. Heluetijs priuilegia confirmat. 687
Luſatia. 397
Luſitani ad pugnam ſtatariam minus idonei 187. *cum Hiſpanis non conueniunt.* ibid.
Luſitania quomodo ab Aragonia ſeparetur. 774
Luſitania regni hiſtoria. 174
Luſitanici regni appendices. 277
*Luſitanorum poſſeſſiones in Africa.*278.*in Aſia.* 280
*Luſitanorum vires in India, & quibus in rebus ea ſita.*280. *principes ibid finitimi.* 281
Luſitan. vires in India vlteriori. 282
Luſitanorum res geſta. 444
Luxus Britannorum. 323
Luxus Chriſtianorum. 766

M.

M*Acchiauelli error.* 755
Magnatum mores. 75
Macchiauellus qualia principi aſcribat. 796
*Mahumetes Turc.Imp.*694 *cui ſucceſſit Amurathes ſecundus.ibid.&* 656.*ei ſuffectus Mahumetes II.* 695.*Mahumetes III.* 696
Mahumetis fraudes. 752
*Mahumetes aſtus.*691.*religio qualis.ibid.mira eius veneratio.* ibid.
Mala vbique bonis mixta. 31
Malacca à Luſitanis ſubigitur. 459
Manila oppidum. 276
Manſuetudo & clementia publica beneuolentia cuſtos. 32
Manus miniſtrorum ſunt infibulanda. 530
Marchio. 837
Mater amoris ſimilitudo. 30
Mauri Hiſpaniam cæteram deſerunt, Granatam fugiunt. 170
Maximiliani I.dictum. 179
Melancholici temperamenti dotes. 5
Mendacium implacabiliter caſtigandum. 35
Memoria minime fidendum. 69
Mercatura vbi magis floreat. 512
Merces quæ ex Peru & noua Hiſpania afferantur. 267
Mercurius inter Gratias cur. 33
Methodus iuſtitiæ exercendæ. 60

Metropo-

Metropolis Bohemiæ urbs Praga. 397
Mexicanum regnum. 266
Militares loci communes. 637
Militaris diſciplina Turc. 411
Milites Hungari quales. 163
Militia germanica quanta. 162
ad Militiam qui deligendi. 816
Militia Pontificis.140 militum ac Ducum copia. ibid. arces imperfe-ctæ.ibid.vectigalia & tributa. ibid.
Militia curanda. 531
Militia ſtataria inepti plerique. 12
Militia Bohemiæ quales. 162
Militum licentia exitioſa imperijs. 21
Miniſtri principum unde male eligantur. 9
Miniſtri principis præcipui qui & quot. 11
Miniſtrorum iniuria cogit prouincias ad deficiendum. 17
Miniſtrorum principis fines. 53
Miniſtrorum manus ſunt infibulandæ. 530
Mixtura morum duci neceſſaria. 14
Modus eligendi ut Pontificis,ita Imperatoris diuerſus. 27
Moluccæ inſulæ,& earum deſcriptio. 283 & 777.
Monachus Dominicus Regis Franc.occidendi conſilium capit. 881
Monarchæ præcipui orbis terrarum. 780
Monita quibus regulis accipienda. 536
Morauia. 397
Monarchia apud Gallos laus. 731. regia apud eos ſtirpes. 733.nobilitas 734.ordo plebeius. 735.Eccleſiaſticus.736.ordinū regni cohærentia. ibi.concilium publicum.ibi auctoritas concilij ſtatuum.737.placita ſiue decreta.ibi.magiſtri palatij.ibi.comes ſtabuli & quatuor Mareſcalli Franciæ.738.Pares Franciæ.ibid publici concilij auctoritas 739 Curia ſiue parlamentum Galliæ.740.Parlamentum Pariſienſe.ibi magnum conſilium.741.conſilium priuatum vel ſecretū ibi.
Mores hominum diuerſi quomodo tractandi. 38
Mores aulicarum aulas dehoneſtantium. 54
Mores peculiares quomodo noſcendi. 66
Mores magnatum. 75
Mores Bohemorum. 160
Mores Iſabellæ. 171
Mores Æthiopum. 185
Morum mixtura duci neceſſaria. 14
Moſca urbs Moſcouiæ. 561
Moſchus & Perſa fœderati. 375
Moſcouia.560.eius fines.ib.ciuitates.ib.fluuij 563.fruct⁹.ib.regimē.ibi. opes 565.munitiones.ib.vires 566.equitat⁹.ib.principes finitimi.567

Mulieres cuſtodienda. 9
Mundi ſitus varijs, varias corporibus habitudines ingenerant. 12
Mundi regnorumque ſitus addiſcendus. 37
Munera belli qua. 13
Munera imperiorum duo pracipua. 75
Munera partienda quibus. 81
Munerum diſtributio facienda. 44
Munia Ianizarorum. 410
Munitiones nulla Turcarum cur. 369
Munitiones ducatus Ferrarienſis. 503
Munus principis adminiſtratio iuſtitia. 16
Munus Aga. 410
Mutatio regnis periculoſa. 225
Mutina urs & ager. 504

N.

Nanchinum vrbs Sinarum celeberrima. 700
Natura beneficaſunt iracundi. 69
Natura hominum ad vtilitatem adaptantur. 73
Nauale Auſtria. 162
Nauale Viennenſe. 399
Naualis Turcarum potentia. 411
Naues grandes inutiles. 768
Neapolitani regni inconſtantia. 192
Neapolitanum regnum cur regnum vtriuſque Sicilia dicatur. 193
Neapolitanus primus rex violentus. ibid.
Negotia quomodo iudicanda. 38
Negotia minora minoribus committenda. 59
Negotia ardua & principum ſibi reſeruanda. 60
Nepotes Papa Chriſtianorum protectores. 29
Neronis turpis vox. 803
Neruus & opera prudentia. 57
Nihil à tergo relinquendum in inuaſione regionis alicuius. 817
Nobiles famuli honorandi. 46
Nobilitas Eſtenſis. 500
Nobilitatum differentia & gradus. 835
Noctua ſimulatur intellectus prudentis. 58
Nomenclatores Romanorum. 32
Normannicum ius quale. 324
Noſcens te ipſum mox alios facilius noueris. 28
Numero aulicorum quomodo vtendum. 55
Nuncij & res nunciata quomodo trutinanda. 535

O.

OCcaſio offendendi hoſtes. 90
in Occaſionibus celeritate vtendum. 765
Occaſionis ſectura. 757. occaſio quid ibid quibus imperia pepererit. II. occaſio 758 III. occaſio, diſſenſiones Imper. Conſtant. 759. IV. occaſio ſchiſma Græcæ eccleſiæ à Romana. ibid. V occaſio, Italicorum principum temeritas & ambitio ibi. VI. occcaſio, multitudo principũ apud Chriſtianos. 700. VII. occaſio, diſſidia religionum 761. VIII. occaſio, apoſtatarum perfidia 762. IX occaſio, Turcarum aſtutia in faciendis induciis ibid X. occaſio, bella inter ipſos Chriſtianos. 764
Oculus principis populum exhilarare poteſt. 33
Oeconomicus ſtatus quomodo regendus. 9
Onera æqualiter partienda. 19
Opes Antuerpiæ. 498
Opportunitas Cypri. 89
Oppugnatio amicorum & inimicorum duplex. 82
Orator qualem ſe profiteri debeat. 67
Oratorum ingenia qualia. 66
Orbis terrarum ſitus non eſt ignorandus. 59
Ordo ciuitatum liberarum qui 155. earum potentia. ibid.
Origo & fortitudo Heluetiorum. 682
Ottomannus primus Turcarum Imperator. 693. ei ſucceſſit Orchanes. ibid quem ſecutus eſt Amurathes. ibid.
Ottones tres à Pontifice electi. 26

P.

PAdi vtilitas. 502
Pagus Tigurinus. 645. Tuginus. 647. Glaronenſis. ibid.
Pagus Lucernæ. 689
Papa, inconſultis quibuslibet principibus, dignitates in quoslibet diſtribuit. 22. reges creat & deponit. ibid. imperij moderatorem ſe gerit. ibid. Imperatorem deponit. 23
Papæ nepotes protectores Chriſtianorum. 29
Pares cum paribus aggregandi. 78
Paricitas ſermonis tutior. 38
Pax colenda. 4
Pax quibus modis cum vicinis ſeruetur. 53
Peculatorum genus triplex. 33
Pecuniæ congregandæ modus Pontif. 24
Pecuniæ conficiendæ difficilis ratio. 76
Perfidia Heluetiorum. 55
Periculum principis ab aulico potentiore. 2
Perſa & Moſchus fœderati. 3

Perſa

Digitized by Google

Perſarum Rex hoſtem intrepide expectat. 581
Perſarum hæreſis Turcis exoſa. 375
Perſarum inſidiæ. ibid.
Perſæ ſua intrepide tuentur. 578. *religionem mutant.* 751
Perſia. 570. *in ea belli gerendi facilitas.* 573. *Muſtapha dux belli decernitur.* ibid. *exercitus Turcarum.* ibid. *commeatus.* ibid. *caſtrametatio Turcica.* ibid. *pugna cruenta & pertinax.* 574. *ſauitia Turcica.* ibid. *erga victorem ac potentiorem blanditiæ.* 575. *varius Martis ludus.* ibid. *Muſtapha felices pregreſſus.* 576. *Tartarorum excurſio.* ibid. *Turca obſeſſa.* 577. *rebelles caſtigati.* ibidem. *victor honori habitus.* ibid. *Rex Tartarorum captiuus egregie habitus.* ibid. *Ganeceum amore Tartari captum.* 578. *impudica regina interempta.* ibid. *arx extruitur à Turcis.* 579. *anguſtiæ quædam Turcis difficiles.* ibid. *Muſtapha potentia corruit.* 580. *Sinan ei ſubrogatus.* ibid. *ſuſpicaces regum animi.* ibidem. *egregia antitechna.* ibid. *Teflis ſuppetiæ latæ.* 581. *Sinani thraſoniſmus.* ibid. *Regem Perſam bellum inteſtinum diſtrahit.* ibidem. *Sinan Byzantium reuertitur.* 582. *Turcarum iniqua conditio.* ibid *ſubſidia Turcica intercepta.* ibid. *conſilium ducis laudabile.* 583. *Mechemeti inſidias eluſit Georgianus.* ibid. *inſidiatores merito habiti.* 584. *regis ira inconſultores.* ibid. *libertas Sinarum perdidit.* ibid. *ſubdola propoſitio conſiliarij.* ibid. *diſſimulatio iniuria calidiſſima.* 585. *pater filium bello aggreditur.* ibid. *laniena incipitur contra fautores filij.* ibid. *inquiſitio ſuper crimine filij.* 586. *innocens deprehenditur.* ibd. *de accuſatore inquiritur ac noxius deprehenditur, & capite punitur.* ibid. *ducis mutatio.* 587 *arcis noua exſtructio.* ibid. *excurſiones Turcarum.* ibid. *ambigua fides Ermichani oculis & bonis punita.* 588. *Turcomani turbant.* ibid. *Perſarum exercitus validus, ſed contumax Turcomanis.* ib. *ſimulata profectio.* ibid. *Georgianorum bellica virtus.* 589. *Simon Georgianus pedibus fugit.* ibid. *Alyculi captiuus fugit.* ibid. *exercitum antecedere ſiue ſubſequi periculoſum.* ibid. *Ferrat à militibus contemptus, & à rege depoſitus.* ibid. *Oſmanus aſſumptus.* ibidem. *Oſmanus ad bellum Perſicum proficiſcitur.* 590. *& Tauris verſus copias ducit.* ibid. *vario Marte vſus eſt* ibid. *duces Turcarum iterum profligati* ibid. *ex vrbe Tauris Turcæ infeſtantur.* 591. *Tauris deſerta à Perſis, & à Turcis capta.* ibid. *Oſmanus ægrotat.* ib. *hinc hoſtes audentiores.* ibid. *Dux ducem prouocat, ſed alij ſubrogantur in locum ægrotantis.* 592. *interficiuntur pene omnes.* ibid. *Oſmanus moritur.* ibid. *Cicala generalis Perſas affligit.* ibid. *Turcomanus ſibi Perſæ conciliare conantur.* ibid. *ſed proditionem machinantur.* 593. *quam rex puniuit.* ibid. *iudicium de pace futura.* ibid.
Perſica audacia. 574
Pertinacia deponenda, occaſiones noſcendæ. 80

Piſa.511. Nauale. 516
Pœnarum vtilitas. 801
Politia in regione qua conſideranda. 833
Pollicitationes vitanda. 41
Polonia fines.305 fluuij.306. regimen.308. electio regis Polon. ibidem nobiles.309. opes.ibid. reditus regij 310. vires quales eſſe debeant. 312.
Polonus peregrini inuiſi. 335
Pontificia auctoritas diuerſe recipitur.134. quouſq; ea extendatur. ib. temporalis auctoritas eiuſdem oppugnatur à pluriq;.ibid.Latitudo temporalis dominij.ibid.populi militares.135. potentia aucta vnde. 136.Roma prarogatiua ibid.ſape capta & diruta.137.vrbis multitudo.ibid. iners vt plurimum ibid. populus Rom.penitus ſubiectus Pontiff.ibid. Peregrini priuilegiis fruuntur innumeris.138. Officia & Montes qui in vrbe.141. onera & expenſa Pontificis.ibid. pramium & pœna apud Pontiff.143.Collatio beneficiorũ mutilata. ib.
Pontificis electio diuinum opus. 71
Pontificum actiones pracipua.62. quibus iis incumbendum. ibid.
Pontificum optimorum neceſſitas. 71. quales vt plurimum eligi ſoleant. ibid.
Populorum ſeptentrionalium expeditiones. 485
Populum exhilarare poteſt oculus principis.33. Romanorum Nomenclatores. 32
Portugallia ſolitudo. 185
Portugallia colonia. ibid.
Poſſeſſio pacifica Hiſpania poſt Auguſtum ad Honerium vſque. 166
Potens princeps vnde dicatur. 1.
Potentia Turcarum naualis. 411.
Potentia naualis inter Regem Catholicum & Turcam comparatio. 270
Praga vrbs metropolis Bohemia. 397
Precepta literas ſcripturis neceſſaria. 634
Prafectura quibus mandanda. 56
Prœlium nauale Regi Hiſpan.an cum Anglo committendum.843. an contra Londinum Anglia metropolim exercitus ducendus. ibid. vtilitates expeditionis huius.845. Obiectionum ſolutiones.ibidem. Regi Hiſpan. à Turca nihil timendum.846.nec à Germanis. ibid.
Prarogatiua principum comitiis diiudicata. 25.
Praſidium tutiſſimum ſubditorum amor & beneuolentia. 143
Pratextus belli religio non cauſa. 572
Princeps potens vnde dicatur. 1.
Princeps ſapiens conſiliariis cur vti debeat. 3
Princeps ab impoſturis defendendus. 56
Princeps ſe ipſum audiat non miniſtros. 528

Princeps

Princeps initio principatus ſeuerus eſſe debet. 67
Princeps vt conſilio polleat perneceſſarium eſſe. 2.
Principatus fundamentum quod. 796.
Principem ineptum ſpernunt conſiliarij. 2
Principes nonnulli cur ægre contra Turcas arma capiant. 783
Principes Pontificem quiſq; ſuis rebus vtilem cupiunt. 74
Principis imprudentia in eligendis miniſtris occultanda. 800
Principis authoritas in magiſtratuum manu. 799
Principe præſente quomodo ſe quis gerere debeat 640. *an & qui & quomodo commendandi. ibid. ſermone quomodo vtendum.* 641 *quando tacendum* 642. *diſſimulatio cum ſilentio. ibid. in ſermone.* 643. *in factis. ibid. occaſionibus quomodo vtendum. ibid. executio quomodo facienda.* 644 *à ſacris abſtinendum.* ibid.
Principis conſilium vnde naſcatur. 4
Principia imperiorum diſtinguenda 26
Principibus noſtris Titus nunquam obliuiſcendus. 43
Principis temperamentum quale præſtantius. 4. *phlegmaticum imperfectum* ibid.
Principis noui actiones primæ. 7
Principis miniſtri præcipui qui & quot. 11
Principis animum qui vnus occupat, eum aſtutiſſimum eſſe oportet. 18.
Principis periculum ab aulico potentiore. 19
Principis oculus populum exhilarare poteſt. 33
Principis Eccleſiaſtici finis. 53
Principis miniſtrorum fines. ibid.
Principum prærogatiua comitiis diiudicata. 25
Priuilegia non violanda. 21
Priuilegia cur non multiplicanda. 63. & ſeq.
Proreges Indiarum tres. 190.
Prothei ſunt pleriq; domini. 47
Prouinciarum Belgicarũ numerus. 491. *ius dominij* 492. *natura prouida. ibid. bos mirus.* 493. *flumina ibid. mores gentis. ibid. mechanicarum flos. ibid. Oceani natura. ibid. halecum piſcatio pretioſa.* 494 *ſalis copia ad ſalſamenta aduecta. ibid. forma regiminis ibid. conſilium Status* 495. *priuatum. ibid Finantiarum. ibid. camera rationum. ibid. gubernatores particulares. ibid. quomodo congregentur Status.* 496 *modus conſultationis ibid. Belgicæ prouinciæ qua ratione inter ſe diſcrepent. ibid. Caroli V. conſilium. ibidem. ciuitates quomodo regantur.* 497. *plebei magiſtratus ſeditioſi.* 498. *ciuitatũ reditus. ibid. Baronum limitata poteſtas. ibid. Status Eccleſiaſticus potens. ibid. titulus Principis Belgarum* 499. *militia & præſidia. ib. principis reditus.* ibid.
Prudentia duplex 6. *vtramq; egregie iunxerunt Solon & Lycurgus* 7

Prudentia in rebus humanis ſuum locum habet. 71
Prudentia & aſtutia diſcrepantia. 10
Prudentia opera & neruus. 57
Puer rex regno calamitoſus. 214
Pugna ad Ticinum. 825

Q.

QVies alternatim concedenda. 44

R.

RAtio omnium habenda. 78
R in Rebus agendis qui minus dexteri ſint. 39
Reditus Imperatorum. 163
Reditus extraordinarij regis Catholici. 415
Reditus publici quibus modis augeantur. 529
Regaliſtarum factio. 239
Reges vetuſti. 837.
Regis Hiſpan. beneficentia. 180
Regis Hiſpaniarum in Europa imperium. 773. *in Africa.* 776. *in Aſia ibid. in nouo Orbe.* 777
Regis Catholici vires terreſtres in quo conſiſtant. 272
Regis Catholici equitatus. 273. *ferrifodina & armatura. ibid. annona. ibid. Principes finitimi, Veneti. ibid. Angli.* 274. *regis Hiſpan. vires in nouo orbe.* 275
Regis Catholici extraordinarij reditus. 415
Regis Hiſpan. res geſta. 445
Regis Danici eligendi mos. 485
Regis Hiſpaniarum & Belgic. beneuolentia quibus officiis demerenda 636 *quæ addiſcenda. ibid. quæ in quaq; regione ſeruanda.* ibid.
Regiones natura & arte parum munitas facile occupari. 503
Regio ſuos mores incolis indit. 11
Regiones natura & arte parum munitas facile occupari. 503
Regnandi primum fundamentum. 8
Regnandi inſtrumenta. 11
Regni Gotthici euertendi occaſio. 167
Regni Luſitaniæ hiſtoria. 174
Regni Luſitaniæ per omnes partes militum diſtributio. 185. *militia in vniuerſum. ibid. Nauigationes Luſitanorum.* 186. *Situs Luſitaniæ ſiue Portugaliæ. ibid equeſtres ordines.* 187. *Principes & populi regni. ibid. ſitus Vlyſſipponis. ibid. negociationes & mercatura.* 188. *reditus.* 191. *ſumptus.* ibid.
Regni Neapolitani incõſtantia 192. *eius cauſa interna & externa* ib.

Regni Francici libertas & prærogatiua.211.Chriſtiana fides initium. ibid.Imperatoria dignitas.ibid vngendi mos paucorum regum. ibi. præcedentia Galliæ. ibid. ſitus amplitudo & ad iuuandum & nocendum opportunitas. ibi. Franciæ arte & natura munita. 212 artium extruendarum mos notabilis. ibid. Gallorum res geſtæ præclaræ vbique.213. bella paſſiua Galliæ.214. ſtatus Franciæ tres ibid. nobilium priuilegia & ſtatus.215. popularis ſtatus. ibid. Maximiliani dictum.ibid.officia popularium præcipua.ibid. vnde ſtudioſorum numerus in Gallia.216.nobilitas ſtudia hactenus neglexit.ibi. militia Franciæ qualis.217.ſtipendia militum.ibid. peditatus nullus gallicus quare.218. Gallorum virtus.219.principia belli timenda magis ibid fœcunditas Galliæ.220.regii reditus.ibi.Salica lex. 222.Rex familiaris cum ſubditis ibid.in Gallia vnicus hactenus tumultus.223.regis potentia ibid.principes conſanguinei regis.ibid. conſilia duo,& quæ.ibid. Aſſemblea quid.224.eius deſuetudo ibi. hæreſium duo prætextus 226.origo hæreſeos.ibid.& ſeq.bellum nutrix hæreſum.ibi.Hugonottorum inſolentia. 227. conſilium regium ad diſperdendos rebelles. 228. regis authoritas. 229. Gallia in morbum priorem recidit. 230 errores vnde regnum iterum ægrotauit. ibid.religionis peruerſæ eff.ctus 232. reges minores quot in Gallia. 235.principes conſanguinei in Gallia reges acclamati. 239

Regni Neapol.infelicitas. 222

Regni Pol.diſſenſiones multæ 329 diſſenſio ex religione quanta mala pariat.ibid.& 330.ex ſtudiis partium ibid. procerum & nobilium. ibid.nobilium familiarum.331 Prouinciarum ibi. has diſſenſiones Stephanus quomodo pacauerit.ibi.candidatus à Pontif. promotus, cur gratioſior.332. hæretici quoque Catholicum regem cur optent ibid. Archiepiſcopus Gneſnenſis regis locum obtinet 333 Pontif partes in regno Polon.valida.ibid. piaſtus quid. 334. conſultatio de indigena ad regnum optando. 336

Regni Neapolitani præſtantia. 269

Regni Luſitanici appendices.277. Inſula Tercera alias Aſares. 278

Regni Britannici pauca grauamina.323.politia regni. ibid. conqueſtor quid in Anglia.ibid.conſilium regium.324 factiones miniſtrorum. 325. Parlamentorum qualis authoritas. 326. ſeruitus conſiliariorum.ibid.vnctio regum ibid. de ſucceſſore diſcurſus. 327

Regno Bohemiæ quæ annexa. 397

Regnorum mundique ſitus addiſcendus. 37

Regnum Hiſpaniæ poſt Honorium ad Vandalos & Gotthos tranſiit 166

Regnum Neapolitanum. 775

Regnum Galleciæ quando captum. ibid

Regnum Caſtiliæ quando inceperit. 167

Regnum Neapolis.cur regnum vtriuſq; Siciliæ dicatur. 103

Regnum Neapol. à Normannis ad Suecos tranſiit. 194. diſpenſatio infauſta. ibid.
Regnum Maxicanum. 266
Regnum Congi 278. Angela. 279
Res militaris conſtituenda monita. 12
Reipub. damna ex vno potentiore cæteris apud principem. 17
Reipublicæ morbos concoquit diſciplina militaris. 13
Religio Chriſtiana vnica & vera. 751
Religio prætextus belli non cauſa. 572
Religione ſubuerſa regna perire neceſſe eſt. 424
Religionis vis. 8. & 730
Religionis ſimulatæ damna. 8
Renunciatio imperii, an in manu Pontificis facienda. 23. & ſeq.
Reprehenſio quomodo facienda. 45
Repulſa quomodo mitiganda. 41
Res geſtæ Luſitanorum. 414
Res nunciatæ quomodo trutinandæ. 535
Rex. 837
Rex Bohemiæ. 155
Rex Neapolitanus primus violentus. 193
Rex Hiſpan quibus titulis vtatur. 178 quantum in Italia poſſideat. 775
Rex puer regno calamitoſus. 234
Rex Perſarum hoſtem intrepide expectat. 381
Rhegium Lepidi. 504
Rheti populi 614 eorum cum Francis neceſſitudo, & vtrum ij Heluetiis fœderibus cum Francis comprehendantur. ibid. mos comitiorum & creandorum magiſtratuum, apud Rhetos & Heluetios montanos 615. Rhætorum origo. 649
Rhetia & Valeſia ſitus. 681
Riſui quatenus temperandum. 33
Roma Rebuſpub. grauida quomodo. 38
Romanorum inuicta fortitudo. 736
Roma amplitudo & communicatio. 30
Rugerius primus Neapol. titulos ab antipapa accepit. 193

S.

SAbaudiæ ducatus. 538. Auguſta 539. ciuitates. ibid. incolæ. ibid. militia ibid. opes. 540. expenſa. ibid.
Saccharum quomodo conficiatur. 268
Sacer titulus à ſacrorum antiſtite manat. 24
Sagacitas quid. 38
Sangallenſe decretum. 600

Sardinia. 770
Saxonia Domus qua. 154
Scientia an vſus in imperatore vtrum magis requiratur. 810
Scotia limites.320 reditus & vectigalia. ibid. eius rex pupillorum & matrimoniorum dominus. ibid feudorum multitudo.321. publicanorum fruus.322 ſumma redituum. ibid. ſumptus. ibid.
Scribendum cautius quam loquendum. 69
Scriptura ordinatim ſeruanda. 70
Scrutatores arcanorum quibus artibus vtantur. 39
Scytharum fortitudo. 832
Seditio ciuium occaſio fit hoſtium. 572
Senatus Mediolanenſis authoritas. 526
Senectus ad Pontificatum conſequendum prodeſt. 72
Sermonis parcitas tutior. 38
Sermones cum militia gnaris conferendi. 637
Seruitus apud Turcas.791. Perſona priuata corrumpenda. ibid & publica. ibid conatui inſiſtendum.792. Turca ſubditi alii Mahumetani, alii Chriſtiani 793. Libellis cuiuſmodi Mahumetana religio refellenda.794. Ianitzaris ortus & natales in memoriam reuocandi. 791
Sicilia. 776
Sileſia. 397
Similes amare ſolent ſimiles. 639
Similitudo amoris mater. 30
Similitudo vitæ in candidato attendenda. 71
Sinarum ſitus.697. Sinarum regionis vbertas. 703
Sinarum corporis habitus.706. ſuperſtitiones.710. militia. ibid. libri 714 Mandarinorum apud eos dignitas & mores. 716
Situs varii mundi, varias corporibus habitudines ingenerant. 12
Situs mundi regnorumque addiſcendus. 37
Situs orbis terrarum non ignorandus. 59
Sixtus V. Papa quibus cum Principibus conuenerit.146. de huius item electione. 148
Smollandia Daniæ finitima. 424
Solitudo Portugalliæ. 185
Solimanus Turc. Imp. 690
Spes in multiplici caſuum varietate non abiicienda. 84
Status œconomicus quomodo regendus. 8
Status cum principe, quibus ex cauſis diffideat. 15
Stephani regis Pol. dictum. 329
S. Stephani equitum ordo à quo inſtitutus. 517
Stocholmia regia. 418 & ſeq
Strages Hiſpanorum ab Arabibus. 167

Subditi vnde ex ſe ipſis deficiant. 15
Subditi noſcendi. 59
in Subditis quæ attendenda. 505
in Subditis quæ conſideranda. 543
Subditorum ingenia veſtiganda. 11
Subditorũ natura turbulenta multas vbiq; calamitates inuexit 505
Subditorum amor & beneuolentia tutiſſimum præſidium. 543
Sueciæ & Daniæ reges cur diſcordes. 418
Sueciæ fines. 417. eius latitudo. 418. vſque ad Iaponios iter eſt amplius quam mille miliaribus Italicis longum ibi. regnorum ſitus ac feracitas. ibid. Sueciæ diuiſio. 419. arces. ibid. Epiſcopatuum numerus. 420 & paræciarum ingens numerus atque amplitudo. ibid. Idiomata tria diuerſa. 421. temperies aeris clementior. ibid. ſanitas incolarum. 422. politia regni ib. conſiliarij regij. ib visitatio regni. 423 iuſtitiæ adminiſtratio ib. Lancemani iuriſdictio. ib vicecomitum dignitas 424. iudiciorum ordo 425 perpetui ſenatores. ibid. legum Suecicarum antiquitas. ibi. vſura abolita. 426. adulteriũ abominabile. ibi. criminalia quomodo tractentur. ibi. aduocatio prohibita ib. diſpoſitio uſq; regimen rerum militarium. 427. vexilla quot ſint, & quot milites comprehendant. ibi. militaris diſciplina ibid. luſtratio militaris. 428. aulici. ibi. claſſis & arma maritima. 429. claſſis regia. ibid. nautarum copia ibi. hyeme commodius bella geri. ib. minore ſumptu Suecas militare. ib. tormentorum numerus. 430. portus nauium regiarum. ibi. vectigalia regia ibi damna hæreſeos. 431 moneta regni. ibi fodinæ plurimæ. ibi tributa & exactiones. ibi. nobiles exempti. 432. liberalitas regia ibid. miniſtri qui regiis reditibus præpoſiti ſunt. 433 quæſtores & camerarij quomodo regium theſaurum gubernent. ib. quibus deeſt induſtria. ibi. minerarum vtilitas 434. ingeniorum qualitas. item ritus, mores, conſuetudo in cibis, veſtibus, ædificijs huius regni. ibi. ingenia docilia & ſimplicia. ibid. ſimplicitas gentis cur diminuantur. ib Sol æſtate diutius coquit. ib. mulieres ſobriæ & pudicæ. 435 religio deprauata, ſed nondum tota. ibi. cibis, qualibus vtuntur. ibid. panis miri generis. 436. lacticinia prima & poſtrema menſa, non obſonium Septentrionalium. ibid. legumina ob incuriam incolarum deſunt. ibid ædificia. ibi. hiſtorici de rebus Sueciæ. 437
Subditorum amor & metus quibus artibus conciliari poſſit. 430
Sui & alieni quomodo habendi. 83
Suitij 684. præfectorum inſolentia quoſdam pagos ad defectionem impellit. ibi. tres pagi Ludouico Imperatori fauent. ib Pagorum trium fœdus, eiusq; leges. 685 qui populi trium pagorum fœderi & quando acceſſerint. 752
ſuperbia indigna principe. 32
ſuperſtitionis Mahumetanæ impuritas. 752

Superior cum inferioribus magiſtratibus contendens tripliciter errat. 527
Suſpitio Principum ne oriatur, æqualitas ſeruanda. 37

T.

TAuriſium. 405
Teipſum noſcens mox alios facilius noueris. 28
Temperamenta diuerſa animum diuerſe afficiunt. 4
Temperamenti melancholici dotes. 5
Temperamento Principes minus reſiſtunt. ibid.
Temperamentum principis quale præſtantius. 4. *phlegmaticum imperfectum.* ibid.
Terræ vniuerſæ partes quæ. 770
Theologorum aſſertiones falſæ. 26
Tigurinus pagus & ciuitas. 645. *ratio adminiſtrandæ reipub. apud Tigurinos & Baſilienſes.* ibid.
Timarra apud Turcas quid. 408
Timariorum vſus. ibid.
Titulus ſacer à ſacrorum antiſtite manat. 24
Titulus Chriſtianiſſimi regibus Hiſpaniæ tributus. 168
Titus, principibus noſtris, nunquam obliuiſcendus. 43
Tranſyluania. 399
Tranſyluaniæ qualitas. 162
Tributus militaris. 836
Triplex genus peculatorum. 530
Tuginus pagus, 647. *fœdus.* ibid.
Turcæ Polonos, & hi viciſſim Turcas mittunt. 414
Turcæ qui & vnde. 690. *eorum ſuperſtitio.* ibid.
Turcæ monachi. 692 *eorum habitus & mores.* ibid *arma.* ibid
Turcarum munitiones nullæ cur. 369
Turcicæ ditiones in Europa. 404. *in Aſia & Africa.* ibid. *inſulæ.* ibid. *regionum fertilitas.* ibid.
Turca domi aſſiliendus. 756
Turca vndiquaque inuadendus. 788
Turcarum diſciplina militaris & obedientia. 767. *habitus.* ibid.
Turcarum in Europa imperium. 770. *in Africa.* 771. *in Aſia.* 772
Turcæ quibus occaſionibus imperium quæſiuerint. 758
Turcæ quibus noſtros præcellant. 765
Turcæ quibus modis imperium propagarint. 756
Turcicorum imperatorum fides & perfidia. 798
Turcis de religione diſputare non licet. 752

V.

VAleſiani. 688

Valeſia deſcriptio.650.fœdus. ibid.
Varanenſis clades. 695
Vena aurea quid. 57
Venenum; præcipuum regnantibus adulatio. 48
Veneti cum Turcis cur pacem colant. 132
Veneti petunt bellum offenſiuum decerni. 90
Veneti vt fœdus euulgetur, petunt 90. Scriptura Pontificis quaſi idea fœderis propoſita. 91. Moroni hortatoria.ibid. prima difficultas, quo pacto euanuerit.ibi. tempus determinatum fœderis excluſum. ibid.de hoſte dubitatio ſcrupuloſa.ibid. præcipuo obiecto inſiſtebat Venetus ibi.Hiſpani Africam cogitabant.ibid. Venetus fœdus petiſſe non vult.93.Venetus priuatam expeditionem Hiſpanorum refutat. ibid.præſtant Hiſpani.ibi. Silentium indictum.ibi.exercitus & claſſes fœderis 94.de modo contributionis diſſidium.ibi.excuſationes vtriuſq; partis.ibi.tertiam partē ſumptuũ cõfert Reſp 95. rata Pontificis ſubleuanda à fœderatis ibid.triremes cõmodo offert Venetus.ibi.triremium cõmodatũ diſpendioſum Venetis.96.Hiſpanus vtilius eſſe fœdus.ibi.purgat ſe cum Pontif.Venetus.ibid. Contributio ad defenſam & ad offenſam cõtenditur.97.Hiſpanus eandem opem vult à Republ.quam præſtat Reipubl.ibi. moderatio petitionis. ibid. Venetus inſtat coniunctionem claſſium. 98. promiſit Hiſpanus.ibid. Africa loca munienda eſſe contenditur. 98
Venetus repugnat & præcipue bello inſiſtit.ib.temperamentum Hiſpanorum 100.terminus defenſiui belli.ibi.portio Pontificis Hiſpano ſuppletur. ibi.
Venetus ſe excuſat.ibid.de Generali decernendo difficultas. 101
Venetus primatum ſibi debitum putat.ibi.duæ conſiderationes Veneti oratoris prudentiſſimæ. 102
Legatus Cardin. in claſſe. ibi.
Annona libera extractio difficultatem fœderi affert. 103. contra fœderis deſertores. ibid
De portione Pontificis ſupplenda.ibi.difficultas ibi.decimarum difficultas ſopita. 104
Venetus inſtat publicari fœdus. ibi. Reſpub.inſtat coniungi claſſes. 105. perpetuitatem fœderis declarat Venetus.ibid.Capitulum Hiſpanorum à Veneto reprobatum. ibid.
Venetus triremium corpora nuda offert. 106
Portio Papæ indeciſa. ibid. extrahenda annona, reditus, patrimonium regium. ibi.
Limitaris pretium petit Venetus.ibid.cauſſa diſſoluendi olim fœderis. ibid.
De auxiliis ferendis reciproca obligatio.ibi. Dux Generalis maritimus.ibi.Generalis terreſtris.108. Rex Poloniæ & Luſitaniæ contendunt.ibi.Cenſuras nolunt Veneti. ibi

Venetus retorquet cenſuras in Hiſpanos ibi. preda diuiſo. ibi. Titulos ſuos Venetus curat. ibid. Conſultationes de bello iterandas eſſe, negat Venetus. 109. Venetus ad fœderis durationem reſpicit. ibid. Venetus Pontificis excuſationes reprobat, 110. & docet modum colligenda pecunia. ibid. Venetus contributionem pro Pontifice detrectat. ibid offenſionem hoſtis Venetus inſtat. 111. terreſtrem ducem proponit Venetus ibid. cenſurarum capitulum Venetus reijcit. ibid. Raguſai Turcis addicti. ibid. Pontifex Raguſaos tuetur 112. conſilium exploſum. ibid. mandat Rex claſſes coniungi. ibid. Granuela conqueritur & placatur 113. Venetus generalem expeditionem fouet, ibid. oblatio Venetorum pro portione Papa ſubleuanda 114. portio Papa ex qualitate gratiarum ſubleuanda. ibid. Cenſuras reijcit Venetus. ibid. Suſpicionem Venetus à ſe amolitur. ibid. difficultates omnes ad principes reiecta. 115. difficultates pracipua quales ibid. pœna cenſurarum ſublata 116. Orator Venet. à Republ improbatus, eique limitata authoritas. ibid. Reſpub. in ſuſpicione Hiſpanorum. ibid Orator excuſat ſuam Rempub. 117 alter orator Romam venit. ibid. contentio maxima de re leui 118. creſcit pertinacia, donec, &c ibid perturbantur vtrinque animi 119. dum Roma conſulitur, expugnatur Nicoſia. ibid. concluſſio fœderis. ibidem.

Venetiarum vrbis ſitus 653 commoditates. ibid. Inſula. 655. reditus. ibid. expenſa. ibid. modi augendorum redituum. 656. Venetorum montes. 657. amor in patriam. ibid. vires bellica & munitiones. 658 peditatus. 659. equitatus ibid. imperator & duces 660. vires maritima. ibid nauale. ibid Galea ibid. Galera ibid. naues praſidiaria. 661. Reipublica forma. 662. Venetorũ priſcorum mores 665. parſimonia. ibid. amor inter magiſtratus & ſubditos. ibid. imperij ſoliditas 666. amicitia & ſocietates Venetorum 667. qua deſint Reipublica. 668

Venetorum mores 128. familiarum diſtinctio. ibid. de pralatis monita 129 conuiuijs excipiendi qui. ibid. commendatio qualis. 130. viſitandi qui 126 qui item laudandi & quomodo. 130

Venetorum pracipua ciuitates in continente 596. prouincia maritima. 599. triremium genera. 600. defectus Veneta claſſis ibid. annona penuria. 601. magiſtratus ibidem, ducum vetuſtas. 602

Veracitas nunquam deſerenda. 41

Vicinorum actiones obſeruanda 534. quomodo explorentur. ibidem.

aduerſus vicinos qua curanda 532

Vienna. 393

Viracoca. 267 religio & politia ab ipſo inſtituta. ibid.

Virium Turcarum cum Perſis comparatio 413. *Luſitanis ibid. cum preſpytero Ioanne.ibid. cum Auſtriacis.*414.*cum Venetis.*415. *cum rege Catholico.* ibid.
Virorum delectus qualis à regnante habendus. 53
Virtus ducis quantum valeat. 14
Virtus dignitati non eſt diſiungenda. 29
Virtus dominantis præcipua affabilitas. 31
Virtus & ætas pontificatus adipiſcendo proſunt. 146
Virtus Hiſpanorum. 165
Virtus Hiſpaniarum in quibus rebus poſita. 272
Virtus Caroli V. 175
Virtus regis Hiſpaniarum fortunata. 177
Virtutes quatuor egregij ducis. 13
Virtutes ſpeciem aſſumit vitium, & præmia vſurpat. 31
Vis fortunæ. 14
Vis religionis. 8
Vitæ ſimilitudo in Candidato attendenda. 73
Vitium ſpeciem virtutis aſſumit, & præmia vſurpat. 31
Vnio Catholicorum & Regaliſtarum factio. 239
Vnus homo ſæpe plus quam tota Reſpubl valet. 329
*Vrbini ducatus ciuitates.*552.*ager.ibid. reditus.*554. *Ducis matrimonia ibid.liberi & eorum matrimonia.* ibid.
Vrij & eorum origo. 683
Vſchochi populi. 661
Vſus Timariorum. 408
Vtilitas & amor iungendus. 73

X.

Xenophontis locus ex lib.1.pædias. 828

Z.

Zelymus I 696.*Zelymus II. Turc.Impp.* ibid.
Zizania euellenda. 55

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE